HIERONYMI
FABRICII
AB AQVAPENDENTE
OPERA CHIRVRGICA.

HIERONYMI FABRICII

AB AQVAPENDENTE,

Medici, Anatomici, & Chirurgi; necnon in celeberrimo Patauino Gymnasio Professoris Supraordinarij,

OPERA CHIRVRGICA.

QVORVM

PARS PRIOR

PENTATEVCHVM CHIRVRGICVM;

POSTERIOR

OPERATIONES CHIRVRGICAS

continet.

VM INDICE LOCVPLETISSIMO CAPITVM ET RERVM NOTABILIVM.

Acceßerunt huic poſtremæ editioni inſtrumentorum, quæ partim Autor, partim alij recens invenere.

m, De Abuſu Cucurbitularum in Febribus Putridis Diſsertatio: è Muſeo ejuſdem.

PATAVII, Impenſis Franciſci Bolzettæ. M. DC. XLVII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Perilluſtri & Excellentiſsimo D.D.

PETRO DE MARCHETTIS,

D. MARCI EQVITI,

Chirurgiæ & Anatomiæ in Lyceo Patauino Profeſſori celeberrimo,

FRANCISCVS BOLZETTA F.

NON ex quouis ligno Mercurius, nec eadem decent omnes. Laertiadæ arcum non tendit imbellis procorum manus. Herculis clauа Herculeos depoſcit lacertos. Nec alium, cui præſens opus eximij Chirurgiæ atq; Anatomicæ rei Profeſſoris decentiùs dicaretur, videbam, quàm tibi utriuſque facultatis Profeſſori celeberrimo. Non rudem militem, ſed eum, qui

clypei cælamina noſcat,
Oceanum, & terras, cumq; alto ſidera cælo,
Pleiadaſq;, Hyadaſq;, immunemq; æquoris Arcton,
Diuerſaſq; urbes, nitidumq; Orionis enſem,
Poſtulat Æacidæ clypeus.

Quis autẽ te valeat penitiora artis huius arcana vel intellectus acie acutiùs introſpicere, vel manus peritiâ dexteriùs ad praxim reuocare, adeo ut omniũ admirationem promerearis, & in rebus propè deploratis omnium ſpem erigas, quam deinde ſperati conſequantur effectus, & citra fidem, non citra miraculum, opera ſubſequantur ad ſalutem. Hinc quæ regio adeò diſsita, quæ non in tuas laudes, in tuam admirationem trahatur? quæ aliqua laborantes vi inſanabili ad te non mittat ſanandos, ſuis per te pollicita exoptatam ſalutem. Aureum arietis vellus Iaſonis virtuti præmium: aureum (vt ita dicam) vellus Leonis à Sereniſſimo Principe honoris ergò tibi decretum, ut illius fulgore fulgidior tua virtus radiet. Alio quoq; nomine hoc operis tibi debebatur tanti Magiſtri Diſcipulo. Occumbat Alcides; Philoctetem deliget iaculorum hæredem viuenti aſseclam, & ijſdem pertractandis ab eo aſsuetum. Compertum habeo nullum poſse tibi gratius munus offerri, quia prædilecti inſtitutoris: nullum decentius, quia eius, quam profiteris, artis omnigenum ærarium: nullum dignius, quia tu illo digniſsimus. Hoc in auro pretioſam tui nominis gemmam inſerere volui, ut alterum ex altero mutuetur viciſsim, & parili tænore decus & pretium. Vale.

Patauij XXVI Idus Iulias CIↃ IↃC XLVII.

HIERONYMVS FABRICIVS AB AQVAPENDENTE EQVES MEDICVS ET ANATOMICVS.

Martia Fabricio iactat ſe nomine Roma,
Pendula Fabricium tu quoque gignis Aqua.
Nobile Fabricio genus, inclita Roma, dediſti;
Pendentem contra nobilitauit Aquam.

Joa. Thuilius Mariæmontanus,
in Gymn. Pat. Human. Prof.

HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE VITA.

Ex Elogijs Illustrissimi & Reuerendiss. IACOBI PHILIPPI TOMASINI Præsulis Æmoniæ.

IERONYMVS FABRICIVS ab Aquapendente dictus, è ciuitate Tusciæ inter Phaliscos Aquapendentis nomine honestis maioribus natus virtute suâ generi per se claro & illustri Patriæ lumen ingens accendit. Patauium, bonarum asylum artium, bonis auibus, ineunte adolescentiâ se recepit, ibique alienam receptus in domum quorundam nobilium Venetorum ex Lauredana gente, sub eorum clientela prima Græcæ Latinæque linguæ rudimenta didicit, mox & Logicam, & Philosophiam omnem. Cumque iuuenis, & singulari memoriâ, & acri ingenio præditus esset, non solùm Viros illos nobiles obsequio, sed & animi candore, & ingenuitate demeruit, moribusque suauissimis, & assiduis lucubrationum laboribus ingenia eorum, quâ exemplo, quâ exercitatione, ad amplectenda literarum studia mirificè excitauit; ferentibus opem illis vicissim FABRICIO, ut ad Medicinæ studia se conferret. Quare tum in publicis Doctorum scholis, tum in priuatis congressibus erumpente jam veluti è latebris AQVAPENDENTIS famâ, omnium omnino animos admiratione complebat. In Medicinæ castris Gabrielem Fallopium, clarissimum eius facultatis Interpretem, ævi sui Æsculapium, præceptorem habuit, cuius ex ore, cum eius domum frequens adiret, & eodem familiariter uteretur, facultatis illius flores apis instar sedulæ colligebat, & in commentarios redigebat. Magistrum in curandis etiam vulneribus adiuuabat, & ubi res ferret, corporibus humanis secandis suam ipsi operam impendebat. Doctoris tandem insignia meritò consecutus, maximo virtutis & gloriæ desiderio flagrare cœpit. Itaque præceptoris sui vestigia secutus ad morbos sanandos, ad curanda vulnera, ad Anatomen exercendam se totum eo conatu contulit, ut decedente FALLOPIO nullus illo dignior vel aptior sit repertus, cui Anatomes exercendæ prouincia à Sereniſſima Rep. Veneta mandaretur. In ea toto ille terrarum orbe percelebris quadriginta annorum spatio singulari omnium applausu versatus est, dictusque omnes Anatomicos suæ memoriæ superasse. Primus ille Patauinis Athenis à Sereniſſimo Senatu Veneto Theatri Anatomici ornamentum impetrauit, in eoque primus admirabili auditorum concursu, & spectatorum ingenti coronâ corpora humana dissecuit. Chirurgiam multis, & varijs animaduersionibus locupletauit, nouis instrumentis instruxit, & faciliori methodo plurimas operationes sic absoluit, ut eius tùm ære, tùm ingenio Chirurgiam illustratam posteri liberè fateantur. Morbis omnibus, etiam cùm de salute planè conclamatum videretur, mirabiliter occurrit. Quam ob causſam Principibus Italis, & totius terrarum orbis Regibus carus, & ab omnibus mirum in modum expetitus tanto erat in pretio, ut ei certatim omnes, tamquam nouo Numini, vitæ suæ incolumitatem referrent acceptam; nec nisi regijs decoratum muneribus ab se dimitterent; eius demum imaginem in Bibliothecis, & Museis suis summo in honore habitam collocarent. His dum bonis animi abundabat, Fortunæ quoque muneribus affluxit. Siquidem ingentes opes suâ sibi virtute collegit, neptem ex fratre Senatori Veneto nuptui tradidit. Patauinæ ciuitatis iure donatus est, & publicæ Lecturæ ergò mille aureis, ac demum ex Sereniſſimi Senatus Veneti decreto Anteceſſoris Supraordinarij titulo, Collegij jure, Equestri dignitate, ac aureâ torque meritò decoratus. Vbi nec tacendum illud, quod cum Illustribus viris, operâ suâ perbenignè præstitâ, oblatam ab eis mercedem constantissimè recusaret, varijs ab ijsdem, & ingentis pretij

muneri-

muneribus tùm aureis, tùm argenteis ornatus fuerit. Quibus omnibus ritè & ordine in armario dispositis aureis hîc inscribi præscrib. iussit :

LVCRI NEGLECTI LVCRVM.

Quâ eadem sententiâ & humanitatem suam,& aliorum munificentiam introeuntibus omnibus aperiret. Extra portam S. Crucis, quarto ab Vrbe lapide, ad Monticuli formam ædificium ingens extulit, quod adhuc fortitum ab auctore & à formâ nomen seruat,& *Aquapendentis Monticulus* appellatur. Varia & illustria opera in Chirurgia, Arte medica, & Anatome typis edenda curauit. Cibi minimi senex, quique vel ætate longæuâ fessus gestatoriâ sellâ deferebatur ad inuisendos ægros, anno ætatis LXXX leuem in morbum incidit, ex quo breui pristinæ valetudini redditus, dum propriis rebus consulit, & testamentum condit, prospiciens nouos assines non quæsisse generis conditionem, sed opes oppugnare cœpisse; fractus animo, grauiter iterum ægrotauit, quòd ab ijs, quorum fide maximè nitebatur, violenter haberetur in dies magis ac magis. Quamobrem ingrauescente morbo, non sine suspicione veneni,cum vomitu bilioso vitâ demum excidit, & qui secundam planè, dum viueret, diuitijs & honoribus auctus fortunam expertus fuerat, omine tandem infausto eandem sibi aduersam & noxiam adinuenit. Dies funeris XXIII. Maij M.DC.XIX. celebratus est publicè ab erudito Viro Io. Thuilio Maclriæ-Montano, & in Ecclesiâ S. Francisci conditus absque Epigraphe.

Effigiem debemus tabulæ à Francisco de Portiâ pictæ, quam inter delicias suas numerat Vir humanissimus, & ad obsequia quæque paratissimus MARCVS FRANZINVS Patauinus Ciuis.

In Anatomici Theatri superliminari hæc de Fabricio exstant,

HIERONYMO FABRITIO
AB AQVAPENDENTE
XXX. IAM ANNOS ANATOM.
PROFESSORE.

Conscripsit

De Visione, Voce, & Auditu. in fol.
De Musculorum artificio, & de ossium dearticulationibus Tractatus breues. in quar.
De motu locali animalium secundum totum.. in 4.
De Gula, Ventriculo, & Intestinis. in 4.
De Respiratione, & eius instrumentis libellos duos. in 4.
De formato fœtu. in fol.
De formatione oui, & Pulli. in fol.
De Brutorum loquela. in fol.
De Ostiolis Venarum. in fol.
De Locutione, & ejus instrumentis. in fol.
Pentateuchum Chirurgicum in fol.
Operationes Chirurgicas. in fol.
De Integumentis totius Animalis. in 4.

Sub Hieronymi Senis nomine post ejus obitum Ioannis Preuotii cura prodiit

Praxis Medica ipsius nomine in Gallijs vulgata est alterius.
Consilia quædam ipsius Iosephus Lauterbachius vulgauit Francofurti.
Anatomiam meditabatur justæ magnitudinis iconibus illustratam; quæ non ita dudum in Belgium translata.

INDEX CAPITVM QVINQVE LIBRORVM, ET APPENDICVM DE RE CHIRVRGICA.

Littera (*a*) numeris adiecta, Capita Appendicum in fine Operis denotat.

LIBER I.

Qua agitur de Tumoribus præter naturam.

ap.I. DE Tumoris appellationibus variis,& eiusdem definitione. 1
De causis tumorum interni & externis. 3
I. De Differentijs,seu speciebus Tumorum. ibid.
V. De generale Tumores curãdi ratione, quoad Indicationes desumptas a fluxione, congestione, partiumque in alienam sedem prolapsu. 6
De particulari Tumorum natura, & curatione: ac primum de inflammatione citra suppurationem. 7
I. De curãda Phlegmone per suppurationem. 20
II. De Accidentibus, quæ curam inflammationis impediunt, aut remorantur, vt sunt Febris, Durities loc, &c. 24
III. De Erysipelate. 25
I. De Oedemate. 32
. De Tumore flatuoso. 35
I. De Scirrho. 38
II. De Tumoribus aquosis. 41
III. De Bubonibus non contagiosis. 43
IV. De Phymate. 46
V. De Phygethlo. ibid.
VI. De Bubone Gallico. ibid.
VII. De Bubone pestifero. 47
VIII. De Carbunculo. ibid.
IX. De Gangræna, & Sphacelo. 49
X. De Herpete. 55
XI. De Strumis. 57
XII. De Cancro. 60
XIII. De Herniarum differentijs. 66
XIV. De cura Herniæ intestinalis, peritonæo saltem dilatato, vel relaxato. 67
XXV. De cura Hærniæ Intestinalis, peritonæo disrupto. 68
XXVI. De cura Herniæ omentalis, 69
XXVII. De cura Herniæ aquosæ. 70
XXVIII. De cura Herniæ ventosæ. 71
XXIX. De Sarcoceles,& Hydroceles curatione. ib.
XXX. De curatione Herniæ varicosæ. 72

APPENDIX.

Qua agitur de tumoribus quibusdam particularibus, in fine Operis.

De Erysipelate in capite, vel facie. 1.*a*
De Pſydracio. 2.*a*
De Fico. 3.*a*
De Talpa topinaria. 4.*a*
De Tumoribus cum folliculo. 5.*a*
De Atheromate. 6.*a*
De Meliceride. 7.*a*
De Steatomate. 8.*a*

LIBER II.

In quo agitur de Vulneribus.

Cap.I. De vulneribus generalis consideratio. 37
II. De vulnere carnis simplici. 74
III. De sistenda profusione sanguinis in vulneribus. 75
IV. De inflammatione prohibenda. ibid.
V. Quomodo labia vulneris ad mutuum contactum sint applicanda, & applicata seruanda. 78
VI. Vt præcauendum, ne quid labijs vulnerum intercidat. 83
VII. De partis vulneratæ substantia salubri conseruanda. ibid.
VIII. De vulnere carnis composito, seu cauo. 85.
IX. De cicatricum deformitate tollenda. 87

X. De vulneribus vasorum, idest, venarum, & Arteriarum 88
XI. De Vulneribus Neruorum. 93
XII. De Vulneribus Ligamentorum. 97
XIII. De Capitis Vulneribus; & primum de partibus capitis anatomica consideratio, ad præsens negotium necessaria. ibid.
XIV. De differentijs vulnerum capitis. 98
XV. De signis vulnerum capitis. 99
XVI. De curatione simplicium, & exteriorum vulnerum capitis. 101
XVII. De curanda fractura cranij, quæ non peruenit ad duram matrem. 103
XVIII. De fractura caluariæ ad duram matrem penetrãte, ita tamen vt hæc illęsa sit. 104
XIX. De vulnere duræ meningis. 108
XX. De vulnere membranæ, tenuis, & ipsius cerebri. 109
XXI. De Thoracis vulneribus; & primum de eorũ differentijs, & signis prognosticis. 110
XXII. De vulnere thoracis penetrante, sine internorum membrorum læsione. 111
XXIII. De vulnere Pulmonis, & Diaphragm. 113
XXIV. De vulneribus Abdominis; & primum de eorum differentijs, signis, & prognost. ib.
XXV. De Vulnere abdominis penetrante, cum exitu intestini, aut omenti. 114
XXVI. De Intestinorum vulneribus. 117
XXVII. De ventriculi vulnere. 118
XXVIII. De Hepatis, Lienis, &c. Vulneribus. ibid.

APPENDIX.

Quæ agit de singularum partium vulnerib in fine Operis.

De vulneribus Frontis. 10. a
De vulnere Superciliorum. 13. a
De vulneribus Palpebrarum. 14. a
De vulneribus Oculorum; & primò de incisione tunicæ corneæ, & coniunctiuæ. ibid.
De vulnere oculi cum exitu humoris aquei. 16. a
De vulnere oculorum cum effusione humoris. ibid.
De vulnere oculorum profundiore. 17. a
De vulneribus Nasi. ibid.
De vulnere ossis Nasi. ibid.
De vulnere Cartilaginis Nasi. 18. a
De vulneribus Genarum. 19. a
De vulneribus Labiorum. 20. a
De vulneribus Auricularum. 21. a
De vulneribus Linguæ. ibid.
De vulneribus Colli. 22. a
De vulnere asperæ arteriæ. 23. a
De vulnere Gutturis, & Laryngis, ibid.
De vulnere venarum, & arteriarum iugularium. 24. a
De vulnere Spinalis medullæ. ibid.
De vulneribus Gulæ. ibid.
De vulneribus Articulorum. 25. a

LIBER III.

Qui tractat de Vlceribus, & Fistulis.

Cap. I. De nomine, definitione, differentijs, causis, & prognosticis vlcerum in genere.
II. De curatione vlcerum generali.
III. De curatione vlcerum simplicium, & planorum, & cauorum.
IV. De vlceribus ægrè curabilibus: & primum vlcere cum vitiosi humoris affluxu, ac p inde difficulter cicatricem admittente.
V. De vlcere maligno, quod Cacoethes dicitur primùm de eo, quod iunctam habet siccam intemperiem.
VI. De vlcere cum humida intemperie.
VII. De vlcere cũ intẽperie calida sine materia.
VIII. De vlcere cum frigida intemperie.
IX. De vlcere verminoso.
X. De vlcere cum osse corrupto.
XI. De Fistulis. 143 E
XII. De Fistulis in ano.

APPENDIX.

Ad doctrinam de Vlceribus.

De vlcere in vrethra a gonorrhæa.
De caruncula in collo vesicæ.

LIBER IV.

Qui continet doctrinam de Fracturis.

Cap. I. De definitione, differentijs, causis, & si Fracturarum.
II. De arcenda inflammatione in Fracturis.
III. De curanda fractura transuersa sine vulnere & primùm de coaptandis fracti ossis p bus.
IV. Quo partes ossis vnitæ seruari debeant.
V. Quomodo ossis substantia salubris conse debeat.
VI. De Callo in fracturis generando.
VII. De Symptomatis fracturę superuenientib d
VIII. De curanda fractura cum vulnere, in qua os nudatum est, nec aliquid ossis frustu recessurum expectamus.
IX. De curanda fractura cum vulnere, in q p nudatum non est, aliquod tamen ossis stulum recessurum expectamus.
X. De fractura cum vulnere, in qua os nudat est.

LIBER V.

Quo de Luxationibus agitur.

Cap. I. De definitione, differentijs, causis, & Luxationum in genere.
II. De curatione Luxationum vniuersali.
III. De particularibus luxationibus: & primùm luxatione Maxillæ.
IV. De Luxatione Humeri.
V. De Luxatione Cubiti.
VI. De Luxatione Radij.
VII. De Luxatione Carpi, seu manus, item tacarpij, & digitorum.
VIII. De Luxatione Femoris.
IX. De Luxatione Genu.
X. De Luxatione tali, seu articuli pedis, & torum.

FINIS.

INDEX RERVM IN PENTATEVCHO CONTENTARVM LOCVPLETISSIMVS:

Litera (a) numeris adiecta denotat locum in nouis Appendicibus quærendum.

A

Abdominis descriptio. 113.
Vulnerum differentiæ, ac signa. 114.
in Abdomine vulnerato descensus materiæ vt cognoscatur. 116.
in Abdominis vulnere penetrante partibus principibus vt prospiciendum. ibid.
Abdominis futura. 115.
Abdominis vulnus intestino vulnerato non tenendum est apertum. 117.
Abdominis vulneris consuendi modi duo. 116.
Ablatio partis emortuæ secundùm modum antiquorum. 53.
Ablutio vlceris humidæ intemperiei vt fiat. 138.
Abscessus quid sit. 5.a
Abscessuum causæ. ibid.
Abscessus signa, & differentiæ. 6.a
Abscessus cur aliqui habẽt folliculũ, alij non. ibid.
Abscessuum curatio consistit in euacuatione materiæ. 6.a
in Abscessu curato quæ cõueniunt epulotica. 23.
Acetum cum emplasticis mixtum dolorem curat leniat. 24.
Acetum quid præstet in curatione œdematis. 34.
Acus pro futura vulneris qualis esset debeat. 79.
Acus quò minus corpus transit, eò minores sequuntur inflammationes. 22.a
Adductio labiorum vulnerati vasis quomodo fiat. 90.
Aes vstum præstantissimum epuloticum. 130.
Aetius expositus. 30.
Albucasis formicarum capitibus intestinum vulneratum adducit. 117.
Althebegium quid sit. 36.
Anodyna quæ. 24.
Anodyna, & astringentia in repositio cubito. 174.
Anodyna, & concoquentia, quæ conueniunt in vulnere duræ matris. 109.
Anodyna, & phlegmonem arcentia in fracturis cum vulnere, quæ desiderentur. 163.
Anodynis quæ admiscenda in dolore, ex inflammatione orto, & cur. 24.

Anthracis non peſtilentis ſigna. 48.
Anthracis peſtiferi curatio qualis. 49.
Aqua an digerat. 34.
Aqua frigida repellit, & in parte digerit. 84.
Aquæ frigidæ potus vniuerſum corpus refrigerat. 89.
Aqua tepida fundit, & liquat humores. 136.
Aquæ tepidæ fotus in vlcere ſicco. ibid.
Aqua vitæ chalybeata adhibetur vtiliter vlceribus humidis. 138.
Aquæ thermales conuenientes pro fiſtulis in ano. 147.
Aquæ thermales ſanant herpetem miliarem. 56.
Aquoſi humoris ſigna, prognoſtica, & curatio. 42.
Aquoſi tumores qui. 5.
Arſenicum ſublimatum præſtans medicamentum ad ſcrofulas auferendas. 59.
circa Arteriarum vulnera cautio. 92.
Articulus quid ſit. 25.a
Articulus cubiti, cur difficulter prolabatur, & reponatur. 173.
Articulus ex quibus conſtet. 25.a
Articuli, qui magis, vel minus proni ad luxationem. 165.
Articuli ſunt imbecilles, quia ex ſangues, frigidi, & excarnes. 25.a
Articulorum vulnus periculoſum. 25.
Articulorum vulnera propriè quę cenſenda. ibid.
Articulorum vulneris ſutura improbatur. 26.a
Articulorum vulneribus ſiccantia cõueniunt. ibid.
in vulneribus Articulorum quibus medicamentis imbuenda ſit turunda, vt foramen apertum ſeruetur. 26.a
Aſperæ arteriæ vulnus periculo non vacat, & cur. 23.a
qualem ſitum poſtulat. ibid.
curatio. ibid.
Adſtringentia quæ mitia, valentiora, valentiſſima. 17.
Atheroma quid ſit. 6.a
Atheroma curatur ſepticis, vel exciſione. 7.a
Atheromatis cauſę, ſigna, & indicationes. 6.a
inciſio vnica, vel duplex. 7.a
Atheromatis curatio poſt ruptum folliculum. 7.a
Auctor, & Veſalius quomodo partes emortuas auferant. 54.
Auctor purum eryſipelas in facie ſe non vidiſſe teſtatur. 28.
Auctor quibus medicamentis vulnera articulorum curet. 26.a
Auctor vulnera articulorum conſuere ſolet. ibid.
Auerſio ſanguinis fluentis in vulneribus vaſorum quibus rebus fiat. 90.
Auicennas in tumore ſtatuit omnis generis in bos reperiri.
Auicennæ lapſus in cura eryſipelatis.
Auriculæ cartilago puncta inflammatur, & puq ſcit.
Auriculæ vulneratæ vnio vt facienda cum, & ſutura.

B

BAlneum in phlegmone pro reuulſione conueniat.
Bilis quomodo à ſua natura recedat.
Bilis ſanguine calidior eſt.
Bilis vt præparanda, & expurganda in vlcera ſepuloto.
Bilis atræ præter naturam duæ ſpecies, earu cauſæ.
Bilioſus humor alius in ventriculo, alius in hi gignitur.
Bilioſus humor in hepate genitus duplex.
Bilioſi tumores qui.
Bubo quid ſit, & eius differentiæ.
Bubo è ſola ſanguinis redundantia ortus, randus.
Bubo Gallicus vt curandus.
Bubo non contagioſus qualis tumor.
in Bubone bonæ criſis conditiones.
Bubo peſtilens vt tractandus.
Bubo ſectione apertus quomodo mundificã & ſarcoticis tractandus.
Bubo vt curetur digerentibus.
Bubo vt ſuppurantibus, & digerentibus co ibid.
Bubonis non contagioſi ſigna, & cauſæ.
Bubonis non contagioſi pars affecta.
Bubonis non contagioſi inciſio vt adminiſti 45.
Bubones Gallici rebelles vt tractandi.
Bubonis Gallici conſolidatio quomodo, & do mollienda.
Bubones, ſi diutius protrahuntur, termin fiſtulas.
anodyna in Bubone à ſanguinis redundan 44.
in Bubone à ſanguinis redundantia orto tia conueniunt.
Bubonum prognoſis.
in Bubone à ſanguine orto repellentia im tur.
in Bubone gallico vt adminiſtranda ſectio

in Bubone gallico ſuppurantia, non digerentia conueniunt. ibid.
in tota bubonis materia ſuppuratio non fit vno eodemq; tempore. 45.
Butyrum in detractione cruſtę poſt vſtionem ablatæ partis reijcit auctor. 54.

C

CAlabri primi calluerunt rationem amiſſi naſi reparandi. 18.a
Callus ex qua materia generetur. 158.
Callus quando generandus in fracturis. ibid.
Callus quomodo fiat, & quo humore. 144.
Callus vbi gignatur in fiſtulis, & qua ratione cognoſcatur. ibid.
Calli minoris, vel maioris ſigna, cauſæ, & curatio. 160.
Callo generando qui victus debetur. 25.a 158.
Materia interna, & externa pro generatione calli in fracturis. 159.
Calor accenſus, & dolor ſunt cauſæ fluxionis in parte recipiente. 133.
Calor natiuus in phlegmone quomodo augendus. 21.
Calor natiuus quinque de cauſis corrumpitur. 49.
Calx viua inutilis ad glutinum. 82.
Cancer quid ſit 60.
Cancer cur ſic dictus, ibid.
Cancer an doleat. 61.
Cancer cur mammillis maximè infeſtus. 60.
Cancer etiam perfectè ſanatus, reuertitur. 63.
Cancer in quibus locis ſit incurabilis. ibid.
Cancer radicitus extirpandus. ibid.
Cancer vlceratus vt tractandus. 65.
Cancri cauſæ, differentiæ, & ſubiectum. 60.
Cancri curatio per inciſionem. 63.
Cancri curatio cautè inſtituenda. 61.
Cancri inciſio periculoſa. 61. 63. 64.
Cancri ſigna, prognoſtica, & curatio. 61.
Cancri vlcerati modi duo. 65.
Cancri vlcerati curam nõ debemus aggredi. ibid.
Cancri cura vino, frigidæ potu, & cibis dyſpeptis abſtinendum ægro. 64.
Cancro vlcerato quæ conueniunt medicamenta. 65.
Cancro ſanando vnguẽtum ex ranis viridibus. 62.
Cancro non conuenit ſcarificatio. ibid.
Cancro quando aperiendi ſunt fonticuli. 64.
Cancro quomodo prohibenda bilis atræ generatio. 63.
quomodo pars roboranda. ibid.
in Cancro ſanando ſerum lactis caprini bonum. 6.
Cannula medicamentis imbuta quomodo intra nares immittatur. 18.a
Cantharidum puluis authoris pro veſicatorio in inflammatione. 12.
Capitis vulnera diligenter tractanda. 97.
Capitis vulnerum ſigna. 99. 100.
Capitis vulnus ſimplex conſuendum. 101.
Capitis vulnus omne periculoſum. ibid.
Capitis cutis quibus locis non ſecetur tutò. 97.
Capitis cutis obtuſi ſenſus eſt. ibid.
Capitis contuſio. 98.
in Capitis vulneribus ſola inflammatio mortem adferre poteſt. 101.
in Capitis fractura contuſioni vicina ſigna obſeruata ab auctore. 100.
Carbunculus ſemper putreſcendo ſerpit. 49.
Carbunculi nomen, & definitio. 47.
Carbunculi differẽtiæ, cauſę, & prognoſtica. 48.
Carbunculi peſtilentis ſigna. 48.
Carbunculo non peſtilenti conuenit venæ ſectio ad lipothymiam, niſi quid obſtet. ibid.
Caro, quæ ob medici negligentiam in vulnere excreſcit, vt abſumatur. 129.
Caro, quæ ob ſanguinis abundantiam in vlcere excreſcit, quomodo abſumenda. ibid.
Caro quomodo durior gignatur. 92.
Caro ſuperflua in vlcere generatur duplici de cauſa 129.
à Carnis generatione nunquam otiatur natura. 123. 125. 130.
Carpi luxati differentiæ, ſigna, & curatio. 175.
Caruncula in collo veſicæ vt diſtinguatur à calculo. 150.
Carunculæ in collo veſicæ natæ ſigna, & curatio. ibid.
Carunculam in collo veſicæ abſumi, vel abſumptam eſſe, vt cognoſcatur. 151.
poſt Carunculam abſumptam in collo veſicę, vlceris abſterſio. 151.
ad Carunculam exterendam cauliculi longitudo. 150.
Cathæretica medicamenta. 129.
Cauitas cicatricis vt emendanda. 87.
Cauitas cicatricis vt prohibenda. ibid.
Cauitas maior eſt in vlceris medio, quàm in circuitu 130.
Cauſtica aſtringentibus mixta conueniunt pro cruſta vulnerato vaſi inducenda. 92.
Cauſtica quæ callos tollant in fiſtulis. 145.
Cautiones in vſu cathæreticorum pro abſumenda carne ſuperflua vlceris. 129.

Celsus ab Auctore reprehenditur. 103.
Cera in qua quantitate admiscenda siccantibus & astringentibus pro vlcere humido. 138.
Ceratum sacrum calore ossa extrahit. 163.
Cerata, & cataplasmata crassa ad dolorem sedandum inepta. 25.
Cerebrum piæ matri immediatè subiacet. 98.
Cerebrum vulneratum, & aeri expositum facilè putrescit. 109.
Cerebri vulnus postulat aerem calidum. 109.
siccantia non multum oleosa. ibid.
Chirurgi defenduntur, qui ante curam totius alicuius partis affectæ imponunt in cancro. 62.
Cicatrix quid sit. 130.
Cicatrix causa à duplici causa fit. 87.
Cicatrix in naso facilè apparet. 17.a
Cicatrix in vlcere, quo siccitatis gradu inducenda, & quibus medicamentis id per agatur. 131.
Cicatrix quibus inducenda abscessu curato, 23.
Cicatrix retracta ex vulnere supercilium vt corrigatur. 13.a
Cicatricem quæ pulchriorem reddunt. 12.a
ad Cicatricem vulnus ducere. 129.
Cicatricis color prauus. 88.
Cicatricis durities quomodo emollienda. ibid.
Cicatricis eminentia vnde fiat, & quomodo corrigenda. 87.
Cicatricis rugę vnde proueniant, & quomodo tollendæ. 88.
Cinis lumbricorum terræ occulta proprietate ossa recessura extrahit. 163.
Clysteres nutrientes in ablata deglutitione. 25.a
Clysteres qua ratione nutrire possint. ibid.
Colis, & vesicæ vlcus quì differant. 148.
Colli descriptio. 22.a
Colli vulneris differentiæ, prognosis. 23.a
Color prauus cicatricis vnde causetur, & quomodo emendetur 88.
Commissura fracti ossis, vt facienda. 154.
Comparatio deligationis fracturarum Hippocratis, & Celsi. 156.
Contusio, & distorsio ligamenti vt curanda. 97.
Contusio, & distorsio nerui vt curanda. 96.
Contusio nerui cum dolore vt curanda. ibid.
Contusio nerui cum exulceratione quomodo curanda. ibid.
Contusio nerui sine exulceratione vt curanda. ibid.
Conuulsio imminens in punctura neruorum vt præcauenda. 95.
Conuulsio præsens in vulneribus neruorum quomodo curanda. ibid.
Conuulsionis causa in punctura nerui quæ fit. ibid.
Corpus cur bisecatur in iecur, & renes, in contrarietate reuulsoria. 10.
Cranij futurarum cognitio quàm vtilis. 98.
Cranij fracti signa in incisione, & perforatione. 99.
Cranij perforatio reijcitur. 105.
Cranij fractura quomodo exploranda, si cutis rupta. 100.
Cranij osse osse fracto num integram cutem secare liceat. 195.
Cranij os quibus instrumentis perforetur. 106.
intra Cranium fractum descendens materia educenda. 105.
in Cranij cura sanguis vt euacuandus. 61.
in Cranij fractura penetrante duo pericula. 104.
scopi, & indicationes. ibid.
in Cranij fractura quando instituenda ossis derasio. 103.
in Cranij fractura simplici quæ medicamenta ossi conueniunt. 104.
Cranio contuso possit ne rima fieri in parte opposita. 99.
in Cranio perforato auctor magis vtitur suppurantibus, quàm siccantibus. 107.
Crebrioris, vel rarioris vsus suppurantium. ibid.
quæ emplastra vicinis partibus admouenda 108.
in Cranio perforato, oræ foraminis leuigandę sunt scalpro denticulato. 106. Suturæ vitandæ. 97.
Crassities, & tenuitas in cranio notanda. 98.
Crisis imperfecta vt supplenda in bubone. 94.
Crusta in vstione ablatæ partis quomodo detrahenda. 54.
Crusta quomodo ferro cadente in hæmorrhagia vasis vulnerati inducenda. 92.
Cubitus induratus reponi nequit, nisi prius remolliatur. 174.
Cubitus luxatus quatuor modis reponi potest. ib.
Cubiti luxati differentiæ, signa, prognosis, & curatio. 173. & ibid.
Cucumeris asinini radix proprietate pituitam trahit. 34.
Cuni quando in fracturis ab Hippocrate adhibi. 164.
Cutis operculo gaudent omnia sub cute constituta. 26.a
Cutis incisio simplex in capite & sine sutura, & cum hac curari potest. 102.
Cutis vesicæ tumores aquosi. 5.
Cuti quæ medicamenta conueniant. 104.

Cutem rumpentia medicamenta pueruliis non conueniunt. 22.

D

DEcubitus partium tumores faciens quomodo emendandus. 7.
Dedolatio quid Galeno significet. 98.
Defensiua quædam mitiora, quædam validiora: vtrorumq; vsus. 13.
Defensiua qualia in phlegmone adhibenda. ibid.
Deligatio cum fascia pro obstructione vasis vulnerati. 91.
Deligatio in vulnere genarum profundo, quæ facienda. 19.a
Deligatio maxillæ laxatæ quomodo fiat. 169.
Deligationis tres species, & quæ. 78.
Deligatura, futura, vel fibulis quando vtendum. 82.
Deligatura duplex in vulneribus vasorum tutior est, & cur. 90.
Deligatura in vulneribus vasorum quę conueniut. 90.
Deligatura ex Hippocrate in luxationibus conueniens quę. 167.
Deligatura firmans os fractum in fracturis cum vulnere. 163.
Deligaturæ bonæ signa in fracturis. 156.
Deligatura in humero luxato vt administranda. 173.
Deligatura in callo quæ opportuna. 159.
Deligatura in vulnere frontis directo. 11.a
Deligatura ossis fracti quomodo facienda. 155.
Deligaturæ Hippocr. in fracturis commoda. ibid.
Detergentia in vulnere cauo. 86.
Detergentia quæ, & quandiù vsurpanda in vlcere simplici. 125.
Detergentia quando varianda in vlcere dysepuloto. 134.
Determinatio specialis facultatis detersoriæ in sarcoticis pro vlcere simplici curando. 126.
Detersio vulneris ante futuram quomodo fiat. 79.
Detersorij boni pro vulnere simplici signa. 126.
Digerentia pro purè euacuãdo in phlegmone. 22.
Digerentia quomodo adhibenda in declinatione inflammationis. 19.
Digestiuorum in vulnere cauo formulæ. 86.
Digitorum luxatorum differentiæ, signa, & repositio. 175.
Digitorum pedis ossa rarò luxantur. 178.
Digladiator Gallus ictum certum habebat. 15.a
Discutientia simplicia, & composita, eorumq; gradus, & vsus. 18.
Dislocatio quid sit Rhasi. 166.
Dissectio partis nerui quomodo curetur. 96.
Dissectio totius nerui vt curanda. ibid.
Distorsio nerui vt curanda. ibid.
Distortura quid sit Rhasi. 166.
Diuretica in vulnere thoracis quando, & quomodo adhibenda. 111.
Dolor fit, quando natura alteratur, & corrumpitur. 50.
Dolor in erysipelate pungitiuus, in inflammatione tensiuus, & grauatiuus. 26.
Dolor in flatuoso tumore quomodo sedandus. 37.
Dolor in fracturis vt leniendus. 159.
Dolor in phlegmone vnde oriatur. 24.
Dolor quomodo leniendus facta sectione in phlegmone. 23.
Dolor tribus modis sedatur. 24.
Dolor vulneribus neruorum superueniens quomodo sedandus. 95.
Dropax quomodo componatur. 12.
Dulcia in erysipelate non frequenter exhibenda. 29.
Durum quotuplex, & quomodo tollatur. 40.
Dura mater qualis membrana. 98.
Dura mater vulnerata glutinari non potest. 109.
Duræ matris vulneratæ signa. 100.
Duræ matris vulneri quæ sarcotica conueniant. 109.
Durities quomodo in inflammatione superueniat, & curetur. 24.
Dyscrasia sicca si impressa sit in parte vlcerata, vt tollenda. 136.
Dysepuloton vlcus quid sit. 132.
Dysepuloti vlceris signa, causæ, & curatio. ibid.

E

EMplastrum absumens excrescentias in collo vesicæ. 151.
Epuloticum medicamentum duplex. 130.
Epulotica astringentia, & siccantia quæ. ibid.
Epulotica pro vlcere dysepuloto quæ cõueniant. 130. 134. 135.
Epulotica siccantia tantùm quæ sint. 130.
Epuloticorum facultas, & necessitas; itemq; vsus. ibid.
Error barbitonsorum, cranium perforatũ per sta-

ta tempora curantium. 108.
Error barbitonsorum, qui vsque ad finem vulneris concoquentia imponunt. 86.
Error eorum, qui in inflammatione partem supra articulum constringunt. 13.
Error horrendus eorum, qui cannulam in intestinum consuendum imponunt. 117.
Error medici cuiusdam in curanda inflammatione. 11.
Error Rhasis, & Serapionis, qui vulnera capitis cum fractura ossis consuere præcipiunt. 102.
Errores eorum, qui perforationem cranij fracti reijciunt. 105.
Erysipelatis capitis signa, causæ, prognosis, & curatio. 1.a
Erysipelas capitis, vel faciei contrarium habet curandi modum, quàm aliarum partium. 1.a
Erysipelas cur sic dictum. 27.
Erysipelas cutis affectio à Galeno dicitur. 26.
Erysipelas faciei cur hyeme frequentior. 1.a
Erysipelas fit à bile. 25.
Erysipelas quomodo ab inflãmatione differat. 26.
Erysipelatis nomen. 25.
Erysipelatis causa proxima. 27.
Erysipelatis differentiæ. 26.
Erysipelatis prognostica, indicationes, & curatio. 27.
Erysipelatis signa quæ. 26. & seq.
Erysipelatis locus, & tempus. 26.
Erysipelati qualia digerentia adhibenda. 31.
in Erysipelate efficax remedium aqua frigida bibita, consideratis conditionibus debitis. 29.
in Erysipelate cholagoga quæ, & quomodo adhibenda. 28.
in Erysipelate curando consilium Auicennæ improbatum. 30.
in Erysipelate diæta. 2.a
in Erysipelate Auctor adhibet linimentum simplex recens. 31.
in Erysipelate quæ alterantia conueniunt. 29.
in Erysipelate materiæ refrigerantes. 30.
in Erysipelate quæ medicamenta partem affectam respiciant. 29.
in Erysipelate num humida, an sicca conueniant refrigerantia. 30.
in Erysipelate quamdiu refrigerantia adhibenda. 31.
in Erysipelate faciei euacuantia vt administranda. 2.a
in Erysipelate faciei qualis diæta præscribenda. 2.a
in Erysipelate faciei indicationes curatiuæ. 2.a
in Erysipelate faciei repellentia, & intercipientia nihil valent, sed reuellentia. 2.a
in Erysipelate faciei vt administrandum serum caprinum. 2.a
in Erysipelate faciei quomodo administranda topica. 2.a
in Erysipelate faciei venæ sectio vt administranda. 2.a
in Erysipelate capitis, vel faciei topica medicamenta non administranda. 29.
in Erysipelate capitis, & faciei refrigerantia perperam adhibentur. 30.
in Erysipelate quæ reuulsoria conueniant. 28.
in Erysipelate an venæ sectio adhibenda, diuersæ sententiæ, eaq; conciliatæ. 28.
in Erysipelatis capitis cura quæ reuellentia conueniant. 2.a
Escharotica in vulneribus vasorum pro sanguine sistendo cautè adhibenda. 92.
Euacuatio partis affectæ in cancro quæ molienda. 62.
Euacuatio puris sensibilis. 22.
Euaporationem spiritus flatulenti quæ duo prohibeant. 37.
Excoriatio in fracturis vt emendanda. 160.
Excrementum tertiæ concoctionis quod. 125.
Extensio, coaptatio, & deligatura in fractura cum vulnere, sine, ossis denudatione. 161.
Extensio, & deligatio necessariæ in luxationibus. 167.
Extensio, & futura fracturæ ossis cum vulnere, in qua os nudatum est. 164.
Extensio in fracturis cur necessaria. 154.
Extensio in fracturis quàm valida esse debeat. 155.
Extirpatio reliquiarum in ablata parte putrida, quibus fiat remedijs. 54.

F

FAciei erysipelas cur hyeme frequentior. 1.a
in Faciei vulneribus decor attendendus ratione cicatricis, nisi vulnus periculosum. 10.a
in Faciei vulneribus siccantia. 12.
Fæces prius euacuandæ sunt, antequam clyster nutriens injiciatur. 25.a
Fallopius, & alij recentiores quomodo partes emortuas auferant. 54.
Fallopij sententia de Fibulis, & quæ contra eam possunt objici. 80. & seq.

Fallopij opinio auctori ſuſpecta. 137.
Faſcia in parte fracturæ magis ſtringi debet. 156.
Faſciæ fracturis quando ſoluendæ. 157.
Faſciarum latitudo, & circumductio in vulnere ſimplici deligando. 78.
Faſciarum longitudo, & nodus in deligatura vulnerum. ibid.
Faſciæ quales cõueniant in vulnere genarum profundo. 19.a
Faſciarum materia pro deligatura vulneris. 78.
Febris inflammationi ſuperuenies quomodo curanda. 24.
Febris maligna ſi ſuperueniat eryſipelati faciei, qua ratione curanda. 2.a
Femur in partem priorem, & poſteriorem rarò luxatur, & cur. 175.
Femur oſſi coxendici duobus ligamentis alligatur. ibid.
Femur quomodo rẽponatur manibus, habenis, ſcala vel ſcamno Hippocratis. 176.
Femur repoſitum cur facilè rurſus excidat. ibid.
Femoris luxati cauſæ,& differentiæ. 175.
Femoris luxati ſigna,& prognoſis. 176.
Ferularum, quæ hodie vſitatæ, materia. 157.
Ferularum vſus in fracturis. ibid.
Fibulæ quæ,& quomodo infingendæ in labijs diuiſis. 20.a
Fibula ex Fallopij ſententia Auctori probatur. 81
Fibulas Guido hamos appellat. 80.
Fibularum in vulnere vſus. ibid.
Ficus quid ſit, & quotuplex. 3.a
eius locus. ibid.
Ficus, ſi non rectè curetur, exulceratur. ibid.
Ficus vt diſtet à pſydracio. ibid.
Fici cauſæ,& curatio. ibid.
Figura diſtorta poſt curationem fracturæ quomodo corrigenda. 160.
Figura media membri quæ ſit. 91.
Figura media non eſt eadem in omnibus articulis. 92.
Figuratio, deligatio, & depoſitio in luxationibus obſeruanda. 167.
Figuratio membri commoda quæ ſit. 158.
Filum ad futuram vulnerum frontis qualis ſit. 11.a
Filum ex lino præſtantius,quàm ſericum in inteſtino conſuendo. 117.
Filum quale conueniat pro futura vulneris. 79.
Filum ſericum in futura vulnerum non probatur Auctori. ibid.
Filum turpem facit cicatricem in vulneribus faciei 11.a
Fiſtula quid ſit. 143.
Fiſtularum differentiæ. ibid.
in Fiſtulis impedimenta curationis. 144.
pro Fiſtulis in ano incidendis. ibid.
Fiſtula in ano an vnica ſit,& an penetrans, quibus ſignis cognoſcatur. 146.
Fiſtularum in ano inciſio duobus modis fit. 147.
Fiſtula non penetrans ſi altè progrediatur qua ratione tractanda. 147.
Fiſtula profunda, & anguſta vt tractanda. 145.
Fiſtulæ dilatatio quibus inſtrumentis fiat. ibid.
Fiſtulæ ani curandæ ſunt. ibid.
Fiſtulæ ani frequentes,& quare. ibid.
Fiſtulæ in inteſtinum penetrantis curatio ex Hippocrate improbatur. 147.
Fiſtulæ incurabiles quæ ſint. 143.
Fiſtulæ quæ curari non debeant. ibid.
Fiſtularum vera curatio duplex. 144.
Fiſtularum curatio mendoſa quæ ſit. 143.
Fiſtulæ ſitum curationem impediens. 145.
Fiſtularum ficta curatione Auctor aliquando vſus. 144.
Fiſtulis quæ conueniunt iniectiones. 145.
Fiſtulas quæ proprietate tollant. 146.
in Fiſtulis calli præciſio,& exuſtio quando conueniat. 145.
in Fiſtulis callum occulta qualitate adimit radix hellebori. ibid.
Fiſtulæ curatæ ſigna. 146.
Fiſtulis quæ ſarcotica, & glutinantia conferunt. ibid.
Flatus in inteſtino prolapſo vt diſcutiendi. 115
Flatuum cauſæ. 35.
Flatuoſi tumoris curatio totum corpus reſpiciens 37.
Flatuoſi tumoris differentiæ. 36.
Flatuoſi tumoris generatio. 35.
Flatuoſi tumoris ſigna, prognoſtica,& cauſæ. 36.
Flatuoſi tumores qui. 5.
Flatulentus tumor cum œdemate coniunctus. 35.
Fluxio in fiſtulis ani vt prohibeatur. 146.
Fluxio in tumoribus præter naturam tribus auferetur inſtrumentis. 6.
Fluxionis in vlcere dyſepuloto cauſę vt tollendę. 132.
Fluxio potiſſima cauſa tumoris præter naturam. 3.
Fluxio tribus inſtrumentis auferetur. 123. & ſequ.
Folliculus abſceſſus quid ſit. 6.a
Folliculus in abſceſſu vndè fiat. ibid
Fomentum Galeni ex aqua tepida in vlcere dyſcraſia ſicca laborante. 136.

✣ ✣

Fomenta quæ conueniant vlceri cum intemperie frigida. 139.
Fonticulus vi vacui reuellit. 124.
Fonticuli in cancro curando conueniunt. 62.
Foramen in vulnere thoracis quomodo sit apertum tenendum 112
Formica corrosiua quid sit Auicennæ. 55.
Fractura quid sit; eius species, causæ, & signa. 153.
Fracturarum differentiæ. ibid.
Fracturarum prognostica. 154.
Fracturarum curatio postulat vnionem. ibid.
Fractura cranij in contusione cute integra quomodo exploretur. 99. & seq.
Fractura cranij in parte vicina, vel opposita quomodo cognoscatur. 100.
in Fracturis quę cõueniat collocatio membri. 158
in Fracturis comparatio deligationis Hippocratis, & Cesi. 156.
in Fracturis cum vulnere latitudo, & vsus plagularum. 163.
Fractura cum vulnere, in qua nec os denudatum, nec aliquod ossis frustulum recessurum expectatur, vt curanda. 161.
Fractura cum vulnere, in qua os nudatum est, quomodo curanda. 164.
Fractura cum vulnere, in qua ossa non sunt nudata, sed ossis frustulum recessurum expectatur, vt curanda. 162.
Fractura cum vulnere sine ossis denudatione vt stabilienda. 161.
in Fractura cum vulnere, osse non denudato, astringentia præsidia. ibid.
in fractura vulnus consui debet, licet ossis recessio expectetur. 163.
Fractura per longitudinem vt curanda. 159.
in Fracturis deligationem soluere cogit pruritus. 157.
in Fracturis pro cõseruatione partis materia prę-sidiorum. 157. & seq.
in Fracturis velocioris recessionis ossis notæ 162.
Fracturæ cranij signa in loco contusionis cute integra existente. 99.
Frictio in inflammatione quomodo administranda. 10.
Frigida actu in erysipelate sæpe mutanda. 31.
Frigiditas in scirrho tripliciter concurrit. 40.
Frigus vlceribus mordax esse solet. 128.
Frontis vulnus directum vt deligatura, & glutino curetur. 11.a
Frontis vulnus transuersum vt curetur. ibid.
Frontis vulneri quæ conuenium glutinantia. 12.a
Frontis vulnera aperta tenendâ sunt. 10.a
Frontis vulnera vt tractanda. ibid.
Frontis vulnera non admittunt futuram, & sibulam. 11.a

G

Galenus censet humorem aqueum in pueris restaurari. 16.a
Galenus cur in erysipelate vtatur omphacio. 30.
Gangræna à calore vt tractanda. 52.
Gangrena à defectu alimenti vt curetur. ibid.
Gangræna à frigore vt curanda. ibid.
Gangræna in fracturis orta vt curanda. 160.
Gangræna quomodo à sphacelo dignoscatur. 5
Gangræna quomodo inflammationi superueniat. 24.
Gangræna, si ab humorum affluxu fiat, vt curanda. 51.
Gangræniæ cum affluxu, & sine affluxu signa. 50.
vtriusq; curatio. 51.
Gangrænæ differentia, & causæ. 50.
Gangrænæ partes vicinas quæ defendant. 53.
Gangrænæ anodyna. 51. & seq.
Gangrænæ, & sphaceli definitio. 49.
Prognostica. 50. & seq.
Gastroraphiæ tres species. 115.
Genarum vulnera sanguinis profusioni obnoxia. 19.a
in Genarum vulnere foramen iuxta aures vt Auctor exiccet. 20.a
in Genis vulnerato quæ oris actiones vitãdæ. 19.a
Genarum vulnus profundum quomodo curandum. ibid.
Genu non adeò facilè luxatur, & cur. 177.
Genu luxati differentiæ, signa, & compositio. ibid.
Glandularum locus, & vsus. 43.
Glossocomium Hippocratis cum adiunctis instrumentis, eiusq; vsus. 172
Glutinans, medicamentum Sacerdotis cuiusdam Hispani. 85.
Glutinantia quæ conueniant in vulnere pulmonis. 113.
Glutinantia quænam sit. 84.
Glutinantia qualia conueniant in vulneribus. 83.
Glutinantium ordines, & vsus. 84.
Glutinationem, quæ cita, vel tardam faciant. 80.
in Glutinatione cutis cum carne post euacuatum pus qui obseruandum. 23.
Glutinatoria deligatura quomodo fiat. 78.

Glutinum ex oui albumine paratur. 11.a
Glutinum ex qua materia fiat. 81.
vſus. 82.83.
eius formula. 86.
Glutinum in vulneribus abdominis præſtantius, quàm deligatura. 16.
Glutinum quomodo vulneribus applicandum. 81.
Glutinum ſi non firmiter adhæret cuti, quid ſit agendum. 82.
Glutinum ſutura multò præſtantius. ibid.
Gonorrhæa quid. 148.
eius cauſæ. ibid.
Victus. 148.
Gonorrhæa quomodo veſicam exulceret. 149.
Gracilitas membri in fracturis vt corrigatur. 160.
Guido quę glutinantia adhibeat vulneri. 84.
Guidonis ſententia reijcitur. 6.
Guidonis ſententia de vulnere ſimplici capitis conſuendo, eaq; refutata. 161.
Guilielmus de Saliceto notatus. 169.
Gulæ vulneratæ ſigna, prognoſis, & ſutura. 24.a
Gutturis vulnus periculoſum. 23.a
Gutturis vulneri cannula qualis, & quando conueniat. ibid.
Glutinantia Auctoris, ac recentiorum in vulneribus. 84.

H

HAemorrhagia, & dolor in partis emortuæ ablatione quomodo præcauenda. 53
Hæmorrhagia in ablatione cancri quomodo ſupprimenda. 64.
Hæmorrhagia in ſimplici vulnere vt compeſcenda. 75.
Hæmmorrhagia in vulnere capitis vnde. 101.
in Hæmorrhagia vaſis vulnerati ferrum cauſticis præfert Auctor. 92.
Hallucinatio quorumdam in adminiſtratione cibi, & potus vulneratis in inflammatione. 75.
Herniæ ſynonima. 66.
Herniæ aquoſæ cauſæ occultæ,& manifeſtæ. 70.
ſigna,& curatio. ibid.
in Hernia aquoſa quæ digerentia cõueniunt. ibid.
locus inciſionis. ibid.
vſtio,& apertio. ibid.
Hernia inteſtinalis contumax vt tractanda. 68.
Herniæ inteſtinalis peritonæo rupto, curatio per glutinantia, vſtionem, & inciſionem. ibid.
Herniæ inteſtinalis peritonæo relaxato cauſæ, ſigna, & curatio. 67.
vſtio. 68.
Herniæ curatio triplex peritonæo diſrupto. ibid.
Herniæ carnoſæ ſigna. 66.
Herniæ varicoſæ cauſa, & curatio. 72.
in Hernia varicoſa adſtringentia tres ſcopos explent. ibid.
Herniæ vera curatio ſine teſtis extractione. 68.
Herniæ inciſio cum extractione teſticuli. 69.
Hernia omentalis non citò, & terminè incidenda. ibid.
Hernia ventoſa ſolùm digerentibus curatur. 71
Herniarum cauſæ,& prognoſtica. 66.& ſeq.
ſpecies, & differentiæ. 66.
in Hernijs tunicæ dilatatæ, vel ruptæ ſigna. 67.
Herpes exedens vt differat à phagedæna. 56.
Herpetis exedentis curatio. ibid.
Herpetis miliaris ſigna, cauſæ,prognoſtica,& curatio. 55.& ſeq.
Herpetis nomen, & differentiæ. 55.
in Herpete qualia conueniunt repellentia. 56.
Humectantia quæ conueniant partibus uicinis vlceri ſicco ſine materia. 136.
Humectatio neruis aduerſa eſt. 94.
cautio de Humectantibus vitandis in ulcere dyſepuloto. 134.
Humeri luxati ſigna. 170.
Humerus cur facilè luxetur. ibid.
Humerus non niſi deorſum prolabi poteſt. ibid.
Humerus num perfectè, & imperfectè queat luxari. ibid.
Humeri luxatio ad anteriora ut reponenda. 173.
Humeri luxati reponendi modri tres. 170.& ſequent.
Humeri luxati reponendi modi ſecundi declaratio,& eius à prima differentia. 171.
in Humero luxato deligatura ut adminiſtranda. 173.
Humeri conſtitutio quæ. 170.
Humeri luxatio uetus difficulter reponitur. 171.
Humiditas ſeroſa interdum utilis, interdum inutilis. 41.
Humor aquoſus eſt potionis excrementum. 42.
Humor ſeroſus aliorum humorum eſt uehiculum. 133.
Humor ſeroſus eſt potionis excrementum. 5.
Humor ſeroſus non debet repelli in ſcyrrho. 42.

Humor ſeroſus quomodo euacuandus in vlcere dyſepuloto. 133.
Humores craſſi duo pituita,& melancholia. 71.
Humorum erodentium cauſæ. 124.
Hydrocarcoceles curatio. 71.
in Hydrocarcocele inciſa pus intus ſeruandum,& quare. ibid.

I

IAnua biforis,& eius vſus. 173.
Iaſpis proprietate ſanguinem ſiſtit. 92.
Ictterus quomodo ab eryſipelate differat. 26
Inciſio cutis in fracturis cranij vt fiat. 103.
Inciſio herniæ rupto peritonæo duplex. 68.
Inflammatio quid nominis. 7.
Inflammatio cur magis augeatur ceſſante fluxione. 17.
Inflammatio cur vulneri ſuperueniat. 75.
Inflammatio diuerſa ſortitur nomina parte affecta, 4.
Inflammatæ partis calor duplex. 14. 20.
in Inflammatione curanda medicamenta trium ſunt generum. 10
præſidia, quæ perpetuò in Inflammatione locum habent. 14.
in Inflammatione quantitas,& qualitas diætæ. 9.
in Inflammatione qualia repellentia medicamenta conueniant. 13.
in Inflammatione quæ conueniant medicamenta reuellentia. 12.
in Inflammatione reuulſoria venæ ſectio vbi, & quomodo adminiſtranda. 10.
in quibus Inflammationibus conueniat ſcarificatio. 14.
in Inflammatione ſectio ſuppurata quomodo inſtituenda. 22.
in Inflammatione ſymptomata ſuperuenientia ſex. 8.
Inflammationis quatuor tempora. ibid.
Inflammatio in augmento diſcutientia deſiderat. 17.
Inflammatio in vulnere ſimplici, vt prohibenda. 75.
Inflammatio ſuppuratura quomodo cognoſcatur. 20.
Inflammatio vbi eſt magna, ibi etiam eſt febris magna. 9.
Inflammationis generatio. 7.
cauſæ quæ. 8.
Inflammationis differentiæ à materia, & ſubiectis. 7.
Inflammationis prognoſticum. 8.
Inflammatione qui corripitur, rariſſimè a febre,& hepate calido immunis eſt. 11.
in Inflammatione ſeri abundatis ſignum. 9.
in Inflammatione venæ ſectio quomodo adminiſtranda. ibid.
in Inflammatione ſuppurata nõ eſt expectandum, donec pus ex ſe ipſo euacu tur. 22.
Inſtrumenta extenſionis oſſis fracti triplicia. 155.
Inſtrumenta omnia, apta ſoluere continuum, ſunt cauſæ vulnerum. 74.
Intercipientia vulneratis quæ adhibenda. 77
ſine oleo,& cera componenda. 13.
Inteſtinalis herniæ ſigna. 66.
Inteſtinum per vulnus prolapſum quomodo reponendum. 114.& ſeq.
Inteſtinum prolapſum in hernia quomodo reponendum. 67.
Inteſtinum repoſitum in hernia quomodo prohibendum, vt deinuò elabatur. ibid.
Inteſtini ieiuni vulnus lethale eſt. 114.
in Inteſtinorum vulnere, ſigna, prognoſtica,& indicationes. 166.
Inteſtinum vulneratum formicarum capitibus Albucaſis adducit. 117.
Inteſtina vulnerata qua ratione reponenda, & conſeruanda. ibid.
quæ poſtea exhibenda. ibid.
pro Inteſtini ſutura non conuenit fibra ex inteſtino animalis. ibid.
Inunctio in Inflammatione ad reuellendum quomodo fieri debeat. 12.
Inunctio retundit aciem ſcalpri. 104.
Irritatio fluxionis in vlcere dyſepuloto vnde. 132.
Iugularium vaſorum vulnera vt tractanda. 23.a
Ius conſummatum quid ſit. 25.a
Iuſcula ſyruporum vicaria in phlegmone quando adhibenda. 12.

L

LAbia à natiuitate diuiſa quomodo glutinanda 20.a
in Labio diuiſo ſcarificatio partis præmittenda ante fibularum impoſitionem. ibid.
Labia vulneris inteſtinorum vt adducenda. 117.

Labia vulneris vniuntur, & vnita conſeruantur tribus inſtrumentis. 78.
Labiorum vulnerati vaſis adductio quomodo fiat. 90.
Labiorum vulneratorum differentiæ, & curatio. 20. a
Lenientia, & alterantia vulneratis in inflammatione adhibenda. 76.
Lenientia in inflammatione quæ conueniant. 11.
Ligamentum in pueris per ſuturam glutinari. 26. a
Ligamentum ſenſu priuatum eſt. ibid.
Ligamenta duorum generum in articulis. 165.
Ligamentorum vulnera vt curanda. 97.
Ligatura in inflammatione quomodo adhibenda. 10.
Linamenta, & ſpongia quomodo pro obſtructione vaſi vulnerati adhibenda. 91.
Lingua qua ratione vulneretur. 21. a
Lingua, vt conſui poſſit, quomodo ex ore trahenda ſit. 22. a
in Lingua vulnerata quæ conueniant glutinantia, & aſtringentia. 22. a
Linguę vulneratæ portio cum toto cohærens non eſt abſcindenda. 21. a
in Linguę vulnere qualia conueniant medicamenta. 22. a
Locus generationis flatus in tumore flatuoſo 36.
Luxatio perfecta in ſolum femur cadit. 175.
Luxatio perfecta quibus modis ab imperfecta diſtinguatur. 166.
Luxatio vera quatuor modis fieri poteſt. ibid.
Luxatio vetuſta difficulter reponitur. 173.
Luxationis repoſitæ ſigna. 166.
Luxationis vetuſtę mollientibus, & diſcutientibus curandæ. 168.
Luxationum cauſæ. 166.
Luxationum differentiæ. 165. & ſeq.
Luxationum curatio in genere. 167.
in Luxationibus quæ conueniat depoſitio. ibid.
Luxationibus vetuſtis qualia adhibenda diſcutientia. 168.
Luxationum tria genera. 165. & ſeq.
in Luxationum cura generali indicationes. 167.
in Luxatione inflammationes vnde oriantur, & quomodo ſedentur. ibid.
pro Luxato humero reponendo quæ inſtrumenta. 172.
in Luxatione quæ medicamenta aſtringentia, & anodyna conueniant. 167.
in Luxatione membrum facilè reponendum. ibid.
in Luxationibus vetuſtis qualia adhibenda mollientia. 168.
Luxationis tum generalis, tum differentiarum ſigna. 166.
in Luxationis repoſitione ſtrepitus auditus non eſt bonum ſignum, & quare. ibid.
Luxationi cubiti ſymptomata ſuperuenientia quæ. 173.

M

MAgnitudo aucta in omni tumore adeſt. 2.
Mammæ cancro infectæ vt tollendæ. 64.
Manus luxatæ differentiæ, & repoſitio. 175.
duræ Matris vulnus quomodo tractandum. 108.
piæ Matris, & cerebri vulnera vt curanda. 109.
Maxillæ luxatio cur rarò accidat. 168.
Maxillæ luxationis cauſæ. ibid.
Maxillæ luxationis differentiæ, ſigna, prognoſtica, & curatio. 169.
Maxilla tantùm luxatur in priorem partem. ibid.
Maxillæ luxatæ aſtringentia. ibid.
Medicus quid in hepatis, lienis, & renum vulneribus agat. 118.
Melancholicus humor vt præparandus, & euacuandus in vlcere dyſepuloto- 132.
Melancolici humoris generatio. 4.
diuiſio, & ſubdiuiſio Galenica. 38.
cauſa. 39.
Melancholici tumores qui. 4.
Meliceris quid ſit. 8. a
Meliceridis ſigna, cauſæ, & curatio. ibid.
Membranoſæ partes non glutinantur. 25. a
Meninx dura qualis membrana. 98.
Meninx pia qualis membrana. ibid.
Meningi detectæ topica adhibenda. 106.
ſuppurantia quandiù conueniunt. 107.
Metacarpij, & carpij luxati cura. 175.
Mor eſt corruptio caloris natiui. 49.
Muſculorum vulnera quæ periculoſiora. 74.

N

NAſalia, & maſticatoria quæ, & quomodo adhibenda in pſydracio. 3. a
Naſi vulneris ſpecies. 17. a
Naſus amiſſus vt reparari poſſit. 18. a
in Naſi cute vulneris curatio. 17. a
Naſi oſſis conformatio vt molienda. ibid.

Nasi ossis vulnus vt tractandum. 17 a
Nasi cartilaginis vulnus vt tractandum. 18. a
in Nasi osse vulnus transuersum vt deligandum. 18. a
in Nasi vulnere vnio, & cicatrizatio vt facienda. ibid.
in Naso vulnerato sternutamentum minimè excitandum, & cur. ibid.
Nactæ quid sint. 6. a
Nactæ abscessus differentia. ibid.
Natura coalitum vulneris præstat. 12 a
Natura cur substantiam deperditam labiorum difficulter reparet. 20. a
Natura excrementa ad partem debiliorem propellit. 128.
Natura in vtero cutim generat, extra verò eam procreare nequit. 129.
Nerui punctura quæ conueniunt medicamenta. 94.
Nerui aperta punctura vt curanda. ibid.
Nerui vulnerati signa causæ, & differentiæ. 93.
Nerui vulnerati durities quomodo tollenda. 96.
in Nerui contusione medicamenta interna. ibid.
in Nerui punctura curatione ratio totius corporis quæ habenda. 94.
in Neruo puncto qui cognoscendi gradus medicamenti calefacientis siccantis. ibid.
in Neruo inciso materiæ præsidiorum. 95.
in Neruo vulnerato prognostica. 94.
Neruorum inciso vt curanda. 94.
Neruorum vulneribus phlegmone superueniens quomodo curanda. 95.
in Neruorum incisione qualia requirantur siccantia. ibid.

O

Oculorum vulnera duplicia. 14. a
Oculus æquinoctus quando parandus. 16 a
Oculo vno læso vterq; obleuandus, & cur. 15. a
Oculi læsi à luce magis læduntur. 17.
Oculi vulnerati historia. 17.
Oculo vulnerato quæ adhibenda. 15. a
in Oculi vulnere scopus cum exitu humoris aquei. 16 a cum effusione humoris vitrei, & chrystallini. ibid.
in Oculorum vulnere anodyna defensiua. ibid.
in Oculorum vulnere simplici astringentia. 15. a
in Oculorum vulnere simplici indicationes. ibid.
in Oculorum vulnere situs capitis. ibid.
Oedema durum, est cum dolore, & est morbus periculosus. 33.
Oedema num etiam per suppurationem queat curari. 25.
Oedema quomodo ab alijs tumoribus differat. 32
Odematis definitio. ibid.
Oedematis differentiæ. ibid.
Oedematis generatio. ibid.
Oedematis nomen. ibid.
Oedematis signa. 32. & seq.
Oedematis cura quatenus est symptoma. 33.
Oedematis cura quoad causam externam, & antecedentem. ibid.
Oedematis topica. ibid.
in Oedemate medicamenta valentiora. 34.
repellentia, & digerentia. ibid.
frictione iuuanda pro penetratione. ibid.
in Oedemate quomodo conueniat fascia, ibid.
Oleum rosatum an suppuratorium esse queat. 106
Olea in punctura nerui adhibenda, & cur, 94.
Olea valde inimica oculis. 14. a
Oleosa, & pinguia oculis inimica. 15. a
Omentalis herniæ causa, & curatio. ibid.
Omentalis herniæ signa. 66.
Omentum prolapsum, & refrigeratum cur ligetur, & præcidatur. 115.
Omentum prolapsum quomodo reponendū. ibid.
Os ante vel retrò excidere non potest. 166.
Os corruptum, si non sit conspicuum, quid agendum. 142.
Os corruptum sub vlcere quomodo detegendum. 141.
Os cur deradendum læso pericranio. 102.
Os in fractura cranij cur deradendum. 103.
Os in fracturis quot modis abscedat, & quibus de causis. 162.
Os nudatum omninò ab aeris alteratione defendendum. 164.
Os, quod abscessit, num extrahi debeat. 162.
Os sub vlcere vnde corrumpatur. 141.
Ossis corrupti sub vlcere signa. ibid.
Ossis magni, vel parui recessuri signa, & curatio. 162. & seq.
Ossis recessuri signa in fracturis. 162.
Ossa cranij circa futuras non sunt solida. 98.
Ossa, & ligamenta siccissima, & proinde siccis gaudent. 26. a
Ossa etiam inflammari possunt. 103.
Ossa quæ fracta maiorem, vel minorem extensionem requirunt. 55.

Ossa fracta, quæ extrahunt medicamenta. 163.
Ossa pedij, & tarsi nunquam luxantur. 178.
Os corruptum quibus instrumentis chirurgicis tollitur. 142.
Ossis fracti deligatio secundùm Hippocratem. ibid.
Ossis corrupti ex vlcere modus eximendi. 142.
Ossis fracti bonæ cooperationis signa. 155.
in Osse corrupto quæ signa sufficientis derasionis
in Ossis fracti extensione debita figuratio obseruanda. 167.
in Ossium fractorum extensione cautio. 155.

P

PAlpebrarum vulnerum differentiæ. 14.a
in Palpebrarum cicatrice incisio orbicularis. ibid.
in Palpebrarum vulnere quando conuenit sutura, quando non. ibid.
quæ glutinantia adhibenda. ibid.
Pars flatuoso tumore affecta quomodo medicamentis imponendis præparanda. 37.
Partes sæpe præter spem Medicorum glutinãtur. 21.a & cur. 22.a
Partes vlceri circumiacentes vt fouendæ. 128.
Perforatio cranij fracti vt administranda. 106.
Perforatio cranij quando instituenda. 105.
Perforatio in capite unde fiat. 98.
Pericranium ab osse cranij detrahendum, in terebratione cranij. 97.
Pericranij vulnus non consuendum. 11.
Phlegmones curatio in principio. 14. & seq.
Medicamenta hìc frequenter mutanda. 17.
Phlegmones curatio in augmento. 17.
Phlegmones curatio in declinatione. 19.
in statu. 19. 197.
Phlegmones tempora. 14.
curatio per suppurantia. 20.
indicationes à sanguine. 8
in Phlegmone materiæ suppuratæ signa. 21.
in Phlegmone alterantium uires. 11.
in Phlegmone purgans. 12.
in Phlegmonis puris an repellentibus sit vtendum. 14.
Phrenitis fieri solet ab erysipelate capitis intro recurrente. 28.
Phygethlon quid sit. 43.46.
Phyma quid sit. 46.
in Phygethlo, & phymate topica. ibid.
Pia mater venis abundat. 98.
Picatio attrahit ratione doloris, & ui uacui. 53.
Picatio quomodo facienda. 136. 160.
Pilulæ purgantes quomodo in uulneribus dandæ. 76.
Pinguedo humana cicatricem facit pulchram. 13.a
Pistillus in repositione humeri aliquo modo fallax. 172.
Pistillo quomodo fiat humeri luxati repositio. ibid.
Pituita alia in uentriculo, alia in iecore gignitur. 32.
Pituita in iecore genita quid sit. ibid.
Pituita nullum facit dolorem. ibid.
Pituita quomodo præparanda, & expurganda in ulcere dysepuloto. 133
Pituita uiscida, seu uitrea, & calor diminutus sunt causæ spiritus flatuosi. 35.
Pituitosus humor in corpore duplex. 32.
Pituitosi tumores qui. 4.
Placitum Chirurgorum de uulnere simplici capitis consuendo, idq; refutatum. 101
Plagulæ, & ferulæ quando luxationibus apponendæ. 168.
Plagulas quando, & quomodo adhibeat Hippocrates. 156
Plethora quomodo tollenda in tumoribus. 6.
Plethoræ, & cacochymiæ causæ proximæ quæ. ibidem.
Plumbi facultates quæ sint. 151.
Pruritus neglectus terminat excorationem. 160.
Pruritus ut sedandus in fracturis. ibid.
Psydracrum quid sit. 3.a
Psydracij nomen, signa, causæ, & curatio. ibid.
Psydracio exulcerato quæ conueniant. ibid.
Pulmo maximè inflammationi obnoxius. 113.
Pulmonis uulnus ob perpetuum motum difficulter glutinatur. ibid.
Pulmonis uulneri conueniunt adstringentia, & emplastica. 113.
Puluilli quando in uulnere genarum necessarij. 19.a
Puluinaria qualia, quomodo, & quare in uulnere adhibenda. 78.
Puluis ex ranis pro cancro quomodo paretur. 63.
Pulueres siccantes in uulneribus faciei non conueniunt ob cicatricis deformitatem. 13.a
Pulueres sua corpulentia glutinationem semper impediunt, licet facultate iuuent. 83.

Pulueres ſarcotici qui. 86.
Pulueres vulnerarij quomodo aſpergendi. ibid.
Puncta in ſutura vulneris vbi, & quot adhibenda. 79. & ſeq.
Punctura cæca nerui vt curanda. 94.
Purgatio in pſydracio vt inſtituenda. 3.a
Puris cauſa efficiens. 20.
Puris differentiæ, indeq; notæ caloris alterutrius prædominantis. ibid.
Puris ſpecies duæ. 124.
Pus bonum quales habeat conditiones. 123.& ſequent
Pus bonum vnde generetur. ibid.
Pus quot vicibus euacuandum in phlegmone. 22.
Puris iam confecti vt inſtituenda euacuatio. 22.

R

RAdij luxationis differentiæ, ſigna, & cura. 174.
in Ramice varicoſo operationes chirurgicæ. 72.
Refrigerantia vniuerſum corpus. 89.
Refrigerantia corpus, & potiſſimum renes, ad fluxum in gonorrhæa ſiſtendum. 149.
Refrigerantia num ante curam totius corporis liceat adhibere, diſputatur. 29.
Reges Angliæ, & Galliæ ſcrofulas ſolo contactu curant. 58.
Remedia vniuerſalia ad cauſas ſcyrrhi internas. 139.
Repellens aqueum quando ex Auctoris mente adhibendum. 16.
Repellent adſtringens locum habet, vbi dolor non vrget, & patiens venas magnas habet. ibid.
Repellens dupliciter ſuam actionem perficit. 15.
Repellens quatenus intercipit, non eſt imponendum parti affectæ. 14.
Repellentia aquea quæ ſint; quæ ex his mitia, quæ mediocria. 16
Repellentia calorem flammeum refrigerant. 15.
Repellentium differentiæ, & quando ſingulis ſit locus. ibid.
an Repellentibus puris ſit vtendum in principio phlegmones diſputatur. 14
Repellentium gradus à quibus indicentur. 16
de Repellentium vſu, & digerentium in augmento phlegmonis duæ obiectiones ſoluuntur. 18.
Repellentium mitiorum, mediocrium, validiſſimorum vſus quid requirat. 16.
Repletio faciens herniam aquoſam fit à nimia potatione. 70.
Repoſitio femoris luxati cum extenſione quibus inſtrumentis fiat. 176.
Repoſitio femoris luxati ſine extenſione. ibid.
Repoſitio humeri luxati ſine inſtrumentis prima eiuſq; declaratio. 171.
Repoſitio humeri luxati ſine inſtrumentis ſecunde. 172.
Repoſitio maxillæ luxatæ quomodo pro varia luxationum ſpecie fiat. 169.
Reſina, & cera num locum habeant in vlcere intemperie humida laborante. 138
Reſtaurum quid vulgo ſit. 22.a 25.a
Reuellentia, intercipientia,& repellentia quæ, & quomodo in vlcere dyſepuloto adhibenda. 133.
Rima in cranio ex tribus cognoſcitur quàm profunda ſit. 100.
Rumpentia cutem medicamenta quæ, eorum ordines, & vſus ibid.

S

SAnguis an à vena, vel arteria prorumpat, vnde cognoſcitur. 88.
Sanguinis affluxum prohibentia. 89.
Sanguinem alterantia, & eius cacochymiam eximentia. 11.
Sanguinem proprietate ſiſtit apis viua, membro in linteo alligata. 92.
Sanguinem per vulnus excludentia,& concretum diſſoluentia. 93.
Sanguinis affluxum prohibentia. 89.
Sanguinem cacochymum alterantia. 11
Sanguis è meatu vrinario fluens cathetere irritatus, quibus ſiſtendus. 151.
Sanguis extra vaſa digerentibus euacuatur. 17.
Sanguis vita theſaurus. 89.
Sanies in abdomen ex vulnere deſcendens, quomodo educenda. 161.
Sanies ne meatum auditorium repleat in vulnere auriculæ, prohibendum. 21.a
Sanies quibus medicamentis ex alto euocetur in

punctura nerui. 95.
Saniei ſpecies duæ. 124.
Sarcoceles cauſæ, ſigna,& curatio. 71.
Sarcocele puluere radicis anodynis abſumpta. ibid.
Sarcoticum bonum eſſe ratione ſiccitatis vnde cognoſcatur. 126
Sarcotici boni ratione caloris ſigna. 127.
Sarcotica anodyna, & epulotica qualia adhibenda in parte putrida ablata. 55.
Sarcotica cur ſic dicantur. 126.
Sarcotica vnguenta. ibid.
Sarcotici pulueres qui. 86.
Sarcoticis quæ ſuperponenda. 87.
Sarcoticorum neceſſitas in vlceribus. 125.
Sarcoticorum qualitas, & quantitas caloris in curatione vlcerum. 127.
Sarcoticorum vis deterſoria. 126.
Sarcoticis vſus in vlcere dyſepuloto. 134.
Scala quomodo fiat humeri repoſitio. 172.
Scalpri vſus quomodo adhibendus. 104.
Scalpro quando vtendum in oſſe corrupto. 142.
Scalprorum differentiæ. 103.
Scamnum Hippocratis pro luxato humero. 173.
Scarificatio in quibus inflammationibus conueniat. 14.
Scirrhus ex quo humore oriatur. 38.
Scirrhi cauſæ, prognoſtica, & curatio. 39.
Scirrhi definitio, differentiæ, & ſigna. 38. & ſequen.
in Scirrho cauſarum conſideratio. 41.
ad Scirrhi cauſas internas remedia vniuerſalia. 39.
in Scirrho emollientia, & diſcutientia. 40.
Scrophulæ à materia craſſa difficulter ſuppurantur. 58.
Scrofulæ quomodo cauſticis medicamentis ſint extrahendæ. 59.
Scrofularum extractio metuenda. ibid.
Scrofularum inciſio quando non conueniat. ibid.
Scrophulas ſolo contactu curant Reges Angliæ, & Galliæ. 58.
Sectio in ſarcocele vt facienda. 71.
Sectio ſuppurata quomodo inſtituenda inflammatione. 22.
Sedile Theſſalium, & eius uſus. 173.
Seminis profluuij cauſæ. 148.
Sententia Guidonis de fibulis reiecta. 80.
Sententia Guidonis de vulnere ſimplici capitis conſuendo, eaq; refutata. 161.
Septica, & eorum gradus. 7.a
Seri in phlegmone redundantis nota. 9.
Seri abundantis ſignum in inflammatione. ibid.
Seroſa humiditas interdum vtilis, interdum inutilis. 41.
Seroſus humor eſt aliorum excrementum. 5
Seroſus humor non debet repelli in ſcirrho. 42.
Seroſus humor quomodo euacuandus in ulcere dyſepuloto. 133.
Seroſus humor aliorum humorum vehiculum. 133.
Siccantia citra morſum conueniunt vlceribus dyſcraſiæ humidæ. 138.
Siccantia, & adſtringentia quæ conueniant in vlcere cum dyſcraſia humida, eorumque gradus. 137. & ſeq.
Signa, & differentiæ ſcirrhi. 38. & ſeq.
Signa fiſtularum in certas partes deſinentium. 143.
Signa fiſtulæ multiplicis. ibid.
Sinapiſmus quomodo fiat. 12
Sincipitis vulnus, etiam mediocre periculoſum. 97. & ſeq.
Sinus quid ſit. 143.
Sinus, & cauitatis curatio per catharſica, ſarcotica, & glutinantia. 23.
Sipho quomodo ad veſicæ collum immittatur, eiuſq; longitudo. 151.
Solutio faſciarum in luxato humero quomodo facienda. 173.
Sphacelus nonniſi ablatione partis curatur. 53.
Sphaceli ſigna. 50.
Spinalis medullæ prognoſticum, & remedia. 24.a
SPongia noua Auctori repellens eſt. 134.
Spongia qualis eſſe debet pro vulneribus glutinandis. 83.
Squamma oſſis quibus medicamentis eximatur. 142.
Steatoma quid ſit. 8.a
Steatoma quomodo curari debeat. 9.a
Steatoma vt differat ab alijs abſceſſibus. 8.a
Steatomatis ſigna,& cauſæ. ibid.
Strictura in deligatura vulneris ſit ad bonam patientis tolerantiam. 78.91.
Strumæ definitio,& ſubiectum. 57.
Strumarum locus. ibid.

Strumæ cur dicantur ſcrofulæ. ibid.
Strumę reſolutio. 58.
Strumæ ſuppuratæ vt tractandæ. ibid.
Strumarum cauſæ, ſigna prognoſtica, & curatio. 57.
Strumarum apertio quando, & quomodo tentanda. 58. & ſeq.
Strumæ non admodum rebellis curatio. 58.
in Strumarum extractione ſanguinis ſuppreſſio. 59.
Stupefacientia frigore neruos lædunt. 94.
Stupefacientia quæ. 25.
Subſtantia partis in fractura vt ſalubris conſeruanda. 157.
Subſtantia partis vulneratæ vt ſalubris conſeruanda. 83.
Sudamina, quale genus tumoris aquoſi. 41.
Superciliorum vulnus diligentem requirit curationem. 13.a
Suppurantia cur primum locum habeant in curatione vlcerum. 122.
Suppurantibus cur chirurgi vtantur, quæ ſimul ſiccant, & detergunt. 123.
Suppurantia quę conueniant corporibus humidis; & mollibus, & quæ ſiccis, & duris in phlegmone. 21.
Suppurantia in vlcere dyſepuloto. 123
Suppurantibus quandiu vtendum in vlcerum curatione. 123.
Suppurantium materia. ibid.
temperamentum. 123.
Suppurantia quæ, & quibus conueniant in vlcere ſimplici. 125.
Suppurantibus quo tempore inflammationis ſit vtendum. 21.
Suppuratio, & euacuatio reliquiarum in parte inflammata poſt ſectionem. 23.
Suppuratio phlegmones quando expectanda. 20.
Suppuratio quomodo inſtituenda in phlegmone. 21.
Sutura glutinatoria triplex, & quomodo quælibea facienda. 79.
Sutura in inciſione atheromatis non conuenit. 7.a
Sutura in palpebrarum vulnere quando conuenit, quando non: 14.a
quæ glutinantia adhibenda. ibid.
Sutura in vulneribus articulorum. 26.a
Sutura vulneris articulorum improbatur. 26.a
Sutura abdominis. 115.
Sutura in vulneribus, quæ ex tribus optima. 79.
Sutura, quam Guido perperam ſanguinis ſuppreſſoriam vocat, quando, & quomodo facienda. 90.
Suturæ linteola vicaria in frontis vulnere. 11.a
Suturæ tres ſpecies, & quæ harum optima in abdomine vulnerato. 115
Suturarum tres ſpecies, & quando quælibet ſit conueniens. 78.
Suturæ in vulneribus altitudo quanta requiratur. 80.
quamdiu relinquenda. ibid.
circa Suturas quædam notanda. 70.
in Sutura vulneris pro cannula feneſtrata digitos adhibet Auctor. 79.
in Sutura vulnerum numerus & diſtantia punctorum. 80.
pro Sutura vulneris qualis eſſe debeat acus. 79.
Symptomata in caruncułæ cura vt corrigenda. 151.
Syringotomia quando adminiſtranda. 147.
Syringotomus quale inſtrumentum. ibid.

T

TAgaultius malè aſſignat cauſam cancri. 60.
Tagaultius nullam mentionem facit de tumore aquoſo in ſua tabula. 41.
Tagaultius taxatur. 3.
Tali luxati ſigna, & repoſitio. 177.
Tali luxati facta repoſitione quid agendum. ibid.
Talpa topinaria quid ſit. 4.a
Talpæ topinariæ ſigna, & à fico differentia. ibid.
Talpæ topinariæ inciſio quando, & quomodo inſtituenda. 5.a
Talpæ topinariæ cura per euacuantia, & digerentia. ibid.
Tarſi, & pedij oſſa nunquam luxantur. 178.
Temperatura, & facultas ſuppurantium. 21.
Tempus, quo medicamenta in vulneribus ſunt mutanda, non metiendum numero dierum. 86.
Tendines ſunt fines muſculorum. 93.
Terebra quomodo oſſi corrupto adhibenda, & quando. 142.

Terminus in ſtringenda deligatura ſit bona laborantis tolerantia. 156.
Teſtudo, & talpa topinaria idem ſunt. 4.a
Thermales aquæ conuenientes pro fiſtulis in ano. 147.
Thermales aquæ ſanant herpetem milliarem. 56.
Theſaurus vitæ ſanguis. 89.
Thoracis deſcriptio. 110.
in Thoracis vulnere tuſſis quomodo adiuuanda. 111.
in Thorace quomodo facienda vacuatio per vulnus. ibid.
Thoracis vulnerum differentiæ. 110.
in Thoracis vulnere ſigna, & prognoſtica. 110.
Thoracis vulnus non ſtatim glutinandum. 111.
in Thoracis vulnere quibus fiat euacuatio per os. 111.
Thoracis vulneri turunda impoſita, quibus inficienda medicamentis. 112.
quarum Thoracis partium vulnera ſint lethalia. 113.
in Thorace vulnerato quando, & quomodo occludendum foramen. ibid.
cuiuſdam in Thorace vulnerati hiſtoria, pus emingentis. 111.
in Thorace vulnerato materia contenta quomodo per vrinam educenda. 111.
in Thorace materia contenta, ſi difficulter per vulnus exeat, quomodo educenda. 112.
in Thoracem materiam deſcendere cur adeò ſit periculoſum. ibid.
Nicolaus Nouocomenſis inuentor viæ per quam pus è Thorace per vrinam euacuetur. 111.
pro Thoracis vulnere aperto ſeruando peniculus, ſeu turunda quando adhibenda. 112.
pro Thoracis vulnere aperto ſeruando tubulus, ſeu cannula qualis conueniat. ibid.
Timor phlegmones, ſiue terminus non eſt in omnibus æqualis. 77.
Trabs tranſuerſa columnis alligata, & eius vſus. 172.
Tranſitus facilis eſt in habentibus Symbolum. 16.
Tubulus, ſeu cannula qualis conueniat pro vulnere thoracis aperto ſeruando. 112.
Tumoris nomen. 1.
Tumor ſub quo morborum genere contineatur. ibid.
Tumorum differentiæ. 3.
Tumores aquoſi qui. 5.
Tumoris aquoſi cauſæ. 41.
Tumores bilioſi qui. 4.
Tumoris definitio ex Galeno. 2.
Tumorum cauſæ interna, & externæ. 3.
Tumoris definitio ſecundùm Auctorem. 2.
Tumore œdematoſo ſuppurato quid agendum. 35.
Tumore flatuoſo pars affecta quomodo medicamentis imponendis præparanda. 37.
Tumores pituitoſi qui. 4.
Tumores à mixta materia. 5.
Tumores è partium decubitu qui. ibid.
Tumores, qui à materia diuerſa ab humoribus oriuntur. ibid.
Tumores qui ad inflammationem reducuntur. 43.
in Tumoribus plethora quomodo tollenda. 6.
in Tumoribus humorum congeſtio quomodo corrigenda. 7.
in Tumoribus quando non habent locum repellentia. 6.
in Tumore flatuoſo euacuatio ex parte affecta. 37.
in Tumore flatuoſo quomodo ſedandus dolor. 37.
in Tumoribus præter naturam duplex ſumitur indicatio à fluxione. 3.
Tumoris definitio Galeni examinatur. 2.
Tumorum differentiæ à ſingulis humoribus petitæ quæ. 4.
Tumores ſanguinei qui. 6
Tumorum curandorum ſcopi qui. ibid.
Tumoris aquoſi locus. 42.
Tumorum curatio vniuerſalis. 6.
Tunicæ vaſorum vulneratorum ſui non poſſunt. 90.
Turunda vulneri thoracis impoſita, quibus inficienda medicamentis. 112.
Turunda quibus medicamentis ſit imbuenda in vulneribus articulorum, vt foramen apertum ſeruetur. 26.a
Turunda, ſeu peniculus quando adhibenda pro vulnere thoracis aperto ſeruando. 112.
Turundarum vſus. 87.
Tuſſis quomodo in vulnere thoracis adiuuanda. 111.

V

VAcuantia, & præparantia humorem biliosum in vlcere veſicæ,& penis. 149.
Vacuatio exeditior fit per repellentia, quàm per digerentia. 15.
Vacuatio per vulnus in thorace quomodo facienda. 111.
Varietas medicamentorum pro ratione circumſtantiarum in vlcere calidæ dyſcraſiæ. 139.
Varicoſæ herniæ ſigna. 66.
Varicoſæ herniæ cauſa, & curatio. 72.
Vaſis vulnerati apertio quomodo claudenda. 90.
Vaſis vulnerati ſitus. 91.
Vaſa vulnerata quomodo Auctor emplaſticis obſtruat. 91.
Vaſorum vulneratorum tunicæ ſui non poſſunt. 90.
Vaſorum internorum vulnera quomodo curanda. 93.
Vaſorum vulnerum ſigna, & cauſæ. 88.
indicationes, & prognoſtica. 89.
in Vaſorum vulneratorum curatione quę præſcribenda diæta. 89.
in Vaſorum vulnere partis affectę refrigeratio. 89.
refrigerantia, & adſtringentia. 90.
Venæ vulneratæ obſtructio. ibid.
Venæ ſectio, aut ſaltem ſcarificatio in vulneribus non omittenda. 77.
Venis internis vulneratis medicamenta externa conuenientia. 93.
Ventoſæ herniæ ſigna. 66.
Ventoſa hernia ſolùm digerentibus turatur. 71
Ventriculi vulneris differentiæ, & ſigna. 118.
Ventriculo vulnerato quæ adhibenda. ibid.
Ventriculi vulnus quando curari poſſit. 114.
Vermes in quibus vlceribus generentur. 140.
Vermes in vlceribus vnde generentur, & quibus rebus necentur. ibid.
Verminoſi vlceris ſigna, cauſæ, & curatio. ibid.
in Veſicæ collo caruncula vt à calculo diſcernatur. 150.
medicamenta ei deſtinata. 151.
ſymptomata in caruncułæ cura vt corrigenda. ibid.
Veſicatoria qualia conueniant in phlegmone. 12.
Via quomodo aperienda in meatu vrinario per ceream virgulam plumbeam, & catheterem. 150. & ſeq.
Via quomodo medicamentis paranda in cura caruncułæ in collo veſicæ. 150.
Vinculum in vulneribus vaſorum qua ratione adminiſtrandum. 90.
Vinculum materia eſt reuulſoria, non intercipiens. 13.
Vinum Cyprium bilem atram gignit. 60.
Vinum eſt optimum medicamentum omni vlceri. 128.
Vinum nigrum auſterum quomodo vulneribus adhibendum. 84.
Vnio in vulnere ſex auxilia à medico expoſcit. 74.
Viri quidam lac gignunt, & menſtrua patiuntur. 148.
Vis exiccans ſarcoticorum quanta eſſe debeat in curatione vlcerum. 126.
Viſus quando ex vulnere oculi perdatur. 14.
Vitæ theſaurus ſanguis. 89.
Vlceris nomen. 119.
Vlcus quid ſit. 120.
Vlcerum differentiæ, quæ Chirurgo vtiles. ibid.
quæ difficulter curantur. 131.
Vlceris octo intemperies. 135.
Vlcus dyſcraſiæ ſiccæ quoties aqua tepida perfundendum. 136.
Vlcus fit ex influxu humorum acrium, & corrodentium. 123.
Vlcus omne perpetua exſiccatione indiget. 121.
Vlcus poſt abſumptam caruncułam colli veſicæ vt conſolidandum. 152.
Vlcus ſordidum, & humidum vnde fiat. 125
Vlceri cum frigida intemperie ſigna, & curatio. 139.
ordines medicamentorum huic conuenientes. ibid.
Vlceris cum intemperie calida, ſigna materia, & curatio. 138.
in Vlceribus excrementorum ſpecies. 124.
Vlceris cum intemperie humida, ſigna, prognoſis, & curatio. 137.
medicamentorum hic formulæ. 138.
Vlceris cum oſſe corrupto cauſæ, ſigna, præſagium, & curatio. 141.
Vlceris cum ſicca intemperie ſine materia, ſigna, prognoſtica, & curatio. 135.
Vlceris dyſepuloti cura quæ. 134.
Vlceris dyſepuloti affectus duplex. 132.

Vlceris puri, vel impuri signa. 125.
in vlcerum curatione scopi quatuor. 122.
Vlceris vesicæ, & penis signa, prognosis, & scopi curatiui. 148.
Vlceri partes circumiacentes vt fouendæ. 128.
Vlceri vrinarij meatus quæ topica quadrant. 149.
in Vlcere dysepuloto ratio rerum non naturalium. 132.
in Vlcere dysepuloto de concoquentibus cautio. 134.
suppurantia. 123.
in Vlcere dysepuloto pituita quomodo præparanda, & expurganda. 133.
Vlcera ex atra bile facta omnia sunt incurabilia. 61.
Vlcera omnia maligna ægrè curantur. 135.
Vlcera propter tres causas fiunt periculosa. 121.
Vlcera simplicia quæ dicantur. 124.
Vlcerum ægrè curabilium quatuor species. 131.
Vlcera rotunda difficiliùs curantur. 120.
Vlcerum causæ vt amouendæ. 123.
Vlcerum causæ internæ humores corrodentes. 120.
Vlcerum prognostica. 121.
Vlcerum tempora. 122.
in Vlcerum curatione commoda repellentium. 122. 124.
suppurantibus quamdiu vtendum. 123.
in Vlcere exsiccatio, si ab alimenti penuria, vt curanda. 135.
Vlcerum triplex consideratio. 121.
pro Vlceribus sanis qualis esse debeat consistentia sarcoticorum. 127.
Vlceris curatio cum sicca intemperie sine materia. 137.
Vlcerum differentiæ, & vnde sumendæ. 120.
Vlceratæ parti quæ circumponuntur medicamenta 125.
Vlceribus humidis aqua vitæ chalybeata vtiliter adhibetur. 138.
Vnio, & cicatrizatio in nasi vulnere vt facienda. 18. *a*
ad vnionem faciendam instrumenta. 11. *a*
Vnionis causa in vulneribus natura 83.
Vstio in rernia intestinali peritoneo rupto, qua ratione administranda. 68.
Vsus fibularum in vulnere quis. 80.
Vsus fomenti aquæ tepidæ in vlcere sicco. 136.
Vrinarij meatus vlceri quæ topica quadrant. 149.
Vulnus carnis quodnam dicatur. 74.
Vulnus diligenter perscrutandum, num aliqua portio instrumenti vulnerantis in eo lateat. 17. *a*
Vulnus quid nominis. 73.
Vulnus, & vlcus, vt differant. 119.
Vulnus fit per punctionem, incisionem, ruptionem contusionem, & erosionem. 74.
Vulnerum simplicium, & exteriorum capitis curatio. 101.
in Vulneratorum vasorum curatione quæ præscribenda diæta. 89.
Vulneratorum diæta qualis conueniat in inflammatione. 75. & seq.
Vulnerum differentiæ vnde petantur. 73.
Vulneratis quæ chirurgia conueniat. 76.
quæ diæta. 75.
in Vulneribus quantum sanguinis mittendum. 77.
in Vulneribus purgantium delectus. 76.
Vulneribus olea perperam adhibentur. 84.
in Vulnere cauo concoquentia quæ, & quando concoquentia conueniant. 86.
in Vulnere quando metuenda phlegmone. 77.
Vulnerati vasi situs. 91.
in Vulnere vasorum partis affectæ refrigeratio. 89.
refrigerantia, & adstringentia. 90.
Vulnus gulæ qua ratione periculosum. 24 *a*
Vulnus in vasis factum quando soluendum. 92.
Vasis vulnerati osculum aliquando partes vicinæ obstruunt externè. 91.
Vulnera vasorum internorum quomodo curanda. 93.
Vulnerum vasorum signa, & causæ. 88.
Indicationes, & prognostica. 89.
Vulnus articulorum periculosum. 25.
Vulnerum articulorum prognosis, & differentiæ. 25. *a*
in Vulneribus articulorum futura. 26. *a*
Vulnera articulorum quibus medicamentis curet Auctor. 26. *a*
Vulnera articulorum auctor consuere solet. 26. *a*
in Vulneribus articulorum quibus medicamentis imbuenda sit turunda, vt foramen apertum seruetur. 26. *a*
Vulnus oculorum profundius vt tractetur. 17. *a*

Vulnus oculorum qui patitur, caput oleuatum in lecto habere debet. 154
in Vulnere genarum quando pituitti neceſſarij. 194
Vulnus ſimplex quando ſoluendum, & quoties inſpiciendum. 85.
Vulnus cauum quid. ibid.
Vulnus ſuperciliorum tranſuerſum periculoſum. 134
Vulnus ventriculi quando curari poſſit. 114.
Vulnus pericranij non conſuendum. 11.
Vulneris definitio, & differentiæ. 73.
Vulneris ſimplicis in carne differentiæ, præſagia, & indicationes. 74.
Vulneris deterſio ante ſuturam quomodo fiat. 79.
Vulnera in medio capitis periculoſiſſima. 100.
Vulnera quo magis cerebro vicina, eo periculoſiora. ibid.
in Vulnere conſuto cautio de foramine relinquendo. 82. 86.
in Vulnere vnde oriatur diſcraſia ſicca. 135. 111.
Vulneratis conuenire purgantia improbat Guido. 76.
tempus purgationis. 77.
in Vulneribus faciei quæ conueniant epulotica.
in Vulnere thoracis quibus fiat euacuatio per os.
in Vulnere ſimplici indicationes pro inflammatione prohibenda. 75.
in Vulnere ſimplici indicationes, ſeu ſcopi. 124.
de Vulnere ſimplici capitis conſuendo Chirurgorum placitum, idq; refutatum. 101
in Vulneribus reuellentia. 77.
in Vulneribus pilulæ purgantes quomodo dandæ. 76.
Vulneri Pulmonis conueniunt adſtringentia, & emplaſtica. 113.
Vulneris magnitudo venæ ſectionem indicat. 77.
Vulnerata pars quomodo præter naturam afficiatur. 83.
Vulnerariæ potiones quando propinari poſſint. 76.
Vulnerarij puluercs quomodo aſpergendi. 83.
Vulneratis quando purgantia propinanda. 77.
in Vulnere cauo ſarcotica. 86.
in Vulneris cauitatis curatione ſcopi. 85. & ſequent.
ad Vulnerum cauitatem inacceſſam medicamentis turunda. 87.



CHIRVRGIÆ VNIVERSALIS HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE LIBER PRIMVS,

De Tumoribus præter naturam.

CAPVT I.

De Nomine, & Definitione Tumoris.

TVMOR, Græcis ὄγκος idem, atque corporis humani eminentia in longitudine, latitudine, & profunditate exuberans significat. Quæ, vel ſecundùm naturam eſt, vt in capite, ventre, iuncturis, & naturalibus eminentijs; vel ſupra naturæ modum, vt in mammis lacte turgentibus, ventre prægnantis, & huiuſmodi reliquis; vel præter naturam, vt in omni tumore actiones lædente. De hoc vno præſenti nos opere tractabimus. Galenus ὄγκων παρὰ φύσιν, id eſt, præter naturam. Hippocrates οἴδημα, aphor. 34. ſect. 4. & apho. 37 ſect. 6. quaſi inflationem hunc nominat, licet Galeno ſpecies quædam tumoris oedema ſit, vt ſuo pleniùs loco indicabitur. Aſiatici συφροὰς, tanquam condenſatum, & conglobatum vocant. Arabes apoſtema nuncupant: quæ tamen vox apud Græcos, ſignificatione multo contractiore, ſolum abſceſſum, id eſt, collectæ materiæ in pus, aut in alienam ſubſtantiam conuerſionem denotat. *Nomen.*

Quoad definitionem. Galenus tumores interdum reponit inter morbos partium ſimilarium, nimirum inter intemperies cum materia: interdum inter morbos inſtrumentorum: nonnunquam ad ſolutionem continui eoſdem refert. Dicitur quidem tumor intemperies cum materiæ fluxione, cap. 5. & 13. lib. de diff. morb. cap. 6. lib. de cauſ. morb. cap. 3. & 9. lib. de inæq. intemp. Et ratio eſt; quia tumor corripit partes ſimilares, carnem, membra- *Sub quo morborum genere Tumor contineatur.*

nas ligamenta,&c. humor enim in partem influens, primùm venas replet maiores,inde minores,& postea etiam minimas: deinde extra vasa delatus, interçapedines musculorũ, neruos,ligamenta,membranas,ipsam denique carnem peruadit, vt omnia omni è parte humore circunfusa in tumorem attollantur Alijs verò locis tumores inter morbos organicos recensentur: veluti cap.2.lib.1.de cauſ.sympt. Et quidem,hac etiam in parte non idem vbiq; sentire videtur Galenus: modò enim figuram ait tumore vitiari,cùm cauitates,& meatus naturales obstruantur,cap.7.lib.de diff.morb.cap. 7. lib. de cauſ. morb. modò magnitudinem augeri præter naturam asserit, nimirum cap.9.lib.de diff.morb.& cap. 1.lib.13. meth. med. Denique solutio continui à Galeno adiungitur tumori cap.3.lib.de inęq.intemp.Auicennas secunda primi,doctr. 1. cap. 5. in tumore statuit omnis generis morbos reperiri; scilicet intemperiem cum materia,morbum in figura,in situ, in magnitudine, & solutionem continui.

Tumoris definitio Galeni ca.

Fallopius igiter retinet definitionem Galeni,cap.1.lib.13. meth.med. quod tumor pręternaturam sit morbus,in quo partes à naturali habitu in quantitate recesserunt.Quod idem est,ac si diceres,tumorem esse morbum in magnitudine aucta. Hanc definitionem ego quoque multos annos probaui: quia in omni tumore semper adest magnitudo aucta, non semper autem intemperies, & alij morbi: nam in hernia intestinali, aut omenti, & in ipsis quoque luxationibus adest quidem magnitudo aucta, non tamen intemperies: in œdemate magnitudo aucta est, non tamen adest permutata figura, aut continui solutio; in phlegmone est magnitudo aucta,non tamen morbus in situ.

Proposita Galeni definitio in examen vocatur.

Verum tamen diligentiùs propositam definitionem considerans,eam definitionẽ angustiorem, & proinde legibus logicis non omnino consentaneam esse video. Nam in erysipelate exquisito non est aucta magnitudo sensui euidens: vnde Galenus cap. 1.lib.2. ad Glauc. ait erysipelas exquisitum solius cutis affectum esse. Prætereа,si morbus,quoad morbus est, actiones lædit; etiam morbus in magnitudine aucta lædet actiones per magnitudinem auctam: at in erysipelate lęditur actio ab intemperie calida, non ab aucta magnitudine, quæ sensibilis non est: & in hernia intestinali, aut omenti, lędditur actio, sed non à magnitudine aucta, verùm à morbo in situ.

Definitio tumoris secundum auctorẽ, qua per partes explicatur.

Quamobrem tumorem sic ego definiendum putauerim. Tumor præter naturam est morbus,vt plurimum compositus, ab eo denominandus, à quo actio lędditur. Morbus dicitur, vt excludantur tubercula exigua, qualia in pubescentium facie oboriuntur, quæ quod actionem non lędant,tantùm sunt symptomata,cap.12. lib. de diff. morb. Dicitur morbus compositus;quia tumor,qui fit ab humoribus influentibus, iunctam habet dyscrasiam, quatenus illi humores sunt calidi,frigidi,humidi,sicci: itemque tumor, qui ab omenti, aut intestinorum prolapsu causatur, auctæ magnitudini coniunctum habet morbum in situ. Et his, meo iudicio,adductus rationibus Galenus,modò huic, modò illi morborum generi tumorem subijcit. Additur verò in definitione, vt plurimum compositus; quia tumores quidam simplicis morbi tenent ideam,nec, præter magnitudinem auctam, alium morbum habent adiunctum: veluti si quis obesus tantam corporis vniuersi molem acquirat, vt loco moueri non possit: aut, si lingua eò vsque augeatur,vt ore contineri nequeat: aut, si glandula in collo valdè intumescens actiones lædat. In his tumoribus actio lędditur à solâ aucta magnitudine,non autem ab alio morbo:ideoque huius generis tumores non sunt morbi compositi: Tandem in definitione monuimus tumorem esse denominandum ab eo,à quò actio lędditur. Sic,quia erysipelas lędit actionem, quatenus est intemperies; ideò hic tumor dicetur morbus in intemperie. In lingua verò, & glandula supra modum auctis; in vasto, & obeso corporis habitu actio lędditur à magnitudine aucta: ideoque hi tumores nominabuntur morbi in aucta magnitudine. Hernia in situ morbus statuetur; quoniam in ea lędditur actio à morbo in situ.

CAPVT II.

De causis Tumorum internis, & externis.

DVO sunt, quæ partem in tumorem eleuant; siue dicantur causa coniunctiua, siue proxima, seu immediata. nimirum Humor, & Pars aliqua corporis.

Si pars corporis descendens tumorem excitet: causa est, tùm Inclinatio partis, tùm Apertio alicuius meatus. Apertionis causa est Ruptio, vel Dilatatio. Ruptio habet causas externas, nimirum contusionem, incisionem, saltum, pondus, motum concitatissimum. Dilatatio autem meatus vel fit à causis externis modò dictis; vel ab internis, nimirum humoribus, potissimùm pituitosis generatis ob intemperiem frigidam, & humidam alicuius partis principalis, capitis, iecoris, ventriculi, aut ob errorem externum: & hi humores laxando meatum dilatant. *Pars corporis tumorem excitant.*

Si humor immediatè excitet tumorem, huius causa est, vel Congestio, quando humor in ipsa parte generatur, & congeritur; vel Fluxio, cùm humor aliunde ad partem affectam confluit, cap. 7. lib. 2. ad Glauc. Congestio fit propter membri debilitatem in concoctione, & expulsione; quam sequitur intemperies: quinetiam debilitas ex intemperie aliqua ortum trahit. Potissima autem causa tumorum præter naturam est fluxio, nimirum motus materiæ de vno loco in alium. Considerari ergo hic debet pars Mittens, & Recipiens; materia enim non per se mouetur, sed ab alio, scilicet, à parte mittente per ὦσιν, & à recipiente, per ἕλξιν. Pulsus ille fit non motu arbitrario, sed naturali à robusta facultate expultrice irritata aut qualitate, aut quantitate, id est, plethora, aut cacochymia, quorum causa proxima interdum est alicuius visceris dyscrasia, nimirum ventriculi, lienis, iecoris, capitis, &c. semper verò concurrunt sex res non naturales, ad plethoram, & cacochymiam generandam. Pars ergo mittens, primùm robusta sit necesse est, aliàs non expelleret: deinde irritata. Attractio fit à parte affecta, seu recipiente, dum vel incaluit, vel dolet, cap. 11. lib. de diff. morb. cap. 3. lib. 13. meth. Caloris causa, vel est externa, vt res non naturales, vel interna, vt humores calidi, qui sunt in genere cacochymiæ, quam excitat visceris alicuius dyscrasia, aut causa externa. Doloris causa est intemperies, aut solutio continui: intemperies fit, vel à causa externa, vel ab interna, &c. *Humor causa tumoris.* *ἀθροισμὸς.* *ῥευματισμὸς.*

CAPVT III.

De differentijs, seu speciebus Tumorum.

VERÆ tumorum differentiæ à duobus petuntur fontibus: nimirum ab humoribus influentibus, & à partibus decumbentibus; ab his enim duobos quoque indicationes præcipuæ sumuntur tumores curandi.

Primùm autem dicendum de differentijs, quæ sumuntur ab humoribus. Humores sunt quinque: sanguis, bilis, pituita humor melancholicus, materia flatuosa: vnde fiunt Phlegmone, Erysipelas, Oedema, Scirrhus, Tumor flatuosus. His etiam serosi humores addi possunt, qui diuersam tumorum faciunt speciem: vnde malè hos Tagaultius sub pituitosis comprehendit; hi enim duo humores omnino sunt diuersi, cap. 2. lib. de atra bile cap. 6. lib. 13. meth. cap. 10. lib. de pleth. & differentes quoque tumores excitant, cap. 2. lib. 3. de caus. symp. cap. 16. lib. de tum. p. n. sed videamus porrò quot tumorum species à singulis humoribus.

Sanguis bonus, plus iusto influens in aliquam partem efficit Phlegmonem, seu Inflammationem, quæ est tumor factus à sanguine bono, & mediocrem crassitudinem

obtinere, c. 1. lib 2. ad Glauc. Hæc diuersa pro partibus affectis sortitur nomina est; enim Phrenitis, membranarum cerebri inflammatio: Ophthalmia, tunicæ annatæ oculi: Columella, seu vua, gargareonis: Tonsillæ, glandularum, quæ in faucium initio mutuò opponuntur: Paristhmia, corporum faucium. Angina, laryngis: Pleuritis, pleuræ: Peripneumonia, pulmonum: Bubo, glandularum; & huius bubonis duæ sunt species; si enim inflammata glandula citò adaugeatur, & ad suppurationem veniat, φύμα dicitur; si vna cum sanguine modica bilis misceatur, & glandula inflammetur, φύγθλον dicitur. Porrò in his differentijs, quæ à sanguine bono ortum trahunt, considerandæ sanguinis tenuitas, & crassities, cap. 17. lib. 14. meth. Inflammatio enim, quæ si à sanguine bono, crasso, corripit cutem, & carnem, & est cum pulsatione: facta verò à sanguine bono subtili, corripit tantum cutem, nec est cum pulsatione, sed veluti spina pungit; secundùm Auicennam, tertia quarti, tract. 1. cap. 1. A sanguine malo nullæ fiunt tumoris species; quin sanguis, si à natura sua declinans, supra modum assetur, & calefiat, pars eius tenuior in flauam bilem, crassior in atram faceſſit, cap. 9. lib. 2. de dif. feb. cap. 12. lib. 2. de crif. Non enim carbo est inflammatio; ex atra enim bile oritur. Abscessus etiam, gangræua, & sphacelus non sunt inflammationes, sed has consequuntur (non loquor de gangræna, quæ per se fit) ideoq; accidentia phlegmones dici possunt.

Biliosi tumores. Bilis naturalis exsuperans, ideſt, quæ nec mordax est, nec admodum crassa, sed mitior, si influat in aliquam partem, creat Erysipelas, quæ est affectio in summa cute; cap. 1. lib. 2. ad Glauc. Quod si bilis sit non naturalis, nimirum crassa, & mordax, tunc excitatur tumoris species, quæ habet vlcus adiunctum, & exedit ipsam cutim, vnde Herpes exedens dicitur, ab Auicenna Formica corrosiua, à Celso, Ignis sacer. Si bilis hæc non naturalis sit quidem crassa, sed non ita mordax, & acris, excitat pustulas quasdam in cute frequentes, & exiguas, milio similes, & Herpes miliaris dicitur, ab Auicenna Formica miliaris, à Celso similiter Ignis sacer.

Pituitosi tumores. Pituita varios creat tumores, prout ipsa est varia, cap. 2. lib. de atra bile. Naturalis enim pituita insipida, & constitutione tenuis, si vniuersum corpus occupet, exitat tumoris speciem, quæ Anasarca dicitur: si verò in vna particula talis humor inederit, facit Oedema, cap. 6. lib. de cauſ. morb. Si pituita sit non naturalis, & quidem crassa, glutinosa, superexsiccata, sit Scirrhi genus, de quo cap. 4. lib. 2. ad Glau. Fit etiam ab hac pituita, Vitiligo alba, quæ est cutis defœdatio, cum squamis quibusdam, cap. 2. lib. 3. de symp. cauſ. Si pituita sit salsa, & nitrosa, oriuntur Achores, qui sunt tumores in capite, cum paruis vlceribus, cap. 15. lib de tum. præt. nat. cap. 6. lib. de medic. facilè parabilibus.

Melancholici tumores. Humor melancholicus naturalis, id est, sanguis crassus, frigidus, & siccus, influens in partem, efficit Scirrhi genus alterum, cap. 4. lib. 2. ad Glau. Diuersa autem sortitur nomina, pro diuersis partibus affectis; si enim influat in glandulas, fit Struma, vulgo Scrophula: si in scrotum, Ramex, cap 17. lib. 14. meth. si in crura influat, venasque dilatet, fiunt Varices, cap. 10. lib. 2. ad Glauc. cap. 4. lib. de atra bil. Tumores etiam illi, qui Effusa, seu Nigrores appellantur, fiunt à tali humore, & sunt propinqui scirrhis, & senibus maximè contingunt, collisis venis, cap. 10. lib. de tum. præt. nat. Si humor melancholicus naturalis ad cutem mittatur, excitatur duobus modis: vel si humor melancholicus supra modum assetur, vel si bilis supra modum assetur, & feruerit, cap. 4 lib. de atra bile; & hic humor, nigra, seu atra bilis appellatur: hæc, si influat in vniuersum corpus, fit tumoris species, quæ Elephantia sis dicitur, eò quòd carnem contrahat callosam, & nigram, qualem elephantes habent; vulgus cum Auicenna Lepram nominat. Si humor hic vnam partem occupet, fit Cancer, item Phagedæna, quæ tamen non est simplex tumor, sed cum vlcere, & differt ab herpete exedente, quòd hic vrat cutim, Phagedæna autem, & cutim, & carnem subiectam. cap. 13. lib. de tum. p. n. fiunt etiam ab hoc humore cutis affectiones, Scabies, Lepra, Psora, lib. 11. simpl. Si atra bilis supercalfactionem acquirat, feruorem intensissimum, fit Carbo, seu Carbunculus, cap. 4. lib. de atra bil. cap. 10. lib. 14. meth.

Aquo-

Aquoſus, ſeu ſeroſus humor, eſt potionis excrementum, cap. 16 libr. 5. de vſu part. Hic, ſi in toto redundet corpore, præcipuè verò in abdomine, excitatur ſpecies hydropis, quæ Aſcites dicitur, cap. 2. lib. 3. de ſymp. cauſ. Si in ſcrotum deſcendat, fit Hernia aquoſa, ὑδροκήλη. Si per vmbilicum exeat, turgiduſque reddatur vmbilicus, fit ὑδρόμφαλος. Si influat in palpebram, puſtula quædam oritur, quam ὑδατίδα, id eſt, aquulam, appellat Galenus, cap. 15. Iſag. & cap. 2. lib. 5. de loc. aff. Veſiculæ præterea illę, quæ ex motu, aut contactu ſeruentis aquæ, aut e ferro ignitio in cute excitantur, etiam ſunt tumores aquoſi. Omnes denique tumores, in ijs animalis partibus, in quas perducta eſt hæc humiditas, huc pertinent, quos Papularum nomine Galenus complectitur cap. 2. lib. 3. de ſymp. cauſ. *Aquoſi tumores.*

Humor flatuoſus efficit tumores, qui ἐμφυσήματα, id eſt, flatuoſi tumores dicuntur, variantque pro affectis partibus. Si enim plurimus flatus in toto corpore redundet, maximèque in hypochondrijs colligatur, fit tumor, qui Tympanites dicitur. Si deſcendat, fit Priapiſmus, & Satyriaſis. Si per vmbilicum exeat, fit πνευματόμφαλος. In alijs partibus hi tumores flatuoſi communiter ἐμφυσήματα dicuntur. *Flatuoſi tumores.*

Partes decubitu ſuo tumores efficientes, duæ ſunt, Inteſtina, & Omentum. Si inteſtinum deſcendat in ſcrotum, fit Hernia inteſtinalis. Si omentum, fit Hernia omenti. Si inteſtinum, aut omentum per vmbilicum exeat, vocatur ἐντερόμφαλος, & ἐπιπλόμφαλος. *Tumores è partium decubitu.*

Verum tumores non tantùm fiunt ab humoribus puris, de quibus hactenus, ſed vt plurimum à miſtis: cùm enim humores ſint in venis, ſi vnus influit, facilè etiam alter influit, vel ratione tenuitatis, vel continuitatis, vel vi vacui, vel alia ratione. Has differentias recenſet Galenus, cap. 9. lib. de tum. p. n. cap. 2. lib. 14. meth. cap. 1. lib. 2. ad Glauc. cap. 12. lib. 2. de criſ. Si ergo humores miſti influant in partẽ, vel pares ſunt in miſtione, vel impares. Si impares; tunc ſi ſanguini, v. g. bilis miſceatur, fit Inflammatio eryſipelatoſa: ſi pituita, œdematoſa; ſi humor melancholicus, ſcirrhoſa. Si bili ſuperanti miſcatur ſanguis, fit eryſipelas plegmonoſum: ſi pituita, œdematoſum: ſi humor melancholicus, ſcirrhoſum. Si pituitæ ſuperanti miſceatur ſanguis, fit œdema phlegmonoſũ, &c. Si humori melancholico exſuperanti miſceatur ſanguis, fit ſcirrhus phlegmonoſus, &c. Si humores in miſtione ſint pares, fiunt tumores mediam naturam tenentes. cap. 2. lib. 14. meth. cap. 1. lib. 2. ad Glauc. Si cum his quatuor humoribus miſceantur humores ſeroſi, aut flatuoſi, propriæ fiunt tumorum differentiæ, quibus tamen ab antiquis nulla ſunt impoſita nomina. Quod ſi partes corporis decumbentes commiſceantur, ſeu connectantur, & in ſcrotum decumbant; fit ἐντεροεπιπλοκήλη: ſi aqua, & inteſtina in ſcrotum deſcendat, fit ὑδροεντεροκήλη: ſi aqua, & inteſtina per vmbilicum exeant, fit ὑδρεντερόμφαλος. *Tumores non exquiſitè, à miſta materia.*

Sunt quidam tumores, quorum materia à propoſitis diuerſa videtur. Meliceris enim cõtinet melleam ferè materiam. Steatoma, ſeuum. Atheroma, quaſi pulticulam. Abſceſſus nonnulli, pilos, carbones, amurcam, lapides, teſtes. Attamen hæc omnia ad aliquam humoris ſpeciem referenda ſunt, calida, & ſicca, ad bilem, &c. Sic enim Auicennas atheromata, ſteatomata, melicerides, aſſerit fieri è miſtis phlegmate, & humore melancholico. Sic puſtulæ, quæ Sudamina dicuntur, & cutim exulcerant, è miſtis proueniunt humoribus, aph. 21. ſect. 3. nimirum à ſudoribus, & bilioſis humoribus. Perniones fiunt à melancholico, pituitoſo, & ſeroſo humore miſtis. Epinyctides, ab Auicenna Eſcharæ dictæ, fiunt à miſtione ſanguinis, bilis, phlegmatis, tertia quarti, tract. 1. cap. 13. Myrmecia, Acrochordones, Thymion, Clauus, fiunt ab humoribus melancholicis, & pituitoſis. Phlyctænæ fiunt ex aquoſo, & flatuoſo humore miſto. Faui oriuntur à ſeroſis, craſſis, glutinoſis humoribus, cap. 8. lib. 1 per loc. Morbilli, Variolæ, Sarcoma, Polypus, Dracunculus, Talpa, Teſtudo, Condyloma, Parulis, Epulis, Leichen, Varus, Lentigo, Terminthus, Staphyloma, Grando, Hordeolum, Vnguis, Alphus, Mentagra, Reduuiæ, & ſi qui ſunt alij tumores, omnes ab humoribus miſtis oriuntur. *Tumores, quos materiam à prædictis diuerſam obtinere videntur.*

CAPVT IV.

DE CVRATIONE.

Tumorum Vniuersali.

Scopus curandorum tumorum.

CVRAM tumorum generalem proponit Galenus cap. 90. art. paruæ. Quia enim in tumore pars affecta est repleta, indicatur vacuatio materiæ replentis. Hæc autem vacuatio fit, si vel retro pellatur humor per repellentia, vel educatur per locum patientem, & hoc, aut sensibiliter scarificatione, & sectione, aut insensibiliter per discutientia. A causæ tamen ablatione curatio auspicanda.

Fluxio.

Vnde cap. 2. lib. 13. meth. in tumoribus à fluxione duplex proponitur indicatio, primùm inhibitio humoris affluentis, deinde euacuatio materiæ, quæ influxit. Fluxio igitur aufertur tribus instrumentis, repellentibus, reuellentibus, & intercipientibus. In vsu autem repellentium, septem casus à Galeno excipiuntur, in quibus repellere non licet. Primum, quando materia influit ad emunctoria, seu glandulas potissimum, quæ sunt post aures, iuque collo, cerebri excrementa susci pientes; item sub axillis, quæ cordis sunt emunctoria, denique in inguinibus, quæ iecoris dicuntur emunctoria. Non ergo ab his partibus ad partes principes materia est repellenda. cap. 2. libr. 3. per loc. Secundus casus est, cùm influit materia venenosa, vt carbone pestilenti, in bubone Gallico, loc. cit. Tertiò, cùm materia criticè fluit. com. aphor. 20. sect. 1. non enim moliri debemus motum contrarium naturæ bene operanti; imò si is naturæ motus non sit sufficiens, potius naturam iuuare, & ad partem affectam attrahere debemus. Quartò abstinebimus à repellentibus, quando fluxio excitatur in corpore cacochymo, aut plethorico, capite 2. lib. 3. per loc. Quintò, cùm pars, ad quam fluit materia, est nimis imbecilla, ne calor partis exiguus à repellentium frigiditate penitùs destruatur. cap. 6. lib. 13. meth. cap. 7. lib. 6. per loc. Sextò, quando dolor est vehemens; tunc enim potiùs dolor paregoricis leniendus, quàm repellentibus exasperandus, cap. 2. lib. 2. ad Glauc. Postremò, quando fluxio repit iuxta partem principem, quemadmodum in erysipelate in facie, aut in collo; non enim introrepellenda materia, ne efficiat phrenitidem, aut anginam, aut quid simile. Ad hos casus Guido tres alios adiungit, si fluxio fiat à causa primitiua; si materia sit impacta; & si materia sit crassa. Sententia tamen hæc mihi non satisfacit. Quantum enim ad causam primitiuam, seu externam; nos maximè deligimus repellentia; vt si puer in terram decidens partem contundat, statim cartam apponimus aqua rosacea, aut aqua frigida madefactam. Sic in vulneribus, contusionibus, & distorsionibus, statim vtimur posca, & aqua frigida, & oui albumine, aliisque repellentibus. Materiam verò impactam repellendam non esse Galenus ait cap. 6. lib. 13. meth. quia repelli nequit. Denique cùm ait materiam crassam non esse repellendam, respondeo materiam etiam crassam, dummodò moueatur, & fluit, posse etiam retrò propelli; imò quantò crassior est materia, tantò robustiora exigit repellentia; vnde Galenus cap. 16. lib. 13. meth. in achoribus bilio sis vtitur refrigerantibus; in pituitosis; vbi materia crassior fluit, astringentibus.

Quando repellentia non habeant locũ.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

Pars mittens.

Porro fluxio excitatur à parte mittente, vel recipiente. Mittens pars fluxionem non excitat, nisi irritata ab humoribus copiosis, vel acribus, & molestis: quod si humores sint naturales, & boni, vitium dicitur plethora; si contrà, cacochymia. Oportet ergo tollere plethoram per euacuationem, c. 7. lib. 13. meth. vnde conuenit venæ sectio, frequens balneum, exercitatio, frictio, inunctiones calidæ, & digerentes, inedia. Cacochymia autem purgatione vacuatur. Plethoræ, & cacochymiæ causæ proximæ interdum sunt res non naturales, nimirum causæ externæ, quæ, si morbum adhuc foueant, auferendæ, cap. 3 libr. 4. meth. nonnunquam tamen pethora, & cacochymia fiunt ab intempe-

rie ali

rie alicuius partis præcipuæ, iecoris, lienis, ventriculi, capitis, &c. quæ dyſcraſiæ corrigendæ.

Si fluxio excitetur à parte recipiente, hoc contingit, vel calore è motu, frictione, igne, aere calido, ſole, acri medicamento admoto, vbi indicantur refrigerantia; vel dolore, vbi cauſæ doloris auferendæ, aut ſaltem dolor leniendus per medicamenta anodyna. Hæc de tumoribus, qui à fluxione fiunt. *Pars recipiens.*

Quod ſi fiant à congeſtione, ob partis intemperiem, vel imbecillitatem, dyſcrafia erit corrigenda, & pars corroboranda. *Congeſtio.*

Si fiant tumores è partium decubitu, partes in locum naturalem impellendæ: Et, ſi cauſa decubitus fuit, aut dilatatio, aut ruptio ipſius meatus, oriuntur indicationes conſtringendi, vel vniendi. *Partium decubitus.*

CAPVT V.

DE PARTICVLARI VVLGO

Tumorum natura, & curatione: ac primùm quidem de Inflammatione.

HÆc de tumoribus generatim hactenus dicta ſunt, ea deinceps ſingulis accommodare ſpeciebus, ac differentijs animus eſt. Initium autem ab inflammatione faciemus, quia hæc frequentiſſimè accidit, & pluribus alijs morbis ſuperuenire conſueuit, nimirum contuſionibus, vulneribus, vlceribus, luxationibus, fracturis, &c. vt cap. 1. lib. 2. ad Glauc. & cap. 1. lib. 13. meth. docet Galen.

Antiqui omnem calorem naturæ modum excedentem appellabant inflammationem: & hanc faciebant duplicem: vnam ſiccam, citra materiæ influxum, ad quam, & febrem referebant: alteram humidam, cum fluxione materiæ, qua ſignificatione Galenus cap. 1. & 2. lib. 2. ad Glauc. omnes calidos tumores, vt eryſipelas, herpetem, &c. appellat inflammationes. Tertiò inflammatio dicitur, quæ tantùm fit à fluxione ſanguinea: de qua & nos, miſſis reliquis, agemus. *Significata nominis.*

Hæc autem duplex eſt: alia vera, ſeu legitima, alia illegitima. Vera appellatur, quæ fit à ſanguine bono, & mediocriter craſſo. Non vera, à ſanguine vitioſo, idque, aut in ſua ſubſtantia, aut per admiſtionem alterius humoris. Si ſanguis à natura ſua recedat per commutationem propriæ ſubſtantiæ, non poteſt fieri inflammatio; pars enim ſanguinis tenuior in flauam bilem, craſſior verò in atrā vertitur, cap. 9. lib. 2. de diff. feb. cap. 12. lib. 2. de criſ. vt hic aliæ fiant tumorum differentiæ. Si ſanguis à natura ſua recedat, per admiſtionem alterius humoris: tunc fit inflammatio, ſed non ſimpliciter, verùm cum additione miſti humoris; ſi enim bilis miſceatur, dicitur inflammatio eryſipelatoſa. Sola autem ea, quæ fit à bono, puroque ſanguine, ſimpliciter inflammatio dicitur: de qua iam agemus, ita tamen, vt etiam non verè curatio inde eluceſcat. Poteſt autem hæc inflammatio contigere in venis, neruis, ligamentis, membranis, &c. frequentius tamen in muſculis, qui natura calidiores ſunt, & ſanguinei, maioreſque venas obtinent. Porrò, ſi ſanguis hic bonus, quo phlegmon, ſeu phlegmone oritur, ſit ſubtilis, occupat cutim: ſi craſſus, vehementiùs infigitur in partes muſculoſas: ſi mediocris, medio ſe modo habet. Et quamuis hæc phlegmone etiam cerebri membranas, hepar, & pulmones infeſtare queat; nos tamen de ea tantùm, quæ in partibus eſt externis, agemus. *Differentia à materia, & ſubiecto.*

Fit ergo inflammatio, cùm materia copioſior ad aliquam partem accedit; ſanguis enim copioſior è copioſo potu, & cibo genitus irritat partes internas, vt inſurgant ad expellendum ſanguinem ſuperfluum, primùm ad vaſa maiora, deinde ad minora, & minima, donec tandem è venis quaſi expreſſus, ad ἀραιώματα, ſeu inania muſculorum ſpatia feratur. cap. 6. lib. de inæqu. intemp. cap. 95. art. med. cap. 2. lib. 14. meth. *Generatio inflammationis.*

Si-

Signa. Signa phlegmonẽs, id eſt, ſymptomata ipſi ſuperuenientia ſunt ſex, cap. 2. lib. 14. meth. com. 8 lib. 3, de fract. Calor, rubor, dolor, tenſio, retinentia, & pulſatio. Calor adeſt, quia, & ſanguis per ſe calidus eſt, & conſtipatus diffłari nequit, & putridus calorem præter naturam acquirit. Rubor è multo calore, oritur, refertque ſanguinis colorem. Dolor eſt, quia adeſt intemperies calida, & ſolutio continuitatis: dependens à materia diſtendente, comprimente, aggrauante, & vellicante neruoſas partes. Tenſio fit ob materiam infarctã, & conſtipatam. Quæ etiam cauſa eſt renitentiæ. Pulſatio non ſemper adeſt inflammationi, ſed quando inflammatio incrementum ſuſcipit, & ad ſuppurationem peruenit. cap. 1. li. 13. meth. Hæc pulſatio eſt motus arteriarum partis affectæ: & non ſentitur à ſanis corporibus, quoniam vt arteriæ dilatari queant, multa circum ſunt inania ſpatiola; hæc verò ſpatia ſi repleantur, tunc pulſantes arteriæ percipiuntur.

Cauſa. Cauſa inflammationis eſt ſanguis, qui influxit, & infixus eſt ipſi membro. Fluxionis cauſa eſt pars mittens, & pars recipiens: Pars mittens ſanguinem propulſat, quia ab eius copia irritatur. Cauſæ autem copiæ, ſeu plethoræ, ſunt externæ, maximè nimius cibus, & potus; item motus, fundendo ſanguinem; & quies, prohibendo euacuationes, ſanguinem cumulant: ſic ſomnus, & vigilia: ſic quæ excernuntur, & ſubſiſtunt: tandem animi affectiones, vt ira, quæ ſanguinem attenuat, & fundit. Pars recipiens attrahit fluxionem, vel præ imbecillitate recipit. Cauſa tractionis eſt calor, vel dolor. Doloris cauſa eſt intemperies, vel ſolutio continui. Intemperies modò extrinſecùs aduenit ex aëre, vel medicamento calidiore, è motu, è morſu animalium venenatorum, &c. modò intrinſecùs è plethora, quæ fit à cauſis externis, vt dictum eſt. Solvitur continuum, vel à cauſa externa, vt à vulnere, diſtorſione, contuſione, &c. vel ab interna, id eſt, à redundantia ſanguinis, quę diſtendendo, dolorem facit. Calor enim in parte recipiente excitatur, vel propter immodicum motum, vel ob calorem Solis, aut ignis, aut ob acre medicamentum. De his cauſis vide cap. 3. & 6. lib. 13. meth.

Prognoſticum Inflammationes in partibus externis ſalubres ſunt, niſi ſint admodum magnæ, in quibus calore natiuo exſtincto, temperies partis deſtruitur, & in gangrenam, ſphacelumq; migrat. Quæ oritur in iuuene, æſtiuo tempore, in parte calida, & rara, in corpore non plethorico, citiùs curatur: & contrà ſi oppoſita.

Tempora in inflammationis Curatur inflammatio per ſua tempora, quorum quatuor ſunt. Principium, dum ſanguis adhuc influit. Augmentum, dum ſanguis, qui influxit, redditur calidior, & alteratur per putredinem, quoniam extra propria vaſa conſiſtit; vnde propter calorem ſequitur fuſio ſanguinis, ſpirituſque generatur, qui partem inflammatam magis adauget, etiamſi nihil amplius influat. Status eſt, dum ſanguis in pus vertitur, & maximi oriuntur dolores. Declinatio, quando materia cocta, & in pus verſa digeritur, reſoluitur, ac tumor imminuitur. com. 3 lib. 1. de hum. cap. 3. lib. de tot. morb. temp.

Indicationes. Sicut ergo morbi tempora pro ratione ſanguinis diſtinguuntur, ita etiam indicationes curandi phlegmonem à ſanguine ſumuntur. Primùm ergo quatenus ſanguis copioſior in corpore generatur, prohibenda eſt hæc generatio per remotionem cauſarum, quæ ſuperfluum ſanguinem gignere poſſunt. Secundò, quatenus generatus eſt ſanguis, nondum tamen mouetur, præcauendum eſt, ne moueatur: id, quod fit, ſi partis mittentis irritatio tollatur, nimirum plethora: deinde, ſi partis recipientis calor refrigeretur, dolorque leniatur, ne attrahat. poſtremò, ſi ad motum ſanguis ineptus reddatur, refrigerando, incraſſando, conceptacula conſtringendo, vehic, vlum ſeroſum auferendo. Tertiò, quatenus ſanguis iam mouetur, & fluit, cauendum, ne ad partem affectam perueniat: id, quod fit reuulſorijs, deſeriuis, & repellentibus.

Tandem, quatenus ſanguis influxit, euacuandus eſt à parte affecta: id, quod fit digerentibus, repellentibus, & ſcarificatione, ſeu ſectione.

De curationis parte priore, quæ cauſſæ potiſsimùm antecedenti debetur.

PROPOSITIS hiſce ſcopis ſatisfacere poſſumus tribus inſtrumentis; nimirum Diæta, Chirurgia, & Pharmaceia.

Diæta prohibet ſanguinis ſuperflui generationem, genitum minuit, ineptumque ad fluendum reddit. Proinde diæta erit tenuis, quæ ægri ſaltem vires ſuſtineat: vbi tamen perpendere oportet inflammationis magnitudinem, uitæ genus, conſuetudinem, ætatem, anni tempus. Si igitur patiens ſit debilis & ruſticus, conueniet panis in iure coctus, aut vituli, aut pulli: item oua, pedes vitulorum & caſtratorum, item emque capita, ptiſſana hordeacea, & oriza: potus erit ius macrum, ſiue longum, aqua hordei. Si patiens ſit debilis & vrbanus, conueniet ptiſana hordeacea, cum pulli contuſo: potus erit aqua ſtillatitia è pullo iuueni. In alijs autem caſibus cibum oportet eſſe tenuem; abſtinereque oportet ægrotantem à vino, à carnibus, ab ouis, ab omnibus unctuoſis & pinguibus, quæ copioſum generant ſanguinem. Sic ergo cibus ſua quantitate duobus ſcopis ſatisfacit: ſanguinis enim generationem prohibet; & iam genitum, per accidens tamen, minuit. Qualitate verò prohibet, ne ſanguis genitus moueatur & influat, dum eum ineptum ad motum reddit. Erit igitur victus primùm refrigerans & incraſſans: deinde uaſa conſtringens: tertiò vrinam mouens, ſeu vehiculum ſanguini detrahens, vnde ad fluendum ſegnis redditur. Si ergo inflammatio ſit magna, quam plerumque febris comitatur, ætate, in iuuene non obeſo, ſed latas venas habente, conueniet panis in latas & tenues portiones diſſectus, igni aliquantiſper admotus, ita vt uim ignis perſentiat, deinde in aqua frigidiſſima maceratus, cui modicum aceti ſit admiſtum: inſpergi poteſt aliquid ſacchari, ad ægri lubitum. Potus erit aqua cocta ſimplex, aqua cichorij ſtillatitia, aut endiuiæ, ſonchi, lactucæ. Si latæ ſint uenæ, conuenit panatella, in iure, cui plurima grana vuæ acerbæ, aut vuæ creſpinæ incoquantur, uel etiam ribes: potus erit uinum granatorum, aqua temperatum: uel aqua & acetum miſta; uel aqua, acetum, & iulep roſatum miſta: poſt cibum exhibeatur ſaccharum roſatum, conſerua cydoniorum, mala cydonia cocta. Num autem æger multo redundet ſero, ſeu ſanguinis uehiculo, cognoſcitur inde, quod ſolitus eſt pati pruritum, aut puſtulas, modice mingit, ac plurimum bibit; item oculis id apparet in emiſſo ſanguine, ſeroſo exiſtente: tunc enim dabitur panatella è ſeminibus melonum: uel è pane, cum emulſione ſeminum melonum, item cucurbitæ: potus erit aqua, cui incocta ſit radix petroſelini. Quantum ad reliquas res non naturales: aer erit frigidus. Fugiatur motus, qui ſanguinem fundit: ſomnus ſit moderatus, vigiliæ enim immodicæ ſanguinis motum excitant: aluus ſit facilis: ira uitetur, præcipuè ubi febris comitatur.

1. *Dieta, eiuſque quantitas.*

Qualitas diæta.

Reliquæ res non naturales.

Sequitur manuaria operatio. Venæ ſectio ergo prohibet, ſanguinem genitum ſuperfluum moueri, & fluere; ipſum tum minuendo, tum refrigerando: nunquam ergo hæc, ſi modò uires permittunt, omittenda. Si igitur inflammatio eſt magna, patiens iuuenis, robuſtus, ſanguine abundans, tempus uernum; educenda eſt ſanguinis libra; uel ſeſquilibra, etiam ad animi deliquium. comm. aphor. 26. ſect. 1. nam ubi magna eſt inflammatio, certè & febris adeſt magna, & dolor affligit uehemens, quæ omnia magnam euacuationem poſtulant. Si phlegmone magna, patiens autem non ita robuſtus: tum emittendæ ſaltem unc. vij. aut unc. viij. uel miſſio ſanguinis in duas uices partienda.

2. *Chirurgia. Vena ſectio pacuatoria.*

Si uires non permittant ſectionem uenarum maiorum, aperiatur ſaluatella, è qua uires minus debilitantur: uel applicentur cucurbitulæ ſcarificatæ. Interdum quoque alijs modis ſanguinem vacuamus, ut ſi phlegmone ſequatur ſuppreſſionem alicuius conſuetæ uacuationis: uerbi gratia, ſi patiens ſit ſolitus ſanguinem euacuare per

hæmorrhoides, hæque obſtructæ ſint; hirudinibus ſanguis mittendus eſt. Item ſi è naribus ſanguis effluere ſolitus, non effluxerit, & hac ratione oborta ſit inflammatio, nariũ venæ aperiendæ ſunt; primùm quidem, facto fomento exteriùs è rebus calefacientibus, & attrahentibus, vt è decocto maluæ, anethi, pulegij, mox intus irritatis naribus, aut aparine, aut folio fici, aut cortice illius piſcis, qui vulgo raia vocatur, aut alterius aſperioris corporis. Similiter, ſi mulieri menſes ſint obſtructi, erunt reſerandi. Sic ergo venæ ſectio cauet, ne ſanguis genitus fluat.

Reuulſoria vena ſectio.

Eadem verò etiam prohibere poteſt, ne ſanguis iam fluens perueniat ad partes affectas, ſi nimirum ſanguis euacuetur è loco parti affectæ contrario. ſic enim reuellendo retrahitur, ratione vacui. In contrarietate autem hac definienda, corpus eſt in duas ſecandum partes, in iecur, & renes, cap. 3. lib. 13. meth. & in lib. de curatione per ſang. miſ. Si enim fluxio ad hepar præcipitat, vena cubiti tundenda. Si partes, quæ in ore ſunt, afficiuntur, incidenda humeralis, aut media. Vbi iecur, pectus, vel pulmo laborant, iecoraria ſecanda. In angina, venæ manus aperientur. Occipitio affecto, tum vena cubiti, tum quæ in fronte eſt. Talis ergo oppoſitio eſt in ſuperiori corporis parte. Renibus autem, veſica, pudendo, vtero fluxione vexatis; incidendæ ſunt venæ, quæ circa poplitem ſunt, aut malleolos. Hæc tamen regula de ſeruanda oppoſitione in ſuperiore, & inferiore corporis parte, admittit exceptionem in ipſis artubus, in quibus vel à coniugibus facienda eſt reuulſio; vel à ſuperioribus, ſi ima; aut inferioribus, ſi ſumma afficiantur, quemadmodum notauit Galenus cap. 2. lib. 2. ad Glauc. in iuuene genu affectum habente, cui ſecuit venam brachij. Sic. Hippocrates, vtero laborante, ſeu obſtructo, mittebat ſanguinem interdum è ſuperiori, interdum ex inferiori corporis portione. Dubitatur autem quæ ſit ratio, quòd in oppoſitionibus congruis faciendis, corpus biſecandum ſit in iecur & renes? & cur pede affecto non ſecetur vena frontis? Equidem quòd ſentio dicam. Si ſanguis qui mittitur, debet retrahere ſanguinem qui influit ad partem affectam; neceſſe eſt, vt motus qui ſubinde ac ſubinde fit in ſanguine euacuato, perueniat ad motum ipſius ſanguinis, qui ad partem influit: dum enim detrahitur ſanguis, ſemper alius vicinus mouetur, donec tandem hic motus pertingat ad illum ſanguinem, qui influit ad partem affectam. Id quod non ſuccederet, ſi pede inflammato, frontis vena ſecaretur; niſi enim lib. x. aut xij. ſanguinis detraherentur, non poſſet vnus motus ad alterum pertingere. Sed ſi totum corpus biſecetur, facilè vtrique motus ſeſe inuicem contingere queunt.

Quare cauſa in contrarietate reuul. ſoria, corpus biſecetur.

Alia præſidia reuulſoria.

Ad materias Chirurgicas etiam pertinent cucurbitulæ ſcarificatæ & ſiccæ: item exercitatio, frictio, vincula ſeu ligaturæ: in quibus ipſis quoque conditio reuulſionis ſeruãda, vt fiant in locis contrarijs: verbi gratia: cui crura laborant phlegmone, is non pedes, ſed manus exercebit, item manus fricabit, primum calido linteo, deinde manibus inunctis oleo liliaceo, vulpino, nardino, coſtino, cap. 6. lib. 13. met. cap. 2. lib. 2. de tuenda ſan. Frictio autem ſemper debet inchoari ab extremitatibus aut crurum, aut brachiorum, donec ſenſim deueniatur ad ſummum humerum, & femoris principium: quo facto, rurſus incipienda frictio eſt à ſummo humero, & femoris principio, & in extremitatibus eſt finienda; Per primam frictionem humores mouentur, per ſecundam deorſum trahuntur & impelluntur. Ligatura incipienda eſt in ſummitate partis, ad quam reuellendum eſt: verbi gratia, ſi ad brachium; primò ligandum eſt brachium ad ſummum humerum, deinde ad cubitum, vltimo loco ad carpum: ita in crure, primò in ſummitate femoris, deinde ad genu, tertiò ad malleolos. Ligatura autem dolor eſt excitandus, & tandiu pars ſtricta tenenda, ne reliqua pars mortificetur: proinde ſenſim & ligare partem, & reſoluere ſolemus.

Medicamenta trium ſunt generum; alia prohibent ſanguinem ſuperfluum genitum moueri, & influere ad partem affectam: alia prohibent ſanguinem influentem, ad partem affectam peruenire: alia denique euacuant ſanguinem iam influxum, qui iam in tumorem attollit partem.

3. Pharmaccia.

De

De primis primò dicendum, quia magis respiciunt totius corporis euacuationem, quæ antecedere debet curationem partis affectæ. Sed dubitatur; nam purgantia auferunt cacochymiam, cap. 6. lib. 13. meth. Ergo non possunt sanguinis redundantiam tollere. Responsio. Licet purgantia in hoc casu aliena sint; conueniunt tamen lenientia & præparantia; nisi enim corpus ab excrementis fæcalibus liberum redderetur; hæc subsisterent, & calidiora redderentur, ipsumq; sanguinem ad fluxum aptum facerent. *Sanguinem alterantia, & eius cacochymiam eximêtia.*

Quare in inflammatione probantur medicamenta lenientia, & ea potius frigida, quàm calida, vt sunt cassiæ flores, tamarindi, electuarium de sebesten, syrupus è multiplici rosarum incarnatarum, vulgò damascenarum infusione. Formulæ hunc ad modum in rem præsentem à Medico præscribi possunt: R. flor. cassiæ recens è cannis extract. vnc. j. pulpæ tamarind. vnc. sem. Misc. & cum saccharo fiat bolus, hora ante prandium assumendus. Si potio magis arrideat: R. syr. ros. laxatiu. vnc. iv. vel vnc. v. decocti tamarind. quantum in vicem satis est: Misc. & fiat haustus, qui æstate potissimùm, horis ante pastum quatuor, propinabitur. Hyeme talis conueniet: R. mellis rosar. solutiui vnc. iv. vel vnc. v. decocti florum, & fructuum cordial. q. s. Misc. & paretur haustus. Hisce lenientibus aluus blandè exoneratur, viaque paratur, vt facilior syruporum ad hepar sit distributio. *Lenientia.*

Lenita aluo, decocta, & syrupi exhibeantur, quibus refrigerandi insit facultas. Etsi enim non minuant sanguinem; vlus tamen eorum est per necessarius. Si namque febris comitatur phlegmonem: patet huius incendium frigidis temperandum esse. Quod si febris non est iuncta; requiruntur tamen syrupi modò dicti, ratione partis mandantis, nimirum obiecur calidius, quod refrigerandum est, & calidorum humorum generatio prohibenda. Rarum valde est cum qui inflammatione corriptur, ab vtroque, febre dico, & hepate calidiore, immunem esse. Nihilominus, si id eueniat, apozemata, & serapia refrigerantia negligi non debent, ratione sanguinis influxuri: hunc enim ad fluendum ineptum reddunt, calidum refrigerando, tenuemque, & mobilem incrassando; vias constringendo; vehiculum, quod fluxilem reddit sanguinem, auferendo. Primùm ergo refrigerantes sint syrupi, ad sanguinem, & humores genitos refrigerandum: quales sunt, de cichorio, de soncho, portulaca, papanere, cum decocto lactucæ, & hordei, vel similium simpliciter refrigerantium. Deinde astringentes sint syrupi, sed modicè, ne accidat, quod Medico cuidam non indocto olim euenisse memini; cùm enim syrupum myrtinum exhibuisset, æger in icterum incidit ex obstructione, quia valde obesus erat, venasque angustas habebat. Si ergo patienti venæ latæ sint, syr. myrtinus prodest, item syr. granatorum, rob de ribibus: cum decocto hypocistidos, & malicorij, quæ valenter astringunt. Si contrà angustæ sint venæ, moderata erunt astringentia, vt est syr. rosarum recens, infusum rosarum, decoctam plantaginis, rubi, pilosellæ. *Alterantia eorumqi necessitas.* *Vires alterantium quales hic requirantur.*

Tertiò, syrupi erunt vrinam cientes: primùm propter febrem, ne huius calore, tenues, ac serosi humores calefiant: deinde, quia serosi humores vehiculum sunt reliquorum humorum, qui inflammationem faciunt. Huiusmodi esse possunt vel frigida, vt syr. capill. Ven. decoctum polytrichi: vel certè non admodum calida, ut syr. de betonica, decoctum apij, radicis petroselini, &c.

Quantum autem refrigerare, & astringere oporteat, inuenire poterimus ex inflammationum magnitudine, tempore anni, consideratione ætatis, uenarum, febris, & aliorum, tum præter, tum secundùm naturam. Verbi gratia: in magna inflammatione, ubi fluxionis maior est metus, tempore æstiuo, in iuuene, cum uenis amplis, & cum febre, conuenient ea, quæ uehementer refrigerant, & astringunt. Vt: R. syr. myrtini, capill. Ven. & de portulaca, cuiusque semunciam; decocti lactucæ, malicorij, capillorum Veneris, uncias quatuor. Misc. Si uero indicationes his sint oppositæ, ita vt phlegmone magna non sit, febris aut nulla aut exigua, tempus hyemis, uenæ angustæ, redundantia humoris serosi in uenis: proderunt, quæ mitissimè refrigerant, & astringuat, plurimùm autem urinam mouent: Vt: R. syr. rosati recent. de betonica, & de cicor. simpl. ana unc. sem. decocti plantaginis, sonchi, radicis petroselini unc. iv. Mis. Si de- *Ordines, seu gradus alterantium.*

nique pugnent indicationes, vt magna exsistat phlegmone, æger sit obesus, & venas habeat angustas, febris adsit alicuius momenti, tempus hibernum: oportet miscere valentia cum mitioribus. Vt: R. syru. infus. rosarum, de papauere, & de betonica, ana vnciam semis decocti hordei, cichorij, polytrichi, pilosellæ, vnc. iiij. Misc. Interdum vice syruporum vtimur iusculis, in quibus decocta sunt prædicta medicamenta: vel quia ægro syrupi sunt ingrati, & ab ijs stomachus offenditur: vel quia oportet vitare dulcia, si bilis sit copiosa, si lumbrici in intestinis generentur: vel quia corpus debile, aut emaciatum, quod tum alterandū, tum nutriendum: vel quia ægri sumptibus parcendum.

Iusculasyruporum vicaria.

Purgantia.

His ita administratis, nihil prohibet medicamentum purgans propinare. Licet enim inflammatio, cuius in præsentia curationem describimus, à puro fiat sanguine: vix tamen corpus, ac ne vix quidem, cacochymiæ omnino expers esse potest: taceo, quod phlegmone non exquisita, cuius non syncerus est sanguis, sed aliorum quoque humorum particeps, multò exquisita sit frequentior: ideoque vt plurimum medicamenta purgantia exhibebentur.

Aliorum medicamentorū genus. Reuellentia.

Sequuntur medicamenta, quæ sanguinem iam fluentem, ad affectum locum peruenire prohibent: vt sunt, Reuulsoria, Intercipientia, & Repellentia.

Reuellentia in partibus contrarijs administrantur: & omnia facultate sunt calida, atque attrahentia. Inter hæc à Galeno cap. 6. lib. 13. meth. recensetur balneum factum in parte contraria, quod quidem calidum esse debet, seu digerens, vt Galenus ait: cuiusmodi est aqua, non simplex, sed sulphurea, nitrosa, salsa, bituminosa; quales solent esse, aut sponte scaturientes, vt sunt thermæ Aponitanæ, in agro Patauino; aut arte factæ, vt sunt aquæ, in quibus incoquuntur saluia, chamæmelum, calamintha, hyssopus, nepita, pulegium, daucus, thapsia, anisum, anethum, thymus, peucedanum, serpillum, & alia calida. Ad hunc vsum etiam confert vinum potens, lixiuium, nitrum, sal. Et hæc vna est materia medicamenti reuulsorij. Alia verò (quam loco cit. tangit Galenus) est inunctio, ex olei calefacientibus, nimirum chamæmelino, vlupino, anethino, nardino, costino, de euphorbio, de castorio; item ex adipe anserino, gallinaceo, anatis, taurino, vrsino, leonino. Monet autem Galenus cap. 2. lib. de tuend. san primùm balneo, deinde frictionibus, manibus oleo inunctis, vtendum esse. Quodsi intentio sit validioribus adhuc vti reuulsorijs, quia inflammatio magna sit, fluxus præceps, & vehemens; possumus parti extremæ aquam vitæ administrare, vt puta inunctis manibus aqua vitæ, & contraria parte perfricata: possumus etiam aquam feruentem contrariæ parti admouere; solemus enim madefacere linteum in aqua feruente, & admouere parti oppositæ, quæ statim rubra euadit, eò quod non modò calor, verùm etiam dolor sanguinem attrahit. Vnde præsidium in hoc casu præsentissimum, & maximum est lixiuium fullonum confectum è cinere, & calce viua: quo si opposita pars illinatur, non modò calore, & dolore reuellit, sed etiam veficulas excitando vi vacui retrahit influentem sanguinem. Interdum, propter præcipitem & vehementem fluxionem, ascendendū est ad sinapismos & dropaces: nostris temporibus hæc medicamenta, quia veficulas excitant, vesicatoria dicuntur. Sunt autem ex horum censu, sinapi, adarces, pyrethrum, euphorbium, veratrum album, piper, sulphur viuum, staphisagria, nasturtium, lepidium, fimus columbinus, & caprinus, scilla trita, lac tithymali, & ficulneū, aconitum, thapsia, pulegium, cantharides, vrtica, dracontium, flammula Iouis, ranunculus, &c. Dropax fit è quarta, vel quinta parte olei, & pice similiter: & his additur decuplum, aut plus piperis, pyrethri, euphorbij, & cæt. Hæc est forma dropacis, qui sine cera conficitur. Sinapismas autem, aduersus fluxiones inueteratas ita paratur, secundum Paullum, cap. 19. lib. 7. Ficus siccatæ, seu caricæ, vna die in aqua tepida macerantur, deinde sequenti die exprimuntur, & lenganturimox acre sinapi cuiusmodi est Syriacum, & Aegyptium contusum imponitur, & demum diluto caricarum proposito affuso, conficitur massa, & fit sinapismus: quem si vehementem volumus, partes duas sinapis, & vnam ficuum temperamus: sin imbecillem, contrarium facimus: si mediocrem, æquales miscemus portiones. Sed nos passim solemus vti, aut puluere cantharidum, aut facta massa è cantharidibus, hoc modo: R cantharidum præparatarum dram. j. seminis

sinapi

ſinapi ſcr. j. fermenti onc. ſemis, aceti ſcillitici q. ſ. ad fingendum veſicatorium Optimum & valentiſſimum erit, ſi flammula Iouis viridis contuſa, apponatur parti extremæ. Et hæc ſunt reuulſoria, quæ retrahunt ſanguinem ad affectam partem influentem.

Quantum verò ad ea medicamenta attinet, quæ ſanguinem influentem intercipiunt, & quaſi in itinere detinent; ea vulgò Defenſiua dicuntur, & facultate ſunt frigida, ſicca, terrena, id eſt, aſtringentia, ideoque vaſa conſtringendo, prohibent ſanguinem vlterius fluere. Defenſiua pronuntur, non in partibus contrarijs, ſed ad vaſa intermedia, prope locum affectum: & in locis excarnibus, in quibus vaſa ſunt euidentia, vt in articulis, vel ſupra articulos, nam in his locis muſculi carnoſi degenerant in tendines, & ita vaſa carne non obducuntur, ſed ſtatim ſub cute apparent. Itaque ſi inflammatio conſiſtat in pede, ſupra malleolos; ſi in tibia, ſupra genu, ſi in coxa, ad inguina, defenſiuum apponitur: Ita, ſi in ſumma manu, ad carpum, ſi inter carpum & cubitum, ſupra cubitum; ſi in humero ſit inflammatio, ad ſummum humerum, potiſſimumque ſub axillis, qua parte excurrunt vaſa. Porrò defenſiua non eiuſdem omnia ſunt generis: Alia enim mitiora ſunt, vt aqua plantaginis, roſarum, ſuccus rubi, vinum nigrum auſterum, vnguentum officinarum, cuius mox fiet mentio, &c. alia valentiora, vt hypociſtis, balauſtium, ſanguis Draconis, omphacium, ſuccus granatorum, & cydoniorum, &c. Validis hiſce vtendum, ſi patiens ſit adultus; corporis habitus durior; ſi venæ latæ; æſtate potiſſimùm, quo tempore omnia dilatantur; ſi denique magna phlegmone, id eſt, ſi præceps ſit ſanguinis affluentis impetus. At contrarijs indicationibus præſidia quoque contraria opponenda. Conſiſtentiæ etiam, ſeu formæ eſt differentia: nam alia liquidiora ſunt; ſolidiora alia. liquida, ſucci, decocta, aquæ ſtillatitiæ, veluti ſuccus granatorū, cydoniorum, hypociſtidis, omphacium: decoctum ſantalorum: aqua plantaginis, roſarum, rubi, acetum. His imbuta lintea articuli imponuntur, actu frigida, & præſertim æſtate; quæ etiam frequenter immutari debent. Compacta magis forma è puluerib⁹ fit, & liquidis ſimul miſtis. In officinis enim commune quoddam defenſiuum ad vſum parari ſolet, è boli Armenæ, & ſanguinis Draconis cuiuſque ſelibra, ceræ citrinæ vncijs decem, olei roſ. omphacini tribus libris, & aceti è vino albo acerrimi vncijs tribus. Ego tamen intercipientia ſine oleis & cera componi malo. Nam licet oleum roſ. omphacinum, & myrtinum, refrigerēt & aſtringant, pingui tamen & vnctuoſa ſua natura partem quoque ipſam remolliunt, & ſi diutius adhæreant, etiam calefaciunt. Poſſet ergo hoc, vel ſimile præſcribi aſtringens valētiſſimum: R. boli Armenæ, ſanguinis drac. myrtillorum, balauſt. malicorij æquas ſingulorum partes: oui candido, &, ad penetrationē reliquorum, etiam aceti modicè, ſubige. Aliquando vinum nigrum auſterum miſceri poteſt, dum ad mellis redeat formam. Et hoc medicamento vel articulus oblinitur (mox enim exſiccatur, & adhæret: quemadmodum in equorum etiam cruribus fieri cernimus, quibus ad influentes humores intercipiendum, litus conuenientes adhibentur) vel id linteo inducitur, quo circumcirca obuoluitur articulus rara quidem, non multiplici circumuolutione, ne pars incaleſcat: quæ & ipſa, ob eandem cauſam, ſæpius innouandt eſt. Sed non eſt hic ſilentio inuoluendus quorundam pernicioſus error, qui faſcia partem ſupra articulum conſtringunt, vt ceu vinculo vaſa cohibeantur, ac ſtrangulentur: ſicq; detineri poſſe humores autumant: cum tamen ratione ſtricturæ potius attrahantur. Hinc ſæpe vidi accerſitam eſſe gangrænam in parte affecta, aut ſaltem maximam inflammationem, & ingentem humorum affluxum ad partem ligatura conſtrictam. Vinculum quippe materia eſt reuulſoria; non intercipiens. *Defenſiua.*

Repellentia, de quibus dicendum reſtat, ſanguinem influentem alio propellendo, prohibent eum ad inflammatam partem peruenire. Sunt autem frigida, & vel humida & aquea, vel ſicca, & aſtringentia. Sed quoniam de repellentibus mox infra dicemus, ſatis erit in præſentia duo, aut tria medicamenta proponere, quæ influentem ſanguinem retrò repellunt. Vnum eſt Galeni c. 2. lib. 2. ad Glauc. quod oxycratū appellatur, factum ex aceto, & aqua. Præterea ibidem aliud ad cataplaſmatis formam componitur, factum è ſucco portulacæ, ſempertiui, & vmbilici Veneris, cum tanta farina hordei, quanta ſatis ſit ad cataplaſmatis formam conficiendam. Tertium conficere poſſumus ad cerati formam: Seminis *Repellentia.*

pſyllij

psyllij vnc. iiij in lib. iiij. aquæ macerentur, & percoquantur, & expresso succo addantur olei lib. j. ceræ lib. sem. fiat ceratum. Repellens autem, quatenus intercipit, non imponendum est parti affectæ, sed in partibus circumstantibus, & maximè vnde sanguis influit. Verùm paulo post ipsi etiam parti affectæ applicari posse reppellentia docebimus.

De posteriore curationis parte, quæ coniunctam, seu proximam respicit causam.

Tertium Medicamentorum genus.

HACTENVS dicta pugnauimus aduersùs generationem sanguinis: chirurgia verò & pharmaceia pugnauimus aduersus sanguinem superfluum genitum, ne moueatur: præterea etiam satisfecimus scopo consequenti, qui erat, sanguinem iam fluentem prohibere, ne ad affectam partem perueniat. Deinceps tradendum, quibus præsidiorum materijs occurrendum sit parti inflammatæ. Pars ergo inflammata dupliciter recedit à naturali statu: primum quia plus iusto est repleta; deinde quia calidior. c. 8. lib. 13. meth. c. 5. lib. 3. de temp. 95. art. med. Repletio indicat euacuationem. Calor autem præter naturam indicat refrigerationem. In arte medica de refrigeratione Galenus nihil dicit: quia sublata causas caliditatis, nimirum sanguine feruente, per vacuationem, sponte sequitur refrigeratio, cessatque caliditas, vt c. 5 l 2. de temp. dicitur. Vacuatur autem pars duobus modis, vel si retrò regeratur humor, vel si per patientem locum euacuetur Regeritur repellentibus: per locum affectum euacuatur sanguis influxus, vel sensibiliter, scarificatione, & sectione, vel insensibiliter, id est, in vaporem attenuatus, per digerentia. Scarificatio non omni conuenit inflammationi, sed ei tantùm, quæ ad suppurationem venit: neque etiam conuenit omni inflammationi suppuratæ, sed ei, quæ non potest diaphoreticis euacuari medicamentis, ob puris copiam, qua medicamentorum vis obruitur. Quare materiæ præsidiorum, quæ perpetuò in omni inflammatione locum habent, sunt Repellentia, & Digerentia, quæ Galenus sola cap. 8. lib. 13. meth. proponit.

Remedia topica seu localia.

De curatione phlegmones in principio.

CVM Repellens frigidum sit, & sanguinem à se propulset; Dirigens verò calidum, & sanguinem attrahat, attenuet, & in vaporem vertat: patet non indifferenter his esse vtendum. Tempora igitur inflammationis distinguenda sunt, è cap. 4. lib. de temp. morb. Principium est, quousque pars inflammata fluente impletur sanguine. Augmentum, quando influxus cessauit, & pars affecta magis, quàm antea adaugetur. Vigor, seu status est, cum pus conficitur, & dolores maximi hominem corripiunt. Declinatio est, cum omnia minuuntur, decrescunt, & materra euacuatur.

Tempora phlegmones.

Num in principio paris repellentibus vtendum.

Quantum ergo ad principium, num solis Repellentibus, an verò etiam Digerentibus sit opus, diuersimodè sentire Galenus uidetur. Nam cap. 1. lib. 6. ait, per loc. ait, in principio phlegmones conuenire Repellentia, nec bonum esse in principio Discussoria his admiscere: id, quod etiam statuit c. 10. l. 3. simpl. c. 17. l. 3 simp. c. 16. l. 13. meth. c. 3. l. 14 meth. Contra uero alibi docet, in principijs inflammationum miscenda esse simul Repellentia & Discutientia. c 16. l. 13. meth. c. 4. l. 1. per gen. cap. 6. l. 13. meth. Responsio. Morborum tempora licet inter se diuersa sint, non tamen ita mutuò sciunguntur, ut interuallo quodam à se distent; sed alterum tempus alterum uidetur excipere, & proinde alterius etiam naturam participare: id quod potissimum contingit, quando principium inflammationis est aliquo usque progressum, & iamiam augmentum instat; tunc enim principium sapit naturam augmenti, eo modo, quo finis ueris naturam induit æstatis.

Responsio. de sumpta à loco, sedente humoris influxu: & a partibus principij, priore, ac posteriore.

Cum igitur sanguis non confertim, & simul influat ad partem affectam, sed sensim, & sensim; uerisimile est, sanguinem illum, qui priore loco affluxit, priùs etiam à natura & calore natiuo ipsius partis agitari, & mutari Quod si ergo sanguis adhuc contiuetur in minimis uasis, euacuari debet secundùm Galenum per repellentia: ubi autem consistit extra

vasa,

vasa, vel in spatijs, vel in porositatibus partium similarium, tunc digerentibus euacuari debet. Verisimile autem est in principio phlegmones,& præcipuè in primo impetu,totũ fermè sanguinem adhuc contineri in minimis vasis : vbi autem principium progressum est, & nihilominus sanguis fluit, credendum est portionem sanguinis multam impulsam fuisse ab eo qui fluit, & extra vasa excidisse, atque ita indigere & repellente & digerente : vt scilicet & repellatur sanguis,qui in vasis continetur,& discutiatur,qui e vasis excidit.Sic ergo Galenus puris repellentibus vtitur in principio phlegmones: mistis verò in principio quod naturam augmenti sapit, sanguine scilicet partim in vasis exsistente, partim e vasis effuso. Est & alia ratio, ob quam interdum puris repellentibus, interdum mistis in principio vtimur,è c.6.l.13.meth. c.95. art.med. Quando enim sanguis qui influit tenuior est ; tunc puris vtimur repellentibus : cum crassior, mistis. *Alia ratio, e qualitate humoris.*

Sed dicat quis : cur in principio,etiam exsistente sanguine in minimis venis, non possumus ipsum euacuare per partem affectam insensibiliter, per digerentia ipsum attrahendo extra venas, deinde attenuando, & in halitum vertendo; dimissis è toto repellentibus? Respondet Galenus, nos in principio inflammationis, magis repellentia medicamenta, quàm digerentia vsurpare debere, propter tres rationes. Prima affertur c.16.l.13.meth. nam in principijs parum est, quod influit, & maxima è parte tenuis ; & partis recipientis virtus nonnunquam valentior ; vtpote nondum lassata;& tandem,quod in afflicta parte cõtinetur, nondum violenter est impactum. Notandum autem, quod dicit, virtutem expultricem, in principio nondum lassatam esse copia ipsius sanguinis, sed valentiorem esse ideoque transmittere posse sanguinem ad alias partes, potissimùm cum adiuuatur à repellente imposito medicamento. Et hoc est,quod dicit Galenus cap. illo aureo 95. artis med. quod vasa è medicamento repellente, seu astringente,vigore addito,a se ad alias transmittant. Sic ergo repercutiens sua natura frigida, impellit sanguinem influxum ad alias partes : & expultrici vasorum vigorem addit, vt vasa ad alias partes transmittant partes item vicinæ loco inflammato, si vel missione sanguinis, vel dieta exinaniræ sint facilè ad se attrahunt, quæcunque repercutiuntur à medicamento repellente. Altera ratio,cur in principio magis vtendum repellentibus,proponitur cap.95.art.med.quia per repellentia expeditior fit vacuatio,scilicet per vias maiores & magis expeditas : repellens enim primò propulsat sanguinem à vasis minimis ad maiora & ab his ad alia adhuc maiora : at contrà vacuatio per digerentia semper fit per vias angustiores, quia sanguis primò attrahitur è vasis extra vasa, in spatia vacua angustiora:deinde attrahitur ad porositates partis,quæ adhuc sunt angustiores : vltimo attrahitur ad cutem,cæteris densiorem. Expeditior ergo via est vacuandi sanguinem influxum per repellentia,quàm per digerentia. Tertia ratio est,quia imponendo repellens,satisfacimus alteri indicationi,quæ est refrigerare calorem extraneum insignem; qui etsi refrigerari etiam possit per euacuationem sanguinis influxi; attamen attenuatio illa fit in tempore;sed quæ fit à repellente,sit statim. Quare ad influxam materiam euacuandam in principio magis sunt vsurpanda repellentia, quàm digerentia : primùm quia retrocedit humor,tribus de caussis, & quia impellitur procul à medicamento repellente ; & quia à locis sanis exinanitis retrahitur; & quia a parte affecta nondum lassata, & à vasis ob vigorem ipsis additum à medicamento repellente,transmittitur : altera ratio est, quia per repellentia expeditior fit vacuatio,quia semper fit per vasa maiora : tertia est ratio,quia repellentia sua frigiditate refrigerant insignem calorem flammeum.

Cur in principio magis repellentia quã digerentia habeant.

1. ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Porrò repellentia duplici ratione repellunt,primùm per se,qualitate frigida;sicut enim calor ad se trahit,ita frigus à se propulsat: deinde per accidens,quia dum frigidum applicatur medicamentum,calor partis, contrarium suum aufugiens,secum etiam ducit ipsum sanguinem ; & sic repellens hac ratione etiam per accidens repellit. *Repulsio fit duplicitèr.*

Repellentium genus, aliud est frigidum & humidum, quod dicitur repellens humidum, vel aqueum : aliud est frigidum & siccum,quod dicitur repellens siccum,vel terreum, & astringens. Hoc valentius est illo priore: quia duplici ratione repellit, & quatenus frigidum,& quatenus astringens : sic enim contrahit, corrugat, & constringit ipsam partem, & *Differentia repellentium: & quando singulis sit locus.*

ita

ita humores ab ea ad alias quasi exprimit, repellens autem aqueum, sola frigiditate repellit, humiditas enim non repellit, sed laxando potius vim repellendi obtundit. Galenus non determinauit, quando repellente aqueo, & quando astringente vti debemus. Meo tamen iudicio, si in phlegmone dolor vrgeat, & quadamtenus ad sc curationem trahat; vsurpanda potius sunt repellentia aquea, siue mitiora: siue validiora: ratio est: quia humiditas frigiditati adiuncta poterit laxando demulcere & lenire partes à dolore proritatas, & exasperatas; astringens autem contrarium efficit, quia constringit & exasperat partem, sicque dolorem auget. Astringente igitur vtendum est, cum dolor non vrget; &, si patiens habet venas magnas.

Repellentia aquea. Repellentia aquea simplicia sunt, semperuiuum, lactuca, portulaca, intubus, polygonum, trifolium, auricula muris, lenticula palustris, psyllium, oui albumen, vmbilicus Veneris, solanum, endiuia, cucurbitæ succus, plantago, atriplex, violæ, platanus, & in summa omnia frigida, quæ veluti aqueo humore imbuta sunt. Inter hæc autem dantur gradus, secundum maiorem & minorem efficaciam, quæ respondet vigori ipsius frigidi: hinc minus repellit, platanus, trifolium, psyllium, vmbilicus Veneris, quàm portulaca, semperuiuum, lactuca, & solanum: ideoque in hoc genere etiam dantur valentissima, quæ scilicet valentissimè refrigerant, vt cicuta, hyoscyamus, mandragora, papauer; quibus cautè vtendum, potius mistis, quàm simplicibus & puris. Ex his etiam alia medicamenta componi possunt. At si tum simplicibus rectè vti, tum composita rectè componere volumus: oportet nos cõsiderare crasin & totius corporis, & partis inflammatæ, magnitudinem inflammationis, &

1. Mitiora. copiam materiæ confluentis, situm partis, sensum, vias, & aerem ambientem. Si enim oriatur inflammatio in homine calidioris temperamenti, in parte calida atque carnosa, & non admodum magna sit inflammatio, nec admodum copiosus sanguis influens, & sit in parte sensu exquisito prædita, & quoad situm in parte non decliui, & patiens habeat venas angustas, & ambiens aer frigidus. hæc omnia indicant mitiora esse repellentia vsurpanda: cuiusmodi sunt è simplicibus, platanus, trifolium, psyllium, vmbilicus Veneris, quibus quatuor modis vtendum est: aut enim folia cruda imponuntur; aut si propter asperitatem non licet, decoquuntur in aqua, deinde linteo affunduntur, & imponuntur; aut decocta & contusa imponuntur: aut denique linteo imbuta in succis ipsorum expressis imponuntur. E cõpositis autem in proposito casu est oxycratũ cap. 2. l. 2. ad Glauc. quod cõponitur ex aqua & aceto. Item; quod à Galeno componitur è mucilagine seminum psyllij, cum oleo, & ce-

2. Valentiss. ra. Si adsint indicationes iam dictis contrariæ, ita vt inflammatio magna sit, & copia sanguinis irruentis multa, & patiens sit adultus; id est, temperaturæ frigidæ, & sit in parte frigida excarni, ac exsucca, & habeat sensum obtusum, & viæ amplæ sint, & ambiens aer calidus; requiruntur valentissima, in pauca tamen quantitate repellentia: vt sunt hyoscyamus, mandragora, papauer, si vel decoquantur, vel succus eorum exprimatur, & linteo madefacto im-

Mediocria. ponatur. Quod si indicationes sint repugnantes, ita vt inflammatio magna sit, alia autem ex parte temperatura calida, &c. tunc, si refringantur indicationes: repellens congruum erit semperuiuum, portulaca, lactuca, solanum: & è compositis, quod secundo ad Glauc. conficitur, è succo portulacæ, semperuiui, lactucæ & solani, cum tanta farina hordei quanta satis sit ad conficiendum medicamentum in forma cataplasmatis. Sed videndum est, qua ratione, mitia, valentissima, & mediocria repellentia indicentur. Quare crasis seu temperies cali-

Gradus repellentium a quibus indicentur. da, & totius & partis, indicat, mitiora esse vsurpanda, quia significatur exiguus excessus; nã in habentibus symbolum facilis est transitus: contrà, si crasis frigida sit, & tum absit inflammatio, patet excessum magnum fuisse factum. Sic ætas puerilis, propter carnem teneram, facile immutatur & alteratur à medicamentis; vnde mitiora exigit repellentia, quàm corpus adultum, & durũ, quod difficilè medicamento viam præbet. Sic magna inflammatio valentiora exigit; quia significat magnam copiam sanguinis influentis. Sensus partis exquisitus, mitiora postulat. non enim tolerat validiora: contrà, obtusus. Lata vasa, quoniam per hæc multus sanguis influit, exigunt valentiora: mitia enim multum illum sanguinem repellere nequeunt. Vltimò, aer ambiens siquidem calidus sit, & ipse phlegmonem calefacit: vn-

de ro-

do robustiora exigit repellentia.

Eadem hæc in astringentibus locum habent. Si enim astringens est mitius, non retrocedit sanguis: si valentius, cutis multum cõtrahitur, vnde dolor exasperatur, fluxio crescit, & quod in parte relinquitur, scirrhodes, & contumax redditur, vt ægrè posteà discutiatur; imo, quod deterius, è vehementiori astringente sæpe recurrit humor ad membra principalia. Quare mitiora astringentia simplicia sunt, vitium folia, & capreoli, rubus, rosarum capita, oxyacantha, vinum austerum nigrum, acetum, oleum omphacinum, myrtinum, rosaceum, santali, &c. Valentiora sunt balustium, omphacium, sorba, corna, mespila, pyra sylvestria, mala cydonia, fructus, & folia myrti. Aduc valentiora videntur, malicorium, rhus, cytinus, acacia, bolus Armena, terra sigillata, quercus, cupressi folia, germina, & nuces, galla immatura, hypocistis, terra Cimolia, lapis sanguinarius, & in summa, omnia frigida sicca, & terrenæ substantiæ. Inter composita mitius est illud, quod constat ex oui albo, oleo rosaceo, & aqua rosarum stillatitia: imbuuntur lintea, & imponuntur. In eadem classe est ceratum rosaceum, confectum è cera, & oleo rosaceo. Valentiùs astringit. Infrigidans Galeni, quod R. ceræ albæ vnc. iiij. olei rosati omphacini lib. j. nouies abluuntur aqua fontana frigidissima, & limpida, deinde aceto albo subiguntur, & fit vnguentum. Prædicto adhuc validius est hoc: R. boli Arm. partem j. terræ sigillatæ partem dimidiam: olei rosati partes iij. aceti, & succi herbarum frigidarum partem dimidiam; puluerizanda puluerizentur, & ijs acetum, & oleum sensim misceantur, donec fiat linimentum. Aliud medicamentum est, quod R. olei myrtini vnc. iij. myrtillorum puluerizatorum vnc. j. sem. Ceræ q. s. ad cerati formam. Describuntur etiam ab Auicenna tertia quarti tr. 1. cap. 3. medicamenta huius generis plurima. Non est reticendum illud, quod Galenus conficit è semperuiuo, è corticibus malorum punicorum in vino decoctis, è rhoe, & hordei farina: hoc enim medicamentum repellit id, quod influit, exsiccat quod continetur, & membra circumstantia corroborat. cap. 2. lib. 2. ad Glauc. Medicamenta hactenus proposita conferunt in priori parte principij inflammationis.

Astringentia.

1. Mitiora.

2. Valentiora.

3. Valentissima.

Composita, horumq; ordines.

Quod si principium versùs augmentum vergat, & huius naturam sapiat, miscenda sunt digerentia, ita tamen vt repellentia præpolleant: quo in casu laudatur Diaglaucium Galeni, & Diachalciteos. Laudatur etiam hoc: R. maluarũ, parietariæ, plantaginis, ana M. j. sem. coctis in aqua, & contusis, adde farinæ hordei vnc. ij. rosarum rubr. vnc. j. olei chamæmelini vnc. iv. decocti prædicti q. s. Misc. & fiat cataplasma. Id autem notandum, frequenter hæc medicamenta esse immutanda, ne à parte affecta calefacta, eandem vicissim recalfaciant.

Posterior principij pars.

De curatione Phlegmones in augmento.

AVGMENTVM inflammationis, è cap. 4. lib. de morb. tempor. & com. 4. lib. de hum. est, quando influxus cessauit, & pars affecta magis, quàm anteà adaugetur. Ratio autem cur cessante fluxione magis augeatur inflammatio, est, quod sanguis extra vasa prolapsus, necessario incalescit & putrescit, vnde sanguis funditur, & in spiritum seu halitum vertitur: quibus de causis particula magis augetur, & dolet, etiamsi nihil influat. Quoniam ergo pars augetur propter spiritum genitum, & fusionem sanguinis; sanguis autem funditur per calorem putredinalem, qui exoritur, quoniam sanguis putrescit, cùm extra vasa consistat in loco alieno: hinc oritur indicatio curandi phlegmonem in augmento: discussio nimirum, siue euaporatio ipsius materiæ: sanguis enim extra vasa consistens, non repellentibus, sed digerentibus euacuatur.

In augmento inflammationis, discutientia requiruntur.

Porro Galenus augmentum curat, per digerentia, & repellentia simul mista: nam cap. 4. lib. 1. per gen. ait: vbi inflammationes incipiunt, & accrescunt, repellentiũ vis prępollere debet: id quod etiam docet, cap. 1. lib. 6. per loc. c. 10. & 17. l. 3. simp. Augetur etiã difficultas, quia cap. 1. lib. 6. per loc. addit, quousque aliquid influit, repellentia habere locũ: vbi restitit fluxio, quod est in augmento, concoctoria esse adferenda, & deinde consequenter discussoria. At cõcoctoria multum diuersa sunt à repellentibus, & digerentibus. Non videtur

Obiectio duplex.

Solutio posterioris. ergo sibi constare Galenus? Respondendum est, primùm ad eam instantiam, quæ de concoctorijs habetur. Duobus modis inflammatio terminatur: vno, per suppurationem sanguinis influxi; & tunc in augmento vtendum est concoctorijs: alio modo per διαφόρησιν, dum sanguis influxus in halitum vertitur per discutientia; & de hoc curandi modo nos in præsentia agimus, vbi non conueniunt concoctoria, sed repellentia, & digerentia tantùm. An verò digerentibus solis in augmento, vel & repellentibus simul locus sit, ita statuendum. Etsi sanguis influxus in incremento aliqua ex parte extra vasa excidit, & hac ratione indiget, vt euacuetur digerentibus: bona tamen pars sanguinis adhuc consistit in ipsis venis; nam qui priori loco influxit, hic sine dubio impulsus est ab eo, qui consequenter fluit, ideoque extra vasa consistere potest: multus tamen adhuc in ipsis vasis continetur, qui repulsione indiget. Hinc Galenus in augmento vtitur repellentibus, & digerentibus mistis; ita tamen vt toto augmenti tempore præpolleant repellentia dirigentibus, eò, quòd maior portio materiæ adhuc consistit in ipsis vasis, & potest repelli. Superare autem repellentia debent digerentia magis in ea parte augmenti, quæ propinqua est principio, quàm quæ fini, & vigori.

Prioris solutio.

Discutientia. Quoniam ergo augmentum phlegmones postulat repellentia, & digerentia, deque repellentibus iam diximus, nunc ad digerentia accedamus. διαφορητικὰ igitur è cap. 5. lib 8. simpl. sanguinem influxum per halitum educunt: primò enim sanguinem attenuant, deinde in halitum, seu vaporem vertunt, postremò ad se attrahunt, & per insensibiles meatus ipsius cutis euacuant. cap. 16. lib. 13. meth. Porrò, digerens medicamentum debet esse calidum, & siccum in tertio gradu, & prætereà tenuium partium, l. 9. simpl. cap. de paronych. Nam alumen licet calidum, & siccum sit in tertio; non tamen digerit, quia est crassarum partium, & stipticum, nec permittit materiam exire, aut euaporare.

Digerentia. Simplicia discutientia. Sed in hoc tertio gradu magna est latitudo; quædam enim digerentia sunt mitiora, quædam mediocria, alia vehementissima. Rursusque alia Simplicia, alia Composita. Simplicia mitiora sunt chamæmelum, ammoniacum, galbanum, fermentum, radices liliorum alborum, radices althææ, lupinorum, fœnigræci, & milii farina, lolium, eruum, cicer. Valentiora sunt: thymus, thymbra, origanum: peucedanum, mentha, marrubium pulegium, calamintha, hyssopus, radix aristolochiæ, anethum, &c. Valentissima sunt, spuma nitri, & nitrum ipsum, sulphur viuum, calx semel exstincta, galanga, &c. cap. 1. lib. 6 per loc. Ex his, simul cum repellentibus mistis, fiunt composita medicamenta. In hac autem mistione oportet perpendere inflammationis magnitudinem, ætatem, temperaturam, & cætera, de quibus aliàs diximus. Nam si inflammatio exigua sit, temperatura calida, & humida, ætas puerilis, tempus æstatis, viæ angustæ, situs non decliuis: mitioribus, & repellentibus, & digerentibus est vtendum: repellentia quidem congrua erunt, trifolium, platanus, psyllium, vmbilicus Veneris: digerentia autem conuenient, fermentum, liliorum, & althææ radices, &c. Et huius est generis medicamentum, quod ab Auicenna componitur: R. foliorum oliuæ M. j. absinthij, ros. cuiusque M. sem farinæ hodei vnc. ij. olei chamæmelini vnc. iij. coquuntur ex aqua, & tunduntur. Aliud eiusdem ordinis sic fit: R. defruti vnc. iij. aquæ ros. aceti, cuiusque vnc. j sem. croci vnc. ij. moderato igne parum ferueant, deinde colentur, & lintea imbuta imponantur. Si indicationes prædictis sint contrariæ, valentissima repellentia, & digerentia locum habent: repellentia sunt, malicorium, balaustium, portulaca, semperuiuum: digerentia, calx semel exstincta, sulphur viuum. Si indicationes se frangant, repellentia, & digerentia erunt mediocria: repellentia, lactuca, solanum: digerentia, thymus, pulegium, satureia, calamintha. Formula talis præscribi poterit. R. myrtillorum, lactucæ, solani, ana M. j pulegii, calaminthæ, hyssopi ana M. sem. Coctis in aqua, & contusis, adde farinæ fœnigræci vnc. iij pulueris betonicæ, chamæmeli, ana vnc. i. olei anethini, chamæmelini ana vnc. iij, decocti herbarum prædictarum q. s. ad cataplasma.

Composita.

Curatio

Curatio Phlegmones in Statu.

STATVS, seu vigor inflammationis est, quando ad eum gradum peruenerit, vltra quem progredi non potest, id est, quando adest extremum magnitudinis, in quo, & insignis calor persentitur, & maximi dolores hominem corripiunt. Curatur autem inflammatio in vigore, si euacuetur materia, seu sanguis influxus. *Scopus curandi in vigore.*

Dubitatur autem num digerentia tantùm, an verò cum his, & repellentia sint vsurpanda. Nam Galenus cap. 16 lib. 13 meth. ait, in statu phlegmones διαφόρησιν saltem habere locum, cùm repellentia nil notatu dignum efficere queant. Idem sentit cap. 10. & 17. lib. 3. simpl. Contrà verò cap. 4. lib. 1. per loc. ait Galenus in statu inflammationis pares esse indicationes repellendi, & digerendi: quod etiam statuitur cap. 6. lib. 1. per loc. Responsio. Principium status sapit naturam augmenti, in quo materia copiosa in vasis consistit, copiosa etiam extra vasa effusa est: ideo ratione loci, & status ipsius materiæ indicantur repellentia, & digerentia æqualiter mista. In media autem parte status, quia iam materia copiosior effusa est extra vasa, paucior autem in vasis consistit: iccirco oportet digerentia præpollere repellentibus. In vltima parte status, quæ sapit naturam declinationis, quia materia iam vniuersa extra vasa consistit; ideo, tunc indicantur digerētia pura, sed quæ tamen sint mitiora. *Num in statu tantum digerendum, an etiam repellendum.*

Iam ergo remedia proponenda. In prima status parte indigemus repellentibus, & discutientibus æqualiter mistis: & quidem si indicationes requirunt mitia: conuenient folia vitis, salicis, & plantaginis, item liliorum, & althęæ radices, chamæmelum, anethum, semen lini. At si indicationes in prima status parte valentiora postulent: conuenient hypocistidis, cupressi, & malicorij, ana pares portiones: item sulphuris, calcis semel exstinctæ, nitri, ana pares portiones. Si indicationes in prima status parte pugnent: congrua erunt, myrtilli, portulaca, lactuca, cum calamintha, origano, & pulegio simul mistis. Laudatur quoque ab Auicenna epithema factum è succo vmbilici Veneris, & è succo apij æqualiter mistis. Commodatur etiam in principio status, emplastrum factum è furfure triticeo decocto in aceto, aut in vino nigro austero. At in media parte status, quo tempore digerentia oportet superare repellentia, necesse est omnino de repellentibus quædam subtrahere, & plura digerentia admiscere. Vnde si prædicto emplastro confecto è furfure triticeo addantur flores chamæmeli, & meliloti, efficientur medicamentum aptum in media parte vigoris. In vltima parte status, in qua pura digerentia, sed mitiora vsurpanda sunt, medicamentum confici poterit è chamæmelo, radicibus liliorum alborum, farina fœnigræci, oleo anethino, & vino albo. Vt R. flor. chamæmeli M. j. sem rad. lil. alb. vnc. iiij. coctis in aqua, & contusis, adde farinæ fœnigræci vnc. ij. olei anethini vnc. v. vini albi q. s. ad cataplasma. Item, R fol. chamæmeli, meliloti ana P. j sem. anethi vnc. ss. decoquantur in vino, tundantur, & cum melle paretur cataplasma conueniens fini vigoris. *Materia remediorum, in statu.* 1. 2. 3.

Curatio Phlegmones in Declinatione.

IN declinatione, secundùm Galenum, cap. 1. lib. 6. per loc. & cap. 10. lib. 3. simp. indicantur pura digerentia, quia materia tota est effusa extra vasa: sed eò ualentiora indicantur digerentia, quò magis progressa est declinatio inflammationis. Vnde in prima parte declinationis, in qua mitiora digerentia indicantur, spongia est opportunissima, expressa in aquis thermalibus Patauinis, aut si hæ non adsunt, in aqua salita. In media parte declinationis, spongia exprimenda in ualentioribus digerentibus, ut in decocto origani, pulegij, calaminthæ. In ultima parte declinationis, exprimatur spongia in aqua calcis. Conuenit etiam in declinatione ceratum sacrum, aut hoc cataplasma: R. hyssopi, origani, ana M. j. decoctis in uino potenti, & contusis, adde olei lil. alb. vnc. iiij. pulegij, farinæ fœnigræci ana nuc. j. fiat cataplasma cum uino proposito. Et hactenus de modo curandi phlegmonem per repellentia, & digerentia. *Digerentia pura.* 1. 2. 3.

CAPVT VI.

De Phlegmone per Suppurationem curanda.

Altera via curandi Inflammationem.

VERA,& regia phlegmonem curandi via ea est,quam modò proposuimus. Sæpè tamen contingit,vt inflammatio suppuretur,id est,vt sanguis influxus in pus,vel saniem vertatur : vnde altera inflammationem curandi ratio oboritur.De hac duplici curatione Galenus cap. 3.lib.de inæqu.intemp.ait : factæ inflammationis duplicem habent curationem, nimirum, vt materia,quæ fluit,aut digeratur,aut concoquatur: sed ipsam digeri longè est optabilius; nam concoctionem duo consequuntur, puris nimirum generatio, & huius in aliquem locum abscessio : propter generationem puris, in longius protrahitur curatio : ratione autem abscessus nigrat inflammatio in aliud morbum.

Puris causa efficiens.

Sed de puris generatione quædam dicenda. Galenus statuit in parte inflammata duplicem reperiri calorem,natiuum,& extraneum,cap. 3. lib. de inæqu. intemp. com. vlt. lib. 1. prognost. apho.47.sect.2.cap.6 lib.5. simp.cap.6.lib.1.de diff.feb.Natiuus conseruat partem,& omnia administrat,quæ ad salutem partis spectant. Extraneus oritur è sanguine influxo, extra vasa prolapso, ibique putrescente, & incalescente, & hic natiuo partis calori omnino est aduersus; vnde corrumpit,destruit, & impedit omnia à calore natiuo administrata. Cùm igitur aduersi sint hi calores, semper pugnant: quæ pugna, vel est exigua, quando alter alterum omnino, & breui superat; vel insignis,quando neuter alterum superat. Si calor natiuus omnino superat extraneum; tunc materia à calore natiuo victa,postquam non potest verti in alimentum ipsius partis (quæ est prima, & perpetua caloris natiui actio, si eam potest consequi) quia aliena est, sensim à calore natiuo attenuatur, & per insensibilem transpirationem euacuatur : & sic inflammationes, citra vllum incommodum, reducuntur in naturalem statum. Qua ratione inflammationes non admodum magnæ terminari, & sanari solent ; secundum Rasin 13.Continent. Quod si calor extraneus superet omnino natiuum, tunc corrumpitur, & materia influxa,& ipsa quoque pars: vnde fiunt gangrænę,& sphaceli: in quos morbos vehementissimæ inflammationes terminari consueuere. At cùm in pugna neuter calor alterum vincit,séd ambo in pugna vel æquales sunt, vel non admodum impares, tunc vterque calor strenuè pugnans suum finem assequi tentat. Natiuus quidem tentat materiam digerere in vaporem, & halitum ; extraneus corrumpere, & putrefacere conatur. Sed quia neuter vincit, neutrius actio in materia conspicitur, videlicet, nec materiæ discussio,nec ipsius corruptio : attamen mista quædam vtriusque apparet actio, quæ est materiæ in pus mutatio.

Puris differentia : indeque nota caloris alterutrius prædominantis.

Verum in hoc vtriusque caloris duello,alteri non rarò præualere alter solet : quod innotescere nobis potest è materiæ in pus conuersæ,tum colore, tum odore, tum consistentia. Si enim in pugna superior fuerit natiuus calor, efficitur pus optimum, quale est album,crassum,æquale,& parum fœtidum.com. vlt. lib. 1. prognost. Album est, quia conficitur à calore natiuo venarum,arteriarum,neruorum, membranarum, quæ sua natura alba sunt ; omne autem, quod transmutat, in colorem sibi similem transmutat. Crassum est pus,quia concoctio fit incrassando. Æquale est, quoniam calor innatus per omnes eius partes permeauit, & vniforme reddidit:qua de causa etiam læue existit tangenti. Tandem minimè est fœtidum, id est, quàm paucissimè fœtet,quia calor natiuus vicit extraneum. Cõtrà,si in pugna præualuerit calor extraneus, pus, quod conficitur, erit aut liuidum,aut rubrum, aut nigrum : erit tenue,inæquale,& grumosum, & pessimè olens.

Quãdo phlegmones suppuratio expectãda.

Cognoscitur autem suppuratura inflammatio è signis inflammationis, quæ vbi remissa sunt, nullam suppurationem portendunt, vbi intensa, suppuratio est exspectanda; quando scilicet inflammatio est magna, & dolores vehementes,qui quotidie fiunt intensiores,dum pulsatio affligit, dum adest tensio insignis.

Hæc

Hæc ſigna ſi adſint, non tentanda eſt curatio per repellentia, & digerentia tantùm, ſed eò omnis induſtria vertenda, vt calor natiuus in pugna præualeat, & ſic pus optimum generetur. Præualebit autem, ſi ipſum adaugeamus beneficio medicamentorum. Adaugeri poteſt, tum in qualitate, tum in quantitate, ſeu ſubſtantia. cap. 6. lib. 5. de ſimpl. In qualitate, veluti, ſi calido, vt 1. addatur calidum, vt 3. exempli gratia, ſi congio aquæ calidæ, vt 1. addatur congius aquæ calidæ, vt 3. In quantitate, quando ſimilis calor, vel alia ſubſtantia habens æqualem calorem adiungitur. verbi gratia; ſi congio aquæ calidæ, vt 2. adiungamus alium congium aquæ calidæ, vt 2. Priore modo calor natiuus augeri non debet, quia ſic verteretur in febrilem, & deſtrueretur. Altero autem modo augeri debet: cuius rei gratia, ſenes, & qui ſunt imbecilli ventriculo, ſolent puellos, aut catellos ventri apponere. *Quomodo ſuppuratio in affectu tuenda.*

Quamobrem in inflammatione, quæ ad ſuppurationem ventura videtur, vt pus gignatur bonum, caloris natiui quantitatem augere debemus concoquentibus medicamentis, ſeu pus mouentibus, quæ ſimilia eſſe debent calori natiuo partis, cui applicantur. Et quia natura humana generaliter calida eſt, & humida, ob id Galenus paſſim ſtatuit medicamentum concoquens moderatè calidum, & humidum eſſe. Attamen, accuratiùs loqui volumus, pus mouens non eſt dicendum calidum, & humidum, ſed eius temperiei, cuius eſt pars cui applicatur: vnde & Galenus oleum roſaceum duræ meningi admotum ſtatuit concoquere, ſeu pus mouer, cum tamen frigidum ſit & ſiccum; at quia duræ matri, quoad craſin ſimile eſt, propterea ipſi eſt medicamentum concoctorium. Præter autem ſimilitudinem hanc, requiritur, vt ſuppurãs ſit emplaſticum, id eſt, tenaciter inhærens poris ipſius cutis: vt poris clauſis halituoſi tranſpiratus ipſius caloris includantur; ſicque calor non in qualitate, ſed quantitate augeatur, capit. 9. libr. 5. ſimp. Vnde ea cataplaſmata, quæ aut detergentia ſunt, aut nimium calefacientia, vt quæ fiunt e farina fabacea, aut hordeacea; quia hæc referant, & aperiunt meatus ipſius cutis, & tenaciter non inhærent, pus mouere nequeunt. *Suppurantium temperatura, & facultas.*

Imponi autem debent inflammatæ parti ſuppurantia, à principio augmenti vſque ad finem ferè vigoris; in principio enim, & fine phlegmones conueniunt, ibi repellentia, hic digerentia. cap. 1. lib. 6. per loc. Ideoque cura, quæ procedit concoquentibus medicamentis, in nullo alio differt à præcedente cura, quàm in medio tempore, penes medicamenta localia; nam & in hac inflammatione, tum vena ſecatur, tum alia omnia medicamenta adhibentur, quæ capite antecedenti fuere propoſita. *Quo morbi tempore vtendum ſuppurãtibus.*

Coquentia, alia ſunt ſimplicia, alia compoſita. E ſimplicibus eſt oleum temperatum ex ijs, quæ irrigantur: ex ijs verò, quæ perfunduntur, eſt aqua temperata: præterea adeps ſuillus, gallinaceus, vitulinus, tritici farina, butyrum, thus, malua. E compoſitis eſt hydrelæum, ideſt, aqua oleo admiſta: præterea medicamentum, quod fit ex hydrelæo, farina tritici, & pane modicè cocto: item folia maluæ in aqua decocta, mox in mortario contuſa, & axungià ſuilla admiſta paribus portionibus. Efficaciſſimum & hoc eſt: R. rad. althææ vnc. iij fol. maluæ. M. j. coctis in aqua, & contuſis, adde axungiæ porcinæ, q. ſ. ad conficiendũ cataplaſma. Cui addere etiam poſſumus farinam tritici, & ſeminis lini, & caricas pingues. Interdum vtimur emplaſtro illo, quod diachylon ſimplex dicitur, præcipue verò mollito, cũ ſuillo adipe, vel gallinaceo. Et hæc pus mouentia propoſita magis vſurpantur in temporibus temperatis, & in naturis humidioribus, ac mollioribus. At verò ſiccioribus, & durioribus corporibus, hoc conuenit: R. farinæ fœnigræci, & ſeminis lini, ana partes æquales: decoquantur in lacte vaccino, & fiat cataplaſma maturans, ac dolorem leniens. Eiuſdem naturæ eſt ſequens: R. fol. maluæ, branchæ vrſinæ ana M. j rad. althææ vnc. iv. coctis in aqua, & contuſis adde farinæ fœnigræci vnc. iij. olei communis, & butyri ana q. ſ. ad cataplaſma. Interdum ad ſanguinem craſſiorem ſuppurandum feliciter vſus ſum emplaſtro triapharmaco. His inflammatio ad ſuppurationem ducitur. *Materia ſuppurantium.*

Dignoſcimus autem ſuppuratam eſſe materiam: primùm ſi ſigna puris minuantur, ſcilicet, calor, dolor, tenſio, & pulſatio. Alterum ſignum confectæ ſaniei eſt mollities partis, ſi digito prematur. Tertium eſt inundatio, quæ perſentitur ſub digitis, ſi duobus digitis *Signa materiæ ſuppuratæ.*

gitis modicè distantibus, vicissim locus comprimatur, sanies enim semper inundatione quadam mouetur ad alterum digitum. Quartum, & quintum signum est, si appareat eminentia in parte, & cutis albidior.

Euacuatio puris iam confecti.

Vbi per hæc signa notum est suppuratam esse materiam influxam; oritur indicatio, pus esse euacuandum. Non debet euacuari, vt retrocedat; quia enim est extra venas, & in spatio concluso, non potest ad alias partes propelli: & si posset, non debet tamen propelli, quia rueret in partes magis principales. Euacuandum ergo est pus per partē affectam: ideoque, vel sensibiliter, sectione, vel insensibiliter, digerentibus cap. 95. art med.

Digerentia pro pure vacuando.

Nostri Chirurgi statim ad incisionem deueniunt: Galenus tamen cap. 5. lib. 13. meth. magis probat digerentia, quæ tamen non nimis acria esse debent, & vehementia, quia potiùs irritarent, quàm digererent. Modus autem inueniendi aptum medicamentum non nimis acre, est, si consideremus qualitates cutis, & sanici: num cutis sit mollior, an durior; laxior, an astricta; tenuis, an crassa: sanies verò num multa, an pauca, crassa, an tenuis; in superficie, an in profundo. Si enim cutis sit rara, mollis, tenuis; sanies, pauca, tenuior, & propè superficiem: indicatur mitius digerens ad dissoluendum saniem, verbi gratia, R galbani dr. ij salis ammoniaci dr. vij. litargyri vnc. j. olei vetusti vnc. j. sem. fiat emplastrum. Si indicationes prædictis sint contrariæ, valentissimum discussorium requiritur: vt est aqua calcis viuæ spongia excepta, expressa, & imposita. Item picis, adipis taurini, baccarum lauri, calcis viuæ, partes æquæ. Si indicationes pugnent, & refringantur. R. marchesitæ seu lapidis pyritis, subtilissimè puluerisati partem j. chalcitidis partem j. sem resinæ pini, ad pondus omnium, medullæ cruris vituli q.s. ad conficiendum emplastrum. Eiusdem classis, & hoc est. R. aristolochiæ, lanæ combustæ, ana dr. j. thuris dr. j. sem. nitri dr. j. sem. terebinthinæ vnc. sem. olei de Kerua, & ceræ, q.s. ad ceratum conficiendum.

Puris euacuatio sensibilis.

Quod si puris tanta sit copia, vt medicamenta obruat, eorumque vim exsoluat, pus illud sensibiliter est euacuandum, quod præstatur, si locus aperiatur. Potest autem aperiri locus, vel è seipso, expectando donec pus sua acrimonia cutim superpositā erodat, id quod fieri non debet, quoniam diutiùs protrahitur curatio, latior fit sinus, quia pus semper corrodit, & frustra detinemus ægrum in dolore; quamdiu enim pus intus continetur, æger dolet; aperiri ergo debet locus suppuratus, vel ferro, vel medicamentis. Ferro quidem secandus est locus, vbi est editissimus, ibi enim cutis tenuissima; hoc enim Hippocrates in progressu præcipit, & facienda est sectio non nimis magna, ne turpis postea cicatrix sit, neue durities loco accedat, aut cutis cum subiectis musculis agglutinetur, & ob hæc ambo difficilis motus musculorum succedat. Sed si fieri potest, inscio ægrotante, facienda est sectio ad myrti folij similitudinem, id est, sectio simplex quidem esse debet, sed adeò longa, vt labia sectionis dilatata è seipsis propter sectionem, referāt similitudinem folij myrti. Sed quidam non admittunt sectionem, ideoque aperiendus est locus per medicamenta rumpentia: inter quæ dantur mitiora, & valentiora. Mitiora sunt vsurpanda in mollioribus carnibus, vt sunt, semen. & flos vrticæ, cum sale trita; hoc enim rumpit sine dolore. Similiter eadem semina trita, & admista cum radice raphani. Item farina lolij decocta in vino, & mista stercori columbino, & modico sulphuri. Præterea radix narcissi confecta cum farina orobi, & lolij, & modico melle. Fortiora rumpentia administranda sunt in durioribus corporibus, & in cute crassiore, & in sanie profundiori, verbi gratia. R. lithargyri in oleo decocti vsque ad colorem nigrum, vnc. sem. cantaridum præpar. gran. iv. Misc. Item R. saponis nigri, caricarum, ana p. æquas. Misc. Item R. elaterij, farinæ hordei, ana p. æquas. confice cum oleo, & qui albumine. Tandem, oleum sulphuris, oleum de vitriolo sunt efficacissima rumpentia. Hæc omnia rumpentia locum aperiunt, subtiliando, aut detergendo, aut erodendo, aut vrendo. In pueruli non solemus his vti, sed potius concoquentibus locum rumpimus; vt diachylon simplici mollito cum pinguedine suilla, aut gallinacea; tenella enim infantium caro non tolerat medicamenta validiora.

Sectio.

Rumpentia quæ.

Quot vicib. pus euacuandum.

Inciso igitur, aut medicamentis aperto loco suppurato, euacuandum est pus totum vnica vice; modò non sit admodum copiosum; tunc enim in duas uices puris euacuationem

partiri

partim debemus, ne semel toto euacuato puro, spiritus multi vna euacuentur, & sic æger, aut deficiat, aut debilitetur.

Euacuato puro, si per incisionem euacuatum est; statim lenimus dolorem ab incisione excitatum, spongia ex aqua tepida expressa, & imposita: aut imponimus medicamentū ex oui albumine subacto, & stupa excepto prius impositā turunda, id est, linamento implicito, & inuoluto, vt apertus seruetur locus. Melius autem est ad dolorem sedandum, totum oui albumen subigere, & stupa id, seu turunda admouere. Hoc ergo prima vice præstamus, tum vt leniatur dolor, tum vt repellatur humor, qui ratione incisionis, & doloris attrahi posset.

Reliquorum suppuratio, & euacuatio.

Quo facto, considerandum est, num in parte inflammata adsint reliquiæ materiæ influxæ nondum suppuratæ: solent autem vt plurimum adesse, quia materia non tota vno tempore in pus vertitur. In eo igitur casu, reliquiæ sunt in pus vertendæ medicamento aliquo concoquente; cuiusmodi hoc est: R. resinæ abiegnæ, vel therebinthinæ vnc. vj thuris subtilissimè puluerizati vnc. i. oui vitellum num. i. Misc. Quo medicamento imbuta turunda in foramen, seu cauitatem demittitur. Et vbi labia ex incisione dolent; solemus abluere resinas, aut aqua simplici, aut rosacea, aut plantaginis. Quo etiam tempore admiscendum est prædicto medicamento oleum hyperici, ad vnc. ii. vel iij. Dum autem reliquiæ suppurantur, cauitas è puro solet esse sordida: ideoque prædicto medicamento adijcitur aliquid mellis; aut simplicis, aut rosati, aut etiam syrupi rosacei, vt detergatur abscessus, seu cauitas, & rubra appareat caro.

Curatio sinus & cauitatis, per cathartica sarcotica & colletica.

Ad hunc statum si deuenerit inflammatio, & nimirum omnes reliquiæ sint suppuratæ, & euacuatæ, considerandum num foramen factum sit angustum, & sinus, in quo collectum erat pus, sit amplus, & latus; an foramen contra latius sit, & sinus angustus. Si posterius contigerit; curandus est sinus medicamentis, quæ generant carnem; cuiusmodi sunt æstate quidem, vnguentum de thutia; hyeme, vnguentum Isidis: medijs temporibus, vnguentum de betonica; quibus vnguentis inficienda est turunda.

Extra apponendum diapalma. Si autem foramen sit angustum, & sinus latus, satius erit curare sinum per agglutinationem; nam cum medicamentum turunda appositum non pertingat ad omnes partes sinus, necessariò sanies semper colligitur, quæ erodendo sinum latiorem efficit. Et propterea à glutinandus est sinus, imposita spongia expressa in vino nigro austero, aut lixiuio, aut aceto, aut aqua plantaginis, vel balaustiorum: deinde arctiùs fascia superligata. Valentissimè etiam glutinat linteum duplicatum, & triplicatum, in modum puluinaris, imbutum oui albumine, & fascia obductum. Quo tempore, cum scilicet volumus glutinare, seu vnire superpositam cutem cum carne subiecta: primò cauendum, ne reliquiæ materiæ incoctæ supersint; quod ex apparente aliquo tumore cognoscitur; aliàs enim sinus glutinari non potest: præterea verò oportet auferre turundam hoc tempore. Denique prius, quàm imponantur spongia, aut medicamentum glutinans, diligēter sanies purganda, totaque cauitas eluenda. Fit autem hoc commodissimè per siphonem infundendo, aut melicratum, aut vinum, aut œnomeli, aut oxymeli simplex: non tamen indifferenter; sed ad extergendum, & expurgandum pus, quod inhæret sinui, melicratum præferendū est; ad purgandum verò, & roborandum, præstat vinum nigrum austerum, at vbi glutinatione magis indigemus, prodest vinum prædictum austerum, in quo etiam decocta sint balaustium, cortices granatorum, hypocistis; quod si humore cruento, aut fœtido sordescat sinus, tunc oxymeli cæteris præstat. Hæc omnia describuntur ab Aetio, cap. 54. lib. 14.

Facta glutinatione, absceſſuque ſarcoticis curato: inducenda est cicatrix; aut inſperſione tuthiæ præparatæ, aut vſu linimenti ſicci, vel emplaſtri diachalciteos, aut de minio.

CAPVT VII.

De Accidentibus, quæ curam inflammationis impediunt, aut remorantur.

Febris.

INter hæc accidentia primum locum tenet febris, quæ ſecundùm Galenum cap. 5. lib. de curatione per venæ ſectionem contingit, quia calefacta parte inflammata, continuatione quadam calor progreditur, donec cordi communicetur. Hæc febris curatur eo modo, quo dictum eſt, dum de diæta, phlebotomia, & medicamentis ageremus; ea enim poſſunt curare, & febrem, & inflammationem.

Duritiei.

Alterum, quod impedit curam inflammationis, eſt durities, quæ ſolet relinqui in parte inflammata: & oritur, vel ob valentiora repellentia admota, quæ ſua frigiditate incraſſant, cogunt, & duritiem efficiunt; vel ob diſcutiens medicamentum validius applicatum, à quo reſolutis tenuioribus partibus, craſſiores indurantur: & durities talis eſt, vt neque reſolui poſſit digerentibus, neque ſuppurari concoquentibus. In hoc caſu, ſecundùm Galenum cap. 2. & 7. lib. 2. ad Glauc. primò ſcarificandus eſt locus durus, & ſanguis euacuandus: deinde imponendum medicamentum, partim reſoluens: cuiuſmodi eſt, ſi coquamus rad. bryoniæ, aut aſari, aut cucum. ſylueſtris, in aqua: quibus interdum caricæ pingues adijciendæ; deinde huic aquæ farina eſt admiſcenda, & cum adipe anſerino, gallinaceo, aut ſuillo cataplaſma parandum.

Tergrana.

Tertium ſymptoma grauiſſimum eſt grangræna, ſeu partis corruptio, quæ fit ob omnimodam victoriam caloris extranei, ſupra natiuum: de qua infrà capite 19. huius libri agemus.

Dolor.

Vltimum ſymptoma eſt dolor, qui excitatur partim ex intemperie calida flammea, partim è materia, aut vaporoſa diſtendente, aut dura comprimente. Hoc ſymptoma omnino curandum, ne patiens incidat in conuulſionem, aut virium exſolutionem. Dolor ſedatur tribus modis, cap. 19. lib. 5. ſimp. vel auferendo cauſam doloris, vel anodynis, vel ſenſum auferendo: primus modus eſt optimus, quia ſimul, & dolor ſedatur, & inflammatio curatur, euacuando materiam, quæ efficit dolorem, & refrigerando intemperiem. Sed plerumque cogit dolor, vt neglecta cauſa, ad ea recurramus, quæ leniendo dolorem mitigant: quæ ſunt calida, & humida in primo gradu, partiumque tenuium: ita vt cùm conſentiant temperaturæ humanæ, videantur demulcere partes dolore exaſperatas: & iſtiuſmodi ſolent eſſe vt plurimùm oleoſa, & pinguia; vt ol. aneth. amyg. de lumbr. ol. cha. de lini ſem. de alth. ſem. vulpinum, melinum, & ex ouorum vitellis. Ex adipibus verò lenit dolorem adeps ſuillus, vitulinus, gallinaceus, anſerinus, omentum veruecinum, humanus efficaciſſimè præ reliquis adipibus, fortaſſe ob ſimilitudinem ſubſtantiæ: item adeps vulpinus, ex anguilla, butyrum, œſypus, lana ſuccida, ſpongia madida aqua dulci, aut ſalita, cap. 5. lib. 13. meth. Hæc omnia vnctuoſa, & pingui natura, partem tenſam, & exaſperatam laxando, dolorē leniunt. Rarò autem his propoſitis puris vtendum: primùm, quia pinguia, & oleoſa facilè inflammantur: ſecundò, quia nimium laxant partem, & laxatio ſolet fluxionem proritare, & dolorem augere. Anodynis ergo admiſceri debent ea, quæ cauſas doloris reſpiciunt. Vnde, ſi dolor magis è tenſione proueniat; fomenta magis vſurpantur, quæ vaporoſos humores, tenſionem efficientes, euacuant. Debent autem eſſe refrigerantia, propter intemperiem, & actu calida, vt exhalatio efficiatur. Vnde probatur fomentum factum ex aquæ roſ. plantaginis, & olei myrtini: equis portionibus. Si calor fuerit inſignis, additur aqua virgæ paſtoris, ſemperuiui, cāphura, & modicum aceti. Fit etiam fomentum ex aqua, in qua decoquantur hordeum, lactuca, & galla, cum modico vino nigro, & aceto modico. Probatur illitus è mucilagine ſem. pſyllij cum modico aceto, & oleo myrtino. Notandum, acetum eū emplaſticis facilè dolorem lenire; nam acetum facit, vt penetret emplaſticum: at verò emplaſticū obtundit acrimoniam aceti. Laudatur etiam inunctio facta ex ol. roſ. myrtino, & nenupharino. Dein fomentum factum per plures vices, è ſucco ſolani, plantaginis, bliti. Tertio loco

Anodyna.

Quæ cum anodynis miſcenda.

1.

cata-

cataplasma factum ex ijsdem herbis, cum mucilagine psyllij, quod adhuc efficacius reddi-tur, si vnà cum eo decoquatur, & admisceatur lac, aut vaccinum, aut ouillum, aut caprinum.

Quod si dolor proueniat magis à materia dura comprimente, & grauante: in eo casu cataplasmata magis sunt opportuna: cuiusmodi est, quod conficitur è passo, ol. rosato, & modica cera, c 2. lib. 2 ad Glauc. Aliud ad formam cataplasmatis è loco citato conficitur ex arnoglosso, lente, pane, & ol. ros. Quod si dolor fiat ex intemperie calida, frigida misceri debent anodynis: ideo imponenda sunt lintea madefacta, aut in vino acerbo, aut aqua, cum modico aceto, aut succo lactucæ, & semperuiui. Si valentior sit intemperies calida, & corpus durum, aut si mitior sit, & pueri corpus: succus psyllij, cucurb. vmbil. Ven. & plantag. bene facit. Similiter lac cum panis mica in pollinem redacta, & ol. violaceo mistum, & modicè coctum.

Animaduertendum, ne medicamenta, quæ ad dolorem leniendum imponuntur, vllo modo sint, aut dura, aut ponderosa: ideo vitantur cerata, & cataplasmata nimiùm crassa. Vbi prædictis dolor non lenitur, recurrendum ad Narcotica, quibus cautè vtendum, & non nisi vrgeat necessitas.

Hæc autem sunt hyoscyamus, opium, mandragora, & cicuta, quæ mirum in modum refrigerat, & in inflammata parte vsurpatur feliciter, in exigua tamen quantitate, vbi insignis est calor: eadem ratione conferunt belladonna, lactucæ syluestris succus, papaueris nigri succus, memphites lapis, & vinum mandragorites, è Dioscoridis sententia. *Stupefaciunt.*

CAPVT VIII.

DE ERYSIPELATE.

HACTENVS de tumore egimus, qui à sanguine oritur: Sequitur qui à bile prouenit, Græcis pariter, & Latinis Erysipelas dictum, com. 30. lib. 3. de ijs, quæ fiunt in medic. Hoc à Celso Ignem sacrum vocari quidam falsò credunt: is enim nomine suo erysipelas donat, cap. 26. lib. 5. sacrumque ignem, ceu morbum ab erysipelate distinctum, cap. 28. libro 5. longè aliter describit, ac malis eum vlceribus annumerat. *Nomen.*

Fit autem erysipelas à bilioso humore. Biliosus autem humor, vt traditur in lib. de atra bile, alius in ventriculo, alius in hepate gignitur. In ventriculo gignitur humor biliosus, porraceus, vitellinus, & æruginosus: à quibus humoribus non fiunt erysipelata, quia illi humores per venas non progrediuntur, sed gignuntur à vitiosis cibis assumptis, vt sunt cepæ, porrum, allium, sinapi, nasturtium. Fit igitur erysipelas à bilioso humore, qui in hepate gignitur: & hic duplex est: alius alimentarius, alius excrementitius. Alimentarius est calidior, & siccior, & tenuissima sanguinis pars, quæ in massa sanguinea continetur. Excrementitia bilis est, quæ in fellis vesiculam demittitur, vt postmodum in intestina euacuetur. *Erysipelas fit à bile.*

Quæritur autem num erysipelas fiat à bile alimentaria, an excrementia? E Galeno colligitur, ab vtraque fieri posse; nam c. 2. lib. 3. de sym. caus. ait; amara bilis in toto corpore regium morbum, in vna particula erysipelas facit: sed icterus fit à bile excrementitia, dum meatus vesicæ fellis obstruuntur. Ergo & erysipelas. *Erysipelas à bile alimentaria fit secundum antho-rem.*

Rursus capit. primo, libro secundo, ad Glauc. dicit erysipelata fieri à sanguine tenuissimo; ac proinde à bile alimentaria. Equidem non negauerim erysipelata à bile excrementitia fieri posse: attamen experientia comprobat erysipelata ferè semper

fieri à sanguine tenuissimo, id est, à bile alimentaria. Quod si icterus, & erysipelas fiunt ab vna, & eadem bile, nimirum excrementitia: qui fit, quod hi duo morbi tantum à se inuicem differant? Nec enim distant solum loco affecto, quemadmodum Galenus dicit; vt icterus occupet totum corpus, erysipelas vnam partem: sed in alijs pluribus differunt; icterus enim plerunque fit sine febre, erysipelas cum febre icterus non dolet, habet colorem flauum, seu citrinum; erysipelas dolet, & habet colorem rubrum, sed clarum. Existimo igitur erysipelas semper fieri à bile alimentaria.

Erysipelatis differentia.

Hæc igitur, si recedat à propria natura, & influat in aliquam partem, excitat erysipelas. Recedit à sua natura, in quantitate, vel qualitate. In quantitate, cùm plus iusto adaugetur in corpore; & tunc in quamcunque partem influit, excitat erysipelas: quod quidem, siue dicamus fieri à bile exquisita, vt lib. 7. simpl. à sanguine tenuissimo, vt 2. ad Glauc. nihil refert. In qualitate bilis recedit à sua natura, vel in sua substantia, cum scilicet bilis calidior, & acrior redditur; & tunc assumit vim corrodentem, vnde herpes exedens: vel ob permistionem alterius humoris, vel sanguinis, vnde erysipelas phlegmonodes; vel pituita, vnde erysipelas œdematosum: vel melancholia, vnde erysipelas scirrhosum. Nos hic tantùm agemus de erysipelate, quod fit à bile naturali peccante solùm in quantitate: quod erysipelas, licet oriri possit in partibus internis, & externis; nos tamen de externis solùm agemus. In omnibus quidem externis partibus erysipelas excitatur, vt plurimum tamen circa nares, & faciem: eo quod pars hæc facillimè sanguine tenuissimo suffunditur. In cruribus etiam sæpenumero oritur erysipelas; quia natura à sanguine bilioso irritata, eum facilè ad inguina, ceu emunctoria sua propellit; qui postea in crura descendit. Et hinc fit, vt, qui in cruribus afficiuntur erysipelate, prius circa inguina eiusdem partis doleant, cum glandulæ nonnunquam tumore. Generari autem solet erysipelas tam æstate, quàm hyeme: æstate, propter copiam humoris bilioſi, qui tunc temporis dominatur: hyeme, propter cutis constipationem. Vbi igitur tenuissima hæc sanguinis pars redundat in corpore, partes valentiores, & magis principales huius copia grauatæ sanguinem hunc expellunt ad partes minus principales; neq; cessat hæc expulsio, donec bilioſus humor ad musculos peruenerit, quos tenuitate sua bilis penetrat, donec deueniat ad cutim, in qua, propter densitatem, detinetur: verùm, quia tenuis est humor, non ita detinetur, vt infigatur, sed per cutim dispergitur.

Signa.

Dignoscitur autem erysipelas suis signis, quæ sunt calor, insignis dolor, color ruber, seu in flauum vergens. Sed quia hæc signa penè eadem sunt cum signis inflammationis, ideò distinguendi sunt hi duo tumores, è cap. 1. lib. 14. meth. & ex Auicenna. Primùm ergo erysipelas distinguitur à phlegmone penes eminentiam; phlegmone enim apprehendit cutem, & subiectam carnem, partemque in tumorem insignem eleuat: erysipelas verò tantùm occupat superficiem cutis, & modicè ipsam in tumorem attollit, vt tumor ferè sub aspectum non cadat; vnde erysipelas tantùm cutis affectio dicitur, cap. 1. lib. 2. ad Glauc. Causa autem huius rei in tenuitatem humoris refertur, qui magis dispergitur in cutim, quam infigitur, & in tumorem attollitur. Quod si in erysipelate aliquando pars inflata in tumorem eleuetur, spurium est, non exquisitum erysipelas. Secundò erysipelas distinguitur ab inflammatione, quia longè calidius est, vnde & cutis in erysipelate comburitur, vt vesiculæ excitentur: hac etiam ratione febres in erysipelate fiunt vehementiores, quàm in phlegmone. Causa est, quòd bilis sanguine est calidior. Tertiò distinguitur, quia in erysipelate minor est dolor, cùm vna tantùm adsit doloris causa, nimirum intemperies: non autem illa altera, quæ est solutio continui, à materia distendente, comprimente, ac diuellente. Præterea dolor in erysipelate est pungitiuus, in inflãmatione, tensiuus, & grauativus. Quartò distinguitur, quod inflammatio habet colorem rubrum, vergentem, vel ad nigredinem, vel ad viriditatem, propter sanguinem crassum, qui in profundo consistit. Erysipelas verò habet quidem colorem rubrum, sed clarum, non intensum, & ad citrinitatem propẽsum. Quintò distinguitur, quòd erysipelas, si tangatur digitis, cedit tactui; inflãmatio verò non cedit, sed renititur: causa est humoris tenuitas, & crassities. Sextò, rubedo in erysipelate

pelate,ſi digito tangatur,ſolet abire,& cutis ſub digito alba fieri: deinde verò ſolet ſtatim redire, ob ſanguinem tenuiſſimum: in phlegmone autem hoc non fit. Septimò diſtinguitur,quia in eryſipelate nulla tenſio apparet, vt in phlegmone. Octauò maximè diſtinguitur, quòd inflammatio in vno ſemper figitur loco, à quo nuſquam dimouetur: eryſipelas verò creſcit,& ſerpit; vnde etiam eryſipelas dicitur, quod vicinas partes ſemper rubras faciat.

Quamobrem ſi apparet tumor, qui colore ruber ſit,& rubore claro aſperſus, & modicè, aut fermè inſenſibiliter attollat partem in tumorem,& inſigniter ſit calidus, ac dolens dolore pungitiuo, & tactui non renitatur,neque tenſus ſit,& modò vnum, modò alium locum apprehendat: ſtatuendum, quod tumor ille ſit eryſipelas exquiſitum.

Cauſa eryſipelatis proxima eſt fluxio bilioſi humoris: quæ interdum excitatur à recipiente particula, interdum à mittente,nonnumquam ab vtraque. A recipiente humor bilioſus attrahitur, propter dolorem: cuius cauſæ externæ ſunt ignis, acre medicamentum,motus, &c. A mittente particula bilioſus humor expellitur, quoniam pars mittens irritatur à redundantia humoris bilioſi: cuius cauſæ ſunt, vel internæ, vt vitium iecoris calidum, vel externæ, vt ſex res non naturales, &c. *Cauſa.*

Eryſipelas, quod è flaua bile naturali oritur, periculo vacat; naturalis enim bilis, nec vehementem morbum, nec ſæua ſymptomata inferre ſolet: & præterea cùm ſit in partibus externis, ſignum eſt partes internas à redundantia huius humoris leuari. comm. 9. lib. 3. de morb. vulgar. Verùm diligenter ſtudendum,vt idonea adhibeatur curatio; nam ſicut bonum eſt ab interiori parte extrà conuerti eryſipelas: ita ab exteriori intrò redire,peſſimũ, aph. 25. ſect. 6. Nec alia ratione pereunt ægrotantes, quàm erysipelatis in partes internas principes recurſu: veluti ſi ex erysipelate in facie oriatur phrenitis,aut angina: quod plerumque fit è praua curatione, medicamentis nimirum repellentibus adhibitis: quin & hyemis frigus,refrigerando,& conſtipando,ſæpe facit recurrere erysipelas. Hippocrates aph. 19. ſect. 7. ait malum eſſe erysipelas oſſis nudationi ſuperueniens: quod proposito noſtro non conducit, quia loquimur de erysipelate externo. Hippocrates etiam, aph. 20. ſect. 7. ait malum eſſe,ſi erysipelati putredo, aut ſuppuratio ſuperueniat. Pariter comm. 26. lib. 6. epid. ait nigredinem quandam,aut puſtulas,aut mentis alienationem ſuperuenientes, ita malum eſſe, vt nullus ſpei relinquatur locus. Sed hæc prę ſagia ſpectant ad erysipelas peſtiferum, de quo iam non agimus. *Prognoſtica.*

Quoad curationem,ſecundum Galenum in Arte medicinali, cùm erysipelas ſit morbus, in quo pars plus iuſto augetur à bilioſo humore, hic euacuandus: quod fit duobus modis: vel ſi retrocedat, vel per patientem locum: per locum patientem, vel ſenſibiliter, nimirum ſcarificatione; vel inſenſibiliter, in halitum verſione. Priùs tamen cura totius corporis inſtituenda; ratio eſt; nam ſi velimus repellere humorem, non ipſum admittet corpus plenum; ſi velimus vacuare, plus attrahetur, tum in ſcarificatione, per dolorem, tum in diſcutientibus per calorem. Quod ſi ægri ſint inobedientes, vt cogant medicos aliquid apponere ante curam totius; id, quod apponitur, potius calidum ſit, quod adaugeat eryſipelas, vt poſtea cogantur obedire medicis: minimè autem repellentia ſunt vſurpanda, ne vertatur introrſum. De quò infrà pleniùs. *Indicationes.*

Cura totius corporis dependet à Diæta, Chirurgia, Pharmaceia.

Ad diætam quod attinet: Aer eligatur frigidus,& humidus, & niſi talis ſit, arte paretur, nimirum æſtate,hieme autem potius aer calidus eſt eligendus, quia tunc fit eryſipelas è cutis conſtipatione: contrà æſtate fit; quoniam ob nimiũ calorem bilis copia generatur. Cibi ſint frigidi,humidi. Et, ſi bilis admodum ſit tenuis, conuenient quæ viſcoſa ſunt, vt cerebrum,pedes ſuum,piſces ſaxatiles, lactuca,endiuia, blitum, malua, cucurbita, ptiſana hordeacea. Galenus laudat nouellas lactucarum,quæ in aqua gelida ſæpius abluendæ ſunt, & ita edendæ. Quod ſi æger cibi iniucunditatem ferre non poterit,acetum aquæ frigidæ miſcendum, quod tamen expers ſit omnis vinoſæ qualitatis. Prodeſt epanis in aqua gelida maceratus, cum modico aceto. Potus ſit aqua ſimplex, vel hordeacea, aut ſtillatitia endi- *Curatio. Diæta.*

viæ, acetosæ, cum modico uino granatorum. Vinum autem pessimum est. Vitentur omnia pinguia, dulcia, & unctuosa. Quies sit potius; quam motus. Alvus sit lubrica. Somnus eligatur: vigiliæ uitentur, item omnes animi affectus ira, contentio, quæ solent excitare erysipelata.

Vena sectio. Quoad præsidia chirurgica, dubitatur num venæ sectio conueniat. Nam Paulus, Celsus, Theodorus Priscianus, secant venam in erysipelate, quod circa cervicem, & caput cõsistit: idem faciunt Avicennas, & Actuarius, itemque Hali Abbas, li. 3. suę practicę. Contra Galenus cap. 3. li. 14. meth & lib. 2. ad Glauc. dicit non esse necessarium sanguinem mittere, sed exhibendum medicamentum, quod bilem vacuet, & si parua sit passio, aeri clysmo vtendum. Clarissimus Falloppius dicebat, huiusmodi contradictiones non posse conciliari, & proinde nos Galenum sequi debere. Sed, meo iudicio, componi possunt. Nam Paulus, Celsus, &c. secant venam in erysipelate, circa cervicem, & caput; quia huiusmodi erysipelata plus facessunt negotij, & adeo sunt periculosa, ut, nisi efficax adhibeatur auxilium, ægros strangulent; quod etiã asserit Aetius, cap. 59 lib. 14. partes enim tonsillis adiacentes trahuntur in consensum, quæ inflammatæ suffocare solent. Quare in tali erysipelate sanguis est mittendus, propter periculum anginæ: ego etiam addo propter periculum phrenitidis, quæ fieri solet ab erysipelate capitis introrecurrente. His malis multos è medio vidi sublatos. Galenus uerò non negat sanguinem esse mittendum; nõ enim ait, esse inconueniens sanguinem mittere, sed non esse necessarium: quasi seruanda sit venæ sectio pro maiore necessitate: at quænam maior necessitas, quàm vbi suffocationis imminet periculum? Dumigitur erysipelas est in capite, & cervice, secanda est vena. Et huc respexere Paulus, Celsus, & alij. Actuarius autem, & Avicennas locuti sunt de erysipelate impuro, à bile multo sanguine diluta: quod cùm phlegmonosum sit, indiget phlebotomia: ideoque citati auctores, quoniam loquuntur de erysipelate cum tumore, probant venæ sectionem in omni erysipelate, in quacunque parte consistat. Quare concludo, in erysipelate, quod consistit in cervice, capite, & facie, sive purum sit, sive phlegmonodes (quamvis non memini vidisse me purum erysipelas in facie) perpetuò statim secandam esse venam cephalicam, vel humeralem, propter periculum anginæ, & recursum materiæ ad interiora. In erysipelate verò puro, in alijs partibus, non est secanda vena, sed purgans exhibendum, tum vt redundantia bilis euacuetur, tum ne bilis ad cholitionem deducatur. In erysipelate denique phlegmonoso, in quacumque parte consistat, oportet venam secare, & medicamentum purgans exhibere: Si parua sit affectio: aeri clysmo vtendum esse, monet Galenus.

Sequuntur medicamenta: quæ Interna sunt, vel Externa: illa rursus Vacuantia bilem, *Pharmaceia. Cholagoga.* vel Alterantia. Quæ bilem purgant, alia Simplicia sunt, alia Compositа; quædam Mitiora, quædam Valentiora. Inter simplicia, & mitiora numerantur, cassia, tamarindi, rhabarb. Composita mitiora sunt, syrupus ros. solutivus. Valentiora non exhibemus, vt elaterium, & scammonium. electuarium ros, Mesuęi, diaprunũ solutiuum. electuarium de succo rosarum, In bolo conueniet: R. flor. cassiæ drac. vj. pulpæ tamarind. vnc. sem. rhab. electi dra. i. cum syrupo ros. laxativo fiat bolus. Valentior est: R. flor. cassiæ, pulpæ tamarindorum, ana drac. vj. electuarij è succo ros. drac. iij. Misc. cum saccharo, fiat bolus. Si mauis potionẽ: R. rhab. electi drac. j. spicæ gran. v. vini albi parum, fiat infusio in decocto tamarindorum: factæ expressioni, adde syr. ros. sol. vnc. iv. fiat potus. Valentior reddetur, si addantur, elect. ros. Mesuæi drac. ij. His medicamentis vtendum in erysipelate puro. Si passio non sit magna, acres clysmi conueniunt, è decoctis herbarum refrigerantium, & notandum, etiam in ijs, quæ per os sumuntur, semper miscenda esse refrigerantia. Clysmus talis erit: R. decocti viol. malu. lactucæ, hordei q. s. cui addantur mellis ros. sol. vnc. iv. salis drac. j. olei viol, vnc. iij. Est satis acris clyster, sed non admodum eo vti poterimus in adolescentibus. Si vis magis acrem; adde decocto, centaurij min. M. j. electuarij diaphœn. drac. vj. aut etiam decoquatur radix cucum, asinini.

Reuulsoria. Euacuata bilis redundantia, secundùm Galenum in art. med, si oportet reuulsoria præsidia administrare, in principio frictionibus, cucurbitulis, & similibus vtendum. Sic

etiam

etiam vomitorijs, vbi erysipelas in cruribus consistit. tali enim præsidio bilis optimè, & euacuatur, & reuellitur.

Syrupi refrigerantes conueniunt propter tres causas. Primùm enim si aliqua bilis copia in corpore remanserit, ab his syrupis refrigeratur, & incrassatur. Præterea, cum erysipelas ferè semper febrem habeat adiunctam: huius etiam causa est corpus refrigerandum, & humectandum. Tertiò, cum bilis generetur ob calidam iecoris intemperiem: huius causa syrupi refrigerantes exhibendi. Probatur igitur syr. de cich. simpl. de endiuia, soncho lactuca, papauere, portulaca, violis, de rosis recentibus, &c. cum aquis endiuiæ, hordei, lactucæ, acetosæ, plantaginis, &c. Notandum, non frequenter dulcia esse exhibenda: qua de causa, tanta syruporum portio aquis est commiscenda, quanta sufficit pro gustu consolando. Galenus hæc considerans, cap. 5. lib. 9. meth. proponit medicamentũ efficacissimum; nimirum vt patiens bibat aquam gelidam, quantam vult; hęc enim corpus refrigerat, sitim extinguit, bilis feruorem retundit, & iecoris dyscrasiam calidam refrigerat. Sed in aqua propinãda multæ sunt conditiones; oportet enim vt tempus sit calidum, stomachus robustus, &c. Dum autem hæ conditiones non adsunt, debemus vsurpare syrupos, & aquas prædictas. Efficaciſſimũ etiam est (si adsit intemperies iecoris calida (serum caprinum, in magna quantitate, ad lib. iv. vel v vices enim aquæ gelidæ subire potest, dum absunt conditiones frigidam propinandi. Possumus etiam partibus extrinsecùs imponere succum solani, cichorij, hepaticæ, lactucæ, cum modico aceto madefactis linteis, & appositis circa iecoris regionem.

Alimentia.

Accedamus iam ad partem affectam, in qua duo sunt præter naturam: intemperies calida, & magnitudo aucta è copia materiæ ratione intemperiei, oritur indicatio refrigerandi; ratione materiæ copiosæ, vacuandi. Magis autem ad se trahit refrigeratio, quàm euacuatio; quia purum erysipelas tantùm qualitate offendit, id est, insigni feruore. Vtriusque indicationibus satisfacimus repellentibus medicamentis, quæ frigida sunt.

Medicamenta partem affectam spectantia.

Verum antequam vlteriùs progrediamur, videndum, num in erysipelate curando (quando vocamur ad ægro·) semper debeamus expectare totius corporis procurationem per ea, quæ dicta sunt, antequam refrigerantia medicamenta parti imponantur. Pro responsione, considerandæ sunt hę distinctiones: num erysipelas fuerit factum ab interna; vel externa causa: num prope partem principem: num vehemẽter affligat, an mediocriter. His notatis, statuendum, aliquando vacuationem præcedere debere impositionem localium: aliquando localia priùs imponenda, dein corpus purgandum; aliquando simul vtrumque præstandum: interdum euacuationem procurandam sine localibus. Nam si erysipelas factum est à causa externa, nimirum à percussione, aut calore partis affectæ, &c. refrigerantia tutò possumus imponere loco affecto, sine vacuatione; ratio est, quia fluxio est excitata à parte recipiente, & non à mittente, & pars recipiens excitauit fluxionem, vel calore, vel dolore. Verùm nõ est inconueniens in tali erysipelate statim lenire dolorem cerato rosato, vnguento rosato Mesuæi, decocto maluæ, & similibus: aut etiam calorem refrigerare, mitioribus tamen, cuiusmodi sunt prædicta. id quod videtur elici posse è cap. 2. lib. 1. ad Glauc. vbi ait, in inflammatione quæ fit à causa externa, calefacere, & laxare nihil prohibet. at si fiat ab interna, nullo modo hoc faciendum. Si erysipelas genitum est à causa interna, perpetuò ventriculi euacuatio præcedere debet, vno excepto casu; qui duas includit conditiones; prima est, si erysipelas sit admodum distans à partibus principibus; altera, si calor externus sit valde vehemens; tunc enim cum periculum sit, ne destruatur calor natiuus partis, etiamsi non fuerit habita totius procuratio, debemus mitiora refrigerantia admouere, vt calor insignis tempe retur; quod fit decocto trifolij, vmbilici Ven. platani, psyllij, &c. madefactis linteis, & appositis: attamen in hoc etiam casu, appositio locali medicamento, statim totius curatio auspicanda. Si erysipelas fuerit in facie, aut in capite: dico, localia medicamenta neque ante, neque post purgationem esse administranda; posset enim frigidis materia repelli, aut ad cerebrum, vnde phrenitis; aut ad fauces, vnde angina: Calefacientia verò magis adaugerent erysipelas: ideoque huiusmodi erysipelata debent curari, tantum respiciendo causam, non locum affectum. In hunc sensum præcipit Theodorus Priscianus, cap. 21. lib. 1.

Num refrigerantibus vti liceat, ante curam totius corporis.

in

in erysipelate generaliter in omnibus partibus adiutoria adhiberi similia debere, exceptis facie, & capite, in quibus si apparuerit erysipelas, ante tertiam diem, phlebotomandum, & à cibo abstinendum suadet. Sic etiam nos in huiusmodi casu, & venæ sectionem, & medicamentum purgans, & diætam tenuissimam, & reuulsiones præscribimus. At Cirurgi communiter perperàm refrigerantia insignia apponunt in erysipelate faciei, & capitis: sicque efficiunt, vt materia recurrat ad interiora, & æger moriatur. Quod si cogamur in facie aliquid ponere, in gratiam ægri, & astantium, qui id requirunt: fieri hoc debet, non in principio, sed in progressu erysipelatis: & imponi debet medicamentum Aetij, cap. 59. lib. 14. nimirum sumatur nidus hirundinis puluerizatus, mellique admistus, & penna intincta illinatur facies. Hoc medicamentum exsiccat, & non repellit, estque tutissimum. In erysipelate, quod oritur in alijs partibus, dummodo fiat à causa interna, oportet totius corporis euacuationem moliri, ante localia.

Error barbitonsorum.

Sed quæritur, num refrigerantia in erysipelate adhibenda, debeant esse humida, an sicca? Respondet Paulus cap. 21. lib. 4. erysipelata ab initio curanda esse refrigerantibus cum humiditate, non autem astringentibus, seu refrigerantibus cum siccitate. Rationem reddit Galenus cap. 4. lib. 1. per loc. nam astringentia possunt cutem contrahere, & poros constringere, & hoc modo exitum materiæ bilioſæ præcludere, ne exhalet; quæ materia, si detineatur, vehementiùs infestat, quia calidior redditur; & cùm acris sit, magis molestat dolore: astringentia igitur vitanda, quia cutim cõtrahendo erysipelas augent. Sed quoniam Galenus in erysipelate probat frigida humida: cur cap. 4. lib. 1. per gen. vtitur omphacio, quod est astringens? Respondeo; ibi Galenus curat erysipelas phlegmonosum, quod curatur etiam astringentibus. Sed instat quis: erysipelas phlegmonosum curari posse astringentibus mitioribus, at omphacium valenter astringere. Respondeo; Galenus vtitur omphacio, non prima ratione, sed tantùm ad extrahendum succum è portulaca, semperuiuo, vmbilico Veneris: è quibus per se solis copiosus succus extrahi nequit. Animaduertenda autèm est contradictio in Aetio, cap. 59. lib. 14. scribit enim exquisitum erysipelas curandum refrigerantibus, & astringentibus; paulo tamen post addit erysipelata expoſcere humectantia, & refrigerantia. Quæ tamen conciliatur dicendo, Aetium respicere qualitates primas, vel in codice mendum esse; de humectantibus enim, & refrigerantibus in quibusdam codicibus nulla fit mentio. In quibusdam tamen exemplaribus menda hæc sublata est. Præterea caueant iuniores, ne Auicennæ in curando erysipelate consilium sequantur, qui refrigerantibus, & vehementer astringentibus vtitur; contra quàm Græci, alijque Arabes. Hac enim ratione, stipticorum vsu, materia bilioſa magis infigitur, crassiorque redditur, quàm vt postea facilè discuti à digerentibus possit, vndæ sæpe indurati tumores, liuores, ac nigrores in membro contingunt.

Refrigerantia in erysi. num humida, an sicca conueniant.

Obiectio.

Aetij expoſitio.

Quamobrem erysipelas exquisitum refrigerantibus humectantibus curandum est, vt sunt lactuca, polygonum, lenticula paluſtris, portulaca, psyllium, semperuiuum, vmbilicus Veneris, cucurbita, solanum, mandragora, pomorum succus, glaucium, violæ, item succus papaueris, & hyoscyami, cannarum viridium folia, & omnia refrigerantia, quæ aqueo veluti humore aspersa sunt. Ex his varia fiunt composita, vt ol. violatum, oui albumen, & acetum simul mista; similiter philonium quassatum cum succo cucumerum, item rasura cucurbitæ, & cucumeris, & portulacæ, contrita, simul mista, & impoſita: aqua admodum frigida, quibus aliquid opij admiscetur, aut succi papaueris, aut cicutæ, aut mãdragoræ. Hæc proposita tum simplicia, tum composita, alia sunt valentiora, alia mitiora, alia mediocria. Licet etim in omni erysipelate refrigeratio satis intensa fieri debeat; varia tamen hæc esse potest intensio; maior enim est in puro, quàm in non puro, seu phlegmonoso; maior in iuuene, quàm sene; temporibus calidis, quàm frigidis; item in partibus remotis à parte principe; intensior in biliosi humoris redundantia multa, quàm modica. Describitur etiam à Galeno ad refrigerandum erysipelas, certatum, quod refrigerans appellatur; fit enim ex oleo rosato omphacino, cera alba aqua, & modico aceto, cap. 13. lib. 1. simpl. cap. 13. lib. 14 meth. Probat etiam Galenus diaglaucium. Sed in penuria medicamentorum Galenus

Materia refrigerantes in erysipelate.

acetum

acetum, & aquam miſcet, ac imponit. Ego præ cæteris vnum eligo, quod vulgò linimentum ſimplex dicitur: at curandum eſt, vt fiat recens, alioquin rancidum euadit, & magis calefacit, quàm refrigerat. Fit autem è cerato infrigidante Galeni iam propoſito, & ex vnguento magiſtrali, cuius hæc eſt deſcriptio: R. ceruſſæ lotæ vnc. viij. lithargyrij loti vnc. v. ol. roſ. lib. 1. thuris puluerif. vnc. i. & dr. ij. ſucci ſolani vnc. v. ceræ albæ vnc. iij. fiat vnguentum. Infrigidas Galeni tale eſt. R. ol. roſ. lib. 1. ceræ albæ vnc iiij. abluantur pluries in aqua ſimplici, & fiat ceratum. Ex huius vtriuſque æquis partibus componitur, quod linimentum ſimplex dicitur. In his medicamentis adminiſtrandis obſeruandum eſt Galeni præceptum, cap. 41. per gen. non modo eryſipelati actu frigida eſſe imponenda, ſed etiam frequenter immutanda; nam vbi incaleſcunt, magis nocent, quàm iuuant. Paulus cap. 21. lib. 4. non tantùm frequenter immutat medicamenta, ſed etiam perliquida vſurpat, aut ſpongijs madefactis abluit eryſipelata. Poſſumus etiam vti linteis imbutis herbarum ſuccis, & folijs earundem herbarum. Refrigerationis terminum docet Galenus, cap. 4. l. 1. κ. γ. tantiſper enim refrigerandum, donec vehemens ardor ceſſet: quod dignoſcitur, tum ex ægri teſtimonio, qui fatetur ſe non tam inſignem percipere calorem, tum tactu, tum colore mutato ad naturalem partis ſanæ colorem, vel prorſus, vel quodammodo; hic enim eſt indicium materiam, quæ facit eryſipelas, à refrigerantibus eſſe propulſatam. Refrigerato ergo ſatis eryſipelate, dein à refrigerantibus abſtinendum, ne calor partis exſtinguatur, parſque ipſa contrahat colorem, aut fuſcum, aut nigrum, & ſic corrumpatur: id quod & Auicennas monet.

Digerentia.

At ſi tota materia non fuerit euacuata, tunc, ſecundùm Galenum, ad contraria tranſire oportet, id eſt, ad digerentia, quæ reliquam materiam, quæ remanſit euacuent. Cuiuſmodi eſt, ſi conficiamus cataplaſma è farina hordei, milij, fabarum, aut lupinorum, cum melle. Quod ſi abſtinuerimus à refrigerantibus, priuſquam pars, vel liuida, vel nigra euadat, præcipit Galenus, c. 20. l. 2. ad Glauc. partes affectas primùm aqua calida plurimùm eſſe fouendas. Ad quod etiam conducit muria, aqua marina, & aqua, cui ſal ſit adiectum, aqua thermarum, &c. Deinde inciſionibus ſcarificanda pars. Poſtea emplaſtrum è farina hordeacea calidum imponendum. Interdum cataplaſmati acetum, vel muria vtiliter miſcetur: ea ratione, vt materia, quæ ob medicamentum nimis refrigerans concreta eſt, vacuetur, & calor partis natiuus, qui ſemiextinctus eſt à frigido, reuocetur. Et quia materia, quæ coacta eſt, vacuari non poteſt, niſi fundatur; ideò Galenus præcipit perfuſionem aquæ calidæ, aut marinæ, aut fomentum; ſic enim humor concretus funditur. Deinde præcipit inciſionem, vt euacuentur humores, qui iam ſunt quodammodo commoti. Vltimò præcipit cataplaſmata, quæ habeant vim exſiccandi reliquum materiæ. Perfuſio quoque reuocat calorem innatum, à frigido exſtinctum. Rectè etiam eryſipelati liuenti imponitur ceratum roſaceum, cui aliquid calcis ſit admiſtum: viua quidem calx miſcenda eſt, ſi corpus ſit robuſtum, ſin minus, lotam calcem vſurpabimus. Viriliter imponitur etiam coriandrum cum polenta, & pane; lolij ſemen, & folia è vino trita, & impoſita; tuſſilaginis folia cum melle trita; quinquefolij radix cocta in aceto, & trita; ſal ex aceto illitum, aut cum hyſſopo impoſitum; figulorum terra, cum coriandri ſucco, ſecundùm Aetium inſuper calaminthæ, & pulegij, & betonicæ decoctum; atque etiam herbæ ipſæ contuſæ, & impoſitæ, Demum omnia ea, quæ vim habent diſcutiendi, ſolent eſſe valde opportuna liuenti eryſipelati: quibus addatis decoctum ſcordij, quod mirificè calori emorienti ſuccurit.

Hic ponendum eſſet caput de eryſipelate in facie ſed ne omnia inuertantur remittimus lectorem ad finem pag. vbi de eo.

CAPVT IX.

DE OEDEMATE.

Nomen.

TVMOR à pituita procreatus Galeno, & posterioribus dicitur œdema, Græcis οἴδημα. Licet œdema apud Hippocratem, & priscos medicos generaliter significet omnem tumorem præter naturam, vt refert Galen.comm.aph. 24. sect. 4. & alibi. Et his etymon suffragari videtur: οἰδάνεις, seu οἴδημα, nil significat aliud, nisi eminentiam. Nos hic cum Galeno œdema appellabimus tumorem à pituita procreatum; quem Hippocrates com. 34.lib.1. prognost. nominat œdema molle: Auicennas vocat Vndimiam.

Generatio œdematis.

Prouenit à pituitoso humore in aliquam partem influente. Pituitosus autem humor in nostro corpore duplex est: vnus propriè, alter impropriè pituita dicitur. Impropriè dicitur pituita, quæ quotidie vel exscreando, vel vomendo, vel è naribus educitur. Propria pituita duplex est: alia, quæ in ventriculo, alia, quæ in iecore gignitur. Quæ gignitur in ventriculo, si per venas mesaraicas ad iecur traducatur, coquitur a calore iecoris, & in sanguinem vertitur, qui comportatur postmodum per venas. Pituita autem in iecore genita nihil est aliud, quàm frigidior, & humidior pars massæ sanguineæ; hæc enim massa è quatuor constat humoribus, secundùm Galenum cap. 5. lib. de atra bile. Oedema igitur potissimùm prouenit à pitulta illa, quæ in massa sanguinea continetur. Si igitur accidat, vt adaugeatur in quantitate, irritata expultrice facultate à copia materiæ; insurgit hæc facultas ad expellendum, & excitat œdema, quod verò œdema dicitur, factum scilicet à pituita naturali, quę qualitate frigida est, & humida, consistentia tenuis, colore alba; gustu vel insipida, vel subdulcis. Si autem recedat à sua natura in qualitate: hoc fit, vel in sui substantia, si mutentur eius naturales qualitates, vt si euadat acida, aut nitrosa, item glutinosa, aut crassa: vnde fiunt tumoris huius differentiæ; nam si salsa fuerit, & nitrosa, efficit in capite tumores, qui cum paruo vlcere oriuntur, & achores dicuntur; si uerò fuerit crassa, & glutinosa, excitatur tumoris species, quæ scirrhus dicitur. Si pituita recedat à natura, per admistionem sanguinis, fit œdema inflammatorium; si per admistionem bilis, fit œdema erysipelatodes; si melancholiæ, œdema scirrhosum. Nos alij differentijs omissis, agemus de œdemate vero, facto à pituita naturali, frigida, humida, tenui, albida, insipida, vel subdulci. Porrò cum tale œdema oriatur in partibus internis, & externis, nos de externo agemus. Eternum rursus est vniuersale, vt anasarca, vel particulare, cap. 2. lib. 3 de sym. caus. De particulari, quod propriè œdema dicitur, nos loquemur. Solet hoc oriri in omnibus partibus externis; sed potissimùm in manibus, & cruribus; ratio est, quia artus sunt longinqui à fonte caloris, nimirum à corde, & sua natura sunt frigidi, quia componuntur è partibus frigidis, ideò meritò incurrunt in œdema. Generationis modus est idem, qui in alij tumoribus; cùm enim grauatur natura à pituitæ redundantia, insurgit expultrix ad expellendum, & ita à maioribus vasis ad minora detruditur pituitosus humor, qui detentus à densitate cutis, colligitur in musculosa parte, & facit tumorem œdematosum.

De quo œdemate hic agatur.

Modus generationis.

Definitio.

Est autem œdema tumor mollis, laxus, indolens, prementi digito cedens, à pituitosa materia, seu spiritu flatuoso procreatus. comm. 24. lib. 1. prognost lib. 2. ad Glauc. Tumor, qui à flatu fit, & stincta est tumoris species, secundùm Galenum; addit tamen Galenus, œdema etiam fieri à flatu, quia dum pituitosus humor à calore alteratur, qui nunquam est otiosus, vaporem quendam à pituita solet eleuare.

Signa. 1. 2.

Sic autem dignosci debet œdema. Primùm est tumor mollis, & laxus: quæ mollities, & laxitas prouenit ab humore tenui pituitæ. Deinde est indolens; nam pituita nullum facit dolorem. cap. 1. lib. 2. per loc. non enim soluit vnitatem. Et his signis distinguitur œdema ab inflammatione, erysipelate, & scirrho, & alij tumoribus, qui aut duri sunt, aut dolentes.

tes. Tertiò, œdema digitis prementibus cedit. Videtur hoc sub mollitie contineri: quia molle id est, quod in profundum cedit, cap. 4. lib. 4. meteor. quod similiter fit ob humoris humiditatem. Sed Galenus ait Hippocratem hoc signo ostendere velle œdema ita cedere digitis, vt fouea relinquatur; quod maximè proprium est œdematis signum. Addi his signi potest, è sententia Auicennæ, quod sit apostema album, & sine calore: album est, quia pituita est alba: sine calore est, imò cum frigiditate, quia cum pituitosus humor sit frigidus, & humidus, proculdubio contrahitur intemperies frigida: sicut in inflammatione, erysipelate, &c. contrahebatur calida. Si signa non sint pura, sed confusa, & mista, designatur œdema mistum.

Causa immediata est humor pituitosus, redundans in toto corpore. Quem pariunt res non naturales: nimirum aer frigidus, & humidus cibi pituitosi, nimius somnus, nimium otium, desidiosa vita, &c. Interdum huius redundantia habet causam internam, nimirum dyscrasiam frigidam humidam, vel capitis, vel ventriculi, sed potissimum iecoris. *Causæ*

Quad præsagium, notandum, Galenum, cap. 10. lib. 2. ad Glauc. dicere, œdema aliud esse accidens, aliud morbum. Oedema accidens est, quod maximè contingere solet in cruribus, & manibus, interdum etiam in hypochondrijs, & solet consequi phthisin, hydropem, aut cachexiam, in quibus vel ob refrigeratum iecur, vel imbecillitatem omnium partium, ob diminutam earum coctionem, generatur tumor pituitosus; huiusmodi œdema ratione suarum causarum, vt plurimum solet terminari ad mortem. Oedema verò, de quo agimus, quod morbus est, & non succedit alijs morbis, facit ægritudinem diuturnam, & minori cum periculo est, com. 24. lib. 1. prefag. diuturnus quidem est morbus, quia frigidus, ideoque calor, qui concoquere debebat, est debilis: minori autem est cum periculo, quia dolore vacat. Durum autem œdema, quod Hippocrates ita vocat, est cum dolore, & est morbus periculosus. *Prognost.*

In curando œdemate oportet distinguere num proponatur œdema accidens, an œdema morbus. Si proponatur œdema accidens, magis solliciti esse debemus de ipsius causa, vt curetur phthisis, cachexia, aut hydrops. Sed hæc oedomata hùc non spectant, nisi adeò excrescant, vt molesta sint: in quo casu monet Galenus reprimentia, & mitigantia esse opportuna; ideoque fricanda crura oxyrrhodino, vel oleo cum sale, vel oxyrrhodino sal habente, & ijs medicamentis, quæ possunt mitigare, seu reprimere magnitudinem oedematis. *Cura œdematis, quod est symptoma.*

Aggrediamur modo curationem oedematis, quod morbus est, non symptoma, & quod à pituitosa fluxione generatur: in quo curando oportet pugnare aduersùs pituitosum humorem, primùm prohibendo generationem ipsius. Si enim generatur ob intemperiem frigidam ventriculi, hæc corrigenda: si fit à causis externis, hæ omnes auferendæ, ita vt eligatur aer calidus, & siccus, cibi sicciores, vt carnes siluestres, auiculæ montanæ, panis biscoctus, vinum tenue, album, non admodum potens; plus vigilandum, quàm dormiendum, motus potiùs, quàm quies conuenit, nisi oedema sit in cruribus. Secundò, humor genitus, & redundans euacuandus est phlegmagogis, vt melle rosato solutiuo, manna, speciebus hierę, diaphoen. turbith, agarico. Formula potest esse talis. R. electuarij diacatholicr dr. vj. elect. lenit. dr. iij. agarici trochiscati sc. iv. cum saccharo fiat bolus. Maximè probantur pilulæ cocchiæ, de hermodactylis, de agarico Mes. præ cæteris autem cocchiæ laudantur, quæ humorem pituitosum tenuem mirificè solent purgare. Et cùm minera pituitæ sit ventriculus, bonum erit vomitu vti: qua in re prodest oxymel cum aqua calida, decoctum item raphani, &c. Neque ab re erit vsurpare syrupos, qui præparant humorem pituitosum, vt est syrupus de betonica, de stæchade, mel. ros. oxymeli, rad. fen. & petrosel. quæ solent vacuare pituitosum humorem etiam per vrinam. Si humor fluat ad partem affectam, prohiberi debet, vel intercipiendo defensiuis, vel ad contraria reuellendo frictionibus, balneis, inunctionibus calidis, & digerentibus; vel repellendo procul ab affecta parte. *Cura œdematis, quod est morbus, quoad causam externam, & antecedentem.*

Quoad humorem influxum, cùm oedema sit morbus partim in quantitate, partim in qualitate; ratione qualitatis frigidæ, & humidæ, indigemus calefacientibus, & exsiccanti- *Topica ad humorem influxum.*

ſiccantibus: ratione quantitatis, egemus vacuantibus: & cum materia conſiſtat, vel in exiguis venis, vel extrà, & extrà, vel in ſpatijs, vel in poris; ſi exiſtat in exiguis venis, repellentibus eſt propellendus humor; ſi extrà, digerentibus. Licet enim humor ſit frigidus, competunt tam en repellentia. Sic enim & Galenus in lib. per loc. repellētibus vtitur in achoribus tam bilioſis, quam pituitoſis; ſed in bilioſis, refrigerantibus tantùm, in pituitoſis verò aſtringentibus, nimirum, valentioribus repellentibus, quæ frigida ſunt, & ſiccantia. Porrò cum ſcopus œdematis curandi duplex ſit, alter, vt materia digeratur, alter, vt fluxio ſiſtatur; ſciendum in principio digerentibus repellentia debere miſceri, ita tamen vt digerentia præualeant, quia oportet explere ſcopum, ratione qualitatis materiæ. At in progreſſu ſolùm digerentibus vtendum. Hoc enim modo Galenus curauit omnia œdemata. cap. 3. lib. 2. ad Glauc. cap. 4. lib. 14. meth. vbi ſpongiam nouam expreſſam in aqua, quæ parum aceti habet, ligat ſupra partem affectam, ea ligatura, & faſcia, quibus ligantur fracturæ. Vbi notari poteſt miſtus modus curandi, per repellentia, & digerentia. Galenus enim quatuor proponit; nimirum faſciam, ſpongiam, acetum, & aquam. Ad repellendum, vtitur faſcia, & aceto. Faſcia enim circumducta ſupra partem affectam valentius ſtringitur; deinde hinc inde circumducitur non ita ſtrictè; & ſic exprimit humorem à parte affecta ad alias partes, hinc inde, ſupra, & ſubter. Acetùm verò repellit, & abſumit pituitam, & cùm tenuium ſit partium, penetrat. Spongia verò, & aqua digerunt humorem pituitoſum. At dices, digerentia ſunt calida, & ſicca; aqua eſt frigida, & humida: quomodo ergo digerit? Reſpondeo Galenus cap. 8. lib. 1. ſimp. ait aquam digerere: nam in piſcatoribus manus, & pedes corrugari videmus, quæ corrugatio nihil aliud eſt, quàm euacuatio humoris, qui antea ſpatia replebat. Sed, vt verum dicam, Galenus non potiſſimùm hac de cauſa vſurpat aquam, ſed ad obtundendam aceti acrimoniam, quæ cauſa ab ipſo non affertur lib. 2. ad Glauc. nec lib. 14. meth. ſed cap. 19. lib. 1. ſimp. Quod hoc ſit verum, patet; dicit enim: oportet parum aceti cum aqua miſcere, & ſi oedema non quieuerit, plus aceti miſcendum, ita tamen vt bibi poſſit, nam a mitioribus inchoandum: addit etiam, in corporibus duris plus aceti poſſe miſceri. At ſi fuerit oedema ſupra neruos, aut tendines, minus aceti miſcendum. Demum ſpongia vſurpatur ad digerendum; quia cum ſicciſſima ſit, poteſt cohibere omnes humiditates: præterea, cum nitroſæ qualitatis ſit particeps. hac ratione calida eſt, & deterſoria, & ad digerendum opportuna; talis autem oportet, vt ſit noua; ſpongia enim aqua dulci aſperſa non amplius habet nitroſam qualitatem: proinde, ſi non erit noua ſpongia, abluenda erit ex aphronitro, & nitro, & lixiuio deſtillato; item ex aqua maris, aqua ſalita, balneorum Pataunorum, &c. Si hoc medicamento oedema non ſedatur; aquæ, & aceto admiſcendum eſt parum aluminis; quod præſtantiſſimum eſt, quia miſtam habet facultatem digerentem, & repellentem. Si nec his ſedatur, fortiora ſunt apponenda: cuiuſmodi eſt, quod ab Auicenna proponitur: nimirum, ſi ſpongiam madefaciamus in aqua calcis, cui ſuccus myrti ſit admiſtus. Demum, ſi oedema adhuc perſiſtat, & diutius protrahatur, Galen. lib. 2. ad Glauc. curat per ſola digerentia, prætermiſſis repellentibus; primùm enim particulam oleo inungit, dein ſpongiam è lixiuio apponit, & vehementiùs ſtringit. Verùm Auicennæ medicamentum eſt efficacius, ex aqua calcis: in cuius vſu notandum, vt ſpongia comprehendat vndique omnes oedematis partes; alioquin ſequenti die inueniretur humor affluxiſſe ad eā partem, quæ fuit ſpongia nudata. In ſpongiæ defectu ſimiliter vti poſſumus linteis madefactis, aut in aqua calida, aut lixiuio, & ſuperligatis. Proponuntur & alia medicamenta, vt eſt oleum roſ. cum aceto, ſale, & ſulphure combuſto, ana partes æquales: quod medicamētum conuenit in augmenti principio: ſi augeatur quantitas ſalis, & ſulphuris, conueniet quoque in principio ſtatus. Serapio ait emplaſtrum è radice cucumeris aſinini (quæ proprietate pituitam attrahit) cum farina hordei, conferre oedemati, in augmento, & ſtatu. Brancæ vrſinæ folia contrita, & cum axungia porcina veteri miſta, vtiliter imponuntur. Calx viua, trita, & cum axungia porci miſta, oedematibus diuturnis præſtantiſſimum eſt remedium. Sed antequam imponatur medicamentum, monet Auicennas derfricandam eſſe partem, vt iuuetur penetratio medicamentorum.

Medicamenta oedemata.

Et

Et hæc Oedematis est curatio. Quæ quamuis per insensibilem fiat euacuationem, Hippocrates tamen comm 37. lib. 1. prognost. ponit curam œdematis per suppurationem. At verum œdema vix suppurari potest, quia affectus est frigidus; in suppuratione autem requiritur calor. Solus Hippocrates proponit hanc curam, sed nõ in omni œdemate, sed in œdemate circa ventrem. Ait enim œdema in ventre fatigans minùs facere abscessum, quàm quod in alijs, minimè verò omnium suppurari partes, quæ sub vmbilico sunt. At Galenus in comm. ait œdema magis suppurari in alijs, quia ea sedes calidior est. Respondendum autem in illis, & cruribus non suppurari œdemata, quia hæ partes magis sunt longinquæ à caloris fonte. Suppurantur autem œdemata in ventre, ex Hippocratis sententia. Sed addit tex. 35 suppurari, vbi transierit sexagesimum diem. Et optimè, mea sententia, loquitur; statuit enim euenire œdemati diuturno, quod contingit in empyemate, & destillatione pituitæ ad partes pectoris: quæ, etsi natura sua frigida est, & insuppurabilis; ob diuturnam tamen moram à calore alterata fit purulenta. Sic quoque œdema diuturnum curari potest pus mouentibus, vt diachylon cum gummis, aut radicibus liliorum, althææ, & maluæ; coctis, & contusis, deinde admisto adipe gallinaceo, aut suillo. Vbi tumor fuerit suppuratus aperiendus ferro, vel causticõ: deinde foramen apertum seruandum, quousque purgatus fuerit abscessus, cum resina terebinthina, thure, & melle, & in dies adaugenda mellis quantitas, ad maiorem detersionem: postea cauitas carne replenda, hieme vnguento Isidis, æstate de tuthia, mediis temporibus de betonica. Vltimò cicatrix inducenda, aut cerato diapalma, aut linamentis siccis.

Num œdema etiam per suppurationem curari queat

CAPVT X.

DE FLATVOSO TVMORE.

HABET hic tumor cum œdemate coniunctionem: ideoque iam eius tractationem instituimus. Vocatur ἐμφύσημα, inflatio: ab Auicenna, apostema ventosum.

Nomen.

Fit hic tumor, secundùm Galenum cap. 4. libro 3. meth. cap. 7. lib. 14. meth. vbi flatulenta materia in aliquam partem copiosior accessit, aut ibi collecta, in tumorem partem attollit. Porrò hic spiritus flatuosus, secundũ sui substantiã crassus est, & vaporosus: qualis est aer in australibus cõstitutionibus; non aũt aereus est, & tenuis, qualis est spiritus, qui in nostro corpore secundũ naturã cõtinetur, aquilonari aeris cõstitutioni similis. c. 7. lib. 2 ad Glauc. Huius flatulentæ materię causa materialis, est pituita crassa, lẽta, viscida, nimirũ pituita, quæ vitrea dicitur à Praxagora, c. 6. lib. 2. ad Glauc. Efficiens causa est calor nõ adauctus, neq; imbecillis, sed tantùm diminutus. Si enim materia pituitosa crassa sit in corpore, & calor summè sit imbecillis, nullus generabitur flatus; quia talis calor non potest materiam alterare, & in flatum vertere. Contrà si calor sit potens, materia verò tenuis, nullus gignetur flatus; quia ob fortem calorem tenuis materia in halitũ dissipabitur. Quodsi calor sit potens, & materia crassa, ac viscida; spiritus quidem generabitur flatuosus, sed exiguus, & breui tempore durans; quia à potenti calore dissipabitur insensibili trãspiratione. Causæ ergo spiritus flatuosi sunt pituita viscida, seu vitrea, & diminutus calor. Hinc Galen. ait c. 2. lib. 3. de symp. caus. flatuosum spiritum fieri à succis pituitosis, à calore deficiẽte in halitum solutis. Nam pura frigiditas nõ facit flatum, quia nec attenuat, nec cõficit, nec alimentum dissoluit: fortis verò calor cùm longo interuallo humores superet, plus attenuat, quàm requiratur pro flatu inducendo. Quod si humores flatuosi sint, & calor fortis; gignitur quidẽ spiritus, sed exiguus, & nõ diu durans. At calor, qui in humores diminutè agit, eos dissoluit quodã modo, sed nõ resoluit: vnde oritur spiritus flatuosus. Sic ẽt fit extrinsecùs in magno mũdo. Nã in frigidissimo aeris statu, vt flante borea, aut calidissimo æstatis tẽpe, ambiens aer est purus, & serenus. status aũt aeris, inter hos medij nebulam gignunt. Ita

Generatio.

Flatuum causa.

etiam in animalis corpore flatuoſi ſpiritus non gignuntur, dum calor, vel ſummè eſt imbecillis, vel nimium vehemens; ſed ſtantibus intermedijs. Flatus porrò genitus in tumorem partem attollit, quia exire nequit è corpore, ob partium denſitatem.

Differentia flatuoſi tumoris.

Solet huiuſmodi tumor oriri in plurimis partibus, tam internis, quàm externis: interdum enim ſub cute, interdum in viſcerum membranis, interdum in ventriculo, & inteſtinis, interdum in peritonæo oboritur tumor flatuoſus, præcipuè verò ſolet occupare articulos; quia partes hæ habent diminutum calorem, & refertæ ſunt pituita viſcida, & adeſt denſitas partis; prouenit autem pituita hæc è tendinibus, membranis, ligamentis, & ſimilib. quę in articulis conſiſtunt. Flatuoſus hic tumor ſecundùm Auicennam duplex eſt: alius fit à vapore leui, & aſſimilatur althebegio: (althebegium eſt tumefactio quædam ſimilis cachexiæ, quæ prouenit è vitio hepatis, & malo corporis habitu; ſuntq; tumores ſimiles ijs, qui oriuntur ſub oculis, & in facie eorum, qui multum dormiunt: eiuſdem etiam & generis eſt tympanites.) alius tumor flatuoſus fit à vapore ventoſo, & ab Auicenna inflatio dicitur. Prior tumor, qui malum corporis habitum ſequitur, curatur curata ipſius cauſa; ideòq; de altero flatuoſo tumore, qui morbus eſt, nos agemus.

Locus generationis flatus propoſitus.

Generatur hic tumor flatuoſus è pituita fluente à venis maioribus ad minores, donec ad minimas deueniat, & in ſumma ad partes frigidas: in quibus dum conſiſtit, à diminuto calore partium agitatur, & alteratur, & ſic vertitur in flatuoſum ſpiritum, qui detinetur à denſitate partium. Interdum autem flatuoſus ſpiritus generatur in venis maioribus, & ſenſum excurrit per maiores venas, donec perueniat ad partem, in qua firmetur. Interdum licet nulla pituita craſſa adſit in toto corpore; generatur tamen flatuoſus ſpiritus è pituita alicuius partis, quæ ob imbecillitatem partis in tumorem attollitur; puta, quæ propter contuſiones, vel alias cauſas ſit imbecillis, vt non probe coquat alimentum proprium, vnde reſultat crudus humor, qui à diminuto calore exagitatus in ventum vertitur.

Signa.

Cognoſcitur autem hoc modo. Primùm compreſſus hic tumor veſtigium, ſeu foueam non relinquit: & ſic ab œdemate diſtinguitur. Deinde, cùm percutitur, ſonitum, ceu tympanũ efficit, quod eò magis contingit, quò in maiori cauitate continetur; nam incluſus ventus, & percuſſione commotus exitum quærit, & non inueniens, fertur ad latera, facitque ſtrepitum: quo ſigno diſtinguitur ab omnibus alijs tumoribus. Tertiò, in cauitate ſenſibili detinetur: hæc enim natura eſt flatuoſi ſpiritus, vt in cauitate contineatur, & continuus ſit non ſparſus in poroſitatibus, aut ſpatijs. Quartò, Auicennas addit renitentiam manus comprimentis. Quintò, Guido ait lucidum quendam ſplendorem apparere in eius ſummitate. Sextò, non perpetuò, ſed interdum dolor adeſt, ob nimiam diſtenſionem. Septimò, adeſt ſenſus doloroſus ſpiritus percurrentis per corpus, quod tum contingit, cum ſpiritus in venis maioribus generatur.

Cauſa.

Cauſa tumoris flatuoſi eſt pituita craſſa: quæ interdum nullam habet cauſam, præter externam. Sunt autem hæ, aer frigidus, & humidus, nubilus, qualis in auſtrinis conſtitutionibus; cibi craſſi, vt legumina, caſeus, caſtaneæ, cochleæ, nimius cibus & potus, otium, & deſidioſa vita, nimius ſomnus, hemorrhoides ſuppreſſæ, aluus ſtricta, percuſſio, ſeu contuſio. Poteſt enim tumor flatuoſus fieri à percuſſione, & contuſione, licet pituita in toto corpore non redundet, ſed generetur à parte percuſſa. Interdum cauſa redundantiæ pituitæ eſt interna, & dependet aut è capite, aut intemperie frigida, & humida ventriculi. Redundantia igitur pituitæ craſſæ has habet cauſas. Alia cauſa eſt diminutus calor. Cui additur denſitas partis, quæ egreſſum prohibet.

Prognoſt.

Quid ſit de hoc tumore præſagiendum, optimè cognoſcetis, ſi diſtinguetis tumorem flatuoſum, qui ſequitur cachexiam ab eo, qui oritur ſine præcedente morbo; nam prior periculoſiſſimus eſt, propter morbum periculoſum: alter non eſt periculoſus, ſi modò duæ adſint conditiones: prima, niſi adeò ſit magnus, vt propter magnitudinem fiat periculoſus; ſæpe enim vidi genu occupantes ad mortem terminaſſe, propter magnitudinem. Alia conditio eſt, quando oritur cum dolore, & anxietate, quia portendit materiam eſſe venenoſam; ideò tumor ille tunc eſt periculoſus.

In

In curando tumore flatuoſo, primò habenda ratio cauſarum externarum. Eligatur aer calidus; & tenuis: cibi calidi, & ſicci, attenuantes, & flatus diſcutientes, vt panis probè coctus, cui ſal ſit admiſtum, aut cuminum aut feniculum. Potus ſit aqua cocta, carnes ſyluestres aſſæ. Vitentur flatulenta. Proſunt aromata, vigiliæ, motus. Si adſit intemperies aliqua viſcerum, è qua generetur pituita, eſt corrigenda. Redundantia humoris in toto corpore, vacuatione curatur: nimirum venæ ſectione, & purgatione. Humore pituitoſo craſſo redundante, videtur ſolùm conuenire purgatio. Poſſumus vti pilulis de agarico Meſ. de hermodactylis, &c. Non modò probantur purgantia, ſed etiam præparantia, extenuantia, & incidentia pituitoſum humorem. Galenus laudat decoctum nymphęæ, rutæ viticis. Vti poſſumus ſyrupo de hyſſopo, pulegio, oxymelite ſcillitico. Præparati humores euacuandi. Et ſic auferetur prima cauſa. Secunda etiam eſt amouenda, quæ eſt calor diminutus, qui roborabitur cibis optimis, & potu vini aromatici, in modica quantitate: ſpeciebus aromaticis, vt ſunt antidotum diacyminum, diacalaminthes, diagalangæ, aromaticum roſatum maius, &c. *Curatio totius corpus reſpiciens.*

Ablatis cauſis, ad partem affectam veniendum; in qua indicatio eſt vacuandi humorem flatulentum. Et quia è Paullo, cap. 28. lib. 4. duo prohibent ſpiritus flatulenti euaporationem; vnum denſitas partis, alterum craſſities flatulenti ſpiritus: ob id Galenus cap. 6. lib. 2. ad Glauc. ait duas oboriri indicationes rarefaciendi cõſtrictum, & extenuandi craſſum. Extenuatio fit per ea, quæ ſunt tenuium partium. Rarefacientia ea aſſumi debent, quæ habent vim molliendi: cuiuſmodi eſt medicamentum, quod conſtat è pice, reſina terebinthina, & adipe leonino, aut taurino: item quod è ſordibus balnei, calce, & ſycomoro. Lixiuium præterea noua ſpongia impoſitum bene facit: in cuius penuria aphronitrum ſumendum, quod non ſit lapidoſum, ſed ſpumoſum, & facilè liquetur. Præterea oleum de cera chymico modo extractum. Medicamenta autem hæc variari debent, pro denſitate membri maiori, vel minori; pro varietate craſſitiei flatulenti ſpiritus: pro maiori, vel minori caliditate membri; pro ratione ſitus profundi, aut ſuperficialis, ſenſus acuti, aut obtuſi. Sed notandum, antequam medicamenta imponantur, vt pars foueatur ſpongia madefacta in decocto rutæ, aniſorum, pulegij, calaminthę, betonicæ, &c. præterea cinere vitis, & quercus in aqua cocto, & colato ſæpius, donec aqua pungat linguam: hæc aqua excepta ſpongia, aut linteis parti apponetur; nam valentiſſimè flatus diſcutit. Vel: R. ſordium balnei, quantum lubet: calcis viuæ q. ſ. ad inſpiſſandum ſordes, fiat emplaſtrum. Serapio probat ceratum è puluere hyſſopi, ol. anethino, & cera. Præſtantiſſima etiam ſunt ſemina apij, aniſi, rutæ, ammios, & cymini. Quod ſi tumor flatuoſus ſit in profundo, cucurbitula ſicca opponenda, vt attrahat. In hoc caſu lixiuium cineris ſarmentorum vitis linteo appoſitum, & aqua calcis multùm iuuant, ſi modò inungatur pars priùs ol. anethino. *Euacuatio ex parte affecta.*

Quod ſi dolor flatuoſo tumori adiunctus ſit, quod ſolet contingere maximè è contuſione; monet Galen. vt ſolo lixiuio vtamur, cui ſi ſapam, & oleum admiſcebimus, magis dolor mitigabitur.

Sapa cum vino nigro, & exiguo aceto, & modico oleo miſceatur: ijs ſuccida lana imbuta lenit dolorem. In ſumma quando ſunt contuſi muſculi, Galenus præcipit vtendi in medicamento, quod ſimul concoquat, digerat, & modicè aſtringat. Si dolor vrget, mitigantibus vtemur; ſin minùs, diſcutientibus.

CA;

CAPVT XI.
DE SCIRRHO.

E quonã humore scirrhus gignatur.

CIRRHVS, Græcè σκίῤῥος dicitur tumor durus, à nonnullis apostema lapidosum ab Auicenna Sepnitos. Prouenit autem ex humore glutinoso, crasso, viscido, frigido, vt est atra bilis, & superexsiccata pituita. Omnes enim tumores scirrhosi, aut sunt ex atra bile, aut vtrisque mistis. cap. 14 lib. 14. meth Humor autem pituitosus scirrhum procreans non est naturalis illa pituita frigida, humida, & tenuis, è qua fit œdema; sed est pituita in qualitate peccans, ita vt quæ fuit frigida, humida, & tenuis, facta sit crassa glutinosa, frigida, & superexsiccata. Id quod Galenus cap. 9 lib. de tum. præter natur. tradit. Melancholicus humor, è quo gignitur scirrhus, est humor melancholicus naturalis: vt docet Galenus in lib. de atra bile. Eodem loco Galenus diuidit humorem melancholicum in naturalem, & præternaturalem. Naturalem vocat, partem sanguinis crassiorem, densiorem, frigidiorem, quæ veluti fex est sanguinis, & generatur in iecore, estque densior, & durior chyli pars, quam calor natiuus probe conficere nequit: est tamen naturalis, & vtilis corpori, quia nutrit partes densas, & duriores, & sanguinem densat, roborat, & duriorem reddit. Melancholiæ verò præternaturalis duas ponit species: vna est, cùm humor melancholicus supra modum exuritur; & tunc talis oritur species melancholiæ præter naturam, quam neque muscæ volunt degustare. Alia species fit à bile tenue facta, & superassata; quæ prædicta est pernicioſior. Guido duas alias species ponit, quas nec Galenus prætermisit. Prima est, vbi inflammatio, aut erysipelas è vehementibus refrigerantibus insignem duritiem contraxerunt. Altera, quando melancholia naturalis miscetur alijs humoribus; vnde fiunt scirrhi phlegmonosi, œdematosi, erysipelatosi. Scirrhus ergo fit tantum ab humore melancholico naturali, ad quem reducere possumus erysipelas, aut phlegmonem induratam; quia sanguis ille, qui priùs calidus erat, & tenuior, cùm factus sit crassus, & frigidus; proculdubio censendus est melancholicus humor naturalis. Quod si Guido eum appellet præternaturalem, nõ reclamabo, dummodo concedat habere eamdem curationem, hoc est, ex inflammatione indurata, & refrigerata non fieri diuersum scirrhum ab eo, qui fit à melancholico humore naturali influente. Prætermittemus duas melancholiæ species præter naturam, à Galeno propositas, tam quæ fit à flaua bile superassata, quàm quæ ab humore melancholico naturali exusto; quia ex his humoribus oriuntur vlcera cancrosa. Similiter omittemus humorem melancholicum alijs dilutum; quia cognita curatione scirrhi à solo humore melancholico, cognoscetur etiam curatio scirrhi ab aliorum admistione. Quare scirrhus gignitur ex humore melancholico naturali, qui est frigidus, siccus, crassus, & à pituita crassa glu-

Definitio. tinosa. Estque scirrhus tumor durus, & indolens, procreatus, vel à crassa, & glutinosa pituita, vel ab humore melancholico naturali.

Differentia. Scirrhus est duplex: exquisitus, & non exquisitus. cap. 4 lib. 2. ad Glauc. Exquisitus est tumor præt. nat. sensu priuatus, durus. Non exquisitus nõ est omnino insensibilis; difficulter tamen sentit. Oritur in partibus internis, vt liene, iecore, &c. vel in externis; de quo hic solo agimus. In externis, è lib. 1. simp. oritur potissimùm circa musculorum capita, quia huiusmodi partes alijs sunt densiores, ob id n agis indurantur: & propter hanc rationem Galenus dicit pulmonem, iecur, & partes molles vix posse scirrhum contrahere.

Signa. Cognoscitur scirrhus è signis sequentibus. Primum: tumor est sine dolore. Secundum: est tangenti durus. Tertium: si non sit exquisitus, difficulter sentit. Omnis quidem scirrhus dolorem non habet; exquisitus in vniuersum, tum è se ipso, tum etiam si digitis percutiatur: & hoc necessariò euenit, quia quod sensu priuatum est, dolere nequit. At non exquisitus scirrhus, quando aliquem obtinet sensum, dolere potest: idque fit, si valenter comprimatur, aut percutiatur: quamuis è se ipso prorsus sit indolens. Addunt etiam

scirrhum

ſcirrhum non moueri ad tactum; ſicut glandula, ſtruma, ganglium, & alia id genus, quæ ad tactum mouentur: ſcirrhus autem eſt tumor immobilis, ac ſi eſſet clauo affixus. Addunt alij, quod ſupra ſcirrhos aliquando oriantur pili: & tunc euadit exquiſitus ſcirrhus. Diſtinguere autem oportet ſcirrhum factum à pituita, ab eo, qui fit ab humore melancholico: vt Galenus docet lib. de tum præt. nat. ſcirrhi enim melancholici color plumbeus eſt; at ſcirrhus ab humore pituitoſo habet colorem ſimilem colori reliqui corporis, quia pituita alba eſt. Scirrhus etiam diſtinguitur ab alijs tumoribus: vt ab inflammatione, quæ dolet, ab eryſipelate, quod non eſt durum: ab œdemate, quod tactui non reſiſtit, ſed cedit: à flatuoſis, & aquoſis tumoribus, quòd hi reddunt ſonitum, vt tympanum: quæ in ſcirrho non reperiuntur.

Cauſæ.

Porrò, ſecundùm Galenum. c. 9. lib. 7. per gen. ſcirrhus alius per ſe oritur, id eſt, à principio congregatur, & ſenſim augetur: alius non per ſe, ſed medicorum imperitia oritur, quando ſcilicet medici, aut importuna, aut nimiùm refrigerantia, aut nimis valenter diſcutientia inflammationibus adhibent, vt ſic hummor, vel frigore induratus, vel *Διαφόρων* partium tenuium exſiccatus lapideſcat. Si loquamur de ſcirrho, qui prouenit imperitia Medicorum, hic duas habet cauſas; externam, & proximam, ſiue coniunctam. Externa eſt vſus inordinatus medicamentorum: coniuncta eſt humor ipſe concretus & induratus in parte affecta. Si autem loquamur de ſcirrho, qui per ſe oritur, & à principio congregatur, hic tria cauſarum genera obtinet: externam, internam, & coniunctam. Coniuncta patet. Interna, ſeu antecedens nil aliud eſt, quàm redundantia, aut pituitoſi aut melancholici humoris. Redundantia melancholici humoris interdum prouenit è vitio lienis non potentis attrahere quod congruum eſt; è vitio etiam iecoris, quia nimis calidum eſt, & inde maiorem copiam humoris melancolici gignit; interdum hæc redundantia prouenit à cauſa externa. Externæ igitur cauſæ ſunt omnia ea, quæ poſſunt craſſos ſuccos generare: vt aer frigidus, ſiccus, caliginoſus, denſus: cibus, & potus craſſus, vt eſt panis furfuraceus, caro bubula, caprina, porcina, aſinina, leporum, camelorum limaces: vinum craſſum, & nigrum, & omnia, quæ craſſum ſuccum gignunt: nimius motus, nimia quies, nimiæ vigiliæ, menſtruorum ſuppreſſio; animi paſſiones, vt ira, agonia, triſtitia, &c. De pituitæ cauſis ſupra cap. 9. diximus

Quid præſagiendum ſit, docet Galenus cap. 4. lib. 2. Glauc. Scirrhus exquiſitus ſenſus expers eſt incurabilis: non exquiſitus autem facilem curam non admittit: haud tamen eſt mortalis, niſi valde magnus euadat: vt ego vidi aliquando in ſpatulis, circa humerum, ac circa pectus ſcirrhum, qui ægrotum interemit. Cur verò ſcirrhus exquiſitus ſit incurabilis, hinc colligi poteſt; quia enim priuatur ſenſu, conſtat facultatem per neruos inſuere amplius non poſſe: & cùm humor occupet neruos, venas, & arterias, ſtrangulari facultatem neceſſe eſt: vnde & medicamenta nil operantur, quoniam à facultatibus non feruntur ſuppetiæ. Qui autem non eſt exquiſitus curationem recipit, ſed admodum difficulter. Qui lapidoſus eſt factus, non cedit medicamentis; nec enim mitia quicquam efficiunt, valentiora autem plus indurant. Cæterùm aliter præſagiendum eſt de ſcirrho melancholico, aliter de pituitoſo, è lib. 9. ſimp. Melancholicus enim affinitatem cum cancro habet, & hac ratione difficulter curatur, quia à medicamentis facilè irritatur: in quod periculum non incurrit ſcirrhus à pituita.

Curatio.

Externæ cauſæ primò amouendæ ſunt. Eligatur igitur aer tenuis, calidus, & humidus; vitetur nebuloſus, & craſſus. Cibi craſſi ſucci fugiendi; vt legumina, vinum craſſum, panis furfuraceus, caſeus: eligendi cibi eupepti, ad humidum declinantes, & attenuantes, vt panis triticeus, vinum album tenue, oua ſorbilia. pulli gallinacei, ſpinachia, borrago, &c. Vitentur nimius ſomnus, otium, triſtitia.

Vniuerſalia remedia, ad cauſas tollendas.

Secundò deueniendum ad cauſas internas. Et, ſi melancholicus humor prouenit è vitio lienis, aut iecoris, hoc corrigendum: ſi ex hæmorrhoidibus obſtructis hæ aperiendæ. Si prouenit ſcirrhus è ſuppreſſione menſium, mittatur ſanguis è malleoli vena, fœminis; hirudines autem viris applicentur. Si ſanguis plurimæ ſit nigredinis, phlebotomia vacuandus. Si prouenit à pituita, relicta venæ ſectione, purgante vtendum; quod etiam propinari

debet

debet in ſcirrho ab humore melancholico. Sed pituitoſus humor primò præparandus erit attenuantibus,& detergentibus: vt ſyr. de hyſſopo,de betonica,de ſtoechade;decocto calaminthæ,oxymelite ſimpl.& comp.melle roſ.decocto pulegij. Pro humore melancholico, indigemus attenuantibus, & humectantibus; vt ſyrup. de ſucco borrag. bugloſſ. fumar, de lupulis,de pomis; cum decocto meliſſæ,borrag.bugoloſſ &c. His factis, purgabitur humor melancholicus ſena, polypodio, helleboro nigro,confectione Hamech; verbi gratia,R. electuar.lenit.dr.vj florum caſſiæ,confectionis Hamec,ana dr. iij. cum ſaccharo,fiat bolus. Pituitam euacuant agaricus, pilul. de agarico Meſ. pil. de hermod. hiera Pachij: Purgato corpore, materia reuellenda ad partes contrarias, frictionibus, balneis, inunctionibus calidis, & digerentibus. In defluxionibus diuturnis maximè laudo ſonticulos locis congruis inuſtos.

Topicorum ad ſcirrhum facultas.

His ita completis ad partem affectam veniendum, & videndum vt euacuetur materia, quæ facit ſcirrhum. Euacuatur autem non repellentibus, quia materia eſt craſſiſſima,& indurata, ſed digerentibus per inſenſibilem tranſpirationem. Non autem omne digerens conuenit; quia ſi valentiora adhibeantur digerentia, primis diebus quidem cura egregiè procedet; ſed quod de affectu remanebit,id inſanabile omnino erit; tenui enim reſoluto, craſſum reſtitat lapidoſum: cap.4.lib.14.meth. cap. 4. lib.2. ad Glauc. Digerentia igitur ſerunt mitiora. Præterea etiam & alia reſpicere oportet; propter duritiem enim mollientibus vtendum: & propter materiæ qualitatem, adhibenda ſunt, quæ materiam ad diſcuſſionem præparant. Si igitur ſcirrhus fiat ab humore melancholico, qui eſt frigidus craſſus, & ſiccus, indigemus calefaciente,attenuante,& humectante. Si fiat ab humore pituitoſo,frigido, craſſo, viſcido, glutinoſo; hic calefaciendus, attenuandus, incidendus, detergendus. Hæ igitur indicationes è materia ſcirrhi eliciuntur: & vt vno verbo dicam, pars affecta, à frigiditate humoris ad intemperiem frigidam deducta erit calefacienda. Poſſit autem hæ omnes indicationes ad duas referri, ad Emolliendum, & Diſcutiendum.

Durum quo ſuplex, & quomodo tollatur.

Vt autem hæc intelligantur, ſciendum è cap. 5.lib.5.ſimpl. duritiei tres eſſe cauſas,frigiditatem,ſiccitatem,& repletionem. Frigiditas, vt in glacie: & hæc durities ſoluitur leuiter calefacientibus,ſicut glacies à Sole liquatur. Siccitas, vt in manibus ruſticorum, quæ durescunt nimio exercitio: & huc referentur ſolis feruor, ingens inedia,ardens febris,medicamenta ſiccantia citra refrigerationem: & hæc durities ſoluitur emollientibus. Repletio, vt in ventre helluonum; ſic & pulmones aliquando indurantur: & hæc durities poſcit emollientia vacuantia. Tandem poteſt etiam aliquid indurari è coniunctione cauſarum plurimarum, vt ſi concurrat ſiccitas, & frigiditas. Scirrhi ergo interdum indurantur à repletione: frequenter autem à frigiditate: neque ſine ratione,cùm frigiditas tripliciter cõcurrat: primò ab externis rebus, vt ab aere, vel à medicamento, quemadmodum contingit in inflammationibus induratis: ſecundò à parte affecta; nam ſcirrhi potiſſimum creantur in ligamentis,tendinibus,& partibus frigidis; tertiò ab humore, qui eſt valde frigidus, ſiue melancholicus, ſiue pituitoſus. Fit etiam ſcirrhus à repletione, vt ſenſibus patet. Interdum ſiccitas concurrit ad ſcirrum indurandum: licet hoc non ſemper contingat, ſi ſcilicet digerens, vel ſiccum medicamentum inflammationi admoueatur. Omnibus huiſce cauſis emollientia contrariantur.

Materia emollientium, ac diſcutientiũ.

Moderatè emolliunt adeps gallinaceus, medulla ceruina, & vitulina: & hoc ordine: Galenus lib. 7. per gen. componit medicamentum è butyro, reſina colophonia, cera candida, non vetuſta,&c. Secundi ordinis ſunt adeps anſerinus, caprinus, hircinus, taurinus: è quibus ſinguli ſequentes ijs, qui præceſſere, ſunt calidiores. Componitur etiam medicamentum ex oleo veteri, argenti ſpuma, & adipe ſuillo. Tertij ordinis emollientia ſunt adeps leoninus, vrſinus,& è pardo. Sed in calefaciendo,& digerendo leoninus eſt valentiſſimus: proximum locum habet pardi; ſequitur vrſinus. Quarti ordinis ſunt valentiora, vt ammoniacum, thymiama, ſtyrax, bdellium, radices althææ, & cucumeris aſin. folia maluæ tempore ſcirrhi; nam ſcirrhus recens, qui non valdè induruit, mollientibus mitioribus eſt

tractan-

tractandus, atque etiam digerentibus: induratus verò vel inueteratus valentioribus indiget. Secundò vtendi modus sumitur à corpore laborantis; nam corpora rusticorum, & nautarum, fortioribus indigent mollientibus, molliora corpora, vt mulierum, puerorum, eunuchorum, virorum delicatiorum, in vmbra, & otio degentium, mitiora postulant. Tertiò à parte affecta; nam si scirrho ligamentum fuerit induratum, aut tendo, aut alia pars durior, valentioribus est vtendum. Ob quam causam monet Galenus, cap. 4. lib. 2. ad Glauc. si in ligamentis, vel tendinibus scirrhi exoriantur, emollientibus admiscenda esse incidentia, vt acetum; sed non in principio, quia acetum absumit, quod tenue est, & crassum lapidescere facit. Laudat item Galenus in scirrhus suffumigium è lapide pyrite, id est, marchasita, aut molari, qui incandescens exstinguitur in aceto acerrimo, & supra vaporem detinetur scirrhus, & præsertim si ipsi fuerint incocta folia maluæ, althææ, & reliqua huiusmodi. Præcipit etiam continuò locum fricandum, donec sudor appareat: postea apponendum molliens, idque alternatis vicibus tandiu, donec scirrhus absumatur.

Consideratio causarum.

Verum causæ scirrhi diligenter in curatione sunt attendendæ. Si enim ortus fuerit à melancholico humore, mitiùs erit tractandus, & maiori dexteritate, quàm si sit à pituitoso, ne in cancrum conuertatur. Perpendendum quoque, num sit per se ortus, an successerit inflammationi, & erysipelati. Si fuerit ortus per se, sciendum ipsum induratum esse à refrigeratione: quapropter emollientia debent vsurpari, & calida, & euacuantia; vt est, quod ad Almansorem lib. 7. describitur, R. bdellij, ammoniaci, galbani ana partes æquas, in ol. lil. vel irino mollifica, in mortario calido, deinde adde mucilag. sænigræci, & sem. lini, ad pondus omnium, demum additis caricis pinguibus, fiat cataplasma. Mirificè laudatur ad omnes durities vbicunque fuerint. Ante admotionem fouebitur pars decocto althææ, maluæ, chamæmeli, melilоti. Si scirrhus sit factus propter inflammationem, aut erysipelas, à nimiùm repellente, aut discutiente medicamento; tunc emolliens tale conueniet, R. ceræ citrinæ, adipis anatis liquati, & colati, ana vnc. j. ol. lil. vnc. ij. medullæ crurum bouis tantundem: Misce. Si indurauerit à nimiùm siccantibus, emolliendus est humectantibus; vt malua cocta, & cum adipe suillo mista, aut gallinacco, prodest iuris pinguis fomentum, loturæ lanarum, lana succida, aut prædicta lotura imbuta, œsypus, sordes, &c. lutum D. Bartholomæi, S. Helenæ, & D. Petri in agro Patauino.

1.

2.

3.

4.

CAPVT XII.

DE AQVOSIS TVMORIBVS.

AQVOSI, seu serosi tumores sunt, qui à serosa humiditate proueniunt. Horum nullam Tagaultius in sua tabula mentionem facit, sed omnes ad pituitosos tumores reducit, cùm tamen quotidie experientia ostendat reperiri tumores in quibus nihil aliud continetur, quàm serosa humiditas. Nam vesiculæ illæ, quæ è motu, aut aquæ feruentis contactu, aut ferro ignito, aut alia occasione in tumorem attolluntur, meritò aquosi tumores appellantur. Et Galenus cap. 2. lib. 3. de sympt. caus. ait serosa excrementa, cùm in toto redundant, facere hydropem, qui ascites vocatur: in partibus verò corporis excitare pustulas. Galenus ergo tumores aquosos, pustulas uocat. Cùm autem pustulæ aliæ siccæ sint, aliæ humidæ: proculdubio humidis pustulis accenseri debent tumores aquosi. Qui in summa cute frequenter oboriuntur, sudamina appellantur, qui noctu excitantur, dicuntur epinyctides, si in testibus, aquosa humiditas colligatur, ὑδροκήλη: si in umbilico, ὑδρόμφαλος.

Nomen & origo. Tagaultij error.

Tumores igitur aquosi, fiunt à serosa humiditate: Quæ interdum utilis est, interdum inutilis. Vtilis est, quousque compleuit suum usum, qui est, secundùm Hippocratem, ut sit uehiculum alimenti, quando alimẽtum pertransire debet uias angustissimas, ut sunt uenæ mesaraicæ, & uenæ dispersæ per iecoris substantiam. Vbi igitur sanguis à iecore traducitur

Causa.

per totum corpus, non amplius indiget multo vehiculo: ob id natura creauit venas, vt huiusmodi serosam humiditatem ad se attraherent, & post ad vesicam deriuarent. Quare si accidat, vt serosa humiditas in corpus refundatur, stimulans excretricem; hæc expellit ad cutem partes eius aliquas, & ita facit tumores aquosos. Secunda causa est redundantia serosæ humiditatis in corpore: quam interdum facit, vel imbecillitas renum, qui non potuerunt attrahere hanc serositatem; vel refrigeratio hepatis gignentis: vel est causa aliqua externa, vt nimius potus aquæ, aut vini, aut alterius liquoris; nam, secundùm Galenum, aquosus humor est potionis excrementum.

Signa. Cognoscitur hic tumor, quia aliquando magis, aliquando minus tensus est, non tamen tactui renitur; quo à scirrho distinguitur. Dignoscitur ab inflammatione, & erysipelate; quia illi tumores sunt dolentes. Dum comprimitur, non relinquit foueam; & ita differt ab œdemate. Concussus non facit sonitum, sicut flatuosus tumor. Peculiare aquosi tumoris est signum, quod cum pruritu fiat, propter salsedinem, scilicet quæ est in serosa humiditate.

Prognost. In præsagiendo distinguere oportet, num sermo sit de aquoso tumore, qui sequitur vitiũ iecoris, & est hydrops ascites; an verò de alijs. Tumor, qui iecoris vitium sequitur, periculosus est, non tam propter tumorem, quam propter iecoris vitium. Reliqui autem aquosi tumores, periculosi quidem non sunt, sed difficilem habent curationem. Si loquamur de tumoribus, qui similes vesiculis in toto ambitu apparent, & sudamina dicuntur, periculo vacant, & non omnino difficulter curantur. Oriuntur ij, tumores in vmbilico, scroto, in toto corporis ambitu, præcipuè tamen oriuntur circa iuncturas crurum, & brachiorum, ratio est, cum enim hæ partes maximè omnium sint imbecilles, frigidæ, & densæ, facilè possunt in ijs colligi aquosi tumores.

Cura in. Curatio fit per ablationem causarum. Causa verò, est humiditas, tum vniuersalis, vt humor in toto redundans: tum particularis, quæ facit ipsum tumorem. Primò igitur vniuersalis amouenda, quæ si fiat è nimia potione, abstinendum ab hac, & siccantibus vtendum. Si fiat è vitio renum, vel hepatis, hoc corrigendum. Quod spectat ad humorem, in toto contentum, purgari potest, vel per aluum, vel medicamentis vrinam cientibus, vel per sudores, aut halitum insensibilem. Præcipuè tamen laudatur purgatio per aluum, & Hydragoga. vrinam. Hydragogum mite est, syrupus ros. sol. Valentiores sunt pil. cocchiæ; his ipsis valentiores pil. de euphorbio. Omnium optimè conuenit, pilu. alephang. scr. j. cum elaterij gr. iij. bene enim aquas purgat. Si elaterium per simplicem punctionem erit collectum, sufficiet dicta dosis: sin per cucumeris asinini expressionem, amplior erit eligenda. Per Diuretica. vrinam vacuant syrup. de hyssopo, de calamintha, decoctum pulegij, thymi, origani semina, melon. pepon. &c. aquæ etiam thermales Patauinæ, illa Virginis, absente frigida intemperie; præsertim verò aqua Lastrensis.

Topica. Redundantia partis euacuabitur, non repellentibus, sed digerentibus. Neque obstat, Cur repellitur non conuenit. quod serosa humiditas cùm sit tenuis, debeat, & possit repelli, vt fit in inflammationibus, & erysipelate. Non debet repelli ille serosus humor, quia inutilis est. At sanguis tum verus, tum bilioſus possunt repelli, quia sunt naturales humores, & possunt esse vtiles. Humor igitur serosus digerentibus erit euacuandus. Debemus quoque rarefacere cutim, vt facilius exeat. Optimum hoc est, R. fol. maluæ M. j. sem. farinæ lupinorum onc. j. ol. anethini, cha- Aliud Vnc. mæmelini, ana onc. ij. coquantur, tundantur, & cum vino albo, fiat cataplasma. Valentius, Antiq. R. sem. sinapi, sem. vrticæ, sulphuris, spumę maris, aristol. rot. bdellij ana vnc. j. ammoniaci, ol. antiqui, ceræ, ana vnc. ij. Misc. Ego in ijs tumoribus, qui sudamina dicuntur, vsus sum aqua thermali Aponensi: spatio enim vnius diei exsiccat. Si tumores non cedant, valentioribus vtendum, vt aqua calcis, lixiuio cineris sarmentorum vitis. Quod si ita non curentur, secandi erunt, dein mundificandum vlcus, cum resina terebinthina, & melle: post a carne replendum, vnguento de betonica, de tuthia: denique cicatrix inducenda filamentis siccis, puluere tuthiæ, cornu cerui vsto, ære vsto loto, diapalma, &c.

CAPVT XIII.

DE BVBONIBVS NON CONTAGIOSIS.

HActenus de ſummis tumorum generibus egimus ; de phlegmone, eryſipelate, œdemate, ſcirrho, flatuoſis, & ſeroſis tumoribus. Reſtant tumores, qui non ab humoribus influentibus, ſed à partibus decumbentibus excitantur, vt Herinæ, &c. Sed quoniam in præcedentium tumorum ſpeciebus alij quoque tumores comprehenduntur ; ideo de ijs prius agam, exorſus ab his tumoribus, qui ad inflammationem reducuntur : vt ſunt bubo, phyma, phygethlon, ophthalmia, pleuritis, peripneumonia, &c. inter quos potiſſimum ad Chirurgos ſpectant Bubones. *Tranſitus.*

Sunt autem bubones (ſecundùm Galenum cap. 1. lib. 2. ad Glauc. cap. 5. lib. 1. de diff. ſeb.) glandularum inflammationes, ſeu partium glanduloſarum. Porrò inflammatio glandularum dupliciter ſumitur, è cap. 1. lib. 2. ad Glauc. nam vbi accidit, vt glandula inflammata ſtatim adaugeatur, & ad ſuppurationem feſtinet ; hæc inflammatio phyma dicitur. Vbi verò accidit, vt non modò ſanguis bonus coccurrat, ſed etiam parum bilis admiſceatur, talis inflammatio dicitur phygethlon, & panus. Quare de his tribus agemus : de Bubone, qui ſimpliciter eſt glandularum inflammatio : de Phymate, quod eſt inflammatio, cum vehementia quadam ad ſuppurationem feſtinans : de Phygethlo, quod eſt inflammatio glandulæ, eryſipelatis particeps. Bubo duplex eſt. Contagioſus, & non contagioſus : Contagioſus, alius ſequitur febres peſtilentes, & dicitur bubo peſtilens, & febri ſemper eſt adiunctus : alius oritur è lue Gallica, ſine febre, & dicitur bubo Gallicus. *Bubo quid, & qua eius differentiæ.*

Primum igitur agemus de non contagioſo. Bubo ergo inflammatus eſt tumor ruber, dolens, tenſus, & tangenti renitens, quandoque pulſans, in glandulis conſiſtens. Sunt autem glandulæ in inguinibus, axillis, circa aures, collum, faciem, in mammis, oculis, & teſticulis : loquendo ſemper de externis. Et his aliæ factæ ſunt ad commutationem ſanguinis : vt in mamillis ad lactis generationem, in teſticulis ad ſpermatis generationem : aliæ factæ ſunt ad tuenda vaſa, quia ijs, veluti cunei quidam fulcimentum ſuggerunt, ne diſrumpantur, aut à caſu violento afficiantur, cuiuſmodi ſunt glandulæ in collo, ad diuiſionem venarum iugularium : aliæ ponuntur ad replendum ſpatia vacua, & flexuoſa loca, vt quæ ſunt circa faciem, collum, & oris muſculos : aliæ humores ſuperfluos excipiunt, vt glandulæ poſt aures, in axillis, inguinibus, quæ rectè emunctoria dicuntur, quia emungunt humores partium ; vt quæ poſt aures ſunt, cerebri ; quæ in axillis, cordis ; quæ in inguinibus, hepatis humores conbibunt. Bubones, de quibus agimus, potiſſimùm otiuntur in emunctorijs, non autem in mamillis, & teſticulis : hæ enim cum illuſthem habeant vſum, à natura ſatis robuſtæ ſunt factæ, nec ita ſuſcipiunt fluxionem : reliquæ ſunt imbecilles, quia humoribus combibendis ſunt dicatæ. *Bubo non contagioſus.* *Pars affecta.*

Signa eiuſmodi bubonis ſunt rubor, dolor, calor, tenſio, renitentia, aliquando pulſatio in glandula : Quibus addatis, quod aliquando febris eſt adiuncta, quæ eſt de genere ephemerarum. *Signa.*

Cauſæ bubonis ſunt cauſæ phlegmones : ſanguis ſcilicet copia abundans, prouenies à rebus non naturalibus, cibo, & potu, &c. *Cauſa.*

Quoad præſagium. ſi loquamur de peſtifero, præſagienda mors feſtina, ſi de bubone Gallico, dicendum non eſſe lethalem, ſed curatu difficilem, non ratione bubonis, ſed ratione infectionis. Si de alijs loquamur, omnes ſunt ſalubres : quia morbus eſt in parte extima, & imbecilli. Sed notandum bubones, vbi diutius protrahuntur, facilè terminari in fiſtulas, quæ non ſolùm ſunt curatu difficiles, ſed interdum periculoſæ, ideoq; animaduertendum, vt quando ex vno foramine plura fieri incipiunt, bubo feſtinanter curetur. *Prognoſt.*

Curatio.

In curando bubone, vt monet Auicennas tertia quarti, perpendendum, num bubo ſubortus ſit per viam criſis, an alio modo; nam non rarò bubones alijs morbis ſuccedunt, quos etiam ſanant, dum natura per criſin expellit materiam ab internis partibus ad glandulas: ideoque bubonem excitat, qui perfectè iudicat morbum. Aliquando per ſe bubones oriuntur in corpore ſano, ſanguine referto, vbi natura per viam expulſionis propellit ſanguinem redundantem. Quod ſi ergo tumor ſit obortus per viam criſis, monet Auicennas nullo pacto motum naturæ impediendum. Ideo quando occurrit inflammatio glandularum, quam præceſſit aut febris, aut alius morbus: debet priùs conſiderari, num natura per buboném perfectè iudicauerit morbum, an imperfectè. Si perfectè ſoluerit morbum, & ægrum liberauerit; notabitur dictum Hippocratis, aph. 20. ſect. 2. Quæ iudicantur, &c. Galenus rationem reddit; natura enim criſin facit, quando acriter cum morbo pugnat, quod fit in ſtatu morbi, in quo omnia ſunt vehementiora: ideoque rectè monet Hippocrates, in perfectis iudicationibus nihil eſſe innouandum, ſed totum negotium naturæ committendum; nam ſi quippiam molieris; tunc natura, neque medicamenta, neque irritamenta ferre poterit, quinimò ad immoderatam fortaſſe vacuationem naturam irritabis, atque ſic occides ægrum. Totum igitur negotium, in hoc caſu, naturæ permittendum. Num autem natura effecerit perfectam criſin, inde cognoſcitur; quia æger ab initio ſubleuatur, & paulò poſt etiam è toto liberatur à morbo. Quod ſi non ſtatim liberetur à morbo: cognoſcitur naturam perfectè iudicaſſe morbum, è conditionibus bonæ criſis: primùm, ſi viderimus in bubone ad glandulam tranſmiſſum humorem eſſe peccantem, & non alium: deinde, ſi directè, ſecundùm ductum vaſorum, à parte principe fuerit excitatus bubo; verbi gratia; exiſtente inflammatione in iecinore, ſi fiat bubo in inguine dextro: tertio, ſi videbimus factum fuiſſe bubonem, cum virium tolerantia: quartò, ſi præceſſerint ſigna concoctionis in vrinis: vltimò, ſi ortus fuerit in die critico. Hæ conditiones, cum apparent, dicendum bubonem excitatum eſſe a natura perfectè iudicante morbum: & tunc nihil innouandum.

Si bubo fit per criſin perfectam ortus.

Si per imperfectam criſin excitatus.

Si autem natura non perfectè iudicauerit morbum per bubonem: Galenus monet lib. 2. de humor. nos debere opera naturæ ſupplere, & id addere, quod ad perfectam criſin deeſſe videbitur. In quo caſu monet Auicennas humorem eſſe attrahendum medicamentis, & ventoſis ad glandulam. Ego paro medicamentum è fermento, & veteri axungia, vel adipe vrſino, aut leonino: adijcimus etiam diachylon cum gummis, reſinam pini, quæ calida eſt, & attrahit; quin & ſaponem nigrum, ac ſimilia, quæ vim attrahendi habent. Probantur etiam cucurbitulæ ſiccæ, & ſcarificatio, ad criſin imperfectam ſupplendam.

Bubo a ſola ſanguinis redundantia ortus.

Si bubones non oriuntur per viam criſis, ſed per viam expulſionis, hoc eſt, nullo præcedente morbo, ſed tantum ob redundantiam ſanguinis, quę naturam irritat ad expulſionem: hic bubo curandus eſt eo modo, quem docet Paulus lib. 4. & alij. Inſtituta enim victus ratione, ſicut in phlegmone, ſecanda eſt vena, vt è toto corpore ſanguinis redundantia euocetur. Auicennas laudat medicamentum purgans, quando ſanguini alius humor aſſociatur. Debent quoque in hoc caſu exhiberi ſyrupi, quales in phlegmone propoſuimus.

Repellentia improbantur.

Quoad partem affectam, ſolet ſanguis influxus vacuari, vel per repellentia, vel digerentia. Sed Auicennas, Oribaſius, & alij monent nullo pacto vtendum eſſe repellentibus: quod & ſuprà nos probauimus; dum enim ad glandulas fit fluxio, non eſt repellendum, ne fluxio retrocedat ad partes principales, cum periculo ægri. Quare digerentia in curando bubone conueniunt. Verùm cùm in glandularum inflammatione non rarò adſit dolor; hic

Anodyna.

quodam modo ad ſe trahit curationem: ideo priùs ſedandus anodynis. Laudatur lana, oleo calido imbuta, & impoſita, ol. amygdalinum, anethinum, chamæmelinum. Si dolor his

Cataplaſma.

non ſedetur, apponatur cataplaſma hoc, R. ol. chamæmel. lil. alb. anethini, ana vnc. j. ſem. farinæ fænigræci, ſem. lini, hordei, ana vnc. j. ſem. butyri, pingued. gallinæ, ana vnc. ij. croci, dr. j. ouorum vitellos num. ii. Paretur ſic; ſumantur farinæ, pingued. & olea, ac miſceantur cum decocto althææ, aut maluæ ſufficienti, bulliant ad ignem, donec inſpiſſetur ad formam cataplaſmatis: deinde addantur vitelli, & croçus: miſta apponantur buboni. Sedato do-

lore

lore, ad digerentia transeundum; oportet autem hæc valentiora esse, quàm il alijs inflammationibus, quia bubones possunt valentiora tolerare, cùm sint in glandulis obtusum sensum habentibus, & non adeo magnum vsum præstantibus, cap. 2. lib. 2. ad Glauc. Ob id sumatur rad. cucumeris asinini, folia petroselini, & parietariæ; coquantur in vino, & pauco croco adiecto, imponantur. Aut, R. farinæ lupinorum, milij ana vnc. j. rad. lil. alb. althęæ, in vino coctarum, & contusarum, ana vnc. j. sem. ol. chamæmel. q. s. Misc. ad ignem, fiat cataplasma. Multum etiam valet in hoc casu lixiuium factum è cinere vitis, appositum cum stupa: præterea cataplasma è farina tritici, cum melle, confert in principio, quia lenit dolorem, & resoluit: Cataplasma è farina hordei, cum melle, magis resoluit, quàm prius: propterea in progressis bubonibus locum habet. Et sic bubo curatur digerentibus.

Digerentia.

Cataplasma.

Accidit autem aliquando, vt bubones suppurentur: in quo casu pus mouentia vsurpanda. Vt, si sumamus farinam, oleum, aquam, & crocum, & hæc commista imponamus. Vel sumatur diachylon simplex, mollitum pinguedine gallinæ: vel diachylon cum gummis, mollitum pinguedine porcina recenti. Suppurato bubone, secundùm Oribasium, & Paulum, cap. 23. lib. 4. non statim est ad incisionem deueniendum, sed primo tentanda euacuatio digerentibus. In hoc autem casu medicamenta facultates mistas debent obtinere, digerentem, & concoquentem; quia suppuratio non fit vno, eodemque tempore in tota materia; propterea vtendum tali concoquente, R. cepas num. ij. vitell. ouorum nu. ij. rad. malu althææ ana vnc. i. axungiæ porcinæ, butyri, ana vnc. ii. decoquantur cepæ, & vitelli sub prunis, radices in aqua, contundantur omnia: deinde misceatur axungia, & butyrum; & cum s. q. decocti, fiat cataplasma maturans, & digerens.

Bubo suppuratus.

Suppurantia.

Digerentia, & Concoquentia

Catapl.

Si autem puris tanta sit copia, quæ digerente euacuari nequeat, bubonem secare oportet, & quidem ferro potius, qnàm caustico. Si fit sectio in inguine, per transuersum facienda est, quia facilius in fine vnitur; siquidem, dum femur inflectimus, naturaliter cutis sibi applicatur. Facta sectione, & euacuato pure imponenda prius ea, quæ sanguinem sistunt, si opus est, præterea quæ dolorem leniunt, qui è sectione excitatur. Ideo in promptu sit spõgia expressa ex aqua calida, aut vino, aut oleo, quæ parti dolenti apponenda: quo facto, turũda imponẽda, atque etiã stupa cũ albumine oui, si dolor vrget. Si sanguis profluat notabili copia, abstinendum à fomentis, & apponendum oui albumen, cum stupis; deinde turunda imponenda, infecta, prima vice, seuo candelæ, quia concoquit, dolorem lenit, & semper est ad manum; alijs verò vicibus inficietur turunda aliquo concoquente, vt resina terebinthina, thure, & oui vitello.

Incisio bubonis.

Extrà verò admoueatur diachylon, aut simplex, aut cum gummis. Euacuato pure, opus est detergente, quo tempore additur aliqua portio mellis, vel R. vitell. ouornm num. j farinæ lupinorum q. s. ad inspissandum vitellos, ad formam cataplasmatis. Et hoc intus, & extrà ponimus. Ad hunc vsum etiam facit mel rosatum colatum, cui tantum farinæ hordei sit adiectum. q. s. ad inspissandum: quod similiter intus; & extrà ponitur.

Mundificantia.

Mundificato vlcere, caro gignenda, hoc medicamento, R. resinæ vnc. iij. ceræ, vnc. i sem. thuris, mastich, ana vnc i. ol. communis dr. x. Dissoluitur resina ad ignem, cum cera, & oleo: colantur, deinde pulueres inijciuntur. In officinis exstant, vnguentum de beton. de tuthia, Isidis, apostolorum. Carne generata cicatrix inducenda linamentis siccis, vel ære vsto loto, vel puluere tuthiæ præparatæ, vel cornu cerui vsto.

Sarcotica.

CAPVT XIV.

DE PHYMATE.

Phyma.

Depica.

PHYMA est tumor in glandula, qui vehementia quadam augetur, & ad suppurationem festinat. cap. 1. lib. 2. ad Glauc. In hoc tumore curando, supposita vniuersali procuratione, qualem instituimus in bubone, loco affecto imponenda pus mouentia, quæ iam proposita sunt, imitando naturæ motum. Facto pure, monet Galenus vtendum discutientibus, antequam tumor aperiatur, in quo casu Galenus lib. 6. simp. laudat abrotanum tritum cum farina hordei, vrticam, parietariam, radices althææ, ammoniacum melle emollitum. Si puris copia medicamentum superet, ferro, vel caustico aperiatis, & eo modo curetis, vt bubonem.

CAPVT XV.

DE PHYGETHLO.

Phygethlon.

Topica.

PHYGETHLON est inflammatio in glandula, erysipelatis particeps; aut est erysipelas inflammatorium, cap. 1. lib. 2. ad Glauc. In hoc præcedat vniuersi corporis procuratio per venæ sectionem, purgationem, diætam. Quoad partem affectam, potius digerendum, quàm suppurandum, quia huiusmodi tumor habet bilem admistam: propterea Galenus lib. 6. simp. laudat alsinem, instar cataplasmatis, item atriplicem, & folia maluæ hortensis: item ceratum humidum, quod describitur cap. 6. lib. 1. simp. In summa φύγεθλον discutientibus mitioribus curandum.

CAPVT XVI.

DE BVBONE GALLICO.

Suppurantibus hic esse locum, non digerentibus.

IN hoc intentio est, omnibus modis tumorem in pus vertere, nequaquam autem per halitum digerere; multò minùs repellere: quia experientia testatur sæpe ægrotantes euadere à lue venerea, si fiat euacuatio sensibilis; sæpenumero iterum corripi lue venerea, si fiat insensibilis vacuatio bubonũ. Et ratio est, quia tenuiore parte resoluta, crassiores intus se defigunt, & concrescunt: sensibilis verò euacuatio non modo materiam influxam contagiosam, verùm etiam quamuis aliam, quæ in corpore est, euacuare solet: & hoc fit ratione vacui, quia humores semper sequuntur id, quod euacuatur; ideo de materiæ resolutione nihil in hoc bubone cogitamus. Quoad totius corporis procurationem, neque venam secamus, neque purgans exhibemus, neque diætam ordinamus; sed sinimus patientes vti consueto victu. Tota autem nostra intentio conuertitur ad suppurationem, & attractionem. Quæ remedia in bubone suprà recensuimus. Suppuratus aperitur ferro, vel caustico: tutiùs fit ferro. Apertio non sit admodum lata, quia locus diu apertus non potest seruari; sed sufficit foramen iustæ magnitudinis, quod turunda imposita conseruetur. Præterea huiusmodi bubones, qui in inguine oriuntur, aperiendi sunt in elatissima parte, quæ tamen non nihil inferius spectet: neque ferrum altius immittendum, quia ibi adsunt venæ, & arteriæ insignes, quarum si vna pungeretur, periculum esset, ne è vestigio æger moreretur; nam glandulæ,

dulæ, in quibus oritur bubo, ſunt in inguine poſitæ, non modò vt ſint emunctoria iecoris, ſed etiam vt fulciãt diuiſiones illorum vaſorum. Apertus purgari debet, vt in bubone diximus: & ſeruari debet apertus per 15. 20. aut 30. dies, plus minus, prout materiæ adeſt copia. Hoc verò tempore venam ſecamus, medicamentum purgans exhibemus, & diætam congruam ordinamus. Vbi diutius apertus fuerit ſeruatus, deinde carne replebitur, & cicatrix obducetur. Et hoc modo curatur bubo Gallicus, qui ſuppurationi rebellis non eſt. *Purgatio.* *Conſolidatio.*

Interdum verò accidit, vt pertinaciſſimi ſint ad ſuppurationem: in quo caſu conſulo, vt cucurbitula affigatur, alternis diebus: interim autem diachylon cum gummis, & ſapone nigro, apponendum: quo contumaciſſimos bubones Gallicos ſuppurari vidi. Quod ſi nec his ſuppurari poſſit, cùm diutius fruſtra tentata eſt ſuppuratio, & morbus eſt in longum protractus: recurrimus ad venæ ſectionem, purgationem, & diætam: apponimus cucurbitulam, & diachylon: & ſic frequenter ſuppurantur. Si nec ita queant ſuppurari; ad alia tranſeundum. Nam in bubone quodam duro, & pertinaciſſimo, caſus aliquando docuit ſuppurationem: cùm nec phlebotomia iuuare, nec dicta præſidia ſuppurationem efficere poſſent. Empiricus ergo duro illi buboni cauſticum impoſuit, & ita exuſſit locum profundè: inde deceſſit eſchara, & apparuit ſubiecta caro rubra, atque ſicca: tandem breui ſpatio fuit vlcus repletum carne, & cicatrice obductum; citra vllam ſenſibilem vacuationem, quæ alicuius eſſet momenti. Ad me æger redijt: & præcepi, vt cucurbitula affigeretur: quo facto, tota illa caro tenella, & noua ex vlcere ablata fuit: poſtea apertum diu vlcus detentum, è quo copioſiſſimà materia effluxit: & ita verè fuit liberatus. Quod exciderit caro noua, factum eſt à vehementia cucurbitulæ. Quin etiam experientia docet, ſi cauſis licèt ſuppuratio perfici nequierit, locus aperiatur, & vnguento Iſide diutius apertus detineatur, plurimum ægris vtilitatis fieri. *Bubones rebelles.*

CAPVT XVII.

DE BVBONE PESTIFERO.

BVBONES peſtilentes pauci curantur: ægri enim interdum prima die moriuntur, interdum quarta, rarò vltra viuunt. Purgatio in hoc periculoſa; quia medicamenta à principio valde turbant naturam. Vtiliſſimum tamen eſt materiam veneficam attrahere ad illam partem epiſpaſticis validiſſimis, vt ſunt cantharides, ſuccus tithymali, ranunculus contuſus, & appoſitus. Omnium maximè laudo flammulam, quia admodum attrahit, & veſicas excitat, per quas venenum expurgatur. Interdum cauſticis vti licet, & feliciter res ſuccedit. Inuſtione facta congruum eſt theriacam, & mithridatium imponere, emplaſtri modo. *Bubo peſtilens.*

CAPVT XVIII.

DE CARBVNCVLO.

ANθραξ, carbo, vel carbunculus dicitur: Auicennæ pruna, & ignis Perſicus; vrit enim, vt pruna, vel colorem refert carbonis exſtincti. Eſt enim tumor maximè adurens, nigram cruſtam habens. Galenus cap. 12. libr. de diff. morb. dicit carbunculum eſſe morbum compoſitum è tumore, & vlcere: Fit à ſanguine calido, cap. 1. lib. 2. ad Glauc. cap. 6. lib. de tum. præ. nat. Sed quid intelligat Galenus per ſanguinem calidum, explicat cap. 9. lib. 2. de diff. feb. inquiens: dum ſanguis aduritur, ſubtilior eius pars vertitur in flauam bilem; craſſior verò in atram, vt contingit in carbonibus. *Nomen, & definitio.*

Aduri-

Differentia. Adquiritur autem sanguis, vel per se, vel aliis admistis humoribus. Hinc inuicem carbunculi differunt. cap. 19. lib. 2 ad Glauc. Alius est vlcus crustosum, vel cineritij, vel nigri coloris: alius oritur cum pustulis, quales ab igne excitantur, quibus ruptis subest vlcus crustosum. c. 10. lib. 14. meth. & quidem plures carbunculi oriuntur cum pustula, quàm sine ea. Qui fit cum pustula, Auicennæ dicitur pruna, & ignis Persicus. Pustula interdum vna sola est, interdum plures, & exiguæ, vt milij semina, quibus ruptis subest crusta. Humor autem, qui sanguini admiscetur, & pustulas excitat, secundùm Auicennam, est materia biliosa, & tenuis. Veraq; species carbonis rursus duplex est, aut enim est pestilens, aut non est pestilens, dum scilicet non habet aliam aduentitiam adiunctam malignitatem, quàm eam, quàm à tumore habet, com. 12. lib. 3 epidem.

Signa. Anthracis non pestilentis signa sunt: 1. vlcus cum crusta, quæ aliquando cineritia, aliquando nigrior est, quando nimirum maximè est adustus. 2. caro crustosa liuida inflammatione cingitur, & colorem habet nigricantem, & splendet ceu pix, & bitumen. Cels. c. 18. lib. 5. 3 febris, propter humoris feruorem: Galeno teste, lib. de atra bile. 4. dolor vehemēs. c. 1. lib. 2. ad Glauc. 5. somnus, & horror. Quando carbunculus emersurus est, ægri sentiunt prurigum magnum; si scalpunt, excitant pustulas milio similes, quibus ruptis subest vlcus cum crusta. Signa pestilentis. 1. aeris constitutio pestilens 2. febris debilis, mitis, blanda & ferè imperceptibilis, ambulant sæpe, donec mortui cadant. 3 deperditio floridi coloris faciei. 4. denigrata lingua, vel flauescens. 5. vrina tenuis, turbulenta. 6. deiectiones liquidæ, & cholericæ. 7. appetitus prostratio, nausea, vomitus. 8. sudor, vel multus, & tepidus, vel frigidus. 9. fœtor grauis animæ 10. spirandi difficultas, vox rauca. 11 dolor capitis, vertigo. 12. somnus aliquando profundus, interdum vigiliæ continuæ. 13. syncope, præsertim quando mors imminet. His addantur alia; vt pustulæ, ulcera cum crusta, &c.

Causa. Causa proxima, & immediata est fluxio feruentissimi sanguinis ad partem: quæ excitatur à redundantia in toto. Redundantia oritur, uel ex intensa iecoris caliditate; uel è causis externis, ut è cibis calidis, & praui succi: præter hæc, pestilens habet pestilentem aerem.

Prognost. Pestiferum Galenus uocat perniciosissimum, com. 14. lib. 3. epidem. Non pestiferi, periculosi & ipsi sunt, quia oriuntur à uitiosis humoribus, cap. 6. lib. de tum. præt. nat. & accendunt febrem ardentissimam, suntque cum periculo uitæ coniuncti.

Curatio. Vacuatio tota. In carbunculo non pestilenti duplex est causa: feruentissimus in toto sanguis: & particularis redundantia in parte affecta. Primùm igitur euacuanda redundantia uniuersalis, ut quæ fouet particularem. Euacuatur uenæ sectione usq; ad animi deliquium, nisi quid obstet: aphor. 23. sect. 1. in carbunculo enim est maxima inflammatio. lib. 14. meth. & præterea adest febris intensissima, ardens: quinetiam grauissimus dolor. c. 1. lib. 2. ad Glau. Igitur his de causis ad leipothymiam vacuandum. Et propterea Galenus non facit mentionem purgantis; quia dum sanguis euacuatur ad leipothymiam, non licet aliam vacuationem moliri, aliàs periculum esset de vita. Si uerò ad animi deliquium sanguis mitti non possit, tutò propinatur purgans: quod sit, epithymi ad unc. sem. cum sero lactis; uel unc. j. pulpæ tamarind. cum drac. ij. confect Hamech. Si febris adsit non nisi leniens dandum. Simulque recurrendum ad syrupos refrigerantes, uel refrigerantes herbæ in sero lactis incoquentur. Victus refrigerans, ptisana hordei, cum sem. melonum.

Alteratio.

Topica. Quoad partem affectam, hæc euacuatur, vel repellentibus, vel digerentibus; sic enim curatur inflammatio: at vlcus alia indicat. Galenus cap. 10. lib. 14. meth. videtur damnare repellentia, quia humor est crassus, ferinus, & malignus: verùm respiciens maximam inflammationem ait omnino repellendum, tum vt refrigeretur inflammatio, & defendatur pars à gangræna, tum vt mitigetur dolor. At soluit difficultatem distinctione, opportuna scilicet esse, quæ modicè reprimendo etiam digerere possunt, sic enim digerens non calefacit, repercutiens verò cùm validum non sit, non potest succos protrudere in altum. Ideo componit medicamentum è plantagine & pane, cum lacte coctis: panem vult esse neque furfureū, neque omnino furfure liberū, sed medio habentem modo. Secundum medicamentum

facit

facit ex orobi farina, & oxymelite. Auicennas vtitur galla, cum aceto vini, & alumine cum aceto vini. Vel R. malum Punicum acidum, hordei P.j. fol. plantag M.ij. coquantur in posca, & contundantur. Deinde R. pulpam mali cydonij prunis incocti, fiat cataplasma. R. fol. cupressi viridium, passul. sine nucleis, farinæ hordei, caricarum, ana vnc.ij. fol. rutæ M.j. nucis iuglandis vnc.ij. In ipso vlcere crustoso Galenus facit scarificationes, & sectiones. Vt autē crusta facilius auferatur, Rhasis fouet prius locum aqua calida, dein scarificat. Locis autem scarificatis, vt docetur, cap. 10. lib. 14. meth. nō imponenda quę alijs imponi solent, vt pus mouentia: sed maximè siccantia, & putredini resistentia; carbo enim semper putrescendo serpit. Hinc Galen. laudat pastillos Andronis, Polyidæ, & Pasionis, qui liquandi in vino dulci, vsq; ad lordium spissitudinem. Galen. lib. 2. ad Glauc. si magnus tumor adsit, diluit pastillos, in principio vino acerbo, postea aceto. Si his non cedit, sed durities remanet, monet Paulus vtendum melino Serapionis, studendumq; vt carbunculus citissimè suppuretur, cataplasmate bis in die appositō: probat nuces iuglandes, oleosas, pingues, contusas, &c. Quod si adhuc cedere nolit, monet Galenus, vt aduramus vlcus, vel ferro, vel medicamentis; adustio enim statim, & crustam, & putredinem absumit. Si ferrum renuunt, Galen. vtitur musy, chalcitide, arsenico, calce. Facta vstione, vt crusta cadat, Aetius laudat folia verbenæ rectæ, & cupressi, fimum gallinaceum aridum, cum antiqua axungia: Laudat item, non modò ad crustam tollendum, sed è toto sanandum vlcus, radices liliorum recentes, ad formam cataplasmatis administratas. In carbone pestilenti, antidota exhibenda cum scordio, & syrup. acetositatis citri. Phlebotomia ad animi deliquium non conuenit, quia vires statim collabuntur: interdum tamen molienda. Localia sint attrahentia validissima, & quæ sua proprietate venenis resistunt, vt sunt, trochisci viperini, theriaca, Mithridatium. Quæ vim causticam habent, magis attrahunt; vt arsenicum, flammula. Cucurbitulæ etiam scarificatæ locum habent: & nonnumquam hirudines. Ad tollendum putredinem, ablutio fiat aqua salsa calente; si nihil aliud ad manus sit, calx viua imponenda.

Curatio anthracis pestifera.

CAPVT XIX.

DE GANGRÆNA, ET SPHACELO.

CHIRVRGI ad inflammationes solent reducere gangrænam, & sphacelum; quia eiusmodi affectiones solent magnis inflammationibus superuenire. Est autem gangræna mortificatio partis, quæ inflammatione tentata est, cap. 9. lib. 2. ad Glauc. Vbi verò membra planè emortua sunt, eam affectionem Sphacelum nominant. Gangræna ergo dicitur affectio illa, quæ est in parte, dum emoritur; Sphacelus verò dum emortua est. Cùm igitur vtraque passio sit mortificatio, neque differant, nisi secundùm magis, & minus: ideo vtriusque eædem erunt causæ. Vita seruatur per caloris conseruationem; mors autē nihil aliud est, quam corruptio caloris: quapropter viuentia videntur calida, morientia frigida. Hinc patet, cùm gangræna sit partis mortificatio, quod nil aliud sit, quàm corruptio caloris illius partis. Corrumpitur calor à quinque causis. Primùm à frigore, vt videmus hiberno tempore nonnullos acri gelu exstingui. Secundò, corrumpitur calor natiuus ab excedenti, & nimio calore extraneo, qui calori natiuo, non minus, quàm frigus, est contrarius; sic enim à febrili calore exstinguuntur multi. Tertiò, defectu nutrimenti: nisi enim quis comederet, periret; quia calor, in inferiori mundo contentus, cum sit extra proprium locum, euolaret sursum, nisi aliquid esset, à quo tamquam vinculo detineretur, quod fit ab alimento. Quartò corrumpitur à prohibita perspiratione, quia calor indiget conseruatione: sic cucurbita non perforata, suffocando flammam exstinguit, perforata conseruat. Quintò corrumpitur calor ab aliqua substantia venenata, quæ tota proprietate calori aduersa est, vt ictus scorpij, viperæ, venena, quę proprietate occulta calori nostro sunt contraria.

Definitio.

Caloris corruptio.

Cauſa. Porrò gangræna duplici ratione generatur, vel ex humorum influxu, vel ſine humorum influxu. Accidit enim aliquando, vt in noſtro corpore generentur humores quidam venenoſi, qui, ad quamcunque partem perueniant, ipſam mortificant, & gangrænam in ea excitant. Aliquando autem ſine humorum influxu gangræna oritur, cap. 1. lib. 2. ad Glauc.

1. Hoc poſito, dicimus à quinque cauſis fieri grangrænam. Prima eſt frigus, vt accidit remigantibus hiberno tempore; pariter etiam inflammatio, & erysipelas, nimium refrigerantibus admotis ſolent migrare in gangrænam.

2. Secunda cauſa eſt calor extraneus: hac ratione vehementes inflammationes propter excedentem calorem ſolent cõuerti in gangrænas: pariter erysipelata, è nimium calidis admotis.

3. Tertia cauſa eſt defectus alimenti, ob id artus diu vexatorum tabe, & maraſmo, ſolent conuerti in gangrænas, propter alimenti defectum: quia cùm artus ſint longinqui à fonte caloris, propter facultatis imbecillitatem non poteſt nutrimentum illuc peruenire. Sic etiam gangræna afficitur membrum, quod

4. aliquo vinculo arctius eſt conſtrictum. Quarta cauſa eſt prohibita tranſpiratio: qua ratione in magnis inflammationibus ſolent prouenire gangrænæ, propter validam obſtructionem.

5. Quinta cauſa ſunt venenoſi humores, in corpore conſiſtentes, geniti, vel à prauis cibarijs, vel prauo aere attracto. Hi cùm in aliquam partem fluunt, eam mortificant: ob id exactu etiam venenoſo gangrænæ ſolent excitari. Sic in vulneribus fiunt gangrænæ ex eadem cauſa, è qua in phlegmone; itidemq; in contuſionibus. Hæ cauſæ ſunt gangrænæ; atque etiam ſphaceli: differunt tantùm intenſione, & remiſſione.

Signa gangræna ſine affluxu. Cognoſcitur autem è ſequentibus. Primò floridus color, qui in inflammationibus erat, exſtinguitur in gangræna. Secundò dolor, & pulſus ceſſant: non quidem ſedata diſpoſitione, ſed ſenſu mortificato. Tertiò ſenſus hebetatio adeſt. At inſtabit aliquis: gangrænas, quæ oriuntur ex humorum affluxu vehementer dolere. Quare, ſi perfectè gangrænas dignoſcere volumus; oportet diſtinguere, num fiant ex humorum affluxu, vel ſine affluxu. Si enim gangræna fiat ſine affluxu, id eſt, ſi habeat cauſam aliquam præcedentem, vt quæ ex inflammationibus oritur; modò dicta ſigna locum habent. Et meritò ſanè, hæc ſigna apparent in parte affecta: quia omnis pars regitur ab hepate, corde, & cerebro; quæ partem emortuam deſerunt: Floridi ergo coloris exſtinctio denotat vegetatiuam deeſſe facultatem, quæ vna cum ſanguine ad membrum peruenit, quia ſanguis eſt cauſa floridi coloris: deinde doloris ſedatio, & ſenſus hebetatio ſignificant animalem facultatem partem deſerere: pulſus ceſſatio vitalem facultatem non amplius influere in partem. At ſi gangræna fiat cum affluxu hæc ſunt ſigna. Primò, aſſociatur febris continua, & maligna, quæ

Signa gangræna cum affluxu. prouenit ob venenoſos humores in corpore. Secundò, dolor intolerabilis, ob maximam luctam, & tenſionem quæ fit in parte emoriente: non enim poteſt dari maior tranſmutatio, quàm quæ eſt à vita ad mortem: ob id Hippocrates, & Plato dicebat, tunc dolorem fieri, quando natura alteratur & corrumpitur. Tertiò, huiuſmodi gangræna oritur cum puſtula quadam, ſeu veſica, ſub qua eſt macula nigra. Quartò, floridus color partis immutatur, & ferè exſtinguitur. Quintò, huiuſmodi gangræna ex humorum affluxu, fere ſemper ſolet incipere in digito magno pedis, deinde progreditur, ſic vt breui, & tibiam, & totam coxam apprehendat.

Spaceli ſigna. Sphaceli ſigna ſimilia ſunt ſignis gangrænæ, ſed aliquantulum intenſiora. Primùm eſt niger, & mortificatus color. Secundò, ſenſus omnimodè adfertur, ſi pungatur aut ſecetur nil ſentit. Tertiò, membrum cadaueroſum, ob calorem extraneum, fœtorem exſpirat. Quartò, membrum redditur molle, & putridum. Quintò, ſi pars prematur, cedit in profundum, veluti œdema. Sextò, ſi cutis digitis attollatur, facilè à ſubiecta carne ſeparatur, quia deeſt calor. Vnico ergo ſigno potiſſimum gangræna & ſphacelus diſtingui poſſunt, ſecundum Galenum lib. 2. ad Glauc. & Paulo c. 19. lib. 4. ſi enim pars ita laborans ſecetur, pungatur, vel aduratur, & nihil prorſus ſentiat, huiuſmodi affectio, ſpacelus dicitur: ſi ſentit, dicitur gangræna.

Prognoſt. Incurabilis, & mortiferus eſt ſphacelus, cùm iam planè pars ſit emortua, nec à priuatione ad habitum detur regreſſus. Gangræna curabilis quidem eſt, ſed adeo difficulter,

vt

vt niſi quis præſentiſſimo remedio occurrat, pars continuato quodam motu ſenſum emoriatur, ac breui temporis ſpatio hominem iugulet. Celſus cap. 24. lib. 6. vult gangrænam non eſſe curatu difficillimam, ſed hoc intelligendum, ſi incipiat in corpore iuuenili: ſi muſculi illæſi, ſi nerui parum affecti. Cæterũ, gangræna, quæ fit ex humorum affluxu, multò difficilioris eſt curationis, quàm quæ ſine affluxu: & in praxi rarò vidi grangrænas obortas ex humorum influxu, feliciter terminatas eſſe, interdum enim vidi homines periiſſe vnica die, vt ſenes; interdum pluribus, vt iuuenes.

Curatio Gangrænæ.

Curatio ſi gãgræna fiat ab humorum affluxu.

QVare, ſi gangræna fiat cum humorum affluxu, qui geniti ſunt in corpore (ab aere peſtifero, ebrietate, cibis prauis, vita otioſa, immodica venere,) & deſcendunt ad partem aliquam, vt digitum magnum pedis, inducuntque gangrenam, cui aſſociatur febris peſtifera, puſtula cum macula nigra, dolor intolerabilis, &c. in hac gangræna oportet quàm citiſſimè ſuccurrere, alioqui nihil iuuabis. Et, cùm hæc gangræna proueniat è redundantia humorum, hi erunt vacuandi. Licet autem redundantia hæc contineatur ſub genere cacochymiæ; tamen auctores præcipiunt phlebotomiam, ſi modò corpus repletum ſit: præterea venæ ſectio iuuat febrim, & cùm æqualiter omnes euacuet humores, prauum quoque vacuat. Miſſo ſanguine, purgante vtendum, præmiſſo leniente; quia cùm adſit febris intenſiſſima, ante purgationem aluus erit lenienda caſſia, tamarindis, ſyr. roſ. ſol. quæ medicamenta refrigerantia ſimul ſunt. Poſtmodum ea exhibenda, quæ contrariantur humori facienti gangrænas; qui cùm ſit prauus, & venenoſus, & omne id fiat ex inſigni putredine; ideo dupliciter aduerſus humores pugnare poſſumus, vel manifeſtis qualitatibus, vel occultis. Si manifeſtis, cùm omnis putredo fiat à calido, & humido; indicatio erit refrigerandi, & ſiccandi. Si occultis præſtandum hoc ijs, quæ à tota ſubſtantia id faciunt. His ſcopis ſatisfacimus diæta & medicamentis.

Vena ſectio.

Lenientia. Alterantia.

Diæta, & cura totius.

Itaque eligendus aer frigidus, & ſiccus: vel arte parandus. Cibaria ſint refrigerantia, & ſiccantia, vt ptiſana hordeacea, aqua, cui admiſceatur ſyr. acetoſus ſimplex; vel ſuccus citri. Suffumigia in domo fiant ex aceto, ſantalis citr. aqua roſ. cinnamomo, aromatibus, & ſimilibus. Ordinamus ſyrupos cichoraceos, de ſucco acetoſæ, acetoſitatis citri cum decoctis conuenientibus. Laudantur auiculæ montanæ, ſiue contuſum ex his fiat, ſiue alio modo exhibeantur: laudantur oua: quæ omnia reſiſtunt putredini manifeſtis qualitatibus. Exhibentur boli Cordiales, cùm in hoc malo cor patiatur: fient autem è conſeruis roſarum, borraginis, bugloſſi, &c. quibus permiſcetur bolus Armena, aut terra ſigillata. Vorantur hi boli cum ſyrupo decente, horis tribus ante prandium, & cænam, ad ſcr. ij. aut vnc. ſem. pro qualibet uncia conſeruæ, ſcr. j. pulueris cordialis adiicitur, & formantur boli cum ſyrupo de acetoſit. citri, aut acetoſo ſimplici. In hoc etiam caſu probantur theriaca, & Mithridatium, quæ & manifeſtis, & occultis qualitatibus ueneno aduerſantur. Quod ſi timeatur febris; admiſcenda conſerua, aut acetoſitatis citri, aut acetoſæ. In ſumma, quod ſpectat ad curationem totius corporis: ea eſt adhibenda ratio, qualis obſeruatur in febre maligna, & peſtilenti.

Topica doloꝝ ſedantia

Parti autem affectæ, ſic prouidendum. Cùm adſit dolor intolerabilis, leniendus erit. Et hæc cura, quam vobis tradam de gangræna è confluxu humorum uenenatorum, competet quoque curæ alterius gangrenæ, quæ fit ſimiliter à materia uenenata, puta à morſu uiperæ, ſcorpij, &c. quæ ſunt ſine humorum affluxu, in quibus tamen adeſt dolor intolerabilis. Dolor hic curatur, uel euacuando uirus, uel alterando id, quod dolorem excitat, c. 16. lib. 15. meth. Similiter in gangræna facta è confluxu uenenoſorum humorum, ſedatur dolor, uel uirus alterando, uel uacuando. Vacuant humores, cucurbitulæ, excauata cornua, ſuctio, &c. Alterant humores peſtiferos, quæ ſunt ijs contraria, uel qualitate, uel tota ſubſtãtia. Qualitate; ut ſi humores uenenoſi ſint calidi, pro leniendo dolore, refrigerantia erunt admouenda, ſi frigidi ſint, calidis utendum. A tota ſubſtantia dolorem leniant,

quæ occulta qualitate aduerſantur humori venenoſo. Ideoque tres habemus modos. Primus ſit euacuando: & ſic eodem tempore ſedatur dolor, & gangræna curatur. Secundus fit alterando manifeſtis qualitatibus. Tertius, occulta qualitate: Quod ſi velimus vti primo modo; dixi euacuari venenum, ſiue humores, tum calidis, tum quæ citra calefactionem alterant. Calidis quidem, quæ & ipſa alterant, vt, R. rad. rapi, & raphani ana vnc. j. pulu. ſem. ſinap. vnc. ij. pulu. caryophyllorum vnc. ij. ol. lem. lini, & iugland. ana q. ſ. Liquor etiam tithymali, ſi opportunè adhibeatur, euacuat cauſam doloris attrahendo, ſecundum Oribaſium, & Paulum. Conferunt etiam euphorbium, naſturtium, & ſimilia calefacientia, quæ attrahendo euacuant: vinum quoque dolorem ſedat. Si velimus virus foras trahere, ſine calore, apponemus cucurbitulas ſiccas, vel ſcarificatas, quæ magis probantur: vtemur canis cornibus: item applicabimus hirudines, quæ exſugendo ſanguinem vacuant. Quod ſi calor in parte ſit, & non leniatur dolor à cucurbitulis, quæ vehementer attrahunt: vtimur alterantibus per manifeſtas qualitates: ſi enim humores ſint calidi, apponimus refrigerantia; ſi frigidi, calefacientia. Et tandem recurrimus ad ea, quæ tota ſubſtantia agunt, vt ſunt folia fabæ inuerſæ impoſita; mithridatium; ol. viperinum, ſcordium, coutuſum, vel huius ſuccus eſt præſtantiſſimus, comprobaui enim experientia, corpora mortua a putredine defendi, ſi eo impleantur, aut inuoluantur. Hæc eſt ratio ſedandi dolorem ex gangræna, quæ fit tum ex influxu humorum, tùm è morſu venenoſorum.

Videamus modò, quo modo curetur gangræna excrata, vel à frigore, vel nimio calore, vel prohibita tranſpiratione. Si fiat à frigore; calefacientibus eſt opus, & mortificationi reſiſtentibus: ideo ſuminus oleum de lateribus, de terebinth. ſemen vrticæ, naſturtij, mithridatium, theriacam, ſalem theriacalem, trochiſcos de vipera, ſalem, aquam ſalitam, cum ſcordio, & ſcabioſa, lixiuium, cui ſcordium ſit incoctum, aquam calcis viuæ. Interdum accipimus vnguentum Aegyptiacum; & tantundem ſcordij admiſcemus, quantum recipere poteſt, & etiam idem vnguentum miſcemus cum mithridatica confectione, aqua theriacali, cum ſcordio.

Gangræna à frigore.

Si gangræna fiat ab externo calore, vt in maximis inflammationibus, quæ terminantur in gangrænam, ob prohibitam perſpirationem, quæ fit à multa conſtipatione, quamuis etiam phlegmone ſoleat migrare in gangrænam à vehementi calore, ſiuè ſit per ſe factus, ſiue è nimium digerentibus impoſitis accidat, eryſipelata verò tantùm ob calorem migrant in gangrænam, tunc indicationes erunt poros aperiendi, & refrigerandi. Pro quibus indicationibus Galenus probat ſanguinis euacuationem è parte affecta, quæ euacuatio tum partes refrigerat, tum meatus obſtructos à nimia repletione aperit, ob quam cauſam arteriæ non poterant moueri. Galenus vult, vt ſcarificemus partem multis ſectionibus, ita vt non tantùm cutis exterior, ſed interior ſcarificetur. Quod ſi fortè in loco affecto appareat vena aliqua ampla, ea inciſa ſanguinem eſſe mittendum, monent Oribaſius, & Paulus. Auicennas probat ſanguiſugas. Guido præcipit poſt ſcarificationem abluendum membrum aqua ſalſa tepida, vt hac ratione materia craſſa euacuetur. Euacuata ſanguinis copia ſufficienti, cùm adhuc remaneant putredinis reliquiæ, has nos tollemus, medicamentis putredini contrariis, id eſt, frigidis, & ſiccis, præcipuè verò ſiccis. Fit cataplaſma ex oxymelite, farina orobi, lolij vel fabarum, admiſto ſale, ſi volumus fortius efficere. Aliquando oxymeli ſolum imponitur, aliquando ſyrupus acetoſus dictis farinis, cataplaſmatis modo applicatur, quia omnia frigida, & ſicca ſunt. Si validiora velimus, in corporibus duris conueniunt oxymeli ſcilliticum, item mel roſatum, cui calx viua ſit admiſta. Vltimò Guido monet, ad reſiduum eradicandum, abluendum eſſe locum aceto calente, ſeu mulſa. Et hoc modo curatur gangræna facta tum à caliditate, tum à prohibita perſpiratione.

Gangræna à calore.

Si fiat è defectu alimenti; & primùm ſi fiat è vinculo aſtricto, vnde alimentum affluere prohibetur; vinculum eſt ſoluendum, & præterea occurrendum medicamentis corruptionis reſiſtentibus, ideoque apponenda calx lota, & miſta cum ſtercore muris: conuenit etiam hoc, R. conſolidæ maior. aloes, ana vnc. i. tuthiæ præparatæ vnc. iij. pulueris

Gangræna à defectu alimenti.

matri-

matricariæ, scordii ana vnc. ij. Misce, inspergeque supra locum. Si autem defectus alimenti è morbo contingat, quod potissimum sit in artubus, & extremitatibus, quando scilicet patientes diu fuerunt conflictati, vel febre hectica, vel rabe, vel marasmo, (cum enim partes hæ admodum sint debilitatæ, earumque calor valde sit diminutus, ob distantiam à corde; fit vt alimentum ipsis nullum distribuatur, vnde moriuntur) tunc ergo intentio est alimentum ad partem attrahendi. Attrahunt autem calida, vt ol. amygdal. amar. & quæ putredini resistunt, vt olcum viperinum, aquæ thermarum, aqua salita, cui sit incoctum scordium: attrahit etiam, & resistit putredini pix liquida, cum farina lolij, aut hordei inspissata, cataplasmatis forma, succus apij, thus, myrrha, manna thuris. Sine calore autem attrahunt frictiones leues. Si vtroque modo consilium sit attrahere; inungantur manus oleis dictis, & fiant frictiones. Picatio etiam valet, quæ attrahit, non solùm dolore, sed etiam vi vacui,

In omni autem gangræna partis sanæ cura erit habenda: nisi enim hæc custodiatur corruptio ipsi communicatur, & ita homo perimitur. Defensiuis ergo vtendum, quæ sunt putredini contraria, hoc est refrigerantia, & siccantia. Laudatur ab Auicenna bolus Armena, & terra sigillata cum aceto, & epithematis forma parti circumcirca impositа. Vel sumamus argillam subactam cum aceto, & circumliniamus membrum. Equidem consulo, vt scordium his omnibus admisceatur: si enim hoc partem mortuam à putredine præseruat, multò magis sanam præseruabit. *Quæ à gangræna defendunt vicinas partes.*

De Sphaceli curatione.

SPhacelus est affectio partis planè iam emortuæ: ideoque curari non potest, cùm pars illa ad vitam reuocari nequeat. Vnicum restat, partis scilicet ablatio, quæ statim aggredienda, aliàs totum corpus ad corruptionem deueniret. Hæc tamen abscissio cum periculo fit; nam in ipso opere homines sæpe sanguinis profusione, interdum animi deliquio moriuntur: propterea vires ægri perpendendæ. Antiqui (vt Celsus ait, cap. 26. lib. 5.) præcidebant membra demortua, incidente carnem circumcirca, vsque ad os, & potius de carne viua aliquid incidentes, quàm demortuam relinquentes: vbi ad os deuentum erat, circa os subsecabant carnem, ea tamen lege, vt os in totum nudaretur: deinde verò serra præcidebant. In huiusmodi operatione monet Celsus, sursum esse reducendam cutim, atque etiam carnem; vt facta præcisione, cutis, caroque deorsum trahi possit, & aliqua è parte os tegatur. *Ablatio partis secundum modum antiquorum.*

Sed in huiusmodi operatione duo ineuitabilia pericula incurrimus; sanguinis scilicet profusionem, & dolorem intolerabilem: vnde meritò omnes pertimescunt huiusmodi operationes. Quapropter nonnulli solent ligare vinculis duobus, tribus, vel quotquot videbuntur sufficere, verbi gratia, si manus debeat amputari, ad carpum possumus duo vincula alligare, per interualla, toti brachio. Alligantur autem ita artificiosè, vt & vasa constringantur, & facultas animalis fluere non possit, vt ita veluti torpidum reddatur membrum. Et sic hi euitant, cùm dolorem, tum hæmorrhagiam. Sed quoniam facta operatione statim oportet omnia vincula resoluere) alioquin totum brachium moreretur) periculum tunc est ne vasa aperiantur: ideoque dicti artifices statim partem vrunt, & parant crustam satis crassam, quæ operculum firmum est vasorum. Verùm licet hęc vincula aliquid præstare possint circa hæmorrhagiam, & dolorem: non tamen vasa ita ad amussim possunt constringi, quin larga hæmorrhagia, & quandoque conuulsio superueniat. *Hæmorrhagia & doloris vt recurrendum*

Hæc cùm ego perpenderem, aliam ingressus sum curandi viam, quæ hactenus prosperè mihi successit. Est autem hæc ab antiquorum ratione diuersa; nam illi volebant præcidendum esse membrum, ita vt etiam aliquid partis sanæ præcideretur; ne, si portio corrupta relinqueretur, etiam partes sanæ corrumperentur. Hac autem incisione antiqui non potuerunt sanguinis profusionem euitare, nec dolorem, è quo plurimi in opere morie- *Aliud partem amputãdi modus: quem & Vesalius tradit.*

moriebantur. At eo modò, quem iam docebo, nullus concitatur dolor, nec timetur sanguinis profusio, & satis tamen resistitur corruptioni. Molior itaque sectionem, relinquens ad partem sanam portionem corruptæ, quanta est crassities vnius digiti, aut vnius cum dimidio. Et facta huiusmodi sectione, vsque ad os, deinde ferra os aufero, & totum membrum. In hoc opere nulla superuenit sanguinis profusio, quia è parte mortua nullus fluit sanguis; neque dolor in ea excitatur. Ne autem latius serpat corruptio; ego ferramentis candentibus, ijsque crassis, & bene ignitis inuro partem illam putridam relictam vndique; donec patiens persentiat vim ignis, & aliquem dolorem patiatur; quod æger ipse refert. Huiusmodi operatio, in qua caro sana etiam aliquo modo comburitur, valde vtilis est: primùm enim excitat crustam, quæ est veluti operculum profluentis sanguinis: deinde vstio mali radicem tollit, quia putredo candente ferro extrahitur, id quod oculis apparet, cùm multi humores circa ferrum ebulliant, tertiò per vstionem natura partis sanæ roboratur, dum à multis humiditatibus liberatur, quæ tamquam semina putredinis imbibita erant; ideoque natura partis roborata abigne, paucos post dies incipit separare partem sanam à mortua, & sic demortua postmodum decidit, sana autem conseruatur. Hic modus, meo iudicio, est præcipuus.

Alius modus partem auferendi.

Sed quia multi non admittunt, vt ferro incidantur, propterea Falloppius, & recentiores alium tum secandi, tum inurendi modum proponunt. Primò defensiua ponuntur

1. Defensiua.

super partem sanam. R. ol. rosati omphacini, myrtini, violacei ana vnc. j. aceti acerrimi vnc. ij. succi plantag. solani absinthij, scabiosæ, consolidæ ana vnc. sem. bulliant simul ad consumationem succorum, deinde adde boli Armenæ, sanguinis draconis, santalorum

2. Scarificatio

omnium, macis, cinnamomi, schœnanthi, cyperi, ana vnc. j. Misc. & cum cera q.s. fiat vnguentum; quod ponitur in parte sana, tamquam defensiuum. Hoc facto, monent scarificandam partem mortuam, prope sanam, rectis, & obliquis incisuris, & tam profundis, vt

3. Vstio.

ad os deueniatur. Post hæc sumuntur arsenicum, & sublimatum, pari pondere, pulueri-

4. Separatio putridi a sano.

zata, mittunturque in scissuras factas, & ibi tam diu detinentur, donec operentur. Si prima vice non operantur, rursus innouamus, & nouas scissuras facimus. Postea tegitur pars sparadrapo, seu linteo tincto in sequenti medicamento liquefacto: R aloes, myrrhæ acaciæ, aliptæ moschatæ, gallix moschatæ, corticum granatorum, nucum cupressi, nucis moschatæ, santalorum omnium, ligni aloes, cumini, aluminis, ana vnc. j. Misc. & terantur omnia. Deinde R. huius pulueris vnc. j. picis naualis, seu nigræ, resinæ pini, colophoniæ, ana vnc. ij. thuris, masticbes, styracis liquidæ, ana vnc. j. gummi Arabici, tragacanthi, ana vnc. sem. Misc. Postmodum liquatis ad ignem infunditur linteum, & tamdiu detinetur, quousque absorbeat medicamentum. Et hoc medicamentum vim habet exsiccandi valentissimam, & profundè separandi viuam carnem à mortua. Sed hic modus non est vsurpandus,

5. Reliquiarũ extirpatio.

nisi cogamur. Facta vstione, monent Galenus, & Paulus vtendum esse succo porri, cum sale, ea ratione, vt, si quæ reliquiæ adsunt, in totum exstirpentur. In absentia porri, vtendum pastillis, Andronis, Pasionis, & Polyidæ, qui valentissimè siccant, & putredinem arcent. Et in primis abluenda est pars aceto calente acerrimo. Vbi autem hoc fecimus, &

6. Crusta deducta.

à putredine tuti fumus, (quod cognoscimus inde, quia putredo latiùs nõ serpit, dolor quiescit, febris mitigatur, & omnia signa remittuntur,) tunc danda est opera, vt crusta cadat, quod præstatur mollientibus, quia crusta dura; detergentibus, quia ualdè adhæret parti uiuæ; & maturantibus, quia sanies generatur inter partem uiuam, & mortuam. Laudatur tetrapharmacum, item panis tritus cum apio, uel ocimo; iris cum melle; radix panacis, aut aristolochiæ, aut acori cum melle, uel thure. Nostris temporibus multi butyro ad emolliendum crustas utuntur, interdum simplici, quod non probo, quia ualde mollit; interdum additur sulphur, axungia porcina. Potestis quoque uti aliquo è digestiuis propositis in cura inflammationis, ut resina abietina, aut terebinthina, cum melle, & oui uitello. Ablata crusta, apparet caro rubra, quæ sæpenumero est inæqualis, ita ut hic eminen-

7. Sarcoticis.

tias, illic uerò cauitates habeat, & hæc inæqualitas fit à ui ignis, quæ non æqualiter ubiq; imprimitur. Indigemus igitur carnem generantibus, & replentibus cauitates: Si fuerit

hiems,

hiems, vtimur vnguento Isidis, aut Apostolorum, aut de gunmi Elemi: æstate vtimur vnguento de cerussa, aut de tuthia: medijs temporibus vnguento de matri silua, betonica. Verum post crustæ amotionem, non semper quidem, sed vt plurimum, tam exquisitus remanet sensus in parte detecta, vt non solum medicamenta omnia intolerabilem dolorem excitent, verùm etiam aer, eaq; propter de mitigando dolore cogitandum. Quo in casu sequens mihi familiare est: sumo vnguentum de betonica, è solo betonicæ succo, sine pulueribus paratum, factum è succo betonicæ, cui admisceo aut ol. amygdalarum dulcium, nisi adsit inflammatio, aut, si hæc adsit, quod plerumque fit, misceo ol. rosatum, vel interdum oui vitellum. Et nihil vnquam inueni, quod præstantius esset. Postremò cicatrix obducenda, aut cerato de minio, aut diapalma, item pulueribus de tuthia, cornu cerui, aut ære vsto loto; lineamentis siccis, &c.

s Anodyna.

9. Epulotica.

CAPVT XII.

DE HERPETE.

HACTENVS de tumoribus, qui ad inflammationem reducuntur, iam eos auspicabimur, qui à bile proueniunt, in quorum numero est Herpes; ita dictus à symptomate, quia serpit, cap 2. lib. 2 meth. ab Auicen. dicitur formica. Fit autem ab humore bilioso lib. de tum. præn. Humor bilosus, alius est naturalis, a quo erysipelas generatur: alius præter naturam, & hic, vel sua substantia talis, vel per admistionem.

Nomen.

Differentia.

Proinde si humoribus præter naturam, calidior aut tenuior reddatur, id est, mordacior, & acrior, fit herpes exedens ἐσθίων, qui a Celso ignis sacer, ab Auicenna formica corrosiua dicitur, quia corrodendo semper serpit: Si autem bilioso humor præter naturam admisceatur pituitæ, fit herpes, qui excitat pustulas quasdam, in summa cuti, milio similes; & herpes miliaris vocatur. Itaque duplex herpes: alius miliaris, qui fit à bile, pituitæ mista; alius exedens, factus à bile seruefacta. Agemus de vtroque, maximè de miliari; nam exedens inter vlcera reponendus.

De Miliari herpete.

HErpetis miliatis signa sunt: primùm, habet pustulas multas, milio similes, in summa cuti, & prouenit à mistione pituitæ: deinde, sæpenumero oriuntur aliæ pustulæ serpendo, senescentibus prioribus; tertio, cum rumpuntur, effluit medium quid inter sanie, & pus, cap. 11. lib. 15. method. quartò, locus subrubicundus est, id est, habet mistum colorem, inter ruborem, & pallorem.

Signa.

Causæ sunt omnes relatæ in cura erysipelatis, nisi quod hic tumor fiat à bile præter naturam redundante: erysipelas verò à bile naturali. Causa igitur est bilis præternaturalis redundantia: quæ interdum fit à causis externis, quæ possunt calefacere humores, corpus, & viscera: interdum ex intemperie calida iecoris.

Causa.

Prognostica quod attinet, dicit Celsus, quod omnis ignis sacer, vt minimum habet periculi; ita difficilioris est curationis inter morbos, qui serpunt: interdum enim adest intemperies iecoris, quæ difficultatis causa existit.

Prognost.

Curatur autem huiusmodi tumor, habita totius corporis procuratione. Et cum tumor hic sit similis erysipelati, ideo vos ad erysipelas remitto: nisi quòd hæc redundantia exposcat medicamentum euacuans bilem, & pituitam: vnde, probatur electuarium diaphœnicon, pil. cochiæ. Si corpus plethoricum sit, venæ sectio probatur, item reuulsiones, fonticuli, frictiones, balnea.

Curatio.

Quoad partem affectam: huius redundantia euacuatione indiget. Cùm autem euacuetur

Topica.

cuetur pars impleta, vel repellentibus, vel digerentibus: forsan quispiam negabit repellendum esse humorem biliosum præternaturalem; ne refusus intrò, aliquod membrum principale offendat. Respondet Galenus cap. 17. lib. 14. meth. priùs euacuandum esse humorem in toto redundantem, si tamen eius exigua relinquatur portio, nihil eam, etsi in corpus remigret, officere partibus principibus, sed ab his non magno posse negotio digeri. Notandum, cùm repellentia sint duplicia, frigida aquea, & frigida sicca, in erysipelate vsurpari frigida aquea: in herpete secus: nam Oribas. lib. 7. synops. & Paulus cap. 20. lib. 4. volunt in herpete astringentia, id est frigida, & sicca admouenda; id quod dictum censeo, quia pustulæ illæ interdum putrescunt, & rumpuntur: ne igitur ad putredinem reducantur, siccis vtendum. Quamobrem, neque lactuca, neque semperuiuum, neque lenticula palustris conueniunt in herpete: sed in principio, vitium capreolis, rubo, & plantagine, optimum erit illinire, deinde his lenticulam admiscere, & folia salicis, interdum mel, & polentam. E cortice mali Punici, in vino cocto, cera, & polenta adiunctis cataplasma conficitur, & imponitur. Quod si his non cedat, sumatis valentius medicamentum, nimirum gallas, fructus tamarisci, cortices granatorum, bol. Armen. & omnia miscearis cum aqua ros. & aceto pauco, ne mordicet. Ego felicier vtor aquis thermarum, quæ breui tempore sanant herpetem miliarem. Vbi non adsunt hæ aquæ, sumatis marinam; aut aquæ salitæ adijciatis sulphur, & alumen, & in hac detineatur membrum. Hæc verò magis in progressu conueniunt, quo tempore magis digerentibus, quàm repellentibus vtendum: quo etiam tempore fiunt cataplasmata è farina fabacea, milij, & lupinorum, cum lini semine, è vino coctis. Si eueniat, vt rumpantur pustulæ, & exeat pus; detergentibus & siccantibus vtendum. Interim, si quæ caro subsit putrida, huic occurrendum. Celsus hoc componit, R. resinæ terebinth. fuligin. thuris, ana dr. iij. squamæ æris, dr. j. litharg. dr. ij. alum. tantundem, spumæ argenti vnc. sem. Mista impone. Probatur etiam vnguentum triapharmacum, cum thuris quinta parte.

De Herpete exedente.

Herpes exedens.

HErpes exedens serpit erodendo: erodit autem tantùm cutim, ad differentiam phagedænæ, quæ carnem etiam subiectam depopulatur. Naturam eius describit Celsus, cap 28 de sacro igne, lib. 5. vbi ait: herpes fit cum cutis exulceratione, & est sine altitudine, latus, subliuidus, inæqualiter tamen, mediumque sanescit, extremis affectis, &c.

Signa.

Quoties igitur videmus vlcus serpere, & efficere parua vlcera, & foramina multa, quæ non procedunt vltra cutim: statuemus esse formicam corrosiuam.

Causæ.

Eædem causæ sunt, quæ in herpete miliari, nisi quod hic non adest pituita.

Curatio.

Curatur huiusmodi herpes cholagogis, cap. 7. lib. 4. meth. Quoad partem affectam, cum morbus hic sit à bile præternaturali, calida, & acri, & quæ serpendo cum putredine procedit, intentiones sunt, refrigerare calidum, exsiccare putridum. Quapropter Oribasius laudat ex aceto, aut succo solani, & plantag. laudat lini semen vino & oleo incoctum, & tritùm. prodest terra cimolia, solani succo subacta. Et hoc bonum est, R. spumæ argenti vnc. sem. succi porri vnc. v. succi betæ tantumdem: lætigata intingantur. Valentiora siccantia sunt pastilli Pasionis, & Polyidæ.

Auctoris modus curandi.

Ego herpetes exedentes sic curo. Quoad totum corpus exhibeo serum caprinum, interdum sarsæ parigliæ decoctum; habita ratione temporis calidioris, & iecoris feruefacti. Quoad partem affectam, vtor aquis thermalibus Patauinis, aut D. Petri: & felici successu hoc applico ceratum, R. succi tabaci, seu herbæ reginæ vnc. iij. ceræ citrinæ nouiss. vnc. ij. resinæ pini vnc. j. sem. resinæ terebinthinæ vnc. j. ol. myrtini q. s. ad formandum ceratum molle.

CAPVT XXI.

DE STRVMIS.

ACTENVS de tumoribus, qui reducuntur ad phlegmonem, & erysipelas: iam agemus de ijs, qui ad scirrhum reducuntur. Scirrhus autem est tumor proueniens tum à pituita crassa, tum ab humore melancholico: Et sub hoc continentur Strumæ, & Cancer. *Transitio.*

Tumores, qui à Latinis Strumæ dicuntur, ab Arabibus dicuntur Scrofulæ, propter similitudinem, quam habent cum scrofis, id est, porcis: aut quia scrofæ maxime patiuntur hoc malum, propter gulositatem; vnde fit, vt pueri infestentur his tumoribus: vel ita dicuntur, quia multiplicant sobolem, vt scrofæ. *Nomen.*

Struma autem est tumor induratus glandularum: seu, est scirrhus in glandula, cap. 11. lib. 14. Meth. & apud Paulum, lib. 4. Subiectum nullum est aliud nisi glandula. Causa efficiens est eadem, quæ scirrhi. Quo ad glandulas, in quibus locis consistunt, dictum in cura bubonis. Oriuntur autem strumæ potissimum in tribus locis, secundum Paulum, & Celsum; nimirum in inguine, axillis, circa collum, & faciem: circa collum freqnentissimè, quia habent vicinum caput, à quo fluit pituita: in mammis, & testibus rarò fiunt, quia sunt partes robustiores. Fiunt ab humore pituitoso, crasso & melancholico naturali, vel ex vtrisque mistis. lib. 2. Simpl. & Aphor. 26. sect. 3. Quod si aliquando, vt dicit Auicenna tertia quarti tract. 2. cap. 9. sanguis misceatur, tunc non est omnino vera struma, sed associata inflammatio. *Definitio, & subiectum.*

Signa traduntur cap. 9. lib. de tum. præt. nat. est enim tumor durus, indolens, & difficulter sentiens, glandulæ forma. Distinguuntur à glandulis, quæ fiunt ab humore melancholico, per colorem: nam quæ fiunt à pituita, nullum habent diuersum colorem à cute; quæ à melancholico humore, habent plumbeum colorem, inter rubrum, & nigrum medium. Sæpenumero reperiuntur strumæ maximè dolentes: vt testantur Auicennas, & Aetius, cap. 5. lib. 15. qui strumas distinxit in mansuetas, & malignas: & mansuetas ait esse citra inflammationem, citra dolorem, & moderatam duritiem habere: malignas verò esse tumentes, dolentes, inæquales, inflammatas, pulsantes, & medicamentis exacerbari. Sed hæ strumæ malignæ non sunt veræ strumæ, sed cancrosæ, quia non solùm fiunt ab humore pituitoso, & melancholico naturali, sed illis admiscetur atra bilis, & ferinus humor, à quo fit cancer. Guido facit discrimen inter glandulam, & strumam: glandulam enim ait esse tumorem æqualem, mobilem, non nihil mollem, in collo vt plurimum ortum: strumam verò esse tumorem durum, dolentem, multiplicatum, fixum, immobilem. Hic Guido describit strumam veram, & cancrosam, quæ enim fit à pituita, & humore melancholico naturali, est indolens, & vera struma; sed quæ affinitatem cum cancro habet, ea dolens est. *Signa.*

Strumæ quædam succedunt alijs morbis, quædam per se oriuntur. Succedunt enim inflammationibas: item, si inflammata glandula ita curetur, vt resolutis partibus tenuioribus, crassiores indurentur. Possunt habere causam externam, vt medicamenta siccantia, aut nimis resoluentia. Quæ per se oriuntur, habent tres causas: externam, res non naturales internam, redundantiam pituitæ, & humoris melancholici: coniunctam, humorem influxum: de quibus fusius capite de scirrho. Quoad præsagia: oportet differentias strumarum considerare; nam sunt vel pauciores, vel plures, fixæ, mobiles, dolẽtes, indolentes; à pituita, à melancholia; aliæ in interiori parte colli, aliæ in posteriori; aliæ in pueris, aliæ in adultis. Omnes quidẽ strumæ difficulter curantur, sed difficilius plures, quàm vnica; dolentes, quàm indolentes: in pueris, quàm in adultis; fixæ, quàm mobiles, in anteriori parte, quàm in alijs; factæ à melancholia, quam à pituita. Quod ad curationẽ totum corpus spectantem: nihil hæc à scirrhi curatione differt. Quantũ ad partem affectam, localia, quæ in scirrho conueniunt, eadem & *Causæ.*

ſtrumis apta ſunt. Adiungenda verò inſuper ea ſunt, quæ peculiariter experta ſunt in re-

Modus ſtrumas reſoluendi. ſoluendis ſtrumis. Si ergo non admodum duræ ſint, & in pueris obortæ, tempore anni potius frigido: tunc ad emolliendum hoc conuenit: R. butyri, reſinæ colophon. ceræ candidæ non veteſtæ, ana partes æquales. Paulus cap. 23. lib. 4. ad reſoluendum, ſumit farinam lupinorum, oxymelite decoctam: item radialthæę, cum adipe gallinaceo miſcet. Si ſtruma fuerit durior, in duro corpore, valentioribus mollientibus vtendum; vt, R. ol. veteris, litharg. adipis ſuilli, ana part. æq. lib. 7. ×ɣ Pro digerendo vti poſſumus, radice cucumeris ſilueſtris, aut ebiſci, cocta in aqua mulſa, & trita: vt præcipit Scribonius Largus, compoſ. 80. Valentius deſcribitur ab Oribaſio, lib. 7. ſynops. c 29. quod fit è calce viua quæ melle, aut oleo, aut adipe ſuillo excipitur. Si vultis ſimul digerere, & mollire: R. litharg. vnc. ij. ol. communis vnc. iij. mucilag. fœnigræci, & ſem. lini ana vnc. j. mucilag. althæę vnc. ij. Miſc. Et hoc vtimur in ſtrumis minùs duris, & mitioribus, in corpore minùs robuſto. In robuſto, emolliens, & digerens potentius erit: vt ſtercus caprinum, cum melle, & aceto miſtum, vt præcepit Almanſor: aut ſtercus vaccinum, decoctum cum mucilag. althæę, aut cum aceto decoctum, vt præcipit Serapio; aut poterimus ſtercori diachylon admiſcere. Prodeſt etiam hoc. R. farinæ fœnigræci vnc. iij. calcis viuæ, nitri ana vnc. j. excipiuntur melle, & imponuntur. Sunt alia plurima remedia, quæ agunt qualitatibus occultis, manifeſtis, aut miſtis. Occultis agunt, acetoſa contuſa, trita, & impoſita; rad. plantag. collo appenſa, rad.

Experientia non reſpondet fama. acetoſæ: Reges Angliæ, & Galliæ ſolo contactu dicuntur ſcrofulas curare. Miſtis qualitatibus agunt, radix iridis puluerizata, & diachyloni miſta. Semper medicamentis addenda ſunt, quæ à proprietate agunt, vt ſi ſtrumæ fiant à pituitoſa materia, admiſceatur radix cucumeris aſinini, pulpa colocynth. radix iridis, &c. quæ pituitam euacuant. Si fiant ab humore melancholico, radix hellebori nigri, vel ſimile quid permiſceatur emollientibus. Ego in ſtrumis non admodum rebellibus vtor cerato oxelæo, è lib. 3. ×ɔ. quod fit è duabus partibus olei veteriſſimi, & aceti acerrimi, vnaq. parte litharg. quæ miſcentur ad ignem, multo tempore, vſque ad cerati conſiſtentiam. Huc permiſcebitur aliquid ex ijs, quæ agunt à tota ſubſtantia.

Suppuratio ſtrumarum. Interdum ſtrumæ non reſoluuntur, ſed ſuppurantur, quod fit, quando alius humor miſcetur, potiſſimum calidus, vt eſt ſanguis, & bilis. In hoc caſu, quam citiſſime fieri poteſt, ſtrumæ ad ſuppurationem perducendæ: quod fit, vel radicibus althæę, coctis in aqua, donec aqua craſſeſcat: deinde adiectis oleo, & farina triticea, in cataplaſmatis modum. Laudatur a Paulo emplaſtrum, quod fit è radic. cucum. aſin. & ſtruthio. Vtimur diachylo: item cerato triapharm quod materiam craſſam ſuppurat. Sed notandum, cùm ſcrofulæ ſint à materia craſſa, eas difficulter ſuppurari, & ſæpe aliqua ſui parte, non autem omnino. Quod cum accidit, non protinus incidendum, & pus euacuandum; ſed tamdiu in ſuppurantibus perſiſtendum, quouſque vel tota materia, vel maxima eius pars fuerit ſuppurata: alioquin ſtruma inciſa, & calore natiuo exſpirante, reliqua portio admodum difficulter ſuppurabitur. Suppurata ſtruma, aperienda ferro, vel cauſtico; in quo caſu laudat

Apertio. Paulus farinam lolij, cum fimo equino, & columbino. Naſturtium album, contritum & pice exceptum, rumpit maturatas ſtrumas. Struma inciſa, pus euacuandum, deinde expurgandum vnguento Apoſtolorum, aut puluere aſphodeli, aut baſilico, aut flore æris, ſi

Puris vacuatio. valentius volumus. Deinde ſinus carne implendus, aut vnguento Iſidis, aut de betonica,

Glutinatio. aut de tuthia. Tandem cicatrix inducenda. Notandum vnum medicamentum, quod mirificè valet ad ſanandum ſcrofulas apertas, R. ol. laurini vnc. j. ceruſſæ puluerizatæ, & aqua vitæ leuigatæ vnc. j. aluminis rochæ, dr. ij ſalis communis vnc. ſem. fiat vnguentum. Et hoc modo ſanantur ſcrofulæ per viam maturationis.

Modus ſtrumas incidendi. Interdum verò adeo ſunt curatu difficiles, vt neque primo, neque ſecundo modo tolli poſſint. Quare Galenus cap. 11. lib. 14. Meth. proponit tertium modum; quo auferetur, non ſolùm vitium, ſed etiam pars affecta, hoc eſt, extrahitur glandula, in qua eſt ſcrofula. Et hoc fieri poteſt, vel ferro, vel medicamentis putrefacientibus, ſeu corrumpentibus. Sed quia hæc operatio periculo non vacat: ideo non ſemper hoc modo vti

licet,

licet. Primùm ergo hoc modo curari non debent ſcrofulæ exſiſtentes in glandulis, quæ vim habent generandi humorem aliquem, vt ſunt mamillæ, & teſtes. Sed interdum tamen mamillæ abſcinduntur cancroſæ, interdum & teſtes, in caſibus deſperatis. Poteſt autem modus hic vſurpari in collo, ſub alis, & inguinibus. Deinde hoc modo non eſt vtendum in ſcrofulis fixis, & admodum magnis, & quæ venis arteriiſque magnis ſunt implicitæ. His perpenſis, cùm incidere, & glandulam auferre volumus: primùm æger in loco ſplendido collocetur: deinde iubeatur decumbere, ne ſedens in leipothymiam incidat: poſtea miniſter caput detineat: Chirurgus verò manu ſiniſtra, duobus digitis apprehendat ſtrumam, & quantum fieri poteſt, foras ad ſe trahat; deinde præcidat phlebotomo, in collo per tranſuerſum; in alis, & inguinibus, ſecundum longitudinem. Facta præciſione, quæ non vnico ictu, ſed duobus, aut tribus, & pluribus vicibus efficienda, ſenſim exprimendus ſanguis, cotone vſto appoſito orificijs vaſorum: & eouſque inciſio adigenda, donec deueniatur ad glandulam, ita tamen, vt tunica, in qua glandula eſt inuoluta, non incidatur. Facta inciſione ſimplici, ſi glandula ſit exigua; aut ad myrti folij ſimilitudinem, hoc eſt, tranſuerſis inciſionibus, ſi glandula extrahenda fuerit magna: debemus, aut ſummis digitis, ſeu vnguibus, aut ſpatulæ capulo, ſeparare glandulam à partibus adiacentibus, deinde manubriolo apprehendere glandulam, & foras trahere; proſpiciens, vt tota glandula foras trahatur integra, & ne quod fruſtulum glandulæ, aut membranæ relinquatur; quia renouaretur ſtruma. Facta hac operatione, ſtatim apponuntur ſtupæ, cum oui albumine, vna, aut duabus vicibus. Deinde procedimus medicamentis digeſtiuis, concoquentibus, demum mundificantibus: tertiò ſarcoticis, & vltimò cicatricem inducentibus.

Notandum verò in extractione duo eſſe pericula: primum ne ſanguinis profuſio ſuperueniat, & opus impediat. Si ergo prima vice hoc accidat; debemus ſanguinem ſupprimere cotone vſto, aut linteis ſiccis, vel imbutis medicamento, quod fit ex pulueribus aſtringentibus, & emplaſticis, (vt eſt maſtix, bolus Arm. ſanguis draconis, puluis myrtill.) cum albo oui, ad mellis craſſitiem ſubactis. Inde ſecunda vice auſpicanda eſt operatio, & ſi tum quoque ſuperueniat ſanguis profuſio, quæ operationem impediat, à cœpto prorſus deſiſtendum. Alterum periculum, quod aliquando accidit, eſt, ſi vel glandulæ, vel ſacculi fruſtulum relinquatur: oportet enim vtrumque extrahere, aliàs renouatur ſtruma. Extrahimus autem medicamentis, quæ poſſunt putrefaciendo conſumere, quod remanſit: de quibus mox. *Pericula, quæ in extractione metuenda.* 1. 2.

Sed nonnulli ferrum timent: ideoque his ſcrofulæ ſunt extrahendæ medicamentis cauſticis, exedentibus, & putrefacientibus. Operatio autem hæc fieri debet, perpenſis conditionibus prædictis, vt ſcrofulæ non ſint implicitæ venis, & arterijs, &c. Hoc facto imponitur cauſticum, ita vt cutis auferatur, & ſcrofula denudetur: quod veſicatorium aliquid faciunt è ſimo columbino, aliqui è cantharidibus, aliqui è capitello, & ſapone. Ego vtor cauſtico illo, quod conficitur è lixiuio fullonum, quod tamdiu ebullire permitto; donec concreſcant partes terreſtres. Sunt nonnulli, qui ſcarificant partem, & poſtea apponunt allium tritum cum ſale, ad remouendum cutim. Iiſdem medicamentis vtendum eſt ad ſcrofulas erodendum: nimirum axungia porcina ad quantitatem fabæ, miſceatur cum argenti ſublimati pari portione, & imponatur. Nullum in hoc caſu eſt præſtantius medicamentum, ad ſcrofulas auferendum, quàm arſenicum ſublimatum. Cauendum autem, ne præter ſtrumas etiam vicinæ partes putreſcant, vel inflammentur: ideoque defenſiua circumcirca ſunt apponenda, quæ erunt refrigerantia; vt vnguentum infrigidans Galeni, aut roſat. Meſ vel ſimile. Scrofula conſumpta, oportebit poſtea carne replere, & cicatricem inducere, prius cruſtam eximendo, aut butyro, aut iride cum melle: deinde oportet detergere vnguento Apoſtolorum, aut puluere aſphodeli; tandem cicatricem inducere. *Scrofula quo eximuntur.* *Cauſtica.*

CAPVT XXII.

DE CANCRO.

Nomen.

CANCER, καρκίνωμα, & καρκίνος dicitur, ob similitudinem, quam habet cum cancro aquatili. Sicut enim hoc animal habet corpus, & pedes hinc inde expansos, colore liuente, ac cinereo, & quæ cibis arripit firmitèr stringit: ita Cancer est tumor figura rotundus, colore liuidus, partemque, cui insidet, ita stringit, vt ceu clauo quodam firmata esse videatur; tandem in circuitu habet venas turgidas, & exaltatas, hinc inde protensas, quæ perbellè imitantur cancri pedes.

Causæ & differentia.

Oritur cancer à bile nigra, cap. 7. lib. de tum. præt. nat. cap. 12. lib. 2. de crisi. Tagaultius putat cancrum fieri à fæce sanguinis, id est, à melancholia naturali, quæ fæx sanguinis appellatur. Sed falsa est hæc sententia; nam ab humore melancholico naturali oriuntur scirrhi, Et clara est Galeni sententia, cap. 2. lib. 3. de symp. caus. cùm atra bilis redundat in vniuerso corpore, fieri elephantiasin; cùm verò insidet vni parti, cancrum excitari. E quo patet cancrum fieri ab eodem humore, à quo elephantiasis; nimirum ab humore melancholico superassato. Auicennas ait cancrum fieri à melancholia adusta. Oribasius eum fieri à bile feruefacta prodit cap. 13. lib. 7. synop Quia igitur atra bilis, è qua fit cancer, calida est, & feruefacta, necessariò aliquam habet latitudinem, vt alia sit mitior, id est, minus calida, & minus acris; alia magis calida, & magis acris. Mitior atra bilis in quamcumque partem migrat, excitat cancrum latentem, seu non vlceratum, siue is in internis, siue in externis corporis partibus consistat. Vbi verò atra bilis admodùm est calida, & acris: excitat cancrum vlceratum. Causæ huius atræ bilis, à qua cancer oritur, multæ sunt. Nam in iecore primum gignitur melancholicus humor naturalis, qui fæx sanguinis vocatur, & ab hoc fiunt scirrhi. Sunt post modum atræ bilis præt. naturam duæ species, cap. 3. lib. de atra bile: vna est, quæ generatur ex humore melancholico naturali feruefacto, quam nullam animal vult degustare: altera est, quæ oritur à flaua bile superassata, & priore est perniciosior. Ambo hi humores habent multas causas; nam interdum adest iecoris intensa intemperies calida, quæ exurit, & exurendo gignit atram bilem: interdum, vt ait Galenus cap. 10. lib. 2. ad Glauc cùm ob imbecillitatem, & intemperiem lien non potest attrahere humorem melancholicum, hic in corpore detinetur & superassatur Quandoque oritur è mensibus suppressis: interdum ex obstructis hæmorrhoidibus. Aliquando causæ externæ tanquã principales concurrunt, vt cibi vitiosi, admodum calidi, & crassi, vt allium, cepæ, porrum, limaces, caro leporina, asinina, nasturtium, legumina, vina potentia, vt quæ è Cypro afferuntur, quæ cùm admodum sint calida, exurunt humores, vt generetur atra bilis. Sunt etiam aliæ res non naturales, vt aer impensè calidus, animi affectiones, ira potissimum, &c. Hæc de causis.

Subiectum.

Potest cancer oriri in omnibus corporis partibus; Pauli tamen, & Celsi sententia, frequentiùs oritur in mamillis mulierum: item in partibus faciei, vt labijs, naso, auribus: mamillæ enim laxæ sunt, & facilè humorem melancholicum excipiunt secundùm Paulum lib. 4. præterea mammæ per venas consentiunt vtero, per quem expurgatur sanguis crassus: hic ergo si regurgitet, neque expurgetur, facilè ad mammas peruenit. Eadem ratione fit, vt non rarò in vtero cancer oriatur, detentis menstruis, & post moram ibidem superassatis. Oritur hic tumor quouis anni tempore, maximè circa finem æstatis, & per totum autumnum, quia eo tempore humores valde exuruntur, & gignitur humor melancholicus copiosus.

Definitio.

Quamobrem, Cancer est tumor rotundus, durus, inæqualis, liuidus, dolens, venosus, id est, habens in circuitu venas turgidas, calidus, ægros maximè fatigans.

Ex

Ex hac definitione eliciuntur signa cancri. Galenus cap. 9. lib. 14. Meth. ait, cancrum incipientem difficulter cognosci: nam primò habet accidentia mitissima, & maxime confusa: vt etiam testatur Almansor, tractatu 7. quando incipit, interdum est magnitudine lentis, interdum ciceris, interdum fabæ, interdum nucis auellanæ, sensim excrescens: quandoque festinans ita excrescit, vt æquet melonis magnitudinem. Vbi est auctus, habet sua signa clarissima. Primùm enim, si tangitur, durus est, & propter crassitiem humoris tactui renitens. Secundò, colore est plumbeus, humoris referens colorem: & quò humor est malignior, eò magis liuidus, ac nigricans apparet. Tertiò dolet: quamuis Auicennas dicat quosdam cancros non vehementer dolere, quod & Celsus affirmat: sed puto Celsum loqui de cancris incipientibus, & exiguis; nam aliàs cancer maximè dolet, quia adest solutio vnitatis, ob multam materiam distendentem, & comprimentem partes neruosas; adest etiam intemperies valde calida, quæ dolorem excitare potest. Quartò est caliditas, rotunditas, & inæqualitas. Calidus est tumor, quia & humor est calidus: qui magis calidus redditur in ipsa parte, propter prohibitam caloris euentilationem. Vltimò facilè cognoscitur cancer è venis nigricantibus in circuitu; quia enim humor atrabilaris, ob crassitiem, non potest ita facilè è vasis exsudare, hæc turgida fiunt. In principio dignoscitur cancer, si tumor contractatus sit exiguus, fabæ aut ciceris magnitudine: deinde, si tumor ille fuerit in parte suspecta, scilicet in mamillis, naribus, circa faciem: præterea, si corpus ad cancrum sit præparatum, id est, si sit habitus melancholici, adustum, si prauis cibis nutritum. Cancer vlceratus facilè cognoscitur; nam fœdum est vlcus, cum odore fœtidissimo, labiaq; habet crassa, prætumida, viridia, foris inuersa, erosa, aspectu horrida, & maximè dolentia. *Signa incipientis.*

Quoad præsagia: Cancer non vlceratus, seu occultus, si in profundis corporis partibus consistat, non est curandus; nam curatus, citius interficit, Aphor. 28. sect. 6. si. scil. curatione aggrediamur vstione, aut incisione, &c. nam cancro vsto, vel secto in palato, sede, vtero, &c. non potest deinde vlcus ad cicatricem perduci, vnde ægri diutius afflicti, tandem moriuntur: at si demulcentibus, lenientibus ichores, moderatè detergentibus vtamur, hæc non improbantur, nec de hoc curandi modo Hippocrates loquitur. Sed cancri occulti, seu non vlcerati, in superficie, atque externis partibus, circa initia sanari possunt, cap. 10. lib. 2. ad Glauc. vbi verò ad insignem molem peruenerunt, sine manus opera curari non possunt. Si ergo exigui sint cancri, medicamentis tractandi: si magni, non nisi manus ope, vel sectione, vel vstione, curantur. Cancri vlcerati curam aggredi non debemus, cap. 5. lib. de atra bile: quia incurabilia sunt omnia vlcera ex atra bile facta. Si cancer sit occultus magnus, curari non potest, nisi auferendo partem affectam: cuius curationis pericula describit Celsus cap. 28. lib. 5. dum ait incisionem, & adustionem nunquam profuisse, sed adusta concitata increuisse, donec occiderent; excisa, post inductam cicatricem, tandem reuersa esse, mortemque intulisse. Cancro in mammis curato, alium in vtero successisse, & velocioris mortis causam exstitisse; sæpe cancros in labijs, naso, aut alia externa parte, sanatos esse, sed obortos deinde in liene, cum ægri morte. Ideoque in curando, & distinctione, & diligentia vti oportet. *Prognostica*

Cum autem inter cancros, solùm qui exigui sunt, medicamentis tractari debeant: ideo priùs eorum curationem aggrediemur: & hæc curatio, quatenus spectat vniuersum corpus, competit quoque alijs cancris. Omnes igitur cancri cum proueniant è redundantia humoris atrabilaris, quæ redundantia fluxionem excitat, & vltimò cancrum facit: fit, vt à Galeno cap. 9. lib. 14. Meth. tres scopi cancrum curandi proponantur. Primùm enim atra bilis è toto corpore euacuanda; deinde generatio atræ bilis prohibenda, ne amplius in venis colligatur; tertiò pars affecta euacuanda, & roboranda. *Curatio*

Quo ad primum scopum, Galenus cap. 10. lib. 2. ad Glauc. præcipit venæ sectionem, si ætas, & vires permiserint; quæ & euacuat, & iecur refrigerat: suadetque secandam esse illam venam, quæ vtrumque efficiat: vt, si cancer ortus sit è suppressis mensibus, uenam poplitis, aut malleoli incidendam: si ex hæmorrhoidibus, apponendas esse hirudines his partibus. Hoc facto, exibendum medicamentum, atram bilem euacuans, vt epithymi *Euacuatio totius corporis.*

vnc. fem. eum ſero lactis, vel mulſa. Paulus cap. 26. lib. 4 & Auicennas laudant hieram, quæ recipit veratrum nigrum, ea exhibenda pluribus vicibus, paucis interpoſitis diebus; vt, quæ non prima vice, ſequentibus tamen euacuentur. Vti etiam poſſumus compoſitis; vt elect. lenitiuo, confectione Hamech. Et ſic purgatur corpus.

Vt prohibenda generatio bilis atra.

His ita peractis, prohibebimus generationem melancholici humoris, ne in venis colligatur; ſi & internas, & externas cauſas auferamus. Quoad externas, aer eligatur frigidus, & humidus; potiſſimum frigidus, obid in Germania rarò, in Aſia frequenter cancri oriuntur; Cibus & potus ſit refrigerans, ac humectans, & attenuans: vitentur cibi craſſi ſucci, vt caro taurina, hircina, leporina, vituli marini, braſſica, lentes, fabæ, & omnia legumina, panis item ſurfuraceus, panis è ſorgo; vinum forte, & craſſum, omniaque craſſum ſuccum gignentia. Probatur omne lac, præſertim caprinum: herbæ item refrigerantes, & humectantes, vt malua, blitum, atriplex; cucurbitæ: piſces ſaxatiles: caro vitulina, pullorum, oua ſorbilia. Præterea ſeruandus modus in ſomno, vigilia, motu, &c. Prohibetur præterea atræ bilis generatio medicamentis, maximè quando adeſt intemperies calida iecoris. Vtimur ergo ſyrupo byzantino, de cichor. melle roſ. oxymelite ſimp. cum decoctis borragin. fumariæ, hepaticæ, & ſimilium refrigerantium. Præ cæteris in huiuſmodi caſu laudatur longus vſus ſeri lactis caprini, optimè depurati, quia refrigerat, & humectat, & ſic prohibet generationem atræ bilis, refrigerando iecur, & totum corpus. Aetius ad humorem ferinum reſpiciens præcipiebat in cancris exibenda ea, quæ aduerſantur venenis, & venenatis potionibus; vt ſunt Theriaca, & Mithridatium, cum ſucco cichor. borag. acetoſæ. Probatur etiam Antidotus è ſanguinibus: item recens ſanguis anſeris, aut anatis epotus; aut trifolij bituminoſi contriti cochleare vnum, aut duo, è tribus aquæ cyathis: aut vnc. j. ſeminis rutæ ſylueſtris Prodeſt quoque cancrorum fluuiatilium ius è lacte aſinino quinque diebus exhibitum: quod ſi ſepties eadem periodus ſeruetur cancros mammarum placidiſſimos reddi tradunt. Poſſumus etiam in totum prohibere generationem atræ bilis, ſi per interualla exhibeamus medicamenta, quæ euacuant. cap. 9. libro 14. meth. Laudo fonticulos, qui ſenſim humorem euacuando, cancro multùm prodeſſe poſſunt.

Euacuatio partis affectæ.

Tertius ſcopus eſt locum affectum euacuare: cùm enim cancer conſiſtat in nimia repletione partis affectæ, curatio eius erit euacuatio. Euacuatio in genere, fit repellendo, digerendo, ſcarificatione, ſectione. In cancro non competit ſcarificatio; quia perpetuò prohibenda cancri eſt exulceratio; ad quam ſi peruenerit, actum eſt. Superſunt igitur repellentia, & digerentia: quorum vſum Galenus tangit l. 14 meth. nam & ipſo purgationis tempore, & ante purgationem eſt repellendum: vbi verò totum corpus exquiſitè purgauimus, digerendum. Sunt nonnulli, qui acriter reprehendunt chirurgos, quando parti affectæ aliquid imponunt, quidquid illud ſit, niſi prius habita ſit exquiſita totius prouidentia. Pro defenſione autem chirurgorum, citatus Galeni locus ponderandus eſt: ait enim Galenus, in curatione cancri (qui prouenit ex atra bile ferina, in quo meritò deberemus abſtinere à pellentibus, etiam facta purgatione) in ipſo purgationis tempore; & antè, eſſe repellendum: toto autem corpore purgato, conuenire mediocriter repellentia, & digerentia, quæ ſint ſine mordicatione. Laudatur hoc in caſu conſolida, ſuccus ſolani. Auicennas laudat tuthiam lotam, miſtam cum ol roſ. vel Keirino. Galenus ait plumbum maximè conferre, quia & repellit, & digerit; nos ſolemus habere plumbeum mortarium, cum piſtillo plumbeo, & in hoc ducimus omnia alia medicamenta, donec acquirant colorem plumbeum. Paulus laudat vrticam tuſam, & impoſitam. Chirurgi proponunt medicamentum è viridibus ranis, quod magis confert ſubſtantiæ proprietate, & fit hoc modo: Sumuntur duæ ollæ vitreatæ, quarum vna terræ infigitur, & huic altera fundo ſuo, quod perforatum eſſe oportet, imponitur: Sumuntur poſtea ranæ virides è bona aqua, & ijs impletur os butyro, ponunturq; in ſuperiori olla, quæ luto arctè clauditur: & accenditur ignis circa ſuperiorem ollam, & decoquuntur ranæ eatenus, vt non aſſentur. Demum ranæ in ſuperiori vaſe, & pinguedo, quæ percolata eſt in inferius vas, miſcentur, & contunduntur;

An & in quibus cancris conueniat repellentia, & qua.

Vnguentum ex ranis viridibus mirificum.

inde

inde fit vnguentum, quod mirificè valet ad cancros. Ad eandem intentionem solet parari pluuis è ranis; Sumunt ranas viuas, quibus impelent vas, quod luto vndiq; clausum, in furno ponunt, & ibi tamdiu sinunt, quousque fuerint assæ: postea conterunt in modum pulueris, quem vase plumbeo conseruant, & inspergunt cancro. Eodem modo volunt fieri puluerem è limacibus, & cancris fluuiatilibus. Alij volunt, quod farina siliginis sola imposita cancrum occidat. Dioscorides, & Serapio laudant rad. dracontij, aut succum è radicibus expressum, & impositum. Ego frequentissime vtor cerato oxelæo, quod iubeo læuigari in mortario plumbeo, cum pistillo plumbeo. Idem facio, si notatu digna adsit inflammatio, cum vnguento de cerussa, donec plumbi colorem è mortario plumbeo acquirat. Sic exiguos cancros curamus.

Puluis ex ranis viridibus

Puluis è limacibus & cancris fluuiatilibus.

Supereſt curato cancro, vt partem roborando, præcaueamus, ne cancer reuertatur, quod sæpe accidere solet. Præcauebimus autem cancri recidiuam, primò victus ratione, & alijs, propositis in cura totius corporis, deinde purgantibus medicamentis. Huc etiam faciunt, quæ astringendo partem corroborant, & humorem repellunt. Vnde probat Auicennas linimentum è puluere lapidis molendini: aut lutum illud, quod resultat in cote, dum abluuntur, seu acuuntur ferramenta; idq; vel per se, vel mistum cum oleo myrtino, aut succo semperuiui, solani, aut plantaginis. Prosunt præterea agresta, seu omphacium, bolus Armena, sanguis drac. cum oleo omphacino, aut mucilag. psyllij: in summa, omnia defensiua medicamenta prosunt ad præcauendum cancri recidiuam. Hæc de curatione cancri, qui incipit, & exiguæ est magnitudinis.

Quomodò pars roboranda.

Quod si cancer insignem habeat magnitudinem, Galenus ait eum curari non posse, sine manus opera, cap. 10. lib. 2. ad Glauc. Hæc curatio non est vera curatio, quia parti non reddit sanitatem, sed vna cum vitio tollit partem vitiatam, c. 11. lib. 14. Meth. Et hic modus curandi valde est periculosus: proinde quędam cautiones notandę. Et primùm: cancer, qui omnino pectori, seu mammis inhæret, omnino est deploratus: item qui in capite, collo, humeris, spatulis, & inguinibus oboriuntur, incurabiles videntur Aetio, c. 44. lib. 16. cum enim carni admodum sint infixi, radicitus exstirpari nequeunt; & semper periculum habent profusionis sanguinis. Præterea, licet cancer infixus non sit, eius tamen curatio est periculosa: quia secundum Galenum lib. 14. Meth. in omni partium ablatione, imminet periculum profusionis sanguinis, tum è venis, tum ex arterijs Quod si laqueis tentes arterias ligare; sympatheiæ oboriuntur, id est, affectiones per consensum. Si per adustionem velis hemorrhagiam refrænare; periculum est, ne vis ignis perueniat ad aliquam principem partem vicinam; vt, si mamma abscindatur, & aduratur locus, periculum est ne cor afficiatur. Insuper, quod peius est prioribus, nisi cancer radicitus exstirpetur; nullo modo deinceps ad cicatricem duci potest: & sic nihil aliud præstatur, quàm quod cancer non vlceratus, redditur vlceratus, qui multò est pernicioſior, & maximè molestus. Vltimò, quod periculosissimum, cancer abscissus, vstus, cicatrice obductus, & perfectè sanatus, tamen denuo reuertitur, & non potest amplius ad cicatricem peruenire, secundum Celsum, cap. 28. lib. 5. Amputatus enim cancer, redit vel in eodem loco, vel in hepate, liene, vtero, &c. & mortem affert. Quare medici, etiam peritissimi, huiusmodi cancros occultos non attingunt, sed quantum fieri potest, exulcerationem cauent. In cancris autem vlceratis, ad hunc modum, id est, ad partis resectionem deueniunt: quia enim hi cancri dolorem habent intolerabilem; fit, vt chirurgi sępe ab ægris cogantur manum admouere. Sunt tamen quidam adeo timidi, vt nec vlceratos cancros velint attingere.

Curatio per incisionem, & quàm sit periculosa.

Verum, quoniam nostris temporibus vsu inualuit, vt cancri abscindantur: docebimus quibus modis id fieri possit; & quænam obseruanda sint. Proinde è lib. 14. Meth. notandum; in ablatione cancri, siue fiat incisione, siue causticо, siue ferro candente, radicitùs omnem partem affectam esse exstirpandam, ita vt nulla relinquatur cancri radix: id est, vt nulla relinquatur è venis illis nigricantibus. His perpensis, ad curationem accedendum, quæ fit tribus modis. Primus est simplex, & est magis proprius mamillis, quæ quidem strumosæ sunt, & videntur affinitatem habere cum cancro. Facta igitur incisione, apponuntur lina-

Incisio cancri

Modi incisionis tres.

linamenta ficca in parte incisa; deinde vlcus concoquitur, mundificatur, repletur carne, & cicatrice obducitur. Et hic modus describitur ab Aetio. Alter modus proprius est cancro, qui ad insignem magnitudinem deuenit. Si ergo cancer sit in mamma, cutis scalpello in circuitu circum circa est præcidenda, & sensim detrahenda est mamilla. Quod si in alia parte sit cancer, similiter est faciendum. Vbi autem tota mamma exempta est, simulque venæ nigricantes; præcipit Galenus, non maturè nimis sanguinem suppriméndum, sed ad iustum modum fluere sinendum, imò è tota vicinia pro virium ratione, exprimendum: nisi enim atro illo cruore pernicioso deonerentur venæ, cancer renouabitur. Postmodum præcipiunt Chirurgi, candenti ferro locum inurendum, ad sanguinem sistendum, è sententia Rhasis, lib. 13. Continentis, vel ad consumendum venenatam qualitatem cancri, è sententia Albucasis. Facta vstione imponenda sunt ea, quæ crustam faciunt abscedere; cuiusmodi est butyrum; vel puls è farina tritici, melle, & succo apij: qua ablata, caro est gignenda, & cicatrix inducenda. Tertius modus, quo cancer curatur, ab Aetio ponitur cap. 45. lib. 16. Si enim in mamma sit cancer ægram collocamus supinam, & iubemus ipsam teneri. Deinde apprehendimus mamillam manu sinistra, & ipsam, quantum fieri potest, à costis, & pectore separamus: postea scalpello aliquam partem præcidimus, & statim inurimus: deinde rursus aliam partem incidimus, & eam inurimus: hoc toties repetetur, quousque tota mamilla fuerit excisa; & inusta. Incidimus autem & vrimus alternatim: nam sanguinis profusioni statim occurrendum, ne æger cum sanguine etiam vitam profundat: effluxus item sanguinis impedit Chirurgum, quo minus exactè videre queat. Facta perfecta operatione, vtendum cataplasmate è plantag. aut polygono, cui interdum panis medullam addere oportet: vsurpantur autem hæc ad auferendum crustam, & leniendum dolorem. Deinde linteum aqua madefactum imponendum est, pro arcenda inflammatione. Lac etiam melli admistum, sine dolore crustas aufert. Ligatur membrum, nec soluitur, nisi aut secunda, aut tertia die. Ablatis crustis, imponimus ea, quæ dolorem leniunt, refrigerant, concoquunt. Et laudatur lac muliebre, aut asininum, cui rosaceum sit admistum: si intentio sit magis coquendi, plus rosacei admiscetur: si verò detergendi, plus lactis. Et similiter linteum ex aqua madefactum extrà imponitur. Quod si locus abundet humiditate, & propositum sit exsiccare, laudat Aetius cinerem pompholigos exquisitissimè lotæ, & exsiccatæ; aut cadmiam ter vstam, rosaceo exstinctam; postea exactissimè lotam, & arefactam. Hæ sunt curationes cancri magni, non vlcerati. In quibus præcipit Aetius ægros esse in calida domo detinendos; quia refrigeratio infensa est, & dolorem, ac conuulsionem excitat; præcipuè, quo tempore vlcera repurgantur; partes enim hæ sensum habent exquisitum. Notandum etiam, quod toto tempore curationis, abstinere debet æger à vino, à potu frigidæ aquæ, & à cibis dyspeptis.

Vt auertenda incommoda, quæ cancri sectionem sequũtur.

Periculis autem, quæ fiunt è cancri incisione, quomodocumque fiat incisio, sic succurrimus. Hæmorrhagiæ subuenimus ligando vasa, & vinculis constringendo, vel ferro candente adurendo: vsurpamus etiam defensiua, victus rationem, & alia, quæ nota sunt. Secundum incommodum est, quod non possumus vlcus ad cicatricem perducere; quia non omnes radices cancri sunt exstirpatæ. Huic occurrimus; si videamus, vt omnes venæ nigricantes eradicentur, & euellantur. Tertium incommodum est, quod post obductam cicatricem, non rarò cancri reuertuntur. Ideo, vel purgans atram bilem frequenter erit exhibendum, vel antidoti propositæ, quæ aduersantur ferino humori. Similiter etiam modus est seruandus in sex rebus non naturalibus. In summa ille modus, quem proposuimus in cura vniuersali, facit ad præcauendum cancri recidiuam. Si supprimantur menses, vel hæmorrhoides obstruantur: fonticuli excitari debent. Quartum incommodum est, quod per consensum patiuntur partes principales; veluti cor, si auferatur mamma; & potissimum patitur ex adustione, cum ignis sit maximæ actiuitatis. Huic obsistimus, si operatione facta, exhibemus quæ corroborant, etiam exterius per fomenta: Præterea, si ferrum candens non sinamus diu in vna parte persistere. Hac igitur ratione

tione curantur cancri non exulcerati, ad insignem magnitudinem euecti,

Quod si proponatur cancer vlceratus: nonnulli volunt huius curationem non esse subeundam: ducti auctoritate Galeni in lib. de atra bile, quòd vlcera ab atra bile sint incurabilia; præterea, quia huiusmodi cancri vlcerati, ab omnibus, tum lenibus, tum vehementibus medicamentis exacerbantur. Sed quia crudele est nil ægris afferre solatij, quia ita interdum doloribus torquentur, vt extra se rapti violentas sibi manus afferant: propterea duplicem tradunt modum cancrum vlceratum curandi: quæ vera quidem curatio non est, à Galeno tamen, com. aphor. 38. sect. 6. fusa appellatione ita dicitur. Vna curatio est, quam paulò antè recensuimus, in cancro non vlcerato insigni, quæ incisione, ignito ferro, & adurentibus absoluitur. Forte fortuna tempore contagij incidi in empiricum quendam, qui plures vlceratos cancros in labijs, naso, & circa alias partes consistentes, sanabat, hoc medicamento: R. atramenti sutorij lib. 1. sem. auripigmenti, sulphuris viui, ana vnc. iv. salis gemmæ vnc. iij. cum aceto misce hæc omnia, & in vas impone, quod omni è parte lutatum sit, ita vt fumus exire nequeat; in furno pone, & eousque detine, donec omnia vsta sint. Huiusmodi puluis est erodens, & causticus. Imponitur ipsi cancro, in confinio partis sanæ; & vsta vna parte, amplius alijs apponitur, vt è toto aduratur. Deinde apponitur medicamentum tale: R. mellis despumati vnc. iv. sæui hircini. limaturæ cupri, ana vnc. j. sem. litharg. auri, vnc. j. Misc. & ad ignem fiat vnguentum. Hic ergo est vnus curandi modus. Alter est, qui ponitur com. apho. 38. sect. 6. & a Celso, cap. 28. lib. 5. vt cancro nullam vim adhibeamus, sed solum illud moliamur, vt ægrotantes sine intolerabili molestia reliquum vitæ transigant. Proinde cancrum saltem blandè demulcemus: tum dolorem mitigando, tum firmando vlcus ne vlterius serpat. Medicamenta autem, quibus hoc præstatur nec putrefacere, nec irritare partem affectam debent: in summa, debent esse moderatè sicca, & sine vlla mordacitate; in actiuis autem ad frigiditatem debent vergere, quia atra bilis est calidissima. Præterea huiusmodi medicamenta debent esse consistentia molli; quia dura irritant. Talia secundum Galenum sunt, succus solani molli linteo exceptus; quod medicamentum qualitates passiuas videtur obtinere pares. Verum non conuenit his, qui domo exire coguntur, quia non detinetur: ideo Galenus proponit, quod è pompholyge constat, & in eius defectu laudat quod fit è chalcitide. Quod si velimus administrare primum, succo solani, prius in mortario plumbeo agitato, vt crassescat, addemus parum ceræ lotæ Conueniunt etiam succi polygoni & portulacæ, cum succo vuæ immaturæ simul in mortario plumbeo agitati. Insuper prosunt omnia metallica vsta, & lota, quia sic mordacitatem deponunt; vt est plumbum vstum, & lotum, cadmia, pompholyx, vel per se, vel mista. Commendatur lithargyrus, & cerussa pari pondere, quæ in mortario plumbeo subigantur cum ol. ros. donec plumbeum colorem contrahant. Hæc medicamenta leniunt dolorem: sed tamen potissimum vlcus firmant, propter suam siccitatem. Quod si magis propositum sit lenire dolorem: conuenient malua, & althæa, in mulsa decocta: oleum, quod è vitellis ouorum extrahitur: herba, uirga aurea dicta, solani succus, & ad dolorem, & ad firmandum vlcus probatur; succus herbæ reginæ, seu tabaci, ductus in mortario plumbeo, cum modico ol. ros. & modica cera, tum dolorem lenit, tum ulcus firmat.

Cancer vlceratus, vt tractandus.

1. Modus.

2. Modus.

CA-

CAPVT XXIII.

De Herniarum Differentijs, Signis, & Cauſis, in genere.

Tranſitio.

TVMORVM doctrinam hucuſque proſecuti ſumus, eorum, qui ab humoris influxu oriuntur. Alterum nunc genus reſtat, ſuprà capite tertio propoſitum, quod partis in alienam ſedem illapſu excitatur: vulgoque Ruptura, hernia, ramex, à Græcis κήλη dicitur. Licet verò duæ tantum herniæ ſpecies è partium decubitu fiant; inteſtinalis nimirum, & omentalis: his tamen affinitate quadam, & loci affecti ratione, attexendæ videntur etiam reliquæ ramicum differentiæ: quibus ſingulis, pro varietate illapſæ materiæ, ſua ſunt inpoſita nomina.

Nomen.

Differentiæ.

Solent autem hæ præcipuæ numerari herniarum ſpecies. 1. hernia incompleta, ſeu inguinalis, βουβωνοκήλη, cum inteſtinum, vel omentum vltra inguina non deſcendit. 2. hernia completa, cùm in ſcrotum penetrant, aperta tunica vaginali, ſeu peritonæo: & quidem, ſi inteſtinum deſcendit, ramex inteſtinalis, ἐντεροκήλη, dicitur. 3. ſi verò omentum, ramex Zirbalis, ſeu omentalis, ἐπιπλοκήλη. 4. ſi à lento, & aquoſo humore exſiſtit tumor, vocatur ὑδροκήλη, ramex aquoſus. 5. ſi à flatu φυσοκήλη, ramex flatulentus, ſeu ventoſus. 6. ſi caro circa teſticulum, vel in huius ſubſtantia concreſcat, σαρκοκήλη, ramex carnoſus dicitur 7. ſi venæ vltra modum repletæ in ſcroto, & teſtibus varicum modo dilatentur, σαρκοκήλη appellatur, ramex varicoſus. His Auicennas etiam ἐξόμφαλον, id eſt, vmbilici tumorem, ſeu prominentiam annumerat. Quin & compoſitæ ſpecies hinc emergunt, ἐντεροεπιπλοκήλη, ὑδροεντεροκήλη, ὑδροφυσοκήλη, ὑδροσαρκοκήλη, &c.

Signa.

Signum herniis omnibus commune, eſt tumor in teſtibus.

Bubonocele, è ſupra dictis facilè cognoſcitur.

Signa autem herniæ inteſtinalis ſumuntur è Celſo, cap. 14. lib. 7. quia tumor modò increſcit, modò minuitur: increſcit, vel quia maior portio inteſtini deſcendit; vel quia plus iuſto repletum eſt, interdum flatu, interdum ſtercore. Si tumor increuit, quia feces delapſæ ſunt in inteſtinum: tunc retro repelli inteſtinum nō poteſt, adeſt dolor in ſcroto, in inguine, & abdomine, quia fit ſolutio continui, ſtomachus afficitur, ejicit bilem rufam, deinde viridem, mox nigram, vltimò ſtercus, accidit inflammatio teſtium. Secundum ſignum herniæ inteſtinalis eſt, quod tumor non dolet. 3. tumor interdum feretotus euaneſcit. 4. cōpreſſus facilè retrocedit intra abdomen, & rurſus elabitur, cum quodam vehementi murmure 5. tumor leuis, lubricus, rotundus.

Signa omentalis. 1. tumor ſemper idem. 2. tactu inæqualis, mollis, lubricus, propter pinguedinem.

Signa aquoſæ. 1. tumor minuitur, ſi præceſſit fames. 2. venæ in ſcroto inflantur: ſi comprimatur, humor influit in vaſa, quæ prius repleta non erant. 3. ſplendet cum luciditate, ac ſi per vitrum, aut cornu inſpiciatur candela ex oppoſita parte admota. 4. abeſt dolor. 5. non ſubito, ſed ſucceſſiuè excitatur.

Ventoſæ ſigna. 1. venæ inflantur. 2. ſplendor clarior, quàm in aquoſa. 3. ſubito fit.

Carnoſæ ſigna, 1. durities ſcirrhoſa. 2. non mutat colorem teſtium. 3. ſemper in eodem ſtatu permanet. 4. inferiores partes teſticuli mouentur.

Varicoſæ ſigna, 1. venæ turgidæ conglomeratæ, intortæ capreolorum modo. 2. teſticulus magis deſcendit deorſum, propter humorum grauitatem, & denſitatem.

Cauſa.

Cauſa coniuncta, eſt inteſtinum, vel omentum prolapſum. Antecedens, vel dilatatio, vel ruptio peritonæi. Dilatatur verò, aut rumpitur, cauſis vel internis, vt humo-

ribus

ribus, qui in corpore continentur; vel externis, vt percussione, clamore, saltu, spiritus retentione, innixu ponderis, nimio labore in coitu, maximè cum aluus onusta est flatibus, aut fecibus.

Quoad præsagia, omnis hernia cura tu est difficilis, quia membrana tenuis, & neruosa difficillimè vnitur: nec medicamentis curatur, nisi in rupturis paruis, recentibus, & in pueris; sed vel ferramentis candentibus, vel sectione.

CAPVT XXIV.

De cura Herniæ Intestinalis, peritonæo saltem dilatato, vel relaxato.

INTESTINVM descendit, vel quia tunica dilatatur, vel quia rumpitur. Signa dilatatæ: 1. quia intestinum non subitò descendit, sed in orificio manet. 2. non descendit ad fundum vsque testiculi. 3. æqualis est tumor, & profundus. Signa tunicæ ruptæ: 1. subitus intestini descensus. 2. tumor inæqualis. 3 subit. prolapsus in testiculi fundum. *Causa, & Signa.*

Quoad dilatationem 3 duo indicantur, secundùm Auicennam: Primum, reductio intestini sursum intra abdomen: deinde, prohibitio ne rursus descendat Primus scopus facilè absoluitur, si intestinum non multum sit prolapsum, neque refertum sit flatu, aut fecibus; tunc enim digitis sursum pellitur, & comprimitur. Sin verò excrementis, flatuve turgeat: balneum aquæ calidæ paratur; dein lenientia adhibentur: postea fomentum è panno calido, Potest balneo aquæ dulcis oleum addi: vel fieri potest è solo oleo. Deinde apponuntur lenientia. R radicum althææ coctarum ex aqua, & contusarum, lib. sem. farinæ sem. lini, butyri ana vnc. iij. olei communis vnc. iv. mulsæ q. s. ad cataplasma. His non conferentibus, æger, manibus, pedibusque prehensus, concutiendus, vt intestinum sursum reuoluatur, resupinato corpore, capiteq; deorsum vergente. *Vt reponendum intestinum.*

Secundo scopus satisfacimus, id est, prohibemus ne rursus descendat intestinum: si dilatata constringamus, causasque omnes, tum internas, tum externas auferamus. Internarum præcipua est humiditas relaxans, & molliens vaginalem tunicam, quæ exsiccanda, corroboranda, & constringenda uenit. Totius ergo corporis primum habenda ratio. Vitandi cibi humidi, & flatulenti, itemque exercitia: utendum pane probè cocto, addito anisi, uel cymini semine, carnibus uescendum siccis, turdorum, merularum, &c. potus erit uinum astringens. Hunc ad modum instituta diæta, influentes humores euacuandi, tum phlegmagogis, agarico, melle rosato solutiuo, mechoacan, quæ sæpe, & reliquis huiusmodi, tum serum educentibus, sirupis de calamintha, de hyssopo, de betonica, cum decoctis feniculi, petroselini, &c. Postmodum ad astringentia, glutinantia, & siccantia ueniendum: qualia sunt herniaria, seu polygonum minus, betonica, symphytum, rosæ rubræ, balaustia, plantago, nuces cupressi, cortex quercus, radix sigilli Salom. mastiche, bolus Armena, mumia, sanguis draconis, mala cydonia, cyminum, &c. è quibus potiones, pulueres, & electuaria tam solida, quàm mollia parari possunt. Ad maiorem exsiccationem etiam confert decoctum Sarsæ parillæ. cum modico ligni Indici, ex aqua chalybeata: quod per multos dies propinandum. *Vt prohibendum ne denuo elabatur.*

Localia erunt siccantia, & astringentia. Auicennas parat medicamentum è nucibus cupressi, è foliis eiusdem, & sabina. Paulus cap. 53. lib. 3. hoc habet: R cortic. gran. dr. x. gallarum immatur. dr. v. uini astringentis unc. v. decoquantur, & imponantur, prius abluto loco aqua frigida, & quarto quolibet die renouetur. Auicen. hoc laudat: R. nucum cupressi, acaciæ, balaust. gallarum immatur. ana dr. j. myrrhæ, thuris, sarcocollæ, tragacanthæ, *Topica.*

thæ, gummi Arabici, ana dr. iij. mumiæ, ſanguinis dracon. ana dr. ij. terantur cum aceto. Aliud præſtans, R. malicorij, boli Armenæ, ſanguinis drac. ana dr. j. tegulæ puluerisatæ dr. ij. puluerís biſlinguæ dr. ij. ſem. cum oui albo, modico aceto, & colophonio, fiat emplaſtrum. Quo impoſito Auicennas, & Celſus ſubligaculum accommodant, vt inteſtino impetu facienti reſiſtat. Et ſic hernia leuior curatur, in iuuenili, & tenella corpore.

Ad herniam contumacem. Quod ſi his non cedat malum: æger lecto ſe contineat totos 40. dies; impoſito medicamento aſtringente, & facta ligatura. Abſtineat à nimio riſu, coitu, balneo. Mane, & veſperi ſumat hoc electuarium, R. rhabarbari aſſi, conſolidæ maioris, nucis moſchatæ, nucum cupreſſi, cymini, tragacanthi, gummi Arab. maſtiches, boli Arm. ſanguinis drac. mumiæ, picis Græcæ, ana partes æquales: puluerisentur omnia ſubtiliſſimè, & cum melle deſpumato, fiat electuarium, cuius doſis, vnc. ſem. Quidam puluerem leporis combuſti addunt. Superbibatur vinum nigrum auſterum; vel aqua chalybeata; aut flumialis, cui incoxerint folia cupreſſi, & myrti. Elapſis 40. diebus, ſurgat, interim tamen ceratum, & ligaturam geſtet; donec tutò remoueri omnino poſſe videantur.

CAPVT XXV.

De cura Inteſtinalis herniæ, peritonæo diſrupto.

1. Curatio per glutinantia. IDEM hic ſunt ſcopi. Reponendum inteſtinum, & videndum ne rurſus decidat: quod fit, ſi vniatur, & glutinetur ruptura. Vnitur aſtringentibus. Hic autem non pura illa ſiccantia locum habent, ſed quæ obtinent glutinoſam aliquam viſciditatem. Quale hoc, R. terebinthinæ vnc. j. ſem. ceræ, thuris, myrrhæ, ichthyocollæ, carnis cochlearum, ana vnc. j. gluten triduo in aceto maceretur; inde in mortario plumbeo læuigetur, ac conteratur; poſt, igne liqueſcat, ac miſceatur cæteris. Aliud, R. reſinæ aridæ, Ammoniaci, thuris, bituminis, ſulphuris viui, ana part. æq. teruntur terenda, liqueſiunt liquanda, deinde ſulphur adijcitur: applicatur vel linteo, vel corio, & finitur, donec ſponte decidat. Aetius extollit miro encomio cartam tribus diebus in aqua maceratam, ſed qualis ea ſit, dubium eſt: fortè pergamenum, vel papyrum intelligit, quæ extenditur diluta, ſiccata contrahitur, & poteſt contrahendo etiam reducere partes ad mutuum contactum, & vnire. Competit etiam regula 40. dierum.

2. Curatio per vſtionem. Si neque his ſanatur, ſecundùm Auicennam, locus adurendus ferro candente: facienda adultio fortis, quia ſic contrahitur cutis, vt inteſtinum amplius deſcendere nequeat. Cauendum tamen, ne inteſtinum vim ignis ſentiat, & vratur: periculum enim eſſet mortis. Collocandus igitur æger ſupinus, vt caput decliue ſit, &c. reducto inteſtino, miniſter in imo abdomine manum aponet, & validè premet. Ligetur æger ſupra tabulam, multis ligaturis; in pectore, & brachijs; in coxis, ad genua, & pedes; faſciæ pectoris ſint latiores. Difficulter defenduntur vaſa ſpermatica; quibus læſis, ſeminis generatio aufertur; nihil tamen vitæ officit. Ferramenta ſint duplicis formæ, ſemicircularia, & punctulia, vt cuſpidem habeant acutam, & figuram coni. Incipimus vſtionem à parte ſuperiori, deſcendentes per totam regionem rupturæ.

3. Curatio per inciſionem. Prior modus. Fit etiam per inciſionem curatio; quæ duplex eſt: alia Chirurgorum, alia Empiricorum. Chirurgi veri ſine teſtium extractione curant: empirici cum abſciſſione teſtis. Sine teſtium extractione, hoc modo. Primùm æger ſtans detineat ſpiritum, vt quanta ſit ruptura nobis manifeſtetur. Inde pars tumefacta ſignetur atramento, in circulum, pro quantitate loci affecti. Poſtea ſuper tabulam patiens ligetur, & miniſter comprimat imum abdominis: Chirurgus verò ſiniſtra manu eleuet cutim ſignatam, quoad fieri poteſt, & ſcalpello incidat diametraliter, per circulum, tum cutim, tum membranas, ad vaginalem

vſque

vſq; aut ruptam, aut dilatatam: quæ conſuatur poſtmodum, vna cum cute, & membranis. Seruentur vaſa ſeminalia illæſa. Poſt, æger in lectum collocetur; priùs impoſita ſtupa, cum oui albo; deinde ijs, quæ glutinant, vt puluere boli, &c. & ijs etiam, quæ carnem gignunt, vt terebinthina, &c. impoſito deſuper emplaſtro barbaro. Cicatrice inducta, ſurgat æger, & ceratum aſtringens per multos dies portet, ſimiliter & ſubligaculum.

Modus cum extractione teſticuli, paſſim vſitatus, & periculoſus; recenſetur à Paulo cap. 65. lib. 6. Collocato ægro ſupino, reducto inteſtino, miniſtro comprimente partem abdominis, & ligato ægro, fit ſignum obliquum in inguine: tunc fit inciſio profunda, vt teſtis inde poſſit eximi cum vaſis ſpermaticis; quæ chirurgi manu ſiniſtra detinentes, digitis in foramen immiſſis, ſeparant membranas omnes, & extrahunt teſticulum per idem foramen. Deinde apprehendunt partes hamuli ad id aptatis, & conſuunt omnia. Deinde ſuper futuram præſcindunt omnia; & poſtea candente ferro inurunt, vt hæmorragia prohibeatur, & citius pars glutinetur. Quo facto relinquunt filum longum; intus medicamentum concoquens imponentes. Poſtea, foramen faciunt in vna parte ſcroti, & imponentes concoquens, vſurpant butyrum, (quod tamen putrefacit, admiſcent thus, aut oui vitellum, & modicum reſinæ terebinthinæ. Demum ſtudent carnis generationi, vnguento de betonica, aut Iſidis; & cicatricem linamentis ſiccis inducunt. *Poſterior modus.*

CAPVT XXVI.

De cura Omentalis herniæ.

NON fit hernia hæc rupto peritoneo: quia omenti haud magna portio deſcendit, eò quòd alligatum eſt fundo ventriculi, colo inteſtino, & ſpinæ. Ergo fit dilatata tunica: præcipuè cùm pingue ſit omentum, quod proinde laxare facilè poteſt, & dilatare, non autem rumpere. *Cauſa.*

Scopi ſunt duo: primùm enim reducendum eſt omentum intra abdomen, quod fit manibus: deinde prohibendum, ne rurſus deſcendat, quod fit aſtringentibus. Et quia dilatatio fit ex humiditate, ſeu pinguedine relaxante: ideo ramex omentalis maiora poſtulat exſiccantia, quàm inteſtinalis. Laudatur hoc: R. aloes, malicorij in vino nigro elixati, ſucci hypociſtidis, thuris, glutinis fabrorum, ana part. æq. glutem paſſo incoquatur ad integram diſſolutionem, poſt teratur in mortario, & cætera addantur. quoad reliqua, hæc curatio non differt à cura herniæ inteſtinalis: ideoq; & heic conueniunt, ſubligaculum, cura 40. dierum, cauſtica, inciſio. *Curatio.*

Notandum ſecundùm Celſum cap. 25. lib. 7. ſi modica portio omenti deſcendit, ſurſum eam eſſe impellendam: ſi magna, inurendam, vt emoriatur, & decidat. Poſſumus etiam vinculo aſtringere, deinde adurere, & ita arctè aſtringere, vt decidat: ſed expeditiſſimum eſt conſtringere, amputare, & inuerre. Non temerè, nec citò nimis ad ſectionem veniendum, quia ſæpe præter ſpem hernia curatur.

CAPVT XXVII.

DE CVRA AQVOSÆ HERNIÆ.

Causa. HERNIÆ aquosæ causæ causæ, vel occultæ sunt, vel manifestæ, secundùm Aetium, cap. 22. lib. 14. Manifestæ, vt percussio, collisio, fractura vasorum, quæ sunt in testiculis. Sanguis enim, qui affluit ad vasa, tunc in aquosam substantiam, ob partis imbecillitatem, mutatur. Occulta causa est; è repletis vasis aquosa humiditate. Addit Guido vitium hepatis, vel lienis, cuius ratione colligitur liquor in hypochondrijs, qui facilè descendit.

Signa. Percussio, collisio, &c. per se patent. Si corporis color, & habitus est malus, hernia è vitio alicuius visceris orta est. Si horum nullum, è repletione: repletio autem fit è nimia potatione. Aetius causas dignoscit ex humore ipso, qui si subflauus, & pallidus, hernia erit à repletione venarum; si fęculentus, à percussione; si albus, è vitio iecoris, aut lienis. Sciendum, etiam aquam interdum colligi in tunica, quæ proximè inuoluit testes, plerumque inter hanc, & elytrocidem; aliquando inter elytroeidem, & διαρτὸν.

Cura totius. Quoad curationem: causæ emoliendæ: vitia iecoris, & lienis corrigenda. Si à nimio potu oritur, ab hoc abstinendum. Euacuanda copia aquosi humoris, tum qui in hypochondrijs, & abdomine, tum qui in toto corpore redundat. Quam ad rem Sarsæ parillæ decoctum mirè efficax: præterea medicamenta diuretica, & per aluum purgantia; magis tamen diuretica prosunt: Diuretica nota sunt; quibus frequenter vtendum: vt & ijs, quæ tenues serososque humores aluo deijciunt; qualia sunt syrupus è rosis laxatiuus, pilulæ cochiæ, & mastichinæ, vel alephanginæ, quarum scrupulus exhiberi potest, cum elaterij gr. ij.

Topica. Quoad localia, horum intentio est euacuare aquam in testibus contentam: quod fit, si vel retrocedat repellentibus, vel per patientem locum educatur digerentibus, aut *Digerentia.* scarificatione. Digerentia autem sunt calida, & siccantia, quæ priùs adhibenda, quàm *Emplastrum.* scarificatio. Aetius laudat, quod R. argenti spumæ dr. vj salis fossilis, atramenti sutorij, ana dr. x cerussæ dr. xiv. olei lib. j. terebinthinæ dr. xj Spuma argenti, cerussa, sal, mista cum oleo coqui debent: addatur atramentum sutorium, cum aceto tritum, postea *Cataplasma.* terebinthina adijciatur. Fit etiam cataplasma è baccis lauri, farina fabarum, fœnigræci, sulphure, cymino Ammoniaco, terebinthina, & oxymelite, cum ol. laurino simul mi- *Aliud optimũ* stis. Optimum, R. stercoris bubuli lib. j. pulu. cymini vnc. j. baccarum lauri vnc. sem. fiat cataplasma cum lixiuio. Magis digerens, R. cymini, baccarum lauri, fimi columbini, castorij, ana æq. partes, coquantur cum ol. ros. & pauca cera. Ante tamen locus foueatur spongia imbuta in decocto pulegij, calaminthæ, origani, fœnigræci, anisi, dauci, cymini, rutæ, ameos, saluiæ. Et post fomentum inungatur locus ol. de ruta, aut costo, aut eu- *Vstio.* phorbio, aut castor, aut etiam de baccis lauri. Aqua etiam calcis viuæ maximè digerit. Si aqua consistat in hypochondrijs, diutiùs in siccantibus, & corroborantibus testes immorandum. Auicennas vtitur ferramentis candentibus, in regione inguinis, vt corrugetur *Apertio.* pars, ne aqua possit descendere. Porrò in apertione duplex est intentio, scil. aperire, & prohibere ne aqua rursus coligatur. Apertio fit incisione, vel caustico. Si caustico, inurendus locus, vbi aqua est. Post, prohibemus, ne rursus colligatur, medicamento vehementer siccante, quale est Aetij, R. ceræ vnc. j. sem. picis dr. vj. Ammoniaci, thymiamatis vnc. ij. aluminis liquidi dr. j. sem. Misc. Galenus cap. 13. lib. 14. Meth. diutiùs retinet partem apertam, immissa cannula, seu siphone argenteo, aut plumbeo. Guido setonem immittit, & diu detinet: Locum incisionis Celsus docet, inquiens: si puer sit, qui laborat, aperiendum in inguine, ac sursum pellenda aqua: si adultior, in imo scroto, & educenda

aqua

aqua est, & eleuendus locus aqua, vel salita, vel nitrosa. Notandum verò aquam in scroto non esse diu relinquendam; ne è mora testis corrumpatur; vel vna cum aqua, adueniat carnosa hernia, & caro concrescat.

CAPVT XXVIII.

De Ventosæ cura.

CVRATVR tantum digerentibus, non ferro, non incisione. Paulus hoc describit: R. piperis grana centum, lauri baccas nu. 80. nitri vnc. xx. ceræ vnc. v. olei vnc. iv. sem. Misc. Reliqua vt in hernia aquosa administrentur.

CAPVT XXIX.

De Sarcoceles, & Hydrosarcoceles curatione.

SARCOCELE fit è defluxu crassorum humorum, qui colliguntur inter tunicas testiculorum. Colligitur autem humor, vel defluens, vel in parte collectus. *Causæ.* Humores crassi sunt duo: pituita, & melancholia, è quibus tum scirrhi in alijs partibus, tum indurationes carnosæ in testiculis oriuntur.

Tumor hic durus est, tactui renitens, indolens: &, si exquisitus sit scirrhus, sensus caret. Si à melancholia oriatur, color subluuidus: si à pituita, colorem cutis non mutat: si à melancholia superassata, dolor punctorius, & inæqualis tumor, hic durus, ibi mollis. *Signa.*

Curatio huic affectui eadem debetur, quæ scirrho, estque à nobis supra cap. 11. fusè pertractata. Id saltem hic notetur, puluerem radicis anonidis pluribus mensibus sumptum, Sarcocelen absumere, quod ægri cuiusdam historia Matthiolus testatum facit, qui continuato dictæ radicis vsu, sanitatem receperit; cùm tamen ante in medicamentis nullam, in secando autem, vrendoque tantùm eam, quæ esse poterat, spem Medici collocassent. *Curatio.*

Quod si tamen medicamentis nihil cedat malum, ad sectionem deueniendum, quæ periculo non caret; siue relinquatur testiculus, siue eximatur. Notandum autem in hac operatione, num caro concreuerit circa tunicas, an circa ipsos testes, numque firmiter, vel minùs firme adhæreat partis substantiæ. Hoc animaduerso, incidendum est totum scrotum, vsque ad carnem concretam: quæ, siquidem valenter haud sit affixa, vel summis digitis, vel manubriolo scalpente, à teste, vel tunicis sensim soluenda est, & auferenda: sin verò tenaciter cum parte coaluerit, non nisi vasorum, testiculique incisione curari potest. In hoc ergo casu foras trahantur vasa, & testis ligentur, incidantur, inurantur. Aliqui inurunt rasorio candente: ac simul incidunt, & inurunt. Reliqua curatio, vt in hernia intestinali peragitur. *Sectio.*

Modus singulaeis est, quando hernia aquosa, cum carnosa mista est. Tunc enim primùm incide, & fac foramen in scroti parte, quæ non sit decliuis, neque in fundo scroti, sed circa medium, nec fac admodum latum. Et extracta aqua, turundam impone quàm longissimam, medicamento pus mouente infectam, vt resina terebinthina, cum thure, oui vitello, & butyro. Emplastrum emolliens, & pus mouens applica, vt diachylon cum gummis, & axungia porci. Genitum autem pus non euacuetur per foramen, sed data opera intus seruetur, vt contactu suo carnem sensim putrefaciat. Neque innouanda medicamenta, nisi tota caro fuerit in pus versa, id quod longo fit tempore. Attamen modus hic est tutissimus; & feliciter succedit in hernijs etiam maximis. *Hydrosarcoceles curatio.*

CAPVT XXX.

De Herniæ Varicosæ cura.

Causæ

RAMEX uaricosus fit, testiculorum uenis dilatatis, & capreolorum more contortis, ab humore melancholico crasso,

Curatio.

Cura totius, eadem est, quæ in scirrho. Loco affecto succurritur medicamentis, & Chirurgia. Indicationes sunt tres: repellere humorem influentem: influxum euacuare, & siccare: uasa dilatata astringere.

Astringentia hos explens scopos, quatenus enim frigida, & astringentia sunt, humorem influentem repellunt: quatenus siccantia, influxum siccant, & sua astrictione, dilatatas venas astringunt. Probantur ergo succus hypocistid. balaustia, gluten piscium, malicorium, bolus Arm. sanguis draconis cum oui albo, &c.

Chirurgica operatio, è Celsi cap. 22. lib. 7.

Si medicamentis malum non cedit, recurrendum ad ferrum, & ignem. Vbi aduertendum, quo in loco consistant uarices; num in uenis scroti, uel tunica proxima, aut in uaginali, aut corpore ipsius testiculi. Si in scroto sint; uenæ adurendæ tenuibus, & acutis ferramentis, quæ ipsis uenis dilatatis infigi debent, eo loci, ubi conglomeratæ sunt: postea imponenda, quæ auferunt crustam: deinde lenticula cum melle, demumque farcotica. Si uenæ tumeant in tunica, quæ λαπτὸς à Paulo, & Rufo Ephesio dicitur; fiat incisio in inguine, & per eam extrahatur membrana, una cum teste: post, separentur uenæ dilatatæ à tunica, uel digitis, uel manubriolo scalpelli: tum duobus locis uinciantur uasa, & amputentur supra ligaturam: tandem reponatur tunica, & testis. Si ramex exsistat in elytroide, seu uaginali, & una saltem, uel duæ uenæ sint dilatatæ; eo modo procedendum, quo in tunica dartos dicta, nimirum ut ab inguine, & à teste præcidantur uenæ priùs deligatæ, testisque recondatur: sin uerò omnes obsessæ sint uenæ; ligentur, ac incidantur, cum teste. Quod si inter imam tunicam, & ipsum testiculum sit ramex, fiat incisio in inguine, extrahantur uasa, testis amputetur, locusque inuratur. Paulus hac utitur distinctione, de Leonidis sententia: si aliqua uasa testem nutrientia fuerint facta uaricosa, ea solummodo resecanda, & separanda, teste reposito: sin omnia, simul cum uenis ipsum quoque testem auferendum; ne hic uasis destitutus nutrientibus, resiccetur atque tabescat.

cap. 46. lib. 6.

Libri Primi de Tum. præt. nat. finis.

CHI-

CHIRVRGIÆ VNIVERSALIS HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE

LIBER SECVNDVS.

De Vulneribus.

CAPVT I.

De Vulnerum conſideratione in genere.

ABSOLVTA de Tumoribus præter naturam, & congeneribus affectibus, doctrina: proximum eſt, vt Vulnerum rationem aperiamus. Significat autem vulnus interdum omnem morbum, vt text. 17. lib. 2. de art. com. 30. de ijs quæ fiunt in med. Interdum ſignificat ſolutionem continui, factam tantum in carne; vt cap. 1. lib. 3. Meth. med cap. vlt. lib. de cauſ. Morb. & interdum continui ſolutionem in carne, nō quomodocunque, ſed ſaltem cæſim factam, vt cap. 6. de Conſtitutione artis. Nos autem hoc in libro de omnibus vulneribus agemus, carnis neruorum, venarum, capitis, thoracis, &c. ſiue fiant cæſim, ſiue punctim, ſiue contuſim. *Nomen.*

Vulnus ergo, hoc modo ſumptum, eſt ſolutio continui, externo aliquo inſtrumento in molli parte inflicta. Per mollem partem, intelligimus omnem ſubſtantiam in corpore exceptis oſſibus. *Definitio.*

Vulnerum differentiæ petuntur à quatuor fontibus: primùm à loco affecto, ſecundò à natura affectus, id eſt, à vulnere in ſe; & ſecundùm propriam naturam conſiderato: tertiò ab ijs, quæ præter naturam vulneribus adiunguntur: quartò, à re quapiam extranea. I. à loco affecto: vulnus eſt vel in carne, vel neruo, vena, capite, thorace, pede, &c. II. à natura vulneris, vt à figura, magnitudine, æqualitate, inæqualitate. A figura vulnus dicitur rectum, tranſuerſum, obliquum, pampini modo retortum, hami ritu vncum, &c. A magnitudine, magnum, paruum; longum, breue; ſuperficiale, profundum. Ab æqualitate, & inæqualitate, aliud æquale, aliud inæquale, id eſt, aliud totum apertum, aliud partim apertum, partim ſub cute latens, c. 11. lib. 3. Meth. III. à rebus præter naturā, vt *Differentiæ.*

sunt morbus, causa, symptoma. Hinc vulneri iungitur, vel tumor, gangræna, inflammatio, vel nihil horum: item, alia vulnera coniuncta sunt cum suis causis, vt globulis plumbeis, sagitta, spiculo, &c. item quoddam vulnus est dolorosum, quoddam non. IV. à rebus extrancis, vt à tempore, vulnus dicitur recens, antiquum.

Causæ. Causæ vulnerum sunt omnia externa instrumenta, apta continuum soluere. cap. vlt. lib. de caus. morb. quæ id faciunt, pungendo, incidendo, rumpendo, contundendo, eradendo. cap. 6. de constit. artis. Pungunt tenuia, & acuta, vt acus, sagitta, venenosa animalia, morsus ferarum. Incidunt, siue secant tenuia, & lata; vt gladius, culter. Rumpunt, quæ vehementi motu in partes contrarias diuellunt; vt graue onus, concitatissimus cursus, valentissimus saltus, casus ab alto. Contundunt grauia, & dura; vt lapis, lignum, obtusum ferrum, plumbum: maxime autem fiunt contusiones, vbi subiecta corpora sunt dura, vt in genu, articulis, capite, vbi ossa sunt excarnia. Erodunt denique ferrum candens, seu ignis, medicamentum causticum, quæ partis substantiam absumunt.

De signis autem vulnerum, nihil in præsentia dicam; nam externa sensu ipso innotescunt internorum vera signa suis quælibet locis afferemus.

CAPVT II.

De Vulnere carnis simplici.

Transitio. AD particularia deuenientes, primùm curabimus vulnera partium similarium, vt Carnis, Venarum, Arteriarum, Neruorum, & Ligamentorum, Deinde ad magis composita accedemus, nempe ad vulnera Capitis, Thoracis, Abdominis, &c.

Vulnus carnis quodnam dicatur. Primum de carnis vulnere dicemus. Hic autem per carnem intelligimus cuticulam, cutem, pinguedinem, membranam carnosam, substratam carnem musculorum: curatio enim in his partibus non variat; ideoq; totum hoc compositum, carnis nomine comprehendimus. Non potest quidem caro hæc vulnerari, nisi etiam venæ, arteriæ, nerui vulnerentur; quod testatur profusio sanguinis, & dolor: nos tamen id carnis solummodo vulnus appellamus, quatenus sanguinis profusio, & dolor non ita imalescunt, vt ad se curationem trahant. Carnis autem vulnus licet variari modis, vt per punctionem, incisionem, ruptionem, contusionem: nos tamen iam primò agemus de eo, quod frequentius accidit, nimirum de incisione; cum qua punctio, & ruptio coincidere aliquo modo videntur. Incisio porrò vel est simplex, sine amissione substantiæ; vel cum hac. De simpliciori ergo primùm sequitur.

Differentiæ.

Præsagia. Quantum ad prognosin: cum omnis morbus sit periculosus, vel ob partis affectæ præstantiam, vel ob affectus magnitudinem, vel quia malignam quandam habet naturam, cap. 6. lib. 4. Meth. vulnus carnis non est periculosum, quia caro non est pars princeps; nec si vulneretur, contumax, & malignum fit vulnus, quemadmodum in articulis: propter magnitudinem tamen graue reddi potest, quia in magno vulnere maximè pars debilitatur. Musculorum vulnera in media parte carnosa tutiora sunt, quàm in partibus fini, aut principio propinquis: secundùm Celsum cap. 26. lib. 5.

Vnde omnis morbus periculosus.

Indicationes. Scopus curandi vulnera, est unire id, quod diuisum est. Vnio autem licet naturæ opus sit: in hac tamen absoluenda, sex à medico auxilia exposcit. 1. sanguinis profusionem sistere. 2. inflammationem prohibere. 3. adducere labia ad mutuum contactum. 4. adducta conseruare. 5. præcauere, ne quid labij vulnerum intercidat. 6. substantiam vulneratæ partis salubrem conseruare. Galenus cap. 90. artis paruæ. Celsus cap. 26. lib. 5. Auicennas tertia quarti tract. 1. cap. 3. Qui scopi, vt explendi sint, ordine deinceps docebimus.

CA-

CAPVT III.

De siſtenda profuſione ſanguinis.

VLNVS, de quo nunc agimus, non pertingit ad magnam venam; nihilominus, cum uaſa minora incidantur, ſanguinis effluuium ſiſtendum eſt, niſi ſponte, & tempeſtiuè reſtinguatur. Quod ſi modicè fluat, dedebemus permittere vt tantum effluat, quantum commodum videbitur, pro inflammatione arcenda, poſtea oui albumen ſubactum, & ſtupa exceptum, uulneri imponendum. Si ſtupa deſit, ſumimus cotonem, ſeu goſſypium, aut in huius defectu, linteum duplicatum, in oui albumine infuſum, & madidum. Si dolor aliquis adſit, totum ouum ſimiliter ſubactum aſſumimus. Quemadmodum in oui defectu poſcam, aut uinum nigrum auſterum, aut uinum granatorum, quibus linteum, aut ſtupam imbuimus, & imponimus. Tela etiam araneæ, utiliter ſuperponi poteſt.

Hæmorrhagia & compeſcenda.

Materia.

CAPVT IV.

De Inflammatione prohibenda.

INFLAMMATIO, niſi prohibeatur, omni vulneri ſuperuenit. Vulnus enim partem reddit imbecillem, ut ſuperflua ad eam facile influant, præcipuè tenuiora, & calidiora, quæ inflammationem mouent. Deinde à parte uulnerata, propter imbecillitatem, non poteſt fieri proba concoctio alimenti proprij, unde reſultant excrementa, quæ, cum pars extra vulnus detrudere nequeat, diutiùs retenta inflammantur. Tertiò, quia in uulnere dolor excitatur; natura cum ſanguine accurrens, & opem ferre cupiens, phlegmones cauſa exſiſtit.

Cur inflammatio vulneri ſuperueniat.

Magno igitur ſtudio arcenda eſt inflammatio, quia hæc pene ſola uulneratis cauſa eſſe ſolet interitus; paucis exceptis uulneribus, in partibus principalibus, quæ per ſe ſunt lethalia. Eſt autem primùm inflammationis cauſæ occurrendum: nimirum defluxui, ſeu motui calidorum humorum ad partem uulneratam. Quoad humores calidos; curandum eſt, ac prohibendum, ne in corpore gignantur, remotis nimirum cauſis, tum efficientibus externis, quæ ſunt res naturales; & internis, quæ eſt caliditas iecoris, tùm materiali, quæ eſt cibus. Qui uerò calidi humores geniti ſunt, hi quatenus quieſcunt, prohibendi, ne moueantur: quatenus autem ad partem uulneratam mouentur, peruenire non ſinantur. Prohibemus, ne moueantur, ſi ipſos ſegniores, & ineptos admotum reddamus, quod fit refrigerãdo ipſos, & incraſſando, uiaſque conſtringendo, & ultimò ipſorum uehiculum auferendo. Ne autem iam fluentes ad partem perueniant, prohibetur reuellendo, repellendo, intercipiendo.

Indicationes.

Hos autem ſcopos abſoluimus Diæta, Pharmaceia, Chirurgia. Quoad diætam, ſi graue eſt uulnus, æger à cibo, & potu, quantum uires patiuntur, abſtinebit, ſuaſu Celſi, cap. 26. lib. 5. In qualitate autem uictus erit, primùm refrigerans, & incraſſans ſanguinem; deinde uaſa conſtringens, tertiò urinam mouens: quemadmodum ſuprà cap. 5. lib. 1. de curanda phlegmone docuimus: quo Lectorem, cum par utrobique ſit ratio, remittimus.

1. Diæta. Cibus, & potus.

Quidam præcipiunt uulneratis in principio danda eſſe oua, carnes, perdices, hœdos, pullos: uinum potens, pro confortatione. Verùm hi cibi nequaquam conueniunt, niſi è ſanguinis profuſione, aut alia euacuatione uires ita ſint labefactæ, ut mortis immineat periculum. Vinum nullo modo concedendum, ut nec in ulla inflammatione, cap. ult. lib. 4. Meth. hoc enim humores inſigniter calefacit, attenuat, fundit.

Hallucinatio quorundam.

Aliarum etiam rerum non naturalium habenda eſt ratio. Proinde aer erit frigidus,

vel natura, vel arte; vnde cubiculum inſpergendum aqua frigidiſſima, folijs ſalicis, vitis caprеolis. Vigiliæ vitandæ, quæ calefaciunt, & humores fundunt. Præcipienda quies, quæ refrigerat. Maximè eius membri motum vitabimus, quod vulneratum eſt. In ijs, quæ excernuntur, & ſubſiſtunt, ritè quoque procedendum. Abſtinendum à Venere, Vitandæ animi affectiones, præſertim ira, cuius ratione totum corpus inflammatur, & eryſipelata inſignia in in parte vulnerata oboriuntur.

31. Pharmaceia, Lenientia, & alterantia.

Quoad pharmaciam, totius corporis habenda eſt ratio, medicamentis Lenientibus Alterantibus, & Purgantibus. Lenientia ea ſeligenda, quæ tum mouere aluum, ſine corporis exagitatione, tum refrigerare, vel certè parum admodum calefacere poſſunt. Inde apozemata, & iulepia propinari debent, quibus facultas ſit refrigerandi, modicè aſtringendi, & lotium ciendi. De quibus omnibus abundè libro 1. de inflammatione curanda, egimus.

Id tamen peculiariter hoc loco notandum: olim chirurgis in vulnerum curatione potiones vulnerarias ſolemnes fuiſſe: è rubia maiore, ſymphyto, pede columbino, plantagine, cannabe, braſſica rubra, caryophyllata, pimpinella, piloſella, verbena, centaurio, artemiſia, ophiogloſſo, pyrola, betonica, ueronica ariſtolochia, ſanicula, alchimilla, gentiana, ſerpentaria, herniaria ſcordio, pentaphyllo, millefolio, ſcabioſa, anagallide, carduo benedicto, hyperico, mumia, maci, bolo Armena, cineris fluuiatilibus, lumbricis terreſtribus, ſpermate ceti, &c. Ex his, & ſimilibus, delegerunt parti vulneratæ idonea, pro temporis conditione, ægri temperie, & vulneris ſpecie: neq; modo herbas, ſed & ſuccos earumdem, ex aqua, vel vino albo, aut œnomelite coxerunt, & manè quotidie exhibuerunt, ad ſanguinem depurandum, ad arcendum putredinem, ad ſanguinis diſſoluendum grumos, ad expurgandum, & omnia peregrina corpora eijciendum. Verùm non debent hæc decocta per vulnerum initia præſcribi: quod calida ſint pleraque, ſanguinem attenuatum in partem affectam præcipitantia. Ideoque tantum locum habent, vbi nec febris adeſt, nec phlegmones in parte vulnerata imminet periculum: quæ etiam Celſi, de vino vulneratis propinando, docta eſt ſententia, c. 26. lib 5. Hæc quidem παρέργως: nec enim huc propriè, ſed potius ad caput huius libri ſeptimum ſpectare videntur.

Purgantia, num conueniant, & quæ.

Purgantia Guido in vulneribus improbat. Sunt enim, ait, calida, aperitiua, & commouent fluxum, & præparant vulnera ad apoſtema, & ad fluxum. At Galeno c. 6. li. 4. Meth. ex Hippocratis ſententia, in lib. de vlceribus ait purgationem eſſe neceſſariam in vulneribus, quæ aliquo modo magna ſunt, id eſt, quæ futuris, & deligaturis indigent, qualia penè ſunt omnia. Guidonis autem rationi reſpondemus, purgantia non debere eſſe calidiſſima, ſed aliquo modo refrigerantia. Et licet calefacerent, nihil tamen damni afferrent; quia calefaciunt partes ad inteſtina deſinentes: magis conferunt ad reuulſionem faciendum. Purgantia igitur conferunt, euacuando humores calidos, & ſic prohibendo, ne ad partem vulneratam moueantur; vel iam commotos etiam reuellendo. Humores autem purgandi, ſunt calidi, potiſſimum bilioſi, nonnunquam etiam aut pituitoſi ſalſi, aut melancholici aduſti. Medicamenta ergo potiſſimùm bilioſos educent humores, ideoque non admodum erunt calida: ſed potius refrigerantia: inter quæ mitiora ſunt, tamarindi, ac rhabarbarum: valentiora electuarium de ſucco roſ. Meſuæ, diaphœnicon, &c. Formula talis eſto; R. rhab. electi ſcr. iiij. ſpicæ gr. vii. vini albi parum: Fiat infuſio in decocto flor. & fruct. & expreſſioni adde ſyr. roſ. ſol. vnc. iij. elect. de ſucco roſ. dr. ij. ſem. Miſc. & fiat potio, exhibenda quinq; horis ante prandium. Vel R. flor. caſſ. recenter extractæ vnc. j. electua. è ſucco roſ. Meſuæ dr. ij. ſem. Miſc. & cum ſaccharo fiat bolus. Quidam magis delectantur pilulis, quæ exhibendæ potiſſimùm vbi febris, aut nulla adeſt, aut exigua: & ſtatim ſuperbibendum eſt iuſculum alteratum ex endiuia, vel foncho. R. pil. coch. ſcr. iv. maſtich. dr. ſem. cum aqua endiuiæ fiant pil. num. v. deaurentur. Hæc tamen purgantia variari poſſunt; nam mitiora præſcribentur æſtate, aut hieme, quàm vere, & autumno, ſi vulnus paruum, æger debilis, corpus non admodum repletum, aluus lubrica. Sunt autem exhibenda purgantia, non quemadmodum nonnulli perperam faciunt,

Cholagoga.

Formula.

Infuſio.

Pilula.

Delectus.

Tempus.

poſt

poſt decimumquartum diem, quia tunc iam præteriit timor inflammationis, ſed quandiu inflammationis adeſt ſuſpicio, in omnibus ijs pergere debemus, quæ ad totius corporis procurationem pertinent.

III. Chirurgia. Reuellentia.

Iam videndum reſtat, quomodo humores, qui in motu ſunt, prohibendi, ne ad partem vulneratam perueniant: quod fit tribus modis, Reuellendo, Intercipiendo, Repellendo. Reuulſoria præſidia ſunt venæ ſectio, purgatio, balneum, frictio, inunctiones calidæ, & digerentes, vincula, ſeu ligaturæ, veſicatorium, cucurbitulæ. Primas in reuellendo obtinet venæ ſectio; nam primò prohibet generationem calidorum humorum, refrigerando iecur; deinde prohibet humores genitos fluere, ipſos euacuando; vltimò prohibet, ne humores, qui ſunt in fluxu, perueniant ad locum vulneratum. Statim ergo initiò ad venæ ſectionem confugiendum, penſitata magnitudine vulneris, viriumque robore: non enim plenitudo, ſed vulneris magnitudo phlebotomiam indicat, cap. 6. lib. 4. Meth. Si ergo vulnus ſit magnum, aut propè partem principem, vt in capite, & thorace, & vulneratus ſit robuſtus; aſcendimus etiam ad libram ſanguinis, & vltra. Si vulnus non eſt magnum, & ad partem principem, vt in cerebro, tempus autem hyemale, partimur ſanguinis detractionem; quia in tali vulnere, & tempore non ita facilè oritur inflammatio: proinde iteramus venæ ſectionem, quando maximè influxum humorum timemus, vt pote poſt quartum diem. Si vulneratus non ſit admodum robuſtus, parciùs ſanguis eſt detrahendus, hoc eſt ad vnc. vj. deinde ad iiij. Et ſi valde ſit debilis æger, vna die vnc. iiij. & die ſequenti totidem mittimus. Nullo enim modo in vulneribus omittenda eſt venæ ſectio; aut ſi hæc ob ſummam virium imbecillitatem adminiſtrari nequit, cucurbitulis ſcarificatis eius loco vtimur, ſæmper in partibus contrarijs, & è directo. Quàm citiſſimè autem, & prima etiam die ſanguis mittendus; nec prius exhibendum eſt leniens, nec clyſter immittendus, qui poſſit aliquo modo remorari phlebotomiam: vt Celſus ait, cap. de venæ ſect: Poſt venæ ſectionem, etiam alia reuulſoria præſidia vſurpare poſſumus, vt frictiones, vincula, balnea calida, inunctiones calidas, & digerentes, cucurbitulas ſiccas. Ad veſicatoria rarò deuenimus, niſi vulnus ſit inſigne, & in parte principe, vt cerebro. Fonticulis nunquam vtimur, quia fluxum non niſi longo tempore auertunt.

Venæ ſec.

Quantitas mittendi ſanguinis.

Tempus.

Alia reuulſoria.

Intercipientia, & repellentia.

Intercipientia, ſeu defenſiua, ſunt frigida, ſicca, ideſt, aſtringentia, quæ ponuntur non in loco vulnerato, ſed in itinere, ante locum exitus; chirurgi eligunt partem excarnem, vt ſunt articuli. De his, vt & de repellentibus, ſuprà diximus, cap. 5. lib. 1. de curanda phlegmone: & plura de repellentibus deinceps afferemus, in ijs, quæ parti vulneratæ imponuntur.

Quandiu in vulneribus metuenda phlegmone.

Hactenus ergo de ijs, quæ vniuerſi corporis præparationem ſpectant, in diæta, pharmaceia, chirurgia; quæ omnia adminiſtranda ſunt, quandiu durat timor inflammationis. Terminus autem inflammationis communiter à chirurgis conſtituitur dies ſeptimus, è Gal. c. 2. l. 3. per gen. nam quinto die adeſt uigor inflammationis, quia tunc quanta futura eſt phlegmone ſeſe oſtendit, ſecundum Celſum, c. 26. l. 5. At hic terminus, ſeu timor phlegmones non eſt in omnibus ulneribus æqualis; longius enim protrahitur tempus, ac metus inflammationis, ſi mitius eſt uulnus, ſi pars affecta frigidior: ſi natura ægri frigidior, ſi tempus hibernum, ſi corpus non ſit plethoricum, nec febre conflictetur. Malè ergo faciunt, qui in minori uulnere (in quo plerumque tempus inflammationis protrahitur ad ſeptimum) diem decimumquartum præterire ſinunt, & tunc demum purgans ſine ullo fructu exhibent, cum tamen hoc, propter inflammationem, maturiùs fuiſſet exhibendum.

CAPVT V.

Quomodo labia vulneris ad mutuum contactum sint applicanda, & applicata seruanda.

1. Deligatio.

LABIA vulneris applicantur, & applicata seruantur tribus instrumentis; deligatura, futuris, & fibulis, cap. 9. art. med. Deligationis tres ponuntur species, ab Auicenna quarta quarti, tract. 1. cap. 3. item à Galeno, & Hippocr. in lib. de ijs, quæ fiunt in med. alia enim dicitur retentiua, alia glutinatoria, seu incarnatiua, alia expulsiua. Retentiua vsurpatur solùm ad retinenda medicamenta in parte vulnerata imposita: cuiusmodi sunt deligationes, quæ fiunt in vulneribus capitis. Glutinatoria deligatio dicitur, quæ labia vulneris sibi inuicem adiungit, & adiuncta continet: & hæc arctiùs, quàm superior, stringenda'. Expulsiua vtimur in fistulis, & cauernosis sinubus, ad expellendam materiam; & hæc arctiùs stringitur. Glutinatoria deligatura tantùm ad nostrum facit propositum; eaq; vtimur in vulneribus, tantùm per longitudinem membrorum factis, & quidem non admodum profundis, ita vt vix cutem vulnerent. Hæc fit è fascia linea, nec dura nimis, nec molli; ne vel premat, vel rumpatur, Cels. cap. 26. lib. 5. Gal. cap. 4. lib. 3. Meth. vnde mulierculæ assumunt tunicas veteres. Latitudo fasciæ ea esse debet, vt non solùm vulnus, verùm etiam modicè oras vtrinque comprehendat. Sed si fuerit vulnus longius, meliùs erit facere fasciam strictam, tres videlicet digitos latam. Circumduci hæc fascia debet vtrisque extremis; ita vt media fasciæ pars ponatur supra vulnus, dein hinc inde circumducatur, com. 13. lib. 2 de ijs quæ fiunt in med. At, meo iudicio, commodiùs est incipere circumductionem à parte vulneris opposita, vt fascia dein circumducta stringatur supra vulnus; sic enim meliùs adducentur labia: postea circumducetur similiter fascia, vel ambo eius capita, hinc inde, ita vt inferior pars per inferiorem membri partem circumducatur, superior verò per superiorem. Et ratio est, quia ita procul ab affecta parte exprimuntur humores, hinc inde, id est, inferiùs, & superiùs. Fascia nec laxa, nec stricta nimis esto; ne vel non contineat, uel dolorem, inflammationem, & gangrænam excitet: terminus sit bona laborantis tolerantia. Et si uulnus sit inæquale, ut ab una parte caro magis recedat; ab hac etiam plus attrahetur. Hieme sæpius circumire oportet, æstate verò quoties necesse est, ne pars, propter plures circuitus fasciæ, incalescat. Celsus ait nodum esse faciendum supra vulnus: & non nisi longè à uulnere. Sed tutiùs est terminos ipsius fasciæ acu assuere. Fascia ita circumducta, interdum solet premere labia uulneris; ita dolorem, ac inflammationem inferre. Auicennas ergo quarta quarti, tract. 1. cap. 2 ad hanc compressionem uitandum, puluinaria quædam, seu plumaceolos opponit, ut calor partis foueatur, & pars ab externo frigore defendatur; fiunt hæc è stupa, cotone, lana, uel etiam è plumis: & plumaceoli crassiores, qui ad uitandum compressionem fasciarum imponuntur, fiunt trianguli, & interdum sicci apponuntur, interdum madefiunt è uino, aut oui albumine, & latus triangnli apponitur, per longitudinem labiorum, deinde uerò fascia circumducitur. Hæc de deligatura,

Glutinatoria deligatio.

Fascia materia.

Latitudo.

Circumductio.

Longitudo.

Nodus.

Puluinaria.

Alterum instrumentum, quod labia uulneris adducuntur, & adducta conseruantur, est Sutura: cuius tria genera à Guidone proponuntur: glutinatoria, quæ sola facit ad nostrum propositum: sanguinis suppressoria, quæ fit acu, per utrumque labium traiecta, dein uerò euoluta, & eadem parte rursus traiecta, quemadmodum faciunt, qui pelles consuunt: hac sutura fluentem sanguinem supprimimus; quæ tamen non est admodum tuta, quia uno laxato puncto, cætera omnia laxantur, tertia sutura est retentiua, quæ efficitur in uulneribus dilaceratis, in quibus deperdita est caro, ut labia ad tempus adducantur,

2. Sutura.

Sutura glutinatoria triplex.

tur, eo modo, quo fieri potest. Glutinatoriæ suturę quinque proponuntur species à Guidone. Prima fit acu traiecta per vtrumque labium manu dextera; deinde sinistra manu teneatur cannula fenestrata, quæ innitatur labio ipsius vulneris, vt, dum acus, & filum egreditur, labium non consequatur, & inuertatur. Sed ego, locus huius cannulæ, appono digitos sinistræ manus, nimirum indicem, & medium, vt inter digitos filum egrediatur, qui digiti labium comprimunt, & non sinunt inuerti. Traiecta igitur acu, fit punctum, primò quidem filum obuoluendo duabus circumuolutionibus, deinde verò vna. Filum deinde inciditur, aliquantulum remotè à nodo. Primum punctum fit in medio longitudinis vulneris: deinde fiunt alia puncta, quotquot necessaria sunt, semper traijciendo acum in media parte, inter punctum, & extremitatem vulneris, & sic tot fient puncta, quot necessaria videbuntur, ad contactum labiorum efficiendum. Altera species suturæ glutinatoriæ, fit hoc modo. Summuntur tot acus, quot puncta volumus facere, quæ traijciuntur per labium vtrumque vulneris, & inibi relinquuntur: deinde verò circum vnamquamque acum reuoluitur filum, eo modo, quo faciunt mulieres, quando volunt aut in pileo, aut in manicis acus asseruare. Tertia suturæ species fit traiecta acu per vtrumque labium, ita vt filum trahatur ad partem oppositam: deinde eadem acu per idem foramen rursus traiecta, & relicta ansula, in qua apponitur festuca, aut frustulum calami scriptorij, aut fili contorti, & duri, & ex alia parte alia festuca apponitur, & stringitur. Duæ reliquæ suturæ species à Guidone propositæ, non sunt suturæ: ideoq; de ijs suo loco agemus. Quænam autem è propositis futuris tribus sit melior, facilè patet, quæ scilicet, & meliùs adducit labia, & minorem infert dolorem. Tertia igitur species omnibus alijs est deterior, sæpius enim dolorem facit, dum acus bis traijcitur per idem foramen, & labia in superficie permittit separata. Secunda etiam deterior est prima; quia dum acus in parte vulnerata relinquuntur, qui fieri posset, vt pars ab acubus non grauiter afficeretur? Primus ergo suendi modus est præstantissimus, & communiter à chirurgis vsurpatur: in quo multa sunt obseruanda, vt mox dicemus.

Sutura glutinatoria triplex.

Sutura quænam optima sit.

Antequam autem fiat sutura, sanguis in vulnere concretus, prius est detergendus, ne putrescens inflammationem excitet, ac cultinationem impediat: linamentum etiam, gratia profusionis sanguinis vulneri admotum, auferendum est. Detergimus autem vulnus ante suturam, vino nigro austero, cap. 4 lib. 3. Meth. hoc enim omni vulneri, & vlceri, qua vulcus, est optimum. Spongia igitur madefacta in tali vino, & expressa, sanguis detergendus. Quod si quandoque accidat, vt licet abluatur vulnus, nihilominus sanguinis aliquid profundatur: non tamen suturas in tempus aliud differre debemus) nisi alicuius momenti sit sanguinis profusio) quoniam exiguus ille sanguis, qui profluit, solet etiam breui temporis spatio, extra labia futuris adducta propelli ab ipsa natura, id tamen verum est, non ita citò curari vulnus, si aliquid sanguinis profundatur, quàm si nihil profundatur.

Deterſio vulneris ante ſuturam.

Detersо vulnere: quædam circa futuram faciendam notentur: primùm, quæ acus sit eligenda; secundò, quòd filum: tertiò, quod spatium inter puncta intercedere debeat: quartò, modus suendi, id est, in qua vulneris parte incipere, & quomodo progredi oporteat: quintò, quàm profundæ debeant esse futuræ: sextò quamdiu futuræ in vulnere sint conseruandæ. Acus ergo erit longa, læuis, perpolita, cuspide triangulari, & cauda excauata, ita vt filum in ea recondatur, nec acus transitum remoretur. Filum esto firmum, æquale, læue, cuiusmodi est sericum, secundùm Guidonem. At hoc non probo; nam experientia comprobaui filum sericum breui tempore labia consuta abrumpere, & dissecare; idq; vel ob tincturam, quæ vt plurimum fit è chalcantho; uel propter naturam ipsius serici, quod habet fila tenuissima, quæ facilè abrumpuntur. Ego itaque sumo filum è lino, quod sit firmum album, æquale, molle, læue, & quia omne filum, dum constringit cutem, abrumpitur; propterea ego oblinio filum aut tragacantha madefacta in aqua rosarum, aut cera alba, quæ frequentius ad manum est. Filum autem non in omnibus vulneribus erit vniforme, sed crassius, si uulnus ualde hiat, alioquin tenuius. Porrò in effi-

Notanda quædam circa futuras.

Acus.

Filum.

cien-

ciendis futuris chirurgus quàm celerrimè acum transfigere debet, & si fieri potest, vno ictu, siue adactu debet perforare vtrumque labium: id quod facilè succedit in cute molli: in cute duriori tutius est vnum labium post alterum perforare. Quàm autem profundæ debeant esse futuræ, explicat Celsus, cap. 26. lib. 5. & Gal. cap. vlt lib. 3. Meth. vbi enim vulnus est transuersum, & profundum, tunc altæ efficiendæ sunt futuræ, ita vt non tantùm cutem, sed carnem etiam subiectam comprehendant, quò valentius hæreant, nec cutem abrumpant: contra, vbi profundum non est vulnus, satis est cutem tantùm apprehendere. In altis futuris efficiendis, vitandæ sunt venæ, arteriæ, nerui, & tendines. Sutura, nec nimis crebra, nec nimis rara mijcienda est, secundum Celsum loco citato, rarior enim non probè adducit labia; crebrior autem vehementius afficit, & facit, vt maior sequatur inflammatio, idq; magis æstate. Guido ait spatium singula puncta intercedens debere æquare latitudinem vnius digiti, seu spatium transuersi indicis. Quod dictum solummodo verum est in vulnere transuerso, longo, & admodum profundo: vulnera enim facta per longitudinem musculorum, vel sola deligatura, vel pauciſſimis indigent futuris, cap. vlt. lib. 3. Meth. Celsus vero quot danda sint puncta exactissimè docet: eatenus, ait, nouum est faciendum punctum, quia cutis ducentem, quasi sua sponte subsequitur, id est, tantùm distabunt puncta, vt si quis manu vulneris labia apprehendat, sine vlla ui huiſmodi labia subsequantur. Vbi autem incipere, & quomodo progredi oporteat, è dictis facilè colligitur: quod totum à vulneris longitudine dependere videtur. Si enim vulnus habeat longitudinem digiti transuersi, aut etiam minorem, non indigemus futura: quia, vel deligatura, vel medicamentum, vel etiam ipsa natura labia parum in paruo vulnere separata solet adducere. Si longitudo vulneris sit duorum digitorum transuersorum, vna, in medio futura sufficit. Si fuerit vulnus trium digitorum, duo puncta sunt danda. Si quatuor digitorum, tria. Et sic pergendum, vt semper numerus digitorum, vno superet numerum punctorum. Et hæc ratio perpetuò seruanda est; nisi vena, arteria, neruus, & tendo prohibeant; has enim partes declinantes cogimur sæpe futuras aliquando magis distantes facere. Tempus relinquendi futuras, est, quousque vnio, seu glutinatio facta sit, quæ variat ratione magnitudinis vulneris; nam maius vulnus tardiùs curatur: variat ratione constitutionis corporis, quia sunt quædam corpora, quorum carnes facillimè glutinantur: variat ratione temporis anni, nam hieme tardiùs, æstate, & vere citius: temperatura corporis humida tardius, siccior citius sanescit: in humida cæli constitutione tardius, in sicca citius fit glutinatio: si plenus est corporis habitus, si prauis refertus humoribus, vt in hydropicis, tardiùs fit glutinatio. In summa, siccitas, siue è temperie partis, aut totius, aut anni tempore, aut regione, aut ætate, aut constitutione, & habitu contingat, omnino facit ad citam vulneris conglutinationem: si modò siccitas non sit valde in excessu. Hinc Hippocrates in lib. de vulneribus dicit; Sanum sicco uicinius esse, humidum non sano. Ferè tamen futuræ in magnis, & transuersis uulneribus septem, aut octo dies detinentur: in minoribus uerò, & quibus tantùm cutis est uulnerata, sufficiunt tres, aut ad summum quatuor dies: quemadmodum in facie, aut primo die, aut ad summum altero auferuntur futuræ, quod facimus, ne cicatrix futurarum indecora remaneat.

Altitudo.

Sutura.

Numerus punctorum.

In quo loco & ſitu debeant puncta.

Quandiu futura relinquenda.

3. Fibula.

Tertium instrumentum, quo labia uulneris adiunguntur, & adiuncta seruantur, sunt Fibulæ. Vsus fibularum est in constringendo id, quod separatum est, cap. 90. art. med. cap. 1. lib. 2. per loc. cap. ult. lib. 3 Meth. cap. 8. lib. 2. ad Glauc. item Cels. cap. 26. lib. 5. De harum & materia, & figura auctores discrepant. Oribasius enim cap. 4. lib. de machin. ait fibulas fieri ex ærè, ferro, auro, & habere formam circuli: unde Virgilius Aurea purpuream subnectit fibula uestem. Guido fibulas appellat hamos, qui debeant esse parui, pro ratione membri, & ab utraque parte curuati, ut labio utrique infigantur. At tales aculeos pungentes infigere in ipsa carne, & neruosis partibus est pessimum: Vndæ hæc sententia falsa est, maximè quia hami postea latius esse uulnus permittunt. Falloppius uoluit, fibulas esse primam futuræ speciem, in qua filum abscinditur, & qua communiter in uulneribus utimur: & hoc potissimùm colligit ex eo, quod Celsus ait fibulam fieri ex acia molli, ubi

Guidonis sententia.

Falloppij sententia, & quæ contra eam possunt obiici.

Fal-

Fallopius per aciam intelligit filum, quod nobis vulgo azza dicitur. At contra hanc sententiam multa afferri possunt. Primùm enim acia in tota lingua Latina non inuenitur, nisi hoc in loco apud Celsum: & proinde non potest probari, quod acia Latinis significet filum. Secundò, in editionibus nonullis pro acia legitur acu. Tertiò dicit Celsus, quod fibulæ ferè vulnus latius esse patiuntur: at fibula quæ fit cum filo, secundùm Fallopium, labia vulneris valde astringit. Quartò, apud nullum probatum auctorem materia fibularum est filum, sed æs, ferrum, aurum, lignum: vnde Celsus c. 25. lib. 7. agens de ratione infibulandi, ait exempto filo, fibula additur; ac proinde patet fibulam non esse è filo. Quintò, modus loquendi ipsius Galeni, & Celsi, quando mentionem faciunt fibularum, talis est, vt per fibulam nullo modo filum intelligi queat: dicunt enim additis, impositis, iniectis, superdatis fibulis: quæ filo non competunt.

Auctoris sententia.

His ergo rationibus olim adductus fibulam credidi non fieri è filo, sed ex ære, aut materia ferrea, non quidem è materia dura, quæ in vulneribus infigeretur, vt Guido sentit, sed è molliore, quæ infigeretur per vtrumque labium, & deinde intorqueretur. Postmodum verò meliùs rem considerans, inueni opinionem Fallopij esse verissimam. Nam primùm Celsus fibulam, & futuram simul dicit fieri ex acia molli, non nimis torta: vbi dictio illa non nimis torta, nullo modo acui potest competere, sed filo, quod duplicatum sumitur, & intorquetur, non tamen nimis, ne euadat durum, & inæquale. Præterea, si illa dictio, ex acia, intelligeretur; acu, nihil faceret ad rem; sicut enim futura non fit ex acu, sed è filo, ita & fibula. Modus etiam loquendi ipsius Celsi, cum dicit esse injciendam fibulam, ualde respondet illi loco, cum dicit iniectum vinculum mordet. Licet autem quedam fibulæ aliàs fierent è ferro, auro, ligno, &c. in vulneribus tamē nihil prohibet, quin è filo fiant: pro diuerso enim vsu, & materia, & figura variari potest.

4. Glutinum.

Quartum etiam præsidium à modernis excogitatum est ad labia adducendum in vulneribus, nimirum glutinum. Lintea enim formæ triangularis, quadrangulæ, aut alterius figuræ, prout situs vulneris exigit, oblinita glutino applicantur ad labia vulneris, & non constringuntur, sed detinentur, donec resiccato glutino, lintea cuti valde adhæreant: quod contingit spatio trium, aut quatuor horarum, aut ad summum diei dimidij, & cum linteum valde adhæret cuti, constringimus linteum, & cum hoc simul labia vulneris. Quidam lintea consuunt vera futura, & ita sinunt, donec vulnus sit glutinatum. Quæ ratio mihi non placet; quia sic non possumus vulnus regere, & medicamenta sic difficulter applicantur, & si quæ sanies effluit, difficulter detergitur. Placet ergo mihi, vt linteis applicentur ansulæ è filo duplicato, seu multiplicato, & contorto, & cera oblinito; quæ habeant eam distantiam, quam futuræ solent habere, aut etiam minorem. Quibus ansulis è contrarijs partibus alligatis, labia adducuntur, & sic ansulis solutis, quoties opus est, vulnus possumus detergere, medicamenta, & linteum vino expressum superim ponere, & rursus deligare. Apponenda autem sunt hæc lintea, non vt contingant labia vulneris, sed tantum distabunt, ut medicamenta apponi possint.

Materia glutini.

Glutinum verò conficitur è medicamentis astringentibus, & emplasticis atque viscosis, vt sunt, oui albumen, bolus Arm. sanguis drac. thus pingue, sarcocolla, mastiche, farina volatilis, fuligo fabrorum, gypsum, corallium, tragacantha, sanguis humanus (unde fit glutinum perfectissimum) resina pinguis. Materia excipiens potest esse oui albumen optimè subactum: cetera verò in pollinem tenuissimum redacta, oui albumini miscentur, donec medicamentum adipiscatur mellis crassitiem. verbi gratia, R. sanguis drac. thuris, sarcocollæ, masticbes, ana drag. sem. oui albumin. q. s. Misce. Et hoc ego vtor frequentissimè. Vel: R. boli Arm. sarcocollæ, masticbes. ana drag. 1. Misce cum oui albumine. Vel: R. masticbes, farinæ uolatilis ana drag. sem. boli Arm. coralliorum ana scrup. j. sang. drac. drag. j. Misce cum oui albumine. Alij utuntur glutino piscium; alij glutino taurino. Sed ego experientia comprobaui ualidiora esse ea, quæ proposui. In absentia omnium, oui albumen subactum, & linteo madefacto exceptum adhærescit, sed non ualidè. Gypsum, cum

oui albumine ita adhæreſcit corpori, vt ſecundùm Rhaſin, non niſi lima auferri queat. At propoſita, vt dixi, ſunt commodiora. Quidam calcem viuam, cum oui albumine miſcent: at non probo hoc, quia intentio in vulneribus eſt refrigerare.

Si glutinum non firmiter hæreat.

Porrò contingit interdum vt glutinum fiat impotens, linteumq; non ampliùs cuti adhæreſcat; vnde nondum facta vulneris glutinatione, labia ſeparantur. Fit autem hoc, ſi linteum, & glutinum humectentur: id quod duobus potiſſimùm modis accidere poteſt. Primùm, ſi linteum vino madidum ſupra apponatur: quod vitabimus, ſi lintea exprimamus, vel aliud linteum priùs ſuperimponamus. Deinde humectatur etiam glutinum, ſi ſanies è vulnere effluat: quamuis enim vulnus, quod curamus, eius ſit naturæ, vt non debeat ſanies ab ipſo effluere, cùm ſcilicet labia exactiſſimè ſunt adducta; in magnis tamen vulneribus ad amuſſim id fieri nequit. In hoc ergo caſu excogitaui quædam, quæ reſiſtunt humiditati, & ſaniei, vt ſunt reſina pini; aut picea, gummi elemi, aut Ammoniacum, ex aceto diſſolutum, &c. Hæc ſi reliquis pulueribus admiſceantur, reſiſtere ſolent ſaniei. Equidem vt plurimum vtor reſina pini; aut ſi hæc non fuerit applicata, ſanieſq; effluat, & timeamus magis adhuc effluxuram, tunc, qua parte madefacit ſanies, ego ſoleo aliud linteum in inferiori magis parte, prope id, quod primò eſt appoſitum, cum ſuis etiam anſulis apponere, vt ſi forſitan prius linteum decidat, alterum prioris vicem ſubeat.

1. Vſus glutini.

2.

Vſus glutini communis eſt conſtringere labia. Particularis vſus eſt, primò in vulneribus faciei: quia enim ſuturæ, ac fibulæ cutem abrumpunt, vt non tantùm vulneris, ſed punctorum etiam cicatrices appareant: nos, beneficio glutini, deformitatem punctorum euitamus: glutino enim iam adhæreſcente, aut ipſamet prima die, aut ad ſummum altera, ſi vulnus conſutum fuerit, aut fibulæ impoſitæ, nos filum, & omnia puncta auferimus, & anſulis lintei conſtringimus labia, vſque ad perfectam glutinationem. Alius eſt glutini vſus, in tranſuerſis, & magnis, ſiue longis vulneribus: in quibus, etiam ſi plurimæ factæ fuerint ſuturæ, & plurimæ fibulæ impoſitæ: nihilominus ante glutinationem puncta abrumpuntur, id eſt, cutis rumpitur, vt glutinatio fieri nequeat. Antiqui in his caſibus vtentes cùm ſuturis, tum fibulis, nimiùm ægros cruciabant, toties acu traiecta, quin, & ipſo filimorſu: At nos glutino appoſito futuram factam adiuuamus. Faciliùs autem, & feliciùs glutino vti poſſumus, quàm futuris; hæ enim, & dum fiunt, dolorem faciunt, & dum factæ ſunt, filum ſemper cutim mordet; glutinum nullum facit dolorem. Suturæ faciunt cicatricem turpem; glutinum nullam. Suturæ denique in longius tempus protrahunt glutinationem: quandiu enim filum perſiſtit, tandiu ſanies generatur inter filum, & carnem, quæ prohibet glutinationem.

Quando deligatura, ſutura, vel fibulis vtendum.

Verum non indifferenter his quatuor inſtrumentis propoſitis vtendum eſt. Deligatura enim eſt imbecillior, quàm futura, cap. vlt. lib. 3. Meth. & futura eſt debilior fibulis, ſecundùm Celſum cap. 3. lib. 5. vnde interdum vno, interdum pluribus indigemus, cap. vlt. lib. 3. Meth. Si enim vulnus ſit minimum, vt quando aliquis gladiolo vulneratur in digito, nullo indigemus inſtrumento: quia natura ipſa per ſe adducit, & ſanat. Si vulnus ſi paruum; imponimus aliquod emplaſticum, vt telam aranei, aut raſuram corrigiarum, aut aliud glutinans, cap. 8. lib. 2. ad Glauc. Si vulnus ſit magnum, tunc vel ſola egemus deligatura, ſi vulnus longum ſit per muſculorum longitudinem, non tamen admodum magnum, & longum, vel deligatura, & futura; in vulnere tranſuerſo, ſed non admodum lato, vel deligatura, futura, & fibulis; in vulnere tranſuerſo, cuius labia multum à ſe diſtant. (ſub tranſuerſo continetur obliquum.) Si vulnus maximum, ualde longum, tranſuerſum, valde profundum, egemus deligatura, futura, & fibulis.

Cautio de foramine in Gulnere relinquẽdo.

Quod ſi propter vulneris magnitudinem ſperare non poſſumus totum vulnus in partibus profundioribus, ad exactam vnionem duci poſſe, tribus dictis inſtrumentis, vnde ſinus remaneret, qui poſtmodum repleretur ſanie, propterea in talium vulnerum parte decliuiori foramen relinquimus, & in hoc turundam immittimus, vt ſanies expurgetur. Quod ſi vulnus non ita ſit profundum, totum eſt conſuendum, neque foramen relinquendum: vt malè quidam indifferenter in omnibus vulneribus faciunt, vel vnum, vel

duo

duo foramina relinquentes: nec enim tunc carnis generatione opus est (vt in maximo vulnere), de quo iam diximus (sed sola glutinatione.

Inter dicta quatuor instrumenta, glutinum est tutissimum, & dolore vacat: ideoq; hoc in omnibus vulneribus vti possumus, auferendo futuras iam factas: vnde sic, & citiùs, & maiori iucunditate curamus. *Glutini vsus insignis.*

CAPVT VI.

Vt præcauendum, ne quid labijs vulnerum intercidat.

SOLET interdum heterogeneum quid labijs intercidere; vt pilus, oleum, filum, &c. quæ glutinationem impediunt: quod summo studio præcauendum. De medicamentis verò, & potissimùm de pulueribus quidam statuunt, quod nullo modo pulueres intra labia sint immittendi; vnde hi linteum supra labia reducta imponunt, & deinde supra illud linteum pulueres inspergunt. At hoc modo medicamentum, cum per contactum agere debeat, non rectè per linteum suum effectum potest producere. Alij dicunt pulueres dedita opera inter labia inspergendos esse: hos enim in carnem quidem verti non posse, non tamen glutinationem impedire, quia post effectum suum editum extrà vulnus à natura expellantur. Verùm pulueres corpulentia sua glutinationem semper impediunt, licet facultate iuuent. Ideoq; mediam ego teneo sententiam: ne studio pulueres labijs inspergantur, sed tantum in vulneris superficie; quemadmodum etiam monet Auerroes 3. Colliget. *Pulueres vulnerarij quomodo asperegendi.*

CAPVT VII.

Vt partis vulnerratæ substantia salubis conseruanda.

SALVTI partis vulneratæ vt consulamus, multa nos impellunt. Vnionem enim in vulneribus optamus, cuius affectrix causa est natura, siue partis temperies: quæ non potest vnionem efficere, nisi sit sana. Deinde quia pars est debilis, corporis excrementa abundantiùs ad ipsam confluunt. Natura etiam parti dolenti volens occurrere, sanguinem copiosum mittit in auxilium: vnde dyscrasia uel humida, vel etiam calida contrahi potest. Præterea, pars debilitata non potest alimentum ritè conficere, vnde multa excrementa resultant, quæ cum ob debilitatem non queant extra vulnus propelli, partem ad humidam intemperiem permutant. Tandem, quia labia tam exactè adduci nequeunt, quin exiguæ quædam cauernulæ intercedant: has sanie repleri necesse est, & dein humidam dyscrasiam produci. *Quomodo pars vulnerata præter naturam afficiatur.*

Quamobrem, vt his occurratur vitijs, medicamenta glutinatoria erunt frigida, vt repellant id, quod influit: & siccantia in gradu secundo, vt humiditates intus contentas absorbeant, siue ob debilitatem coctionis resultent, siue in spatijs vacuis colligantur; sic enim simul etiam suppurationem prohibent: denique erunt astringentia, vt partem debilitatam corroborent. *Glutinantia qualia conueniant.*

Hippocrates igitur in lib. de vlceribus vtitur spongia densa, molli, incisa, sicciore, non madente; spongia enim absorbet, & quasi combibit humorem, hæc autem densior esse debet, nam rarior non contegeret omnes partes circumiacentes; debet etiam esse mollior, ne duritie premat, ac dolorem inferat; postremò sicca esse debet, maximè si intentio est solùm exsiccandi. At quando vnà quoque repellere est animus, spongiam exprimere possumus è posca, oxycrato, vino nigro austero, secundùm Celsum cap. 26. lib. 5. & Galenum lib. 11. Simpl. cap. de spongia. *Materia glutinantes, secundùm Hipp. & Galenum.*

Secundum Guidonem. Guido, post factas futuras, supra vulnus inspergit puluerem hunc: R. thuris partes ij. sang. dra. partem j. boli Arm. part. iij. excipiantur prima vice oui albo, & cum stupa imponantur; ne autem in amotione stupæ puncta futurarum dilacerentur, ante stupæ applicationem superponendum linteum madidum, cum oui albumine: Et sic medicamentum linit per quatuor dies, nisi aliud vrgeat accidens. Secunda autem vice eundem puluerem excipit cum resina terebinthina, cuius descriptio extat in Guidonis Antidotario.

Secundum recentiores. Ego verò cum posterioribus chirurgis sic curo: Reductis labiis per futuram, &c. primò pulueres astringentes supra vulnus inspergo, de quibus mox dicam: deinde appono aliquod ceratum, vt diapalma, aut barbarum, idq; tum ad pulueres detinendum, tum ad partis substantiam salubrem conseruandum: tertiò impono linteum duplicatum, è vino nigro austero expressum, idq; multò latius, quàm sit vulnus, ita ut comprehendat hinc inde multas partes circumstantes. Alij vtuntur linteis, in aqua frigida madefactis; frigida enim repellit, & dum à parte detinetur, etiam digerit, secundum Galenum lib. 1. de Simpl. cui experientia quoque suffragatur; nam si manus diutiùs in aqua detineantur, apices digitorum corrugantur, digestis scilicet, & siccatis humoribus. Alij vtuntur linteis siccis, cum incantationibus; qui curant, non verbis, sed siccitate lintei: hoc medicamentum respondet sponiæ Hippocratis. *Error barbitonsorum.* Alij vtuntur oleis, ut mastichino, aut rosaceo, aut hypericonis: & certè hi pessimè omnium faciunt; nam olea semper vulnus disiungunt, & glutinationem prohibent: ab his ergo prorsus abstinendum.

Κολλητικὰ quænam. Porrò medicamenta glutinatoria, alia sunt simplicia, alia composita: & vtraque uel in forma tenui, vt pulueres; vel in solida, vt cerata. Galen. lib. 5. Simpl. multa simplicia glutinantia enumerat; ut sunt ebulus, sambucus, anagallis, pyra syluestria, rubus, cauda equina, salicis folia, hederæ folia uiridia in vino decocta, corni folia, & germina, vinum nigrum austerum: item cap. 4. lib. 3. Meth. folia, germina, & pilulæ cupressi, vimus, &c. omnia denique sicca, & astringentia. In forma solida sunt, ceratum barbarum, diapalma, &c. descripta à Galeno lib 1. per gen.

Quantitas siccationis. Quantum autem siccandum sit, cognoscitur è vulneris magnitudine, natura ægri, tempore anni. Hinc si vulnus omninò est exiguum, simplex glutinatorium sufficit, cap. 8 lib. 2. ad Glauc. Si vulnus sit profundissimum, & maximum, opus est turunda, facto foramine in parte decliuiori, ut expurgetur sanies; non enim inuenitur medicamentum, quod siccando omnem illam humiditatem absumat. Si medium sit vulnus, mediocre etiam requiritur medicamentum. *Mitiora.* Hinc, si uulnus est paruum, & ægri temperies humida, anni tempus calidum, regio calida; mitius requiritur siccans, & astringens: vt rosa, plantago, anagallis, ebulus, sambucus, ulmus. Vel hoc compositum, tenuis formæ: R. rosarum, plantag. thuris, ana partes æquales, puluerizata subtilissimè, misce. *Valentissima.* In forma solida, casu proposito conueniet ceratum de Cerussa, aut de Minio. Si indicationes sint contrariæ, ita ut prævaleant ea, quæ astringentia postulant, valentissima siccantia, & astringentia vsurpabuntur; ut bolus Arm. sang. drac. folia, germina, & pilulæ cupressi, balaustia, pyra syluestria, myrtilli, gallæ immaturæ. *Mediocria.* Inter composita, proderit hic puluis: R. boli Armen. sanguinis draconis, thuris, ana part. æquas. Ceratum etiam barbarum magnum laudatur. Si indicationes refrigerant: siccantia, & astringentia medium tenebunt locum inter mitiora, & valentissima; vt hederæ folia viridia, è uino decocta, rubus, cauda equina, salicis folia, vinum nigrum austerum. Puluis hic proderit; *Vinum nigrũ* R. mastiches, corallorum, caudę equinæ, ana partes æquas. Commendatur emplastrum barbarum minus, si hiems fuerit; si Ver, aut aer temperatus, diapalma. Notandum autem de uino nigro austero; ex hoc spongiam, vel lintea expressa, partibus circumstantibus apponenda, maximè vbi fluxus ad vulnus timetur; ita enim fluxio repellitur, pars uerò exsiccatur, & corroboratur. Quod si maiore egeamus robore, & validiore repellente, vino incoquimus plantaginem, rosas; & chamæmelum, si fuerit hiems. Si adhuc maiori astrictione opus, incoquimus cortices granat. balaust. myrtill. alumen.

Medicamentum glutinatorium. Non possum autem silentio inuoluere medicamentum quoddam præstantissimum

ad

ad partium neruosarum vulnera: cuius descriptionem ab Hispano quodam Sacerdote, fide dignissimo accepi, qui retulit in Hispania non licere hoc medicamentum componere, quod homines medicamenti viribus confisi, facilè digladientur, inq. arenam descendant. Est autem hoc, R. olei vetustiss. vnc. iij. terebinthinæ puræ vnc. viij. frumenti integri vnc. j. sem. hyperici vnc. ij. rad. cardui benedicti, rad. Valerianæ ana vnc. j. thuris puluerizati vnc. ij. Radices, & herbæ crasso modo contunduntur, in olla ponuntur, & tantum vini albi superfunditur, vt omnia in vino mergantur: & per biduum facta infusione, oleum & frumentum adijciuntur, & coquuntur omnia ad vini consumptionem: Mox facta forti expressione, additur terebinthina & thus: & iterum parum sinantur bullire, setuanturq; in vase vitreo. Sanat vulnera, ut aiunt, spatio xxiv. horarum. Modus vtendi talis est: Abluto priùs vulnere vino albo frigido, statim inungitur totum vulnus oleo prædicto calente: quod si hoc fieri commodè nequeat, per Siphonem intra vulnus, tamquam per clysterem immittitur; & confestim labia vulneris ad mutuum contactum adducuntur, deligatura, aut sutura, aut glutino; deinde partes circumstantes prædicto oleo similiter inunguntur. Supra uerò vulneris labia iam reducta linteum imponitur, prædicto oleo madens; & supra hoc aliud, uino nigro expressum; mox alia lintea sicca, deinde fascia superligatur.

Hispani Sacerdotis cuiusdam.

Imposita medicamenta soluere, & vulnus inspicere sufficit tertio quoque, aut quarto die, si vulnus benè aptatum est, & nisi soluere cogamur ab alio. Si enim Galenus per gen. in vlceribus, in quibus sanies effluit, tertio quoque die, & hieme etiam quarto, vlcera curat, ac inspicit: profectò etiam nobis illud licet in uulnere simplici glutinando, in quo sanies non effluit. Sæpe quidem cogimur secundo die resoluere, ut vel glutinum apponamus, uel amputemus puncta, uel corrigamus, quæ ab alijs perperam sunt commissa, aut prauè coaptata. Cogimur etiam religare uulnus, quoniam futuræ sensim laxantur, & ita uulneris labia aperiuntur. Deniquæ ægri, & astantes sæpè cogunt, ut religemus uulnus quotidie, cum ipsorum tamen potius damno: aliàs enim nos uulnus negligere existimant. Verumtamen tutò tertio quoque die inspicere possumus. Et hæc de uulneribus è simplici incisione factis.

Quando vulnus soluendũ & quoties inspiciendum.

CAPVT VIII.

De vulnere carnis composito, seu cauo.

HACTENVS de vulnere simplici, in quo tantùm vnio requirebatur: sequitur compositum, seu cauum, in quo præter vnionem; etiam carnis generatio requiritur. Dicitur autem uulnus cauum, non solum in quo portio carnis deperdita est, sed etiam quod è simplici fit incisione, sine carnis amissione, cuius tamen uulneris labia, ob magnitudinem, & nimiam distantiam non possunt in profundo ad mutuum contactum adduci; vnde necessariò cauitas in profundo manet, quæ carne est implenda.

Transitio.

In huius autem curatione, generalia, & ad totum corpus spectantia, de quibus in vulnere simplici dixi, præsuppono; protinus enim prospiciendum, ne sanguinis fiat profusio, neue inflammatio superueniat. Horum gratia sanguinem mittimus: exhibemus syrupos refrigerantes, modicè astringentes, vrinam mouentes: damus etiam purgantia: diætam præscribimus congruam: denique reuulsoriis utimur præsidiis, ut frictionibus, balneis, &c. Præterea, in curatione uulneris caui unio fieri nequit, nisi priùs caro generetur, quæ cauitatem impleat, cap. 3. lib. 3. Meth. Quia uerò in hoc uulnere, semper materia quædam præter naturam continetur, quam pars expellere nequit; ideo hæc priùs concoquenda, & detergenda. Quatuor ergo scopi sunt in horum uulnerum curatione: pri-

Cauum vulnus quid sit.

Scopi in curatione caui vulneris.

mùm enim conquoquentibus vtendum: ſecundò detergentibus; tertiò ſarcoticis; quartò epuloticis, ſeu cicatricem inducentibus.

Concoquentia & quandiu his vtendum.

Digeſtiua, & detergentia ſimul miſceri poſſunt, ita tamen vt illa in principio, hæc in fine præpolleant. Digeſtiuis autem vtendum, donec pus generatum conſpiciatur; quod citius fit in vulneribus paruis, æſtate, & in pueris: tardiùs hieme, in vulnere magno, in natura frigida. Et tunc ſi in digeſtiuis ampliùs pergeremus, vlcus redderemus ſordidum: ſicut faciunt barbitonſores, qui vſque ad finem concoquentia imponunt. Errant etiam illi, qui dierum numero, tempus, quo medicamenta ſunt mutanda, metiuntur: hi enim vſque ad ſeptimum diem concoquunt, vſque ad undecimum, vel decimumquartum detergunt: magno errore. Vtendum igitur concoquentibus, donec pus laudabile appareat, id eſt, album, æque, æquale, non fœtidum. Concoquente ergo tali in principio vti poſſumus; R. vitell. ouorum nu. ij. farinæ tritici, thuris puluerizati, an. q. ſ. ad vitellos inſpiſſandum. Detergens erit tale: R. mellis roſ. col. unc. iii. farinæ hordei vnc. j. aquæ betonicæ parum, Miſce. Si placet miſcere concoquentia, & detergentia: R. mellis vnc. iii. farinæ tritici vnc. ſem. ſuci apij unc. iv. Miſce ad formam pultis: Si adijciatur croci ſcrup. i. medicamentum reddetur magis concoctorium. Vel, R. reſinæ terebinthinæ vnc. j. thuris puluerizati drag. j. oui vitellum i. Miſce. Si ſit æſtas, & vulnere aliquis ſenſus doloris perſentiatur, ſumo reſinam terebinthinam, aut abietinam, in aqua lotam: ſi ſit hiems, aliquid croci addo.

Formula digeſtiuorum.

Detergentia.

Si in fine animus ſit tantùm mundificare; ac detergere, linamenta in melle tincta id præſtabunt, ſecundum Celſi ſententiam: item farina hordeacea, & ſabarum, cum melle. Melicratum quoque deterget cap. 8. lib. 2. ad Glaucon. Solent etiam hoc componere, quod ad concoquendum, & detergendum maximè ualet: R. ſucci apij, ebuli, vini, mellis, axungiæ porcinæ, butyri recentis, ana partes æquas: Miſce, & ad ſpiſſitudinem coque.

Sarcotica.

Poſtquam vulnus per concoquentia, & detergentia, redditum eſt idoneum, ut carne impleri queat: carnis generationi protinus incumbendum. Sunt autem ſarcotica exſiccantia, quin & detergentia, ob excrementa, quæ continuò in carnis generatione ſegregantur. Dicetur autem copioſè de Sarcoticis, in doctrina vlcerum. Si vulnus magnum, corpus ſiccum, & durum, tempore hiemali, conueniunt ſarcotica valentiſſima, unguentum Iſidis, & Apoſtolorum. Si uerò æſtas ſit, aerue calidus, & ſiccus, unguentum de tuthia. Mediis temporibus, & minori vulnere, naturiſq. temperatis, conuenit unguentum de Betonica. Hieme unguentum Baſilicum: æſtate unguentum de Ceruſa. Si natura temperata, vulnus mediocre, tempus medium; id eſt, uer, & autumnus, R. reſinæ terebinth. unc. iii. ceræ vnc. j. thuris, maſtich. fœnigræci ana unc. ſem. olei communis drag. x. Diſſoluuntur reſina, & cera ad ignem, item oleum, Colantur: deinde pulueres adijciuntur, & fit unguentum. Magis autem conueniunt ſarcotica, actu, & poteſtate ſicca: ut pulueres, qui uulneribus inſperguntur. In paruis ergo uulneribus, & naturis temperatis, & tempore hiemali: R. thuris, reſinæ colophoniæ, farinæ, fœnigræci, ana unc. ſem. fiat puluis. Si maius eſt uulnus, æſtas, corpus magis ſiccum: R. aloes, ſarcocollæ, ſanguinis dracon. tuthiæ præparat. ana part. æq. In duris corporibus, & magnis uulneribus, R. rad. iridis, mannæ thuris, myrrhæ, aloes, radicis panacis, reſinæ laricis, ana part. æq. Miſce, &c.

Vnguenta.

Pulueres.

Si in uulnere cauo deperdita ſit ſubſtantia, ut cauitas in propatulo ſit, facile medicamenta imponuntur, ſi ſcilicet linamenta inficiantur unguentis propoſitis, aut ſi pulueres inſpergantur. Atſi uulnus cauum ſit, ſine amiſſione ſubſtantiæ, id eſt, ſi ortum ſit è ſimplici inciſione, & ita magnum ſit, ut cauitas in profundo remaneat, hæc quia in propatulo non eſt, inſtrumento eget, quò medicamenta immittantur. Primùm ergo, ſi tale occurret uulnus, id conſuere oportet altis futuris, & in parte decliui relinquendum foramen; aut ſi cauitas vicina ſit parti oppoſitæ, & pars oppoſita ſitum habeat magis decliuem, quàm totum vulnus, tunc in parte auerſa, uulnus incidendum, & perforandum, cap. 8. lib. 2. ad Glauc. cap. 90. art. med. In ſumma, foramen in tali uulnere relinquendum, per quod ſanies effluat: ne intempeſtiuè conſutum, poſt cum dedecore denuo ſit incidendum. Per hoc ergo fora-

Turunda ad cauitatē vulnerum medicamentis in acceſſum.

foramen, etiam medicamenta sunt immittenda, instrumento tereti, oblongo, altero extremo fastigiato, altero crassiore, seu lato: quod vocatur turunda, penicillum, à Celso linamentum obuolutum, & oblongum, item implicitum, & inuolutum, vulgo tenta. Huius turundæ primus est vsus, vt foramen seruet apertum: secundus, ut medicamenta in profundam cauitatem vsque ducat: tertius, ut combibat excrementa, quæ generantur in cauitate. Sed aliæ turundæ ad alium usum sunt commodiores. Quæ enim fiunt in modum canulæ, aut è linteo, cera oblito, aut è plumbo, argento, & consimilibus, conferunt potissimùm ad colluuiem è cauitatibus expurgandam: & his rarò in vulneribus vtimur. Quæ uerò fiunt è linteis implicitis, & inuolutis, item è stupa, è linamentis carptis à linteo: hæ medicamenta ad fundum ducunt, simul etiam materiam exsiccant, & combibunt; quia materia, è qua fiunt, ad hæc præstandum est idonea. Quæ fiunt è spongia contorta, è medulla sambuci, è radice gentianæ, potissimùm uero è medulla sorgi: faciunt ad ampliandum foramen. *Vsus turundæ.*

Porrò impositis Sarcoticis, superponendum est aliquod medicamentum, potissimùm ad formam cerati, vt est diapalma, ceratum barbarum: & hoc fit, tum ad detinendum sarcotica, tum ad vulnus à frigore defendendum. Vtimur etiam linteis, & spongijs expressis ex vino nigro austero: eoq. uel puro; uel si maiori opus est robore, in quo decocta sint balaustium, malicorium, rubus, myrtilli, scabiosa, folia oliuæ, & similia astringentia medicamenta. *Quæ superponenda sarcoticis.*

De exedentibus carnem luxuriantem, vide in doctrina vlcerum: ut etiam epuloticis, siue cicatricem inducentibus.

CAPVT IX.

De Cicatricum tollenda deformitate.

IAM docendum restat quomodo vitia, quæ post uulnerum curationem remanere solent, curari debeant: ut sunt cicatrices concauæ, eminentes, malè coloratæ, rugosæ, uariam habentes figuram, aut magnæ cicatrices remanentes.

Concaua igitur fit cicatrix, uel uulneris culpa, uel medici incuria. Culpa uulneris, si uel amissa sit, & excisa portio seminalis, uel in uulnere inueterato per putredinem similiter sit absumpta substantia: tunc enim consolidatio tantùm fit secundùm partes profundas, ut caua maneat cicatrix. Cauitas hæc in ætate adulta, aut inclinante, instaurari nequit: in crescente verò, & robusta ætate, potest aliqua substantiæ portio regenerari. Primùm ergo scarificanda est cicatrix, sectionibus frequentissimis, non tamen profundis: deinde imponenda sunt sarcotica, forma vnguentorum, quæ remolliant potiùs ipsam partem, & potiùs minùs siccent, ac detergant, quàm sit ex usu. Proinde ego vtor unguento de Betonica, quod fit sine pulueribus, è solo betonicæ succo, oleo, & pauca cera. Incuria medici nonnumquam caua fit cicatrix: vel quia præproperè vulnus ad cicatricem ducitur, euidentissimis cauitate adhuc existente; vel quia labia non tenentur subleuata, sed interiùs inclinata sinuntur consolidari. Et hæ cicatrices cauæ similiter curantur, vt priores; primùm scarificando partem, deinde regenerando carnem. Prohibebimus autem, ne fiat caua cicatrix: si vulnus ad cicatricem ducatur, quando exigua supereſt cauitas; item, si labia suspensa teneantur, impositis linamentis siccis, aut admoto glutino aliquo, cum ansulis, quibus labia, quæ interiùs volunt consolidari, attollere queamus. *Cauitas.*

Cicatrix eminens fit culpa medici, si vel carnem sinat excrescere, nec hanc per exedentia absumat; vel unum labium super alterum glutinet. Corrigitur, in primo casu, scarificata parte, & appositio dein cathæretico: in secundo casu, scarificata similiter parte, *Eminentia.*

te, & poſt appoſito medicamento epoulotico. Fiunt etiam interdum cicatrices malè co-
Color paruus. loratæ, vt ſubnigræ, citrinæ, virides, rubræ, liuidæ, nigræ, albæ: idq; propter prauos humores, qui hoſce colores habent; qui humores oriuntur, aut è praua victus ratione, aut è viſceris alicuius intemperie. Corriguntur, ſi auferantur cauſæ efficientes: nimirum prauus victus, & dyſcraſia viſceris: ſi denique in parte affecta vtamur detergentibus, reſoluentibus, & ſiccantibus, Celſus cap. 26. lib. 5. proponit modum corrigendi cicatrices albas, & nigras.

Ad cicatrices albas. Ad albas (ſub quibus etiam alij colores albo vicini comprehenduntur (ſuperponit plumbum album, vel deraſum, vel contritum, vel ad modum laminæ tenuioris: laudat etiam radicem cucumeris ſylueſtris, quæ cauſam albi coloris, nimirum humorem album, ſeu pituitoſum, à proprietate ad ſe foras trahit; manifeſtis etiam qualitatibus eundem diſſipat, & digerit. Eadem ratione vſurpari poteſt colocynthis, & alia, quæ pituitam euocant. Laudat etiam Celſus hoc compoſitum: R. claterij part. j. ſpumæ argenti part. ij. vnguenti pondo iv. quæ
Ad nigras. excipiuntur reſina terebinthina, donec fiat emplaſtri forma. Ad nigras cicatrices, nigriſue vicinas ait conferre æruginem, plumbum elotum, paribus portionibus. Præterea calamenthum in vino decoctum, & emplaſtri modo impoſitum. Nec omittenda ea, quæ tollunt humorem nigrum, cauſam huius coloris, vt helleborus niger puluerizatus, aut etiam vnguento aliquo admiſtus.

Ruga. Rugoſa fit cicatrix, ſi medicus non bene coaptet vulneris partes, quæ cicatrice obducendæ ſunt: aut, ſi non apponit epouloticum debito tempore; vel non apponit ſecundum omnes vulneris partes, vt opus eſt, ſed in quibuſdam partibus debilius, in quibuſdam fortius. Corrigitur, primùm ſcarificatione: deinde medicamentis erodentibus, quibus vulneris partes æquantur, ac planæ redduntur: poſtmodum epouloticis impoſitis.

Magnitudo Cicatrices multiformes, & magnæ, factæ culpa, vel medici, uel vulneris, vix poſſunt aliter curari. Faciliùs autem corriguntur recentes, quàm inueteratæ.

Forma varia.

Durities. Quod ſi cicatrices cute ſint duriores, & proinde valde rubræ appareant, cutem emollimus oleo de Ben, oleo de vitellis ouorum: ſed præ ceteris ego vſurpare ſoleo pinguedinem humanam; quæ familiaritate quadam temperamenti, vt arbitror, efficaciùs agit, quàm reliqua modò propoſita.

CAPVT X.

De Vulneribus Vaſorum, id eſt, Venarum, & Arteriarum.

Vulnus Vaſorum. VLNERA venarum, & arteriarum ad ſe trahunt curationem, ſi fiant in vaſis maioribus: idq; faciunt non ratione vulneris, quod facilè uiniri poteſt, ſed ratione ſymptomatis ſuperuenientis, nimirum profuſionis ſanguinis.

Signa. Cognoſcitur autem ſanguinis profuſio, facilè è vulneris magnitudine, & ex impetu ruentis ſanguinis. Præterea ab anatomico etiam cognoſcitur è ſede, loco; vulneris, num ſit in parte, per quam uenæ, & arteriæ, nel maiores, uel etiam plures progrediuntur. Num autem ſanguis fluat è vena, uel arteria, docet Auicennas quarta quarti tract. 2. cap. 16. Primùm enim ſanguis arterialis egreditur cum ſaltu, & impetu, in arteriæ dilatatione, in conſtrictione contra, ſanguis retrahitur: ſanguis autem venarum, vniformiter exit. Secundò, ſanguis arteriarum eſt ſubtilior, venarum craſſior. Tertiò, ſanguis arterioſus eſt rubeus, clarus: venarum ſanguis, ad nigredinem vergit, nec ita eſt floridus. Quartò, ſanguis arterialis multò eſt calidior ſanguine venæ. Quintò, ſanguis arterialis, dum emittitur plurimo ſpiritu permiſtus eſſe videtur: ſanguis venarum non eſt ſpirituoſus.

Cauſa. Cauſæ porrò vulnerum vaſorum ſunt inſtrumenta externa, quæ vaſorum tunicas diuidere poſſunt, pungendo, ſecando, rumpendo, contundendo.

Quo-

Quoniam autem ſanguis uitæ eſt theſaurus, ſanè ex ipſius largiore profuſione mors imminet. Hinc fit vt immodicam effuſionem ſanguinis ſequantur deſipientia, conuulſio, ſingultus, ſyncope, ob multam ſpirituum vitalium, & naturalium inanitionem. Aph. 9. ſect. 7. Difficiliùs autem curatur vulnus arteriæ, quàm venæ, quia ſanguis arterioſus magis eſt fluxilis, ac difficiliùs compeſcitur: deinde quia arteriæ corpus durum eſt, & perpetuò mouetur. *Prognoſt.* *Symptomata.*

Quantum ad curandi indicationes, ſanguis ſiſtitur, aut clauſo, quod perruptum eſt vaſe; aut non amplius fluente ſanguine, cap. 3. & 5. lib. 5. Meth. Reſpicere ergo nos oportet, & ad vaſis apertionem, & ad ſanguinem fluentem. Vaſis apertio claudenda eſt. Clauditur, uel labijs deſſidentibus in vnum adductis: uel oſculo vaſis obſtructo, ſeu obturato. *Scopi, ſeu indicationes.* *1. à Vaſis apertione.*

Adducuntur labia, tum opera manuum, tum per deligaturam, tum vinculo, tum refrigerantibus, & aſtringentibus. Obſtruitur oſculum, uel intrinſecùs, uel extrinſecùs. Intrinſecùs à ſanguine, qui intrinſecè concreſcit, ac θρόμβος dicitur. Extrinſecùs, ijs, quæ foris imponuntur; ut ſunt ſanguis extrinſecus concretus, digiti, carnoſæ partes circa vulnus, item ſpongia, linamenta, medicamenta emplaſtica, quæ lentore, & craſſitie apertionem obturant; item quæ cruſtam efficiunt, ut ſunt ignis, & medicamenta uim igneam habentia. Ne autem clauſum uas à ſanguine impetuosè affluenter recludatur, oportet nos etiam ſanguini proſpicere: fluxum auertendo, deriuando, reuellendo ad partes alias, & ſanguinem ipſum refrigerando, ac incraſſando, ne tam promptè fluat. *2. à ſanguine.*

Materiæ ergo præſidiorum dirigentur ad duo: primum, ut ſanguis confluere prohibeatur: ſecundò, ut apertio claudatur. Confluere prohibetur ſanguis, tum totius corporis refrigeratione, tum maximè partis affectæ. Totum corpus refrigeramus Diæta, Chirurgia, Pharmacia. *Curatio.* *1. Affluxum ſanguinis prohibentia.*

Dieta debet eſſe tenuis, frigida, craſſioris ſubſtantiæ, & modicè aſtringens: ut ſcilicet ſanguis minuatur, refrigeretur, incraſſetur, & in uenis reſtringatur. Non ergo proſunt cibi, qui multi ſunt nutrimenti, ut oua, carnes, vinum, ſed lactuca, endiuia, amylum, oryza, ptiſana hordeacea, cucurbita, anguria. Conueniunt è carnibus, pedes, uitulorum, & caſtratorum, item capita, & cerebra, quæ lentam habent, frigidamq; ſubſtantiam. E fructibus conceduntur pyra, cydonia, ſorba, meſpila, corna, malum granatum, pruna, & alia aſtringentia. *Dieta.*

Potus ſit aqua frigida, uel chalybeata, poſca uinum granatorum, aqua hordei, iulepum roſatum, uiolatum, aut ribes. Placent aquæ ſtilatitiæ, plantaginis, endiuiæ. Exhibeantur actu frigida, in ea quantitate, ut corporis tantum uires ſuſtineant. In uirium proſtratione, conueniunt carnes potius ſiccæ, quàm humidæ, & ſyluęſtres, quàm domeſticæ, ut ſunt perdices, phaſiani, turtures, aniculæ montanæ aliæ, oua integra: quæ cibaria condienda ſunt omphacio, ſumach, ſucco granatorum, &c. aut ſimili aſtringente. Si uinum dari oporteat, illud non ſit odoratum, ſed nigrum, & auſterum. Aer erit frigidus. Vitabitur ira, furor, motus, uigiliæ. Aluus erit libera.

Medicamentis etiam totum corpus refrigeratur; nimirum ſyrupis, decoctis, potionibus; in primis laudatur potus aquæ frigidæ, ut æger una uice tantum bibat aquæ, quantum poteſt. Secundum locum obtinent ſyrupi, uel ſimpliciter refrigerantes, uel modicè aſtringentes: ut ſyr. de cichor. de portulaca, roſaceus recens, myrtinus, &c. cum aquis conuenientibus. *Medicamenta refrigerantia totum corpus.*

Oportet uerò & partem affectam refrigerare: unde repellentibus ea debet madefieri, quò procul ab affecta parte ſanguis repellatur. Affundetur ergo poſca, uinum nigrum auſterum, ſuccus ſolatri, ſemperuiui, lactucæ, plantaginis. Hæc medicamenta, & ſimilia, non ſolùm parti affectæ imponuntur, ſed etiam aliquando longiùs à parte affecta, ut officio defenſiuorum fungantur, & prohibeant, ne ulteriùs ſanguis ad partem vulneratam perueniat. In pertinaciſſimis profuſionibus, ſoleo aquam frigidam ſubinde perfundere, non ſolùm ſupra partem affectam, ſed etiam ſupra omnes partes circum- *Refrigeratio partis affectæ.*

cumacentes: cui aquæ interdum acetum miſceo, & ſubinde perfundo; aut lintea in eã madefacta impono, ſemper mutando, ne incalefcant in parte. Rhaſes monet ſubinde nitrum apponendam eſſe ſupra partem læſam; quæ refrigerat, & propter terrenam ſubſtantiam aſtringit.

Auerſio ſanguinis fluxus. Auertendus etiam eſt fluxus ſanguinis, tum reuulſione, tum deriuatione. Reuulſoria præſidia ſunt, primùm venæ ſectio, quæ ſemper inſtituenda eſt, ſi profuſio magna ſit, & vires robuſtæ: ſi vires minus firmæ, partiemur venæ ſectionem in duas partes. Si vires phlebotomiam tolerare nequeant, affigendæ ſunt cucurbitulæ, primùm quidem ſcarificatæ, deinde ſiccæ. In defectu horum omnium, alia reuulſoria ſunt adminiſtranda, ut vincula, inunctiones, frictiones, balnea, & hæc omnia in partibus contrarijs parti vulneratæ.

11. Vaſis apertio & clandenda Hactenus de curatione hæmorragiæ, quatenus reſpicit ſanguinem. Perſequemur iam indicationes, quæ à vaſis ſumuntur. Clauditur ergo vaſis apertio, vel labijs adductis, vel orificio obſtructo: quorum prius poſteriore melius eſt, quoniam & profuſionem ſedat, & ſimul vulnus curat. Adducuntur labia, interdum è ſeipſis, interdum opera medici. E ſe ipſis, quando ob nimiam ſanguinis profuſionem tunicæ vaſorum concidunt, & ſic labium ſuper labium cadit: qui modus nunquam optandus eſt. Medicus autem labia adducit, opera manuum, ſutura, deligatura, vinculo, uaſe excepto; refrigerantibus, & aſtringentibus medicamentis. Per ſuturam, non intelligimus ſuturam ipſius uaſis (nam tunicæ conſutę dilacerarentur) ſed ſutura totius vulneris: quæ fieri debet, ut Guido docuit, in ſutura, quam vocat ſanguinis ſuppreſſoriam: Fit hæc acu traiecta, & reuoluta ſupra vulnus, & iterum traiecta, atque iterum ſemper ex eodem latere, quemadmodum ſuuntur pelles. Quia autem nos hanc veram eſſe antiquorum ſuturam docuimus, non eſt, cur eam ſanguinis ſuppreſſoriam cum Guidone appellemus. Deligatura fieri debet è duplici initio, è faſcia lata, vt ſuprà in vulnere ſimplici docuimus: id ſaltem notetur magis expedire, ut faſcia oui albumine madida ſit, quàm ſicca. Porrò ſi non ſperamus hæmorrhagiam ſedari poſſe, adducendo labia ad mutuum contactum, aut ſutura, aut deligatura, recurrimus ad tertium præſidium, quod eſt, vas ipſum vincire filo: uolſella enim, ſeu alio inſtrumento adunco uas apprehenditur, paullulum tunica eleuatur, deinde aliquantulum intorta, filum undique obuoluitur, & ſtringitur. Ligatura una interdum ſufficit, cum uas, è quo ſanguis profluit, propinquum eſt ſuo principio, nimirum cordi, aut hepati: duplex autem ligatura eſt neceſſaria, cum ſanguis profluit ex utraque uaſis parte. Verum, ut ego ſentio, tutiùs eſt ſemper binas efficere deligaturas; quia in corpore noſtro prope infinitæ ſunt venarum anaſtomoſes. Factis igitur duplicibus vinculis, totum vas per tranſuerſum eſt incidendum: ſic enim pars vtraque retrahitur, & vinculum diutiùs conſeruatur. Poſtremò medicamenta refrigerantia, & aſtringentia profunt, quæ non ſaltem vaſis tunicam contrahunt, ſed ſanguinem etiam denſant. De his paulò antè dictum eſt. Sunt autem perfuſio aquæ frigidæ chalybeatæ, lintea madefacta in aqua cum aceto modico, in vino granatorum, nix, omphacium, decoctum balauſtij, myrtillorum, gallæ immaturæ, ſucci hypociſtidis, &c. Compoſitum tale eſſe poteſt, R. ſol. ſolatri, hyoſcyami ana Man. i. terantur, & cum hordei farina, ac puluere malicorij, paribus portionibus, & aceto q. ſ. miſceantur, ac ponantur ſupra vaſis aperturam. Et hic modus hęmorragiæ ſedandæ, per adductionem labiorum, in ſimplici vulnere, quod ex inciſione oritur, ſemper vſurpandus eſt.

Deligatura.

Vinculum.

Refrigerantia.

Obſtructio vaſis. Si portio quædam ſubſtantiæ ipſius vaſis ſit deperdita, tunc labia vulneris non ſunt ad inuicem adducenda: ſed obſtruendo vaſis aperturam, ſiſtenda profuſio. Obſtructio autem fit intrinſecè, per ſanguinem intus concretum: digitus enim primùm ſiſſuræ imponitur, ac tamdiu detinetur, donec ſanguis extrinſecùs circa digitum concreſcat; dum enim concreſcit, ſolet etiam aliqua gutta è parte exteriori in orificium delabi, quæ concreſcens ſanguinem ſupprimit.

Quo facto, blandè digitus auferendus; &, ſi opus, alia medicamenta imponenda, ſin minus opus videatur, relinquendus eſt grumus, doneç è ſeipſo decidat. Hic modus non poteſt

test administrari in arteria, cuius sanguis calidissimus difficulter concrescit, idq; maximè etiam ob perpetuum arteriæ motum: locum ergo tantum habet in vena, quæ non admodum magna sit, nec in profundo sita. Extrinsecùs osculum vasis obstruunt, cutis, & carnosæ partes circa vulnus existentes: quæ si ab alijs decedant, reduci debent supra osculum: hæc enim à natura facilè glutinantur. Quoniam verò ut plurimum natura, seu figura vulneris hoc non patitur, alijs vtimur præsidijs; siccis enim linamentis vulnus implemus, supraq; imponimus spongiam ex aqua frigida expressam: si linamenta sicca parum valent, possunt aceto madefieri. Interdum hæc non sufficiunt, vnde ad emplastica medicamenta recurrendum; qualia sunt, oui albumen, gypsum ablutum, viscus, glutinum decoctum, gluten de corijs decoctum in aqua, amylum, farina uolatilis, thus pingue, tragacantha, mastiche, terra sigillata, bolus Arm. sarcocola. Pulueribus non vtimur solis, sed oui albo mistis, cap. 4. lib. 5. Meth. vt fiat massa, ad mellis consistentiam. Excepta hæc medicamenta molliſſimis pilis leporinis, tum imponenda sunt orificio vasis, tum totum uulnus ijs liberaliter implendum. Possunt etiam excipi tela aranei, quæ est in molendinis plena farina volatili; linamentis minutim incisis, rasura lintei uetustissimi, cotone, uel lanugine adhærente cortici castanearum in parte interiori, vel lanugine derasa ex intima parte corrigiarum. Ego frequenter utor pilis leporinis: & frequentiùs xylo, seu bombace, quia magis est ad manum: utor autem xylo usto, & ex eo mihi flocculos paro, hisq; medicamentum excipio, & subinde impono: primùm quidem, supra foramen ipsum digitis premendo aliquamdiu, donec totum uulnus sit repletum prædicto medicamento. Quoniam autem humiditas, quæ è uulnere continuò effluit, emplastica medicamenta laxat; & separat ab osculo uasis: semper esset renouanda obstructio, & semper immineret periculum hæmorrhagiæ. Propterea carnis generationi intenti esse debemus, quæ citò sanguinem sistat, instar operculi: id, quod Galen. facit hoc medicamento: R. thuris par. j. aloes partem dimidiam: redige in pollinem, & oui candido misce ac subige, ad mellis crassitiem: deinde molliſſimis pilis leporinis excipe, & osculo vasis, totiq; uulneri liberaliter impone. Thus vi emplastica obstruit foramen, siccitate carnem generat, unde in duplici pondere sumitur; aloe carnem generat, & uasa astringit. Si intentio est magis generare carnem, quàm sanguinem sistere, possumus plus de aloe sumere, quàm de thure. Si ad utrumque æque tendamus, pares utriusque portiones esse possunt. Item in corporibus duris, plus aloes sumendum: in mollibus, plus thuris; in temperatis, æquæ portiones. Huic Galeni medicamento Almansor addit sanguinem dracon. potissimum cum magis carnem generare uolumus. Rhases addit præter sang. drac. etiam sarcocollam, quæ & emplastica est, & carnem generat. Alij sic componunt; R. gummi Arabici, aloes, ana part. j. thuris resinosi part. ij. misce cum oui albumine, ad mellis consistentiam. Possumus etiam his medicamentis addere sanguinem humanum, aut alterius animalis pulueriʒatum. Rhases etiam commendat gypsum ablutum cum oui albo. Quod si hæc medicamenta imposita laxentur, humectentur, & remolliantur; abijcienda sunt, & paranda noua, maiori diligentia. Indicandum etiam astantibus, ut si forsan per medici absentiam superueniat sanguinis profusio, omnia medicamenta auferant, & manum intra uulnus imponant, postea aquam frigidissimam continuò in uulnus infundant, cui aceti quippiam misceri potest, donec profusio sistatur. Id quod etiam à medico interdum fieri potest, si nondum medicamenta habet parata.

Partes vicinæ

Linamenta.

Emplastica medicamenta

Carnis regeneratio.

Thuris vtilitas.

Obstructo uase, & uulnere impleto medicamento emplastico: forinsecùs fascia est alliganda, è tenui, & ueteri linteo confecta, cuius tres, aut quatuor primæ circumuolutiones fiant supra uulnus, reliquæ circumducantur uersùs uenæ radicem, nimirum uersùs hepar, aut cor, cap. 4. lib. 5. Meth. Strictura fasciæ fiat ad bonam laborantis tolerantiam.

Deligatum fasciæ.

Situs partis uulneratæ talis erit, qui dolore uacet, & sursum spectet. Dolore uacabit pars; si in media figura (id est, quæ æqualiter distat ab extremis motibus, nimirum extrema flexione, & extrema extensione) membrum ponatur. Media autem figura

Positus vulnerata partis.

non

non eſt eadem in omnibus articulis; nam in digitis manus, eſt angulus obtuſus: in carpo, recta linea: in cubito, angulus acutus. Si membrum non collocetur in hac media figura, breui temporis ſpatio dolet, vnde inſignis proritatur profuſio. Similiter eueniet, ſi membrum inclinatum deorſum ponamus.

Quando vulnus ſoluendū. Aptè membro collocato, permittemus ſic ligatum, & collocatum per triduum. Tertio autem die ſoluta faſcia, ſi medicamentum firmiter adhæreſcat, oportet ſinere, & ſupra ipſum ſimile medicamentum ſuperponere, & rurſus faſciam circunducere. Sin uerò medicamentum parum adhæreſcat, ipſum auferemus; & ſiniſtra manu, ſiue digitis, compreſſo vaſe, dextra rurſus replebitur vulnus, & obſtruetur vaſis oſculum. Sic ergo fit obſtructio medicamentis emplaſticis.

De ijs, quæ cruſtam inducunt. Quod ſi vaſis portio ſatis magna eſt ablata, dictis præſidijs nihil efficere poſſumus: ideoq; ad ea præſidia, quæ cruſtam efficiunt, deuenire cogimur. Hæc curatio tamen non eſt tuta: nam ſi forſan accidat, ut priùs, quàm ſanguinis profuſio ſiſtatur, cruſta cadat; vehementior fit hæmorragia, quoniam ex vſtione orificium vaſis multò amplius eſt redditum. Deinde uſtio facit dolorem, & calorem inſignem, quæ duæ ſunt fluxionis cauſæ. Non ergo ad hæc medicamenta eſt deueniendum, niſi reliqua fruſtra fuerit experta. Cruſtam autem efficiunt, vel ipſe ignis, ut ferrum ignitum, &c. vel cauſtica. Chirurgi primùm vti ſolent cauſticis: ego autem contra ſemper ferro ignito priùs ſum uſus; huic enim legem, modumq. imponere poſſum; cauſtico nequaquam. Præterea ferrum roborat partem; cauſticum ſæpè corrumpit putrefaciendo: Item ferrum candens non ſpargitur; at cauſticum ualde dilatatur. Quia autem multi patientes ferrum non admittunt; his cauſtica adhibenda. Debent autem hæc cauſtica non tantùm habere uim adurendi, ſed oportet, vt cruſtam efficiant altam, & duram, vtque pertinaciter inhæreant (in caſu enim cruſtæ periculum eſt.) Hinc Galen. cap. 4. lib. 5. Meth. ſumit cauſtica aſtringentia; ut ſunt chalcitis, miſy, atramentum ſutorium: calx à Galeno reiicitur, quia licet cauſtica ſit, non tamen aſtringit. Auicennas his cauſticis tum emplaſtica miſcet, tum alia aſtringentia, & hoc componit, R. vitrioli citrini drag. xx. thuris minuti drag. xvj. aloes, glutini ficci, ana drag. viij. arſenici drag. iv. gypſi ſubtiliſſimè contriti drag. xx. Miſcentur, & in liciniis inſperſa imponuntur uasis orificio. vitriolum, & arſenicum ſunt cauſtica aſtringentia: thus, glutinum, aloe ſunt emplaſtica: aloe, & gypſum ſunt aſtringentia. Quidam huic medicamento addunt ſanguinem draconis, & hypociſtidem, ut magis reddatur aſtringens.

Cauſtica, & aſtringentia conueniunt.

quarta quarti tract. 2. c. 18

Ferrum candens. Si ad ferrum candens eſt deueniendum, quod multò eſt tutius: notandum, ut ualde ſit candens, & omnino rubrum; ſic enim citiſſimè cruſtam facit, eamq. craſſiorem. Facta cruſta, ſine omni mora, citiſſimè ſtudendum carnis generationi, ne forte cadat cruſta, antequam caro ſit generata.

Quæ proprietate ſanguinē ſiſtunt. Hactenus de medicamentis, quæ methodo inuenta fuere ad ſiſtendum ſanguinem. Nunc proponenda ea, quæ ſub methodum non cadunt, & à proprietate hæmorrhagiam ſedant: ut apes uiua, linteo inuoluta, & ligata ſupra membrum, à quo fluit ſanguis: lapis iaſpis detentus in manu eiuſdem lateris, à quo fluit ſanguis, aut membris appenſus: aqua, ſiue ſuccus ocymi maioris, menthæ, ſuccus ſtercoris aſini, aut porci, aut equi, ſi membrum his infundatur. Quidam utuntur incantationibus, & characteribus ſcriptis cum proprio ſanguine, quibus nihil fido.

Circa arteriarum vulnera cautio. De arteriarum uulneribus quædam peculiariter addenda ſunt: quod ſcilicet requirant ſummam diligentiam in carne gignenda, quæ caro non erit mollis, ſed denſior, ac durior, ne ſubtus nutriamus aneuriſma, id eſt, tumorem perniciosiſſimum è ſanguine arterioſo, ob arteriam apertam, genitum, qui plures interimit. In gignenda ergo carne ſupra arteriam, frequenter digito tentandum, num inſignis quidem pulſus ſentiatur; hic enim aneuriſmatis eſt ſignum. Efficitur autem caro durior, ſi magis aliquantò exſiccantia imponatur, ſi unguentorum ſarcoticorum uice puluercs ſarcotici inſpergantur.

Quan-

Quantum ad vulnera vaſorum internorum, quoniam in propatulo non ſunt, tantum vſurpamus reuulſionem, derivationem, cibum, & potum, medicamenta emplaſtica, refrigerantia, & aſtringentia. Reuulſio ergo fit ex oppoſito, per venæ ſectionem, frictiones vincula, &c. Cibi habebunt vim emplaſticam, & refrigerantem, vt eſt oui albumen, caro vernecis, pedes, & capita caſtratorum, vinum granatorum. Cibi condiantur omphacio, vino granatorum, ſumach. Syrupi etiam dabuntur, & decocta, è refrigerantibus, & aſtringentibus in magnis venis, è balauſt. hypociſtide, rhoe, omphacio, acacia, gallis immaturis, malicorio: in paruis, ſufficiunt aloe, manna thuris, pini cortex, ſigillum lemnium, fructus ſpinæ Aegyptiæ, crocus, hæmatites lapis, & ſimilia è vino nigro auſtero exhibita: ſi tale uinum non adſit, ex aqua, aut decocto plantaginis, ſolani, rubi, myrtillorum: coquantur etiam ex aqua, folia rubi, myrti, hederæ, ſalicis, item hypociſtis, orobanche, corna, meſpila pyraſtra, mala cotonea, myrti baccæ, &c. *Vulnera Gaſorum internorum.*

Quæritur autem num in vulneribus vaſorum internorum, liceat externa medicamenta apponere? Reſpondet Galenus cap. 6. lib. 5. Meth. id non licere, niſi cautionibus multis præmiſſis. Si enim refrigerantia partibus extra applicentur, hæc ſanguinem intrò conpellunt, & venas in alto exiſtentes implent, & potius profuſionem proritant. Præterea, hæc aguntur contra methodum; quæ iubet fluxionem ad oppoſita reuellere. Quamobrem præmittenda eſt reuulſio, per uenæ ſectionem, cucurbitulas, frictiones, balnea, inunctiones calidas, ac digerentes, veſicatoria: purgantia etiam prius exhibenda, tum demum aſtringentia, & refrigerantia foris imponenda. *Num Genis interuis Gulneratis congruant externa.*

Si in his vulneribus ſanguinem intus manere contingat, conuenit ſucci nepetæ. vnc. j. cum ſucci plantaginis unc. iij. Si autem ſanguis non tantùm extra non fluat, ſed etiam intus coaguletur, & concreſcat: exhibenda ſunt ea medicamenta, quæ concretum ſanguinem diſſoluunt, ut eſt bdellium cum acoro ſumtum: cyminum puluerizatum, decoctum ſeminis apij, quod ſanguinem concretum diſſoluit, & per urinas educit. *Sanguinem per vulnus exludentia, & concretũ diſſoluentia.*

CAPVT XI.

De Neruorum Vulneribus.

SVB neruis hic etiam tendines comprehendimus: & de vtrorumque agemus uulneribus In quouis uulnere quidem, etiam ſimplici, neruorum fibræ minimæ læduntur, unde dolor oritur; at de his hic non loquimur, quoniam curationem ad ſe non trahunt; ſed tantùm ſermonem habemus de neruis maioribus. *Quid deinceps agendũ.*

Signum nerui uulnerati primum ſumitur è loco uulneris, ſi ſcil. uulnus in eo ſit loco, per quem multi, magniq; nerui tranſeunt. Requiritur ergo hic anatomiæ cognitio. Attamen etiam coniectura quadam uulnus tendinis deprehendere poſſumus, ſi inflictum ſit ad articulos; tendines enim ſunt fines muſculorum, & fines muſculorum ſemper deſinunt ad articulos, uel prope articulos: item ſi uulnus ſit in partibus excarnibus, ut in pede, in ſumma manu, quæ admodum ſunt tendinibus referta. Alterum ſignum nerui uulnerati, non autem è toto præciſi, eſt dolor insignis, quem ſequitur pulſatio, inflammatio, conuulsio, delirium. Quod ſi neruus per tranſuerſum è toto ſit præciſus, horum nihil accidit, nec enim dolet, &c. ſed oritur torpor, id eſt, amiſſio ſenſus, & motus eius membri, in quod neruus ille inſerebatur. *Signa.* 1.

Inſtrumenta neruos uulnerantia pungunt, ſecant, rumpunt, uel contundunt: unde uariæ vulnerum neruorum differentiæ: uel enim ſunt puncturæ, uel ſciſſuræ, uel contuſiones: puncturæ, uel ſunt apertæ, & hiant, uel cæcæ, & conniuent: incisiones fiunt per longitudinem, uel tranſuerſè: & utræque ſunt, uel cum amiſſione ſubſtantiæ, uel ſine ea: tranſuerſè factæ, uel totum præcidunt neruum, uel partem. *Cauſæ.*

Prognostica. Quoad prognosticum propter ἀναισθησίαν, & συμπάθειαν cum cerebro; neruis uulneratis; accidunt dolores uehementissimi, conuulsiones (quæ maximè uulnera reddunt perniciosa) deliria, apostemata, sitis intensa, vigiliæ, linguæ siccitas, febris uehementissima, quam tamen *quarta quarti tra. 3. c. 1.* febrem Auicennas existimat esse vnam è mitioribus dispositionibus in neruis vulneratis: vnde reliqua multò maiora erunt.

Punctura neruorum vt curanda.

PVnctura, incisio, & contusio distinctam requirunt curationem. Primùm autem de punctura tractabimus: in cuius tamen curatione multa communia erunt cum reliquis differentijs.

Ratio totius corporis. In curatione igitur puncturæ; primò totius corporis habenda est ratio, ne ad neruos vulneratos è toto fiat fluxio, cum sint debiles, doleant, & topica calida, atq; attrahentia requirant: unde facilè Apostema, & Inflammatio oriretur, neruiq; putrescerent. Quamobrem Paulus cap. 54. lib. 4. & Galenus cap. 2. lib. 6. Meth. dicunt uulnerum neruorum curationem à sanguinis missione esse auspicandam. Purgantia etiam exhibenda; de quibus fusius actum est in doctrina uulneris simplicis. Victus erit extremè tenuis, quarta quarti, tract. 4. cap. 2. Auicen. Aer non erit frigidus, ut in alijs uulneribus, sed calidus, alioquin periculum erit, ne oriatur conuulsio: Aphor. 18 sect. 5. & cap. 2. lib. 3. per gen. unde & dum soluitur nerui uulnus, oportet ægrum esse in loco calido, habere parata lintea calefacta, &c.

Cæca punctura. Facta uniuersi corporis procuratione, ueniendum ad partem affectam: in qua considerandum, num punctura sit Cæca, an aperta. Cæca fieri solet ab acu, sagitta, pugione, &c. & tum incidenda est cutis per transuersum, ad angulos rectos, duabus factis sectionibus: ut sanies exire, & medicamenta ad punctura usque uiribus suis peruenire queant.

Aperta punctura. Medicamenta puncturæ conuenientia. Aperta autem punctura, siue arte hac, siue à causa primùm uulnerante, imponenda sunt medicamenta siccantia, calida, tenuium partium, ut putredinem exsiccent, saniem ex alto attrahant, ipsamque digerant. cap. 2. lib. 6. Meth. cap. 2. lib. 3. per gen. In modo autem utendi, cum Galeno, loco citato, notandum, ut & dolor leniatur (per lenientia, item per auferentia doloris causam, non per stupefacientia, quæ frigore neruos lædunt) & prohibeatur inflammatio. Præstatur autem hoc oleis calidis, ac tenuium partium; quæ untuosa sua natura laxant, & leniunt partem; deinde facultate calida saniem foras trahunt, & sic causam doloris, ac inflammationis auferunt; tertiò patefaciunt foramen, & seruant apertum. Galenus ergo sæpè punctura nerui solo fomento olei actu calidi curauit, oleum lana excipiendo, partemq. fouendo. Eligitur in primis oleum Sabinum, maximè bimum, & trimum; uetustius enim magis est tenue. Nos habemus olea è montibus Patauinis, quæ etiam sunt tenuium partium: præterea multa habemus parata in officinis, multaq. è tempore parare possumus; ut, si incoquamus oleo rutam, aut anethum, fiet oleum tenue, & exsiccans; prodest etiam oleum costinum, oleum de scorpionibus, liliorum alborum, uulpinum, de castorio maximè laudatur, de lumbricis commendatur à Rhasi 13. Continent. oleo de balsamo utitur Auicennas. Fomentum ex aqua, licet calida sit, Galenus improbat, quia humectat: humectatio autem neruis aduersa. Porrò considerandum etiam est quantum siccare, aut calefacere debeat medicamentum puncturæ idoneum: nimirum, ut saniem ex alto euocare, & siccare possit: minùs enim calidum, non euocat; iusto calidius euocat quidem, sed cum morsu, & inflammatione. Proinde, si è medicamento imposito *Gradus siccantis, & calefacientis medicamenti.* uel nullum æger calorem, uel uehementem percipiat; non est conueniens, quia uel nihil saniei educit, uel educit quidem, sed inflammat quoque; si calorem sentiat in parte moderatum, ueluti è Sole, bonum est medicamentum. Rursus, si æger pruritum, & morsum sentiat, ab impositio medicamento, aut si solum sentiat pruritum, & uulneris orificium magis hiat, quàm priùs, ut breui uideatur morsus esse subsecuturus, ualentius est medicamentum quàm oportet: si autem pruritum sentiat, & orificium non sit magis patefactum; bonum est exsiccans, & detergens. Sed quia minus decet periculum facere in parte affecta; con-

sulo,

ſulo, vt medicamenta imponatis parti ſanæ ipſius ægrotantis: ſi enim tepidam ealiditatem perſenſerit, bonum erit medicamentum. His explicatis proponit Galenus reſinam terebinthinam, ſuccum Cyrenaicum, oleum laurinum, lixiuia ſtillatitia, cedrinum oleum, & fermentum: quæ omnia ſaniem ex alto euocant. Interdum euphorbio miſcet oleum: interdum ſagapenum, oleum, & terebinthinam commiſcet in corporibus duris: miſcet etiam oleum, & ſulphur viuum, ad ſorbilem ſpiſſitudinem in minùs duris corporibus: in duris, ad mellis craſſitiem. Feliciter etiam hoc vtitur: R. ceræ par. j. terebinthinæ, picis, ana partem dimidiam, euphorbij partem duodecimam; pro varietate tamen corporum, nunc minus, nunc plus de euphorbio admiſcetur. cap. 2. lib. 6. Meth. cap. 2. lib. 3. per gen. Sic ergo neruorum curantur puncturæ. *Alia materia.*

Quod ſi negligentia vel ægri, vel chirurgi, nerui puncturæ accidat dolor, inflammatio, aut conuulſio; his occurrendum, iuxta Aetij doctrinam, cap. 27. lib. 14. *Symptomata neruorum vulneribus ſuperuenientia. Phlegmone.*

In inflammatione ergo nerui, & putredini, & inflammationi reſiſtendum per refrigerantia, & ſiccantia. Proderit ergo farina fabacea, aut eruina, aut hordeacea, uel cicerum, ex oxymelite decocta. Valentiùs refrigerat milij farina ex oxymelite decocta. Antequam autem hæc imponantur, locus fouendus eſt oleo, cui modicum aceti ſit admiſtum.

Si cum inflammatione dolor inſignis vrgeat, farina fabacea, aut eruina, cum modica ſapa decoquenda, & cum pauciſſimo aceto: pars tamen priùs oleo tepido fouenda. Ad minuendum etiam dolorem, & inflammationem, neceſſaria eſt venæ ſectio: vel ſi vires eam non permittant, hirudines, cucurbitulæ ſcarificatæ: veſicatoria etiam poſunt in partibus oppoſitis. *Dolor.*

Si dolor, & inflammatio ſit inſignis, imminet conuulſio: proin huic occurendum. Foueatur ſpinæ medulla oleo calido; præterea, etiam membrum, in quo eſt neruus vulneratus, verbi gratia, ſi ſit punctura in manu, inungatur totum brachium, maximè ſub axillis, quà nerui progrediuntur; item tota ſpina colli, & thoracis, oleo, laniſq; foueatur. Si in pede fiat punctura, non ſolum crus inungendum eſt, ſed etiam lanæ oleo calido imbutæ ad inguina ſunt apponendæ: ſimiliterq; faciendum per totam ſpinam lumborum, & oſſis ſacri, ad uſque extremitatem. Si conuulſio iam excitata ſit, ſatis eſt periculoſa Aphor. 2. ſect. 5. multi enim ex ea moriuntur, quia affectio, ſeu phlegmone, communicatur cerebro, & ſpinali medullæ per partem, poſt partem. Cauſa conuulſionis in punctura eſt repletio, ſiue copioſus humorum influxus ad partem affectam, & inflammatam. Curatio ergo erit euacuatio. Vnde adminiſtramus reuulſoria præſidia, uenæ ſectionem, cucurbitulas, hirudines, veſicatoria, &c. Poſt accedendum ad ipſam conuulſionem ſedandum, fotu olei calidi, lanis oleo reſpersis, medicamento liquido ex euphorbio, & caſtorio, capit. 2. lib. 3. per gen. Ego autem ſoleo totum membrum conuulſum infundere in oleum calidum, veluti in balneum, & in hoc oleo membrum detineri iubeo, donec ſedetur conuulsio. Efficacius autem reddo oleum, si incoquo aliquid caſtorij, aut lumbricorum terræ. *Conuulſio imminens. Præſens conuulſio.*

Inciſio neruorum vt curanda.

INCISIO fit, aut per longitudinem, aut per tranſuerſum: & vtraque eſt vel cum cutis præcisione, ut nudatus sit neruus, uel vt non sit aeri expositus. Sicut autem in neruo puncto timemus putrefactionem nerui, propter ſaniem, quæ continuo ſegregatur: ita etiam in neruo per longitudinem inciſo, & nudato, putrefactionem timemus, ac proinde similiter indigemus siccantibus, quæ ſaniem abſumant, & digerant. Hæc autem siccantia in punctura erunt calida, & tenuia, ut ad imum penetrare, ſaniemq; euocare poſſint: hic nec calore, nec tenuitate opus eſt, quia medicamentum contingit neruum detectum; unde hic requiruntur siccantia in actiuis temperata. Quantum autem siccare debeant hæc medicamenta Galenus explicat capit. 3. lib. 6. Meth. cap. 2. lib. 3. per gen. ut ſcilicet cum minima mordicatione exsiccent. Hoc autem facit calx lota, in multo oleo ſoluta, & linamentis imposita; item pompholyx lota, & roſaceo largiore liquata, & imposita; lotione enim *Inciſio neruorum, & qualia ſiccantia ad eam requirantur. Materia præſidiorum.*

deponitur mordicatio. Actius valde laudat unguentum Iſidis diſſolutum in plurimo oleo roſaceo. His adiungantur inunctiones, & fomenta ſpinalis medullæ; ſicut in punctura diximus.

Diſſectio totius nerui. Si neruus totus diſſectus ſit, non oritur conuulſio, quia pars vtraque retrahitur, & facilè curatur ijs, quæ carnem implent.

Diſſectio partis nerui. Si quadamtenus tranſuersè diſſectus eſt neruus, metus eſt doloris, inflammationis, & potiſſimum conuulſionis: inflammatio enim facilè a fibris diſſectis, ad non ſectas progreditur; vnde conuulſio in fibris non ſectis excitatur. Conuenit ergo largior ſanguinis miſſio, victus tenuior, quies, fomenta continua ex oleis propoſitis, ad ſpinalem medullam; aut etiam in inguinibus, ſi vulnus ſit in crure: aut ſub axillis, ſi in brachijs. Medicamenta, quæ imponi debent vulneri, ſunt eadem, quæ in neruo nudato.

Contuſio, & diſtorſio neruorum, vt curanda.

Contuſio cum exulceratione SI contuſio nerui ſit cum exulceratione cutis, non modò requiruntur medicamenta ſiccantia, ſed etiam partes cutis diſſidentes conſtringentia, & contrahentia: vnde vtiliter imponitur cataplaſma ex oxymelite, & farina fabacea: aut deſideramus ſiccantius, è farina erui, & oxymelite: aut ſi adhuc magis exſiccans optamus, ex Iride, ex Illyrica, & oxymelite; item folia vlmi oleo impoſita, betonica ſuperpoſita, cinis ſarmentorum viris, miſtus oleo, pinguedini gallinæ, & aceto.

Contuſio ſine exulceratione Si contuſio nerui ſit ſine vulnere, aut exulceratione cutis ſuperpoſitæ; pars ſæpius fouenda eſt oleo calente: item emplaſtro è radice cyclaminis, cum ſale, & melle: & ſi magis exſiccans volumus, addatur maiorana: fomentum ſimiliter è decocto menthaſtri: quæ omnia ſiccantia ſunt, & tenuium partium, & præterea aliquantulum calida, vt ex alto euocent, & putredinem omnem prolubeant.

Cõtuſio cum dolore. Si contuſio ſit cum dolore, & exulceratione, oportet lenire dolorem, facta perfuſione ex oleo chamæmælino, anethino, irino, de ruta, de matricaria: hieme autem ex oleo de caſtorio. Si tandem contuſio ſit cum dolore, & ſine exulceratione, confert decoctum Acori, & Iridis, item narciſſi cepa trita cum melle.

Interna medicamenta. Non modò autem neruis contuſis conferunt localia, ſed etiam per os aſſumpta: vt ſi ſumatur dr. j. gentianæ, item opopanax cum vino, & mulcrato, Acori decoctum bibitum, Scordium hauſtum, Ammoniacum cum melle, decoctio chamædryos recentis epota.

Diſtorſio. Quod ſi caſu, vel motu, vel alia occaſione, nerui diſtorqueantur, vt motus impediatur, confert althæa recens cocta, & impoſita.

Duritiei. Si in neruo contuſo, diſtorto, aut quomodolibet vulnerato, remaneat duritiei, vt ſæpè fit, propter humorum craſſorum accurſum, vnde ſtupor in parte frequenter perſentitur: conducunt mollientia, & digerentia; vt bdellium in aqua ſolutum, & par pondus radicis maluauiſci contritæ: item radix lilij trita, cum ſapa: item galbanum, bdellium, euphorbium, cum fæce olei; præterea diachylum magnum cum ſtyrace liquido: oleum liliorum alborum, oleum anethinum, adeps anſeris, bdellium cum adipe diſſolutum, oleum de narciſſo, oleum, in quo branchæ vrſinæ folia ſint macerata, & decocta, tum per ſe, tum cum modica cera noua, vltimo ſuffumigium è lapide pyrite, aut molari, quod fit ex aceto, ſed hoc eſt reſoluens valentiſſimum: molliens verò, quod huic reſpondet, eſt œſypus, id eſt ſordities lanarum.

CAPVT XII.

De Vulneribus Ligamentorum.

LIGAMENTIS vulneratis, quia ſenſu carent, non pertimeſcenda ſunt dolor, vel conuulſio. Scopus ergo erit ſiccandi ſaniem, quæ è ligamento vulnerato ſegregatur, ne ligamentum putrefaciat. Hic autem tutò valentioribus vti poſſumus, propter ἀναισθησίαν, ne tamen inſigniter modum excedant. Apponitur theriaca, cum trochiſcis Andronis, Paſionis, & Polyidæ, modico oleo vetere liquatis. *Vulnus vinculorum.*

Si ligamentum contundatur, aut contorqueatur, nullo modo vtendum eſt fomento ex aqua calida, quod quidam faciunt, quia putrefacit: ſed vtendum calidis, & aliquantulum aſtringentibus, vt oleo nardino, maſtichino, emplaſtro barbaro magno, &c. *Vinculi contuſio, & contorſio.*

CAPVT XIII.

De Capitis Vulneribus: & primùm de partibus Capitis anatomica conſideratio, ad præſens negotium neceſſaria.

TRACTENVS de vulneribus egimus partium Similarium, carnis, venarum, arteriarum, neruorum, ligamentorum. Deinceps de Inſtrumentorum, non omnium quidem, ſed tamen præcipuorum vulneribus loquemur: qualia ſunt Capitis, Thoracis, & Abdominis, itemq; partium hiſce quaſi ventribus incluſarum. *Tranſitio.*

Capitis ergo vulnera quod attinet, cùm magni ea eſſe momenti, & tamen valde negligenter à pleriſque tractari conſtet: nos vniuerſam eorum rationem breuiter, & ſufficienter perſequemur. Primùmq; videbimus quotnam ſint capitis partes: & quid in vnaquaque particula notandum, quod notitiam, præſagium, aut curationem, conducat. *Vulnera capitis diligenter tractanda.*

Capillis igitur cutis ſubiecta eſt: in qua notanda ſunt, craſſities, ſen*sus vasa & musculi* ſubiecti. Quoad craſſitiem, tenuiſſima eſt cutis in ſyncipite, in alijs par*tibus crassior. Vnde* vulnus ſyncipiti inflictum, licet modicum videatur; periculoſum tamen *est quia ob cutis te*nuitatem noxa facilè cerebro communicatur. Eadem de cauſa in tali *vulnere semper suspe*candum eſt, os cranii ſubiectum eſſe læſum. Præterea, cutis capitis ſen*sum obtusum sortitur* eſt. Et propterea, ſi de fractura cranii dubitamus audacter cutim incid*ere debemus quia*, & facilè ea ſaneſcit, & dolor non adeò magnus eſt. Cauendum tamen *ne fiat incisio in par*tibus anterioribus ad frontem, vbi muſculus eſt, qui tranſuerſim ſectus *facit supercilium* ſuper oculos cadat: ideoq; aut non ſecandus, aut ſaltem ſecundum fib*arum longitudinem*. Vena etiam, quæ in fronte apparet, non debet ſecari: aut ſi forſan ſecet*ur obstructione ocu*li profuſio ſanguinis ſiſtenda. Multò minus admittenda eſt ſectio par*tium cutis lateralium*: nam vtrinque temporibus ſignis muſculus adeſt, quo læſo, conuulſio, *phrenitis et febris* ex citatur. Per partes temporales etiam flexuoſa vaſa excurrunt, quorum *sanguis difficulter* compeſcitur; & propterea etiam ab harum partium ſectione abſtinendum. *Pericranium*

Sub cute locatur pericranium. Vnde diſcimus, vt in perforando cranium *incidamus et cu*tim, & pericranium, totumq; os à pericranio nudemus: alioquin, ſi *terebra imponatur su*pra pericranium; inflammationes, febres, & alia ſymptomata conſequ*enter cum enim peri*cranium oriatur à dura matre, per ſuturas, extra caluariam, tranſeunte *affecto pericranio* facilè propter continuitatem duræ etiam matri affectio communicatur.

Cranium ſequitur: quod os eſt è multis oſſibus coagmentatum *per suturas quarum* quinque ſunt ad noſtrum facientes propoſitum, Coronalis, lamboides *sagittalis et*

duæ ſquamoſæ. Vbi ergo terebra perforandum eſt cranium, vitandæ ſunt futuræ: quia per has dura mater exit, ad pericranij generationem; quia dilacerata vulnus facilè inflammari, & lethale reddi poſſet. Hinc etiam patet oſſa circa futuras non eſſe ſolida, ſed diuiſa, & & proinde in ictibus ad reſiſtendum infirma: & pus ibi contractum facilè deſcendere, & ad cerebrum transfundi poſſe. Tertiò vtilis eſt cognitio futurarum, ne decipiamur, vt Hippocrates, putantes fracturam, aut rimam eſſe id, quod futura eſt. Secundò in cranio notabimus craſſitiem, & tenuitatem: in media parte os eſt tenuiſſimum: in occipite craſſiſſimum; in fronte medio modo ſe habet. Hinc vulnera in ſyncipite magis ſunt periculoſa, quàm in alijs partibus, ob cutis, & oſſis tenuitatem; ob multam cerebri portionem, quæ ſyncipiti ſubeſt; ob contuſionem vaſorum per paruos ſinus internæ caluariæ, & ſincipitis excurrentium; ex his quippe ſparſus ſanguis inter cranium, & duram matrem, cauſa eſt mortis.

Dura mening. Dura mater, membrana eſt ſub cranio poſita; qua vulnerata, conuulſiones, & alia praua ſymptomata ſequuntur: idq. magis, ſi vulneretur in parte capitis media, ſecundum longitudinem capitis: per hanc enim partem ſinus duræ matris excurrit, ſanguine refertiſsimus, qui præciſus replet totum ſpatium vacuum, inter cranium, & duram matrem, cum morte cita ipſius ægrotantis.

Pia mening. Pia mater cerebri corpus tangit: hinc vulnus fieri vix poteſt in pia matre, niſi & cerebrum vulneretur. Venis mater pia abundat; vnde in ipſius vulnere, ſanguinis profuſionem exſpectare oportet.

Cerebrum. Cerebrum piæ matri ſubiacet, inq. ventriculis plexus venarum, & arteriarum habet minutiſsimos, qui in ictibus capitis facilè rumpuntur.

CAPVT XIV.

De Differentijs vulnerum Capitis.

Differentiæ DIFFERENTIÆ vulnerum capitis petuntur à cauſis: quæ in vulneribus capitis ſunt, incidentes, pungentes, & ſæpiſſimè contundentes. Ab incidente inſtrumento fit Inciſio, ſeu Diſſectio cutis, cranij, meningum, vel cerebri ipſius. Simplex quidem inciſio, ſine amiſſione ſubſtantiæ, in cute, & pericranio, dicitur vulnus capitis ſimplex; in oſſe, à Paulo dicitur [illegible] Si inciſio fiat in cranio, cum amiſſione ſubſtantiæ, vocatur à Galeno Dedolatio, in lib. de defin. Med. A cauſa pungente fit perforatio cutis, cranij, meningum &c. In inciſione tamen, & perforatione fieri vix poteſt, quin & caput contundatur; vnde contuſiones eſſe frequentiſſimas diximus. Contuſio autem potiſſimum conſiſtit in cute vel cranio: nam meninges, & cerebrum non recipiunt contuſionem, quia ſunt mollia corpora. Contuſio autem duplex eſt: vna, quando pars in profundum recedit, ſicut in vaſe ſtaneo aut plumbeo accidit; altera, quando pars contrahitur, & conſtringitur in ſua ſubſtantia ſicut in corpore ſpongioſo. Cutis vtroque modo contundi poteſt; vt etiam cranium ſi fractura, ſeu rima ſit coniuncta. At cranium ſine rima primo modo contundi nequit ſecundum Hippocratem in lib. de capitis vuln. ſc. in hominibus adultis, quorum caluaria propter ætatem, non poteſt in profundum recedere ſine fractura; licet ſecundum Gal. in lib. de def. med. & Paulum, cap. 90. lib. 6. in caluarijs puerorum ob mollitiem id accidere queat. Secundo autem modo contundi poſſe cranium, ſine rima, non eſt controuerſum. Porrò contunditur vel cutis, vel cranium. Si cutis, eſt ſimpliciſſima ſpecies contuſionis. Cranium contunditur vel ſine rima, vel cum rima. Si ſine rima fit contuſio, ea vel fit abſque læſione partium internarum, eſtq; ſine periculo: vel cum læſione partium internarum potiſſimum neruorum molliſsimorum, aut venarum, quæ eſt periculoſiſsima; aut duræ matris quæ per futuras exiens interdum à partibus propinquis contunditur, & pu-

& putrescit. Dum autem cranium contunditur cum rima, seu fractura: tunc cranium frangitur vel in loco contuso, vel alia in parte. Si in loco contuso, tunc rima, vel primam saltem cranij laminam apprehendit, vel peruenit ad meditullium, vel denique ad interiorem cranij faciem. Si caluaria non frangatur in loco contuso, tum vel in proximo, vel in opposito. Et hæ omnes sunt species vulnerum capitis.

Verum dubitatur de ea contusionis specie, in qua cranium finditur in ea parte, quæ opposita est loco contuso. Celsus enim cap. 4. lib. 8. & Soranus hoc statuunt, & comprobant tum experientia sua, tum ratione à vitro desumpta, quod in vna parte contusum, in opposita rumpitur. Et hinc Celsus monet, vt, si sub contusione in caluaria non reperiatur rima, opposita pars consideretur, num in ea tumor aliquis obortus sit: tunc enim cute secta, fracturam ibi deprehendi asserit. At Paulus, Guido, & alij, hoc negant: rationem enim non valere dicunt, cum vitrum omnino sit fragile, vacuum, vndique sibi continuum: cerebrum verò durum, plenum, & suturis coagmentatum. Ad experientiam respondent, fieri posse, vt æger contuso cranio in priore parte, retro etiam cadat in posteriorem, & hanc tum demum frangat. Ego verò Celsi sententiæ adhæreo, qui postremam caluariæ partem fractam vidit, sine casu in posteriora: hoc tamen rarò accidit, & vt puto, in ijs, qui cranium habent valde solidum, in quo suturæ obscuræ sunt, vt in eo aer magis vnitus circumferri queat. Dum enim aer in cranio existens ex ictu commouetur, & vtrimque hinc inde aufugiens ictum ferientis, continuus fertur per totam cranij substantiam: post in concursu aer uterque ad partem cranij oppositam allidit, & retroflectitur, & sic cranium renitens, ac non extensibile, frangit: non aliter ac duo homines, qui in uelocissimo cursu sibi inuicem obuiam facti, necessariò retroflectuntur.

Num contuso cranio, in parte opposita rima fieri queat.

CAPVT XV.

De Signis Vulnerum capitis.

IN capitis vulnere ab incidente, & perforante instrumento, si dubitamus de fractura caluariæ, uidebimus num signa fracturæ cranij adsint: solet enim sæpe uomitus biliosus sequi, item casus, & obcecatio non tamen semper: præter etiam hæc symptomata, interdum rima oculis apparet, interdum propter exiguitatem non cernitur nisi cranium priùs respergatur atramento scriptorio; & dein detergatur, vel specillo immisso explorandum, num id, quod occurrit lubricum sit an asperum: si lubricum, os non est fractum; si asperum modo ne sint suturæ, est fractum. Perpendere etiam debemus vulneris profunditatem et magnitudinem, num instrumentum potuit peruenire ad cranium, nec ne.

Signa fracti cranij, in inclinatione [illegible]

In contusione etiam cognoscendum est, num cranium sit fractum, nec ne. si ergo cutis superposita sit integra; quæremus, num is homo bilem vomuerit: num sit obcecatus num obmutuerit, num sanguis per nares, & aures effluxerit: num sine sensu quasi dormiens iacuerit: num ipsum vertigo apprehenderit, hæc enim superuenientia indicant os esse fractum. Si non superueniunt, nihilominus oportet dubitare de fractura cranij, ideoq; signa capienda ab omnibus ijs, quæ ad contusionem efficiendam concurrunt. Percunctabimur igitur, num facta sit percussio lapide, ligno, aut ferro, & num leui punderoso, aspero, vel leni, vehementer, an leuiter: num patiens sit iuuenis, an senex robustus, uel debilis, num habuerit caput sanum, an verò malè dispositum, num æger in contusione persenserit ueluti fragorem quendam. Quidam præter hæc signa etiam his utuntur. Sumunt thuris, ceræ, ladani an. vnc. ii. resinæ terebinthinæ, aceti, farinæ fabarum an. aunc. hæc mista imponunt capiti deraso, in loco contuso, & sequenti die auferunt sig; medicamentum in una parte magis, quàm in alia siccatum apparet, ibi os subesse fractum dicunt

Signa fracturæ cranij in loco contusionis cute integra existente.

cunt: Alij præcipiunt ægro, vt dentibus filum apprehendat in vna extremitate, in altera apprehenditur à manu, deinde baculo percutitur filum: & si æger in aliqua parte capitis dolorem sentiat, ibi os fractum esse dicunt. Alij filum dentibus apprehensum, manu sæpius ex altera parte trahunt; & vbi æger dolorem sentit, ibi fractum esse os asserunt. Nonnulli præcipiunt ægro, vt dentibus frangat amygdalum, aut nucem auellanam; & vbi dolor sentitur, ibi os fractum esse putant. Hæc signa, vt verum fatear, possunt quidem ostendere læsionem musculorum temporalium, mouentium maxillam inferiorem: dum enim hi trahentes dolent, signum est læsionem esse in ipsis musculis, non autem in cranio.

Si cutis rupta Si cutis non sit integra, sed rupta; eadem hæc signa fracturam cranij patefacient, imponitur enim medicamentum infectum colore nigro, vt atramento scriptorio: dein linteum oleo madidum superponitur; vltimo cataplasma è massa, seu frixa polenta: postero die vulnere resoluto, oportet os deradere, & vbi sub derasione os nigrum apparet, ibi est contusio.

Signa fractu ra in parte vicina, vel op posita. Interdum caluaria osse nudata, non frangitur in loco contuso, sed in parte vicina, aut opposita: & talis fractura non potest cognosci in principio, sed saltem in progressu, è symptomatibus superuenientibus, vt sunt vomitus bilis, obcæcatio, &c. His enim præsentibus, si in loco, vbi cutis discissa est, fractura non conspiciatur, alia parte considerabimus, num locus sit mollis, num tumeat, vel doleat; vbi hæc apparuerint, cutis protinus incidenda, sub qua os fractum reperietur. Si fractura sit facta in parte vicina contusioni, vt os nudatum sit, hæc aderunt signa à me in praxi obseruata. Primò, vulnus ea parte, qua respicit os fractum, non sanatur, in alijs verò cicatrice obducitur. Secundò, ex eadem parte ichor quidam tenuis exit. Tertiò, sanies ex parte copiosior effluit, quàm sit pro ratione magnitudinis vulneris. Quartò, caro mollis, laxa, hebes, & flaccida ex ea parte subcrescit. Quintò, per interualla febricula accedit. Sextò, si stylus immittatur, cutis à cranio separata reperitur. Vltimò, eadem parte tumor apparet aliquis, & mollities ipsius loci.

Quam profunda sit rima. Cognito cranium esse fractum, oportet etiam nosse, quàm profunda sit fractura, num rima ad duram matrem accedat; cuius tria sunt signa. Primùm enim si æger clauso ore, & naribus spiritum omni conatu detineat, & ad superiora impellat: si tunc per rimam exeat halitus, aut humor quidam vaporosus, signum est, rimam penetrare: in spiritu enim cohibendo, dura mater inflatur, vt aër, seu humor, qui est in spatio inter duram meningem, & cranium per rimam extrudatur. Alterum signum est Guidonis, qui mastiches pulueremmisceat albumini oui, ducitq; super linteum, & fracturæ imponit: postero die, si medicamentum siccius apparet, ea parte, quæ fracturam respicit, signum est, totum os fractum esse quia calor ex internis partibus exhalans medicamentum siccat. Vltimum, & certissimum signum est, vt dispersо atramento scriptorio super rimam, cranium deinde abradatur usque quò rima nigra appareat: sic enim facilè cognoscitur, quantùm rima intrò penetret.

Si dura mater sit vulnerata Si dura mater sit vulnerata, aut ab aliquo ossis frustulo, seu spiculo recedente violata: signa sunt præter bilis vomitum, casum, obcæcationem, & vertiginem: quod torpor accedit, mens non constat, neruorum vel resolutio, vel distensio sequitur, febris adest acuta, & continua. Celsus cap. 26. lib. 5. signa adfert vulnerati cerebri, aut membranarum eius, tum predictarum sanguinem per nares, vel aures exeuntem, &c.

Prognostica. Quoad Prognostica. Primùm, vulnera quò magis cerebro vicinia, eò periculosiora deinde, minus periculum est ex incisione, maius è perforatione, maximum è contusione. Tertiò: vulnera in media capitis parte sunt periculosissima, quia ibi copiosissimum consistit cerebrum, quia parte ea tenuissimum est cranium, & quia ibi nulla est via, per quam noxia materia expurgari queat; in occipitio contra se res habet: in anteriore parte ideo in fronte, medio se modo vulnera habent, licet enim & hic cerebrum sit copiosum os tamen satis est crassum, & præterea viæ adsunt expurgandæ materiæ noxiæ, nares, os, aures. Item, vulnera ad futuras sunt periculosa, quia & os ad resistendum

est

est ibi infirmum; & dura mater pertransit; & facilè è vulnere superposito sanies descendit in duram matrem. Quartò, quoad symptomata supervenientia, pro eorum ratione maius, vel minus est periculum. Quintò, causæ concurrentes faciunt vulnus magis, vel minùs periculosum, si scilicet factum sit instrumento ponderoso, angulari, ex alto, animo irato, &c.

Tandem omne capitis vulnus periculosum est: etsi enim simplex sit pericranij incisio; cùm tamen hoc à dura meninge ortum trahat, facilè huic inflammatio pericranij communicari potest, vt vulnus alioquin exiguum, fiat periculosum. Si verò vulneretur cranium, præter iam dicta pericula (nam & hic læsum necessariò est pericranium) hoc accedit incommodi, quod medicus ignorat, num in parte vicina, vel oppositа facta sit fractura: item si fractio in contuso fiat loco, sæpe non conspici potest, fieri etiam potest, vt integra ossis externa superficie, spiculum ossis in parte interna è contusione recedat, & duram matrem pungat, sitq; mortis causa: præter hæc etiam multa sub contusione fiunt, quæ à medico ignorantur; vt si contuso capite, aut rumpatur mollis aliquis cerebri neruus, aut vena aliqua in plexu choroeide, vel in pia matre, &c.

CAPVT XVI.

De curatione simplicium, & exteriorum Capitis vulnerum.

SICVT in omnibus vulneribus sanguinis profusio, & inflammatio timetuitur, ita etiam in capite. *Hæmorrhagia & inflammatio.*

Hæmorrhagia quidem maximè circa tempora, piam matrem, & sinus duræ matris, vbi multæ sunt venæ. Inflammatio verò vel sola in capitis vulneribus mortem inferre solet. Cels. cap. 4. lib. 8. & cap. 26. lib. 5. His autem, qua sit ratione occurrendum, suprà in vulnere carnis simplici docuimus. Accedamus igitur iam ad locum affectum.

Et primò quantum ad vulnus è simplici cutis incisione factum: quidam volunt labia in hoc vulnere futuris connectenda esse, quoniam hæ labia mutuo adducunt quod deligaturis sufficienter in capite fieri nequit, vt in alijs corporis partibus) & prohibent, ne caput ab aere externo offendatur, cap. 90. art. med. Et hæc est sententia Guidonis, & Auicennæ, lib 4. Fen. 5. tract. 3. cap. 1. & Archigenis cap. 1. lib. 2. per loca. *Num vulnus capitis simplex conjuendum. 2. Guidonis opinio.*

Contra, Chirurgorum vulgus vulnera hæc per carnis generationem curat, relinquendo labia ab inuicem separata: dicunt enim cutem capitis incisam non glutinari, vt reliqua cutis vnitur; vnde sanie ad pericranium generata, labijs adductis, pericranium posse inflammari, os putrefieri posse, & inflammationem duræ matri communicari, vt vulnus etiam paruum, periculosum sic reddatur. In Guidonis opinione, cuitatio aeris frigidi non cogit vt fiant suturæ; potest enim hæc alteratio alijs etiam modis vitari, vt velamentis, tegumentis, stupa, alteratione ipsius aeris. In altera sententia, cum dicitur cutim capitis non posse glutinari, hoc experientia quotidie refutat; quamuis enim vbi crassior, duriorq; cutis est, difficiliùs vniatur; attamen & hæc vnitur. *1. Chirurgorum placita.*

Ad Dubitationis autem solutionem quod attinet, si cutis tantum sit incisa, sine læsione pericranij, vulnus confuendum est: quod si pericranium vnà incisum est, illæso tamen osse, vulnus curandum est per carnis generationem, diducto pericranio, & osse conscalpto, & abraso: vt voluit Galenus cap. 1. lib. 2. per loca. & Hippocrates *3. Auctoris sententia.*

crates in lib. de capitis vuln. vbi ait vulnus cum osse nudato adstringi non debere.

Cur pericranij vulnus nō consuendum.

Tres autem causæ afferri possunt, cur vulnus cum pericranij læsione, per carnis generationem, siue futuris, curari debeat. Primùm enim dum in futuris acu pungitur pericranium, dumq; partes eius simul attrahuntur, fit dolor, quem inflammatio sequi potest, & hæc facilè duræ matri potest communicari, à qua scilicet pericranium oritur. Secundò, si infra pericranium consutum sanies oriatur, hæc facilè ipsum cranium corrumpere potest. Postremò, frustrà consuitur pericranium, quod, cùm sit tenue, exangue, & neruosum, glutinari nequit, vt Galenus de vesica prodidit. Com. Aph. 18. sect. 6.

Cur læso pericranio, os deradendum.

Porrò in pericranij incisione, Galenus præcipit os deradi, propter tres præcipuè causas. Primò enim fieri non potest, vt læso pericranio (quod validissimè cranio adhæresci, summèq; tenue est) non etiam cranium aliquo modo lædatur: at propter modicam cranij læsionem, necessarium est os deradere; vt suo loco docebitur. Secundò, inciso pericranio, os nudatur, & ab aere alteratur: at caro gigni nequit, nisi os ab aere alteratum deradatur. Tertiò, quæ præcipua causa est, si os non deradatur, caro nec generari potest, nec inhærere, seu firmari, cum os in superficie sit læuigatum & perpolitum: si verò deradatur, & asperius reddatur, citissimè caro generatur, quoniam sic oscula venarum aperiuntur, ut facile sanguis suppetat pro carnis generatione.

Error Rhasis & Serapionis.

Hinc manifestum fit omninò hallucinatum esse Rhasin, 15. Continent. 5. cap. & Serapionem, in cap. de cura Sodæ à percussione: vbi præcipiunt vulnera capitis, cum ossis fractura, vsque ad piam matrem, esse consuenda. Si enim, inciso pericranio, futuræ prohibentur: quantò magis in cranij fractura?

Simplicem cutis incisionem futura etiam curari posse.

Non damno cihrurgos, qui nullum capitis vulnus, etiamsi cutis solùm incisa, sit consuunt. Si enim in tali simplici vulnere, non tota incidatur cutis, labia non sunt separata, & proinde futuris non indigemus: at tota cutis incidatur, propter continuitatem, & inhærentiam, quam habet cum pericranio, periculum est, ne etiam pericranium sit læsum: in quo dubio tutius est relinquere vulnus apertum, & abstinere à futura, perq; carnis generationem curare. Si enim sic fiat, nullum sequitur damnum, nisi quod aliquantò tardius sanatur vulnus carnis generatione, quàm unione.

In curatione.

Contra, si incidatis in uulnus capitis, cum sola cutis præcisione, à chirurgo consutum: non potestis opus chirurgi reprehendere; propter Galeni, & Auicennæ auctoritatem. Facta igitur futura, sicut in simplici carnis uulnere diximus, oportet supra labia spargere puluer es astringentes, ut in humidioribus naturis, & paruis uulneribus, R. pulueris rosarum rub. plantag. ana part. æq. misce. In corpore robustiore, sicciore, & vulnere maiore, conuenit Serapionis medicamentum, quod est R. aloes, sarcocollæ, ana drag. j. corticum thuris drag. ij. sang. drac. sem. Mis. pulueriza ta subtilissimè: potestis huic etiam addere bolum Arm. Pulueribus inspersis, desuper ceratum aliquod imponendum; hieme, ceratum farfaræ; æstate ceratum de minio, aut de cerussa; medijs temporibus diapalma.

[In cura per carnis generationem & procedendum.

Si autem placeat uulnus per carnis generationem curare: priùs oportet concoquere; seu pus mouere, quod fit, in humidioribus naturis, resinæ abietinæ drag. vj. & oui uitellum num. 1. Si corpus siccius sit, prædicto addemus thuris drag. j. Hieme optimum concoquens hoc est. R. resinæ terebinth. drag. vj. olei hyperyc. drag. iij. thuris pulueriza ti drag j. oui uitellum num. 1. Misce. Vbi sub hoc medicamento apparet pus bonum (quod fit spatio unius diei, uel bidui, aut ad summum tridui) uulnus autem non est satis purum, aut detersum; prædicto medicamento addimus plus resinæ, aut drag. ij. mellis. Postea uerò imponimus, quæ uulnus carne implent: hieme scilicet, & in naturis siccis, durisq. vnguentum Isidis: æstate unguentum de tuthia: medijs temporibus, unguentum de betonica, cum pulueribus compositum. ut in officinis paratur, pro siccis naturis. In humidioribus utimur unguento de betonica, siue pulueribus, è succo beton. ol. & cera pauca. Verùm, antequam unguentum supra labia uulneris ponatur; os subiectum derasum postulat primum remedium sarcoticum, quod ualde siccum sit, & potestate, & actu, quia os sua natura siccissimum. Priùs ergo supra os hic puluis spargitur: R. rad. irid. aristol. thuris, ana drag. sem.

Misce.

Miſce. In naturis autem humidioribus interdum thus pulueriſatum ſolum ſufficere poteſt, vt in pueris. Generata carne inducitur cicatrix, vel linamentis ſiccis, vel pulueribus de tuthia, cornu cerui vſto, item pulu. roſarum, malicorij. Supra autem imponenda cerata, quæ ſupra modò retulimus.

CAPVT XVII.

De curanda fractura Cranij, quæ non peruenit ad duram meningem.

HACTENVS de vulnere, quod cuti ſolùm, & pericranio infixum eſt: ſequitur vulnus, in quo cranium etiam læditur. Si læditur ab inſtrumento incidente, vel perforante; non poteſt tale vulnus contingere, niſi cum ruptura cutis: at ſi à contundente læditur, ſeu frangitur, hoc fieri poteſt, & ſine cutis ſuperpoſitæ ruptione, & cum cutis ruptione. Præterea, fractura hæc, ſeu rima, vel totum apprehendit, frangitq; cranium, vel deſinit in aliqua cranij parte. *Tranſitio.*

Primùm ergo nos de leuiſſima cranij fractura agemus, quæ non penetrat ad duram matrem. Si igitur cranium rumpatur, & cutis ſuperpoſita non rumpatur; incidenda eſt cutis ad angulos rectos crucis modo, vt fiſſura detegatur: vnde non ſolùm cutim, ſed etiam pericranium præſcindere oportet, & longe à fiſſura deducere, ſecundùm Auicennam, quinta quarti, tract. 3. cap. 1. *Inciſio cutis*

Detecta autem fiſſura, Auicennas vult ſtatim oſſis fracturam ſcalpro deradendam eſſe, quamdiu illius apparet veſtigium. At Celſus cap. 4. lib 8. præcipit prius vtendum eſſe medicamentis, deinde, ſi hæc curatio non proſperè ſuccedat, ad ſcalpra eſſe deueniendum. Qua in parte Celſus nullo modo mihi ſatisfacit. Primò, quia in vulneribus capitis, quæ ſua natura admodum ſunt periculoſa, peſſimum eſt exſpectare praua ſymptomata, & tunc demum prouidere, cum forſitan occaſio præterijt, nec ampliùs prouidere licet. Cauſa etiam, ob quam Celſus ferramenta reijcit, friuola eſt: ait enim melius velamen cerebro eſſe callum, qui in rima concreſcit, quàm carnem, quæ concreſcit vbi os deraſum eſt: At nos, dum deradimus os, aut terebra perforamus, non efficimus magnas oſſis exciſiones, aut dilatationes: & licet efficeremus, non tamen ægrotanti eſſent noxiæ; cùm multos videamus ſanam, & commodam vitam degere, quibus maxima fruſtula oſſis in capite deſunt. Præterea, ſi ſecundùm Celſum rima non deradatur, vt plurimum nigrorem contrahit; propter quem deinde cogimur, non ſine dedecore, & timore, os ipſum, nolimus uelimus, abradere. Et quia, ſecundùm Galenum, cranium denudatum, licet læſum non ſit, deradendum tamen eſt: multò magis hoc faciendum, ſi cranium læditur: idque propter tres cauſas: Primùm, quia in rima neceſſariò colligitur ſanies, è ſuperpoſitis labijs deſcendens, & os, atque ſubiecta membra corrumpens, & inflammans (nam etiam oſſa inflammari poſſunt, cap. 2. lib. de tum. præt. nat. Celſus cap. 4. libro 8.) at dum os deraditur, & aufertur, facilè vitamus eiuſmodi ſaniei collectionem, quia poſſumus ipſam detergere. Secundò, labia in oſſe inciſo ſunt inæqualia, aſpera, vt caro cum illis quaſi aculeis pungentibus uerſari nequeat: deradendo autem, aſperitates omnes auferuntur. Poſtremò, beneficio ſcalpri deuenimus in exactam cognitionem profunditatis rimæ; id quod in cranij fracturis ſcitu ſumamè eſt neceſſarium. Magis igitur Auicennæ, & antiquorum probo ſententiam, qui in tali vulnere protinus ad ſcalpra deueniunt. *Contra Celsũ* *Cur os deradendum.*

Porrò ſcalpra, alia ſunt exciſoria, quæ excidunt os, ſicut fabri lignarij lignum excidunt; his ego magis vtor, & eorum alia triangula, alia quadrata alia rotunda. Sunt etiam ſcalpra deraſoria, uulgò raſpatoria, quæ deradendo os eximunt. In vſu ſcalpri notandum: primùm, *Scalprorum differentia.*

primùm, ne pericranium offendatur, inde enim febres, & inflammationes orirentur.

Deinde oportet exigua linteola parare, & operire labia vulneris, ne offendantur ab aere, vel à scalpro incauto. Hoc facto, oportet deradere supra rimam, secundùm longitudinem ipsius, quamdiu rima apparet; quod facilè innotescit, si rima atramento scriptorio respergatur (si timeatur chalcanthum, quòd causticum est, fieri potest atramentum è sola galla, quę nigrum efficit colorem, & hoc potissimum in principio fieri debet, cum timemus rimam ad duram matrem peruenire: at si exiguum est, quod apponitur, & breui tempore consistit, facilè atramento scriptorio vti possumus.) Ne autem in attritu scalprum incalescat, & os inflammet, quidam hoc infundunt in oleum rosa ceum, vt & inflammatio prohibeatur, & ferrum facilè currat: & si quando incautè a scalpro labia vulneris offendantur, minùs doleant, propter oleum. Ego autem potius muto scalpra, quia inunctio retundit scalpri aciem.

Medicamenta partis affectæ imponenda.

Facta derasione medicamenta imponenda sunt, primùm concoquentia, dum pus bonum appareat (vt supra in simplici vulnere diximus) deinde sarcotica.

Medicamenta quæ ossi conueniunt.

Quia autem duas habemus partes vulneratas, cutim, & os: proinde in osse, corpore sua natura siccissimo, siccioribus etiam quàm in cute, vtendum remedijs, nimirum, & actu, & potentia siccis: vnde conueniunt radix iridis, thus, orobus, sarcocolla, myrrha, cortex radicis opopanacis, aristolochia, sang. drac. & alia vehementer, sed sine morsu, exsiccantia; quæ omnia in puluerem tenuissimum redacta, supra os, & derasum, & non derasum sparguntur. In his tamen pulueribus delectus est habendus. Si enim vulnus exiguum, & corpus húmidius, thus solum sufficit. Si vulnus maius, natura siccior, & robustior, conuenit manna thuris, quæ valentiùs ipso thure, & desiccat, & detergit. Si vulnus sit sordidum, & magis detersoria poscat, myrrha vtendum. Si tempus frigidum, ex vsu sunt potiùs calida, vt iris, aristoloch. cortex rad. opopanacis: Si æstiuum, sanguis drac. cornu cerui ustum, & alia potiùs refrigerantia.

Medicamenta cuti conuenientia.

Supra cutem autem vulneratam, seu in labijs vulneris, apponenda sunt, quæ mo[illegible]m habent consistentiam, vt vnguenta. Proinde si vulnus non sit adeò magnum, si natura humidior, vt pueri, aut mulieris, si tempus anni temperatum: conuenit vnguentum è succo betonicæ, oleo, & cera. Si vulnus maius, temperatura siccior, tempus hiemale, conuenit vnguentum Isidis, vnguentum de gummi elemi, vnguentum de matrisilua, nam hiems calidiora postulat; reliqua, siccioria, & magis detersoria. Si magnum vulnus, natura robusta, tempus æstiuum, prodest vnguentum de thuthia.

Epoulotica.

Si vulnus carne sit impletum, id est, si caro sit genita, tum supra os, tum in labijs vulneris cicatrix est inducenda. Quæ autem conueniant epoulotica, item quæ medicamenta exteriùs sint imponenda, in vulnere capitis simplici attulimus.

CAPVT XVIII.

De fractura Caluariæ ad duram matrem penetrante: ita tamen vt hæc illæsa sit.

Fractura penetrans.

OSSIS fractura ad meningem crassam penetrans, vel fractura tantùm est, vel fractura, & ossis depressio: & in vtraque, rima, vel stricta est & compressa, vel latiùs patet.

Scopi, seu indicationes curatiuæ.

Præmissa ergo totius corporis procuratione, ad partem affectam deueniemus, secundùm Celsum cap. 4. lib. 8. duo in tali vulnere sunt pericula. Primum, ne humor ad duram membranam descendat: hic enim putrescens, & inflammatus omnia subiecta corpora corrumpit; vnde febres, deliria, cõuulsiones, postremò mors. Alterũ periculũ est, ne os deprimatur: vel aliquod frustulum ab osse interiùs separetur, & duram membranam pungat;

pungat: vnde dolores acutissimi, conuulsiones, interdum, & apoplexia. Hoc postremum non est frequens primum uerò perpetuum est, & præcaueri nullo modo potest, ab osse enim è fractura debili reddito, non amplius fieri potest proba concoctio proprij alimenti, vnde necessariò excrementitia quædam humiditas in loco fissuræ segregatur, & alia è partibus vulneris superpositis, per rimam in duram matrem descendit, quæ ob debilitatem (accedente præsertim rimæ angustia) foras extrudi nequit. Vndè fermè omnes, qui è vulneribus capitis moriuntur, hac de causa pereunt; ut ego in dissectis, cadaueribus obseruaui. Hinc ergo patet præcipuum scopum in hoc vulnere curando esse, ut materia illa educatur.

Materia tra cranio descendens.

Et proinde si rima non sit patens, id est, si non abundè detur exitus saniei, os excidere, & perforare oportet, cap. ult. lib. 6. Meth. sic enim licet detergere, & abluere sordes à membrana; facilis patet exitus materiæ, & si quod ossis frustulum membranam pungit, id eximi potest. Perforatio igitur facienda est, quando hæc duo adsunt: primum, si timetur materiæ descensus: deinde si non abundè datur exitus materiei. Contra, si rima sit patens, aut si fractura non penetret totum os, nec adsit contusio, ut nullus sit metus saniei intus contentæ: non est perforandum cranium, nec frustra meninx dura aeri exponenda.

Cranij perforatio quando instituenda.

Hic autem dubitatur, num cute capitis integra superposita, & ossis subiecti fractura cognita suis signis, liceat cutim dissecare, & os perforare. Nonnulli nec præcisionem cutis, nec perforationem ossis admittunt. Prima eorum ratio est: sicuti in alijs fracturis, si cutis superposita est integra, natura callum generat, nec præcisione cutis opus est: ita etiam in cranij fracturis, similiter natura callum generabit. Secunda ratio: in alijs fracturis sanguinem, qui circa fracturam colligitur, natura foras trudit, unde linteamina sæpe infecta sanguine conspiciuntur: sic etiam in cranij fractura potest natura materiam descendentem extra cutim expellere. Verùm plus facienda est Celsi, & Pauli sententia: qui dum suspicantur fracturam subesse, audacter cutim dissecant, etiamsi dubitent frustra esse incidendam, nam facilè rursus sanescit, & sensum non habet acutum. Ad rationem verò allatam respondemus, non eamdem esse rationem fracturarum cranij, & aliarum partium. In alijs enim fracturis natura propter mollem carnem, & mollem cutim superpositam, facilè potest materiam expellere. Deligatura etiam in istis fracturis humores influxos hinc inde exprimere potest; quod in capitis fractura fieri nequit. Præterea, in capitis fractura non obducitur callus; priusquam enim hoc fiat, homo moritur, ob saniei coaceruationem supra duram membranam.

Non esse fracta cutem superpositam integram dissecare licet.

Perforationem autem cranij ijdem reijciunt: primùm, quòd osse perforato calor expiret, qui alioquin inclusus materiam descendentem, per meatus naturales expurgaret, per palatum, nares, aures, oculos, glandulas post aures existentes. Facilè insuper in cranio perforando uena lacerari, aut membrana pungi, aut cerebrum concuti potest. Tandem ægri plerumque ferramenta timent. At Hippocrates apertè perforationem præcipit, ubi cranium colliditur, aut contunditur: siue rima in aperto sit, siue lateat. Ne autem calor exspiret; velamentis, emplastrisque prohibetur. Verum est, quod natura interdum per meatus naturales materiam expurgat; at sæpe hoc non facit: vnde in re dubia, non est æger in discrimen adducendus.

Contra eos, qui perforationem reijciunt

Sed his remedijs contra saniem descendentem pugnant: capiti enim imponunt emplastra valde calida, è gummi elemi, resina pini, opopanace, bdellio, calamo aromatico, baccis lauri, aristolochia, radice cucumeris syluestris: quæ materiam euocare possunt. Vel per os exhibent potiones, è cinamomo, galanga, cardamomo, pipere longo, caryophyllis, uino, aqua vitæ, saluia, roremarino: quæ materiam consumunt, & dissoluunt: At verò hæc adeo sunt calida, ut externa sanguinem & materiam ad locum affectum trahere veleant, cum periculo inflammationis: potiones uerò aut febrem insignem, aut aliquod erysipelas in vulnere, & in corpore ægrotantis excitent. Nisi fortè tota substantia potiones materiam illam credantur dissipare: sicut Carpus in tractatu fracturarum Cranij. de Hebræo quodam scribit. Verùm tale medicamentum non inueniri

Errores alij eorundem.

arbitror: & si haberem, ego quoque à sectione ossis, & cutis abstinerem.

Instrumenta quibus os separamus. Ferramenta autem, quibus ad hanc operationem vtimur, varia sunt: alia dicuntur scalpra, quibus vtimur in osse imbecilli, & tenui; præterea, cum rima totum os non peruadit: aliud instrumentum est terebra, ei similis, qua fabri vtuntur lignarij: tertium est modiolus, instrumentum teres, concauum, imis oris serratum, in cuius medio clauus est.

Perforatio vt administranda. Primùm ergo si cranium perforandum est, os à pericranio denudatur, ne terebra super pericranium apponatur, quia excitaretur insignis dolor, & inflammatio. Deinde linteolis labia vulneris obuelantur. In osse autem excidendo, minima frustula eximere debemus: dura enim mater subiecta, facilè ab aere afficitur; taceo, quod non sint ingentes cutis sectiones faciendæ, quæ tamen necessario fiunt in larga ossis excisione. His consideratis, in latere ipsius rimæ, interposito digiti spatio (sæpe tamen, non habemus tantum spatij) apponimus modiolum: Deinde manu sinistra premimus, dextra verò circumuoluimus. Dum modiolus circumagitur, parum olei rosacei, aut lactis instillari potest, ut magis lubricus circumagatur. Et ne incalescat modiolus, subinde in aquam mergendus. Vbi circumuoluendo ad medietatem ipsius cranij deuenimus (quod dignoscemus è sanguine exeunte) maiore diligentia reliquum opus agendum est, & manus sinistra sæpius attollenda, & magis suspendenda, ne forte modiolus compressus incautè cadat supra duram matrem, aut ipsam pungat. Meum instrumentum compositum est è modiolo, & terebra: habetq; alas, quò minus possit descendere, & cadere supra duram matrem.

Lauigatio orarum foraminis, scalpro lenticulato. Perforato cranio, oræ foraminis sunt circumradendæ, & læuigandæ instrumento lenticulari: (dicitur ita ob lentis figuram in ima parte, sic enim propter rotunditatem duram matrem non lædit) aliàs enim si caro in osse aspero succresceret, dolores orirentur. Si quid verò scobis in dura membrana collectum est, id totum est detergendum.

Topica pro meninge iam patefacta. In medicamentis porrò, quæ supra membranam iam patefactam imponenda sunt, uariant auctores. Paulus enim cap 90. lib. 6. & Auicennas vtuntur humidis blandissimis, nimirum oleo rosaceo. Celsus autem cap. 4. lib 8. siccantia usurpat, & primò acri aceto membranam respergit, vt si quid sanguinis ex ea profluat, cohibeatur; aut si cruor super ea fuerit concretus, dissoluatur: postea imponit cephalica emplastra, cap. 19. lib. 5. descripta, ut emplastrum viride, aut Iudæi, &c. quæ maximè sunt siccantia. Galenus lib. 10, simpl. cap. de sang. columbæ, laudat olea: at cap. vlt. lib. 6. Meth. siccantia præscribit.

Suppurantia. Ad hanc tollendum difficultatem, scire oportet ea, quæ duræ matri imponuntur, saltem in id dirigi, ne ea lædatur à materia descendente. Hoc autem primùm fit, si ipsam materiam, quæ acris, mordax, & praua est, benignam reddamus, quod quidem fiet, si ipsam in pus bonum conuertamus. Et hoc respexerunt Paulus, Auicennas, Hippocrates, & quandoq; Galenus, item chirurgi antiqui Romani, & nostræ ætatis chirurgi, imponentes duræ matri oleum rosatum, ut materiam descendentem in pus vertant. At obijciet quis: pus mouentia sunt calida, & humida: oleum rosaceum est frigidum, & siccum: ideòq; non est suppuratorium. Respondeo: suppurantia dicuntur, quæ calorem natiuum non in qualitate, sed quantitate adaugent; debent ergo similia esse crasi partis, cui applicantur: At quia natura humana, generaliter sumpta, est calida, & humida, proinde Galenus vbique dicit pus mouentia esse calida, & humida: vbi verò exactissimè loquitur de supuratorio in quaq; parte, id eiusdem temperiei esse ait, cum parte, cui applicatur. Quoniam igitur dura mater, temperamenti frigidi, & sicci est: oleum rosatum huic impositum; quod eiusdem est temperiei, pus mouere potest. Quin expressè Gal. cap. 2 lib. 2. u. y. ait, vbi mistam facultatem, reppellendi .s. & concoquendi desideramus; rosaceum esse vsurpandum. Magis autem suppuratorium est hoc oleum ros. si sit completum, id est, si è maturis oliuis sit extractum.

Oleum rosatũ num suppuratoriũ esse queat.

Alia peptica. Præter oleum rosatum, Galenus lib. 10. simpl. laudat sanguinem columbæ, & turturis: hæc enim animalia sicca sunt, & proinde eorum sanguis duræ matri temperamento consentit, & est suppuratorium medicamentum. Chirurgi nostri præter hæc usurpant resinam abietis, quam communiter oleum abiegnum nuncupant, eamq; oleo rosaceo admiscent, & rectè

qui-

quidem, mea ſententia. Nam in concoquente medicamento opus eſt facultate emplaſtica, cap. 19. lib. 5. Simpl. quam non habet oleum roſ. eam verò acquirit à reſina. Poteſt autem variari permiſtio olei roſ. & reſinæ, pro ratione corporis vulnerati, pro tempore vulneris, pro tempore anni, pro ſenſu hebeti, vel acuto. In pueris enim, & corporibus humidioribus, quia dura mater eſt humidioris craſeos, oleum roſ. completum purum vſurpatur; in adulto, & corpore calidiore, atque ſicciore, dura mater minùs frigida, & magis ſicca eſt, vnde oleo roſ. aliquid reſinæ abiegnæ miſcendum: In capite admodum calido, & ſicco, vt calvo, & capillos criſpos habente, plus reſinæ miſcendum. Sic quoniam in principio vulneris, propter inflammationem magis refrigerantibus eſt vtendum, plus olei roſati vſurpamus: in progreſſu verò vbi magis expurganda eſt ſanies, atque ſiccanda, plus reſinæ admiſcendum. Sic hyeme plus reſinæ, æſtate plus ol. roſati admiſcendum.

Item, ſi vulnus ſenſum habeat acutum, oleum roſatum magis competit; nam reſina propter detergentem facultatem poteſt morſum aliquem inferre. Eadem ratione, quia reſina abiegna cum oleo roſato temperatur, poſſumus admiſcere etiam reſinam terebinthinam Plerique vſurpant oleum maſtichinum, quod potiſſimùm faciendo, quando propter capitis naturam calidam, & ſiccam, ob ſenſum tamen acutum, non licet nobis vſurpare reſinam. In quo caſu etiam oleum hyperyci admiſcere poſſumus, quod concoquit, & emplaſticum eſt. Hic ergo primus eſt modus, quo præcauemus, ne dura mater lædatur à materia deſcendente.

Alter modus fit per ſiccantia, quæ materiam abſumunt. Et huc reſpicit Celſus, item Galenus interdum, & Chirurgi Aſiatici. *Siccantia.*

Vtrumque modum Galenus probat, cap. vlt. lib. 6. Meth. Nos pus mouentibus vtimur: inſtillamus oleum roſatum tepens, uel per ſe ſolum, uel reſinæ, aut alijs admiſtum: deinde ſecundùm Paulum, & Auicennam linteum rotundum, magnitudine uulnus æquans, oleo roſato imbutum ſupra foramen imponimus; ne ſcilicet linamenta, poſt apponenda, in foramen ingrediantur, & ita, aut duram matrem premant, aut inter membranam, & cranium cum periculo ſeſe inſinuent: hoc facto, linamenta ſicca, oleo roſato imbuta ſupra rotundum linteum imponimus. Poſtea monet Paulus duplicatum linteum latius, vino, & oleo madens, aut roſaceo imbutum toti vulneri eſſe circumponendum: & vltimò ligaturam efficiendam, quæ in capite tantummodo medicamenta detineat. Nos autem ſupra lintea oleo roſaceo imbuta imponimus emplaſtrum Hippocratis, factum è farina hordei. *Qui nam modus auctori probetur.*

Quæritur autem, quandiu medicamento concoquente, ſeu oleo roſato uti debeamus? Reſpondet Galenus cap. ult. lib. 6. Meth. tamdiu his utendum, donec tempus inflammationis præterijt, & omnia ad unguem ſunt ſicca: tunc enim ad carnem generandum, mox ad cicatricem inducendum deuenire debemus. Tempus autem inflammationis ponit diem ſeptimum. Celſus cap. 26. lib. 5. ait quintum diem oſtendere, quanta futura ſit inflammatio. Paulus autem cap. 90. lib. 6. monet medicamenta poſt tertium diem eſſe mutanda, id eſt, non ampliùs eſſe utendum pus mouente. Et ſic auctores diſſidere uidentur: quamuis res hæc maximi ſit momenti. Recurrendum ergo eſt ad indicationes, & tamdiu coquentibus vtendum, quamdiu materia concocta non eſt, nec in pus bonum verſa; quod citiùs fit ſi vulnus paruum, ſi caput calidius, ſi æſtas. Quod ſi ſuppuratorijs minùs diu vtamur, quàm par eſt, non ſumus tuti ab inflammatione: ſi contra iuſto diutiùs, id eſt, ſi iam confecto pure, tamen in ſuppurantibus pergamus, membrana tum è frequenti oleorum impoſitione, tum è puris longa mora, hebes fiet, attolletur, & tandem computreſcet. Hac de cauſa arbitror, tam breuem τῶν πυετικῶν terminum, nimirum triduum à Paulo eſſe aſſignatum. Si enim ad alterum extremum inclinandum eſt, potiùs non eſt exſpectanda inculpata, & optima omni è parte concoctio, quàm ut ea apparente, diutiùs in pus mouente perſiſtamus. *Quamdiu vtendum ſuppurantibus.*

Vbi pus bonum apparet, hoc expurgandum eſt, & membrana exſiccanda: vnde *Detergentia.*

oleo roſato plus reſinæ admiſceemus: vel in humidioribus naturis per ſe ſola, quæ expurgandi vim habent, vſurpamus. In maiori puris copia, vice reſinæ, vtimur melle roſ. ſyrupo roſ. vel per ſe, vel miſtis alijs.

Sarcotica, & epoulotica. Deterſo, & ſiccato vulnere, ad ſarcotica accedimus, & ſupra duram membranam imponimus, vel vnguentum de betonica, de matriſylua, de gummi elemi, vel vnguentum Iſidis: & ratione oſſis, inſpergimus pulueres cephalicos dictos, vt pulu. iridis, ariſtoloch. peuced. erui, myrrhæ, &c. Cicatrix vt ſit inducenda, ſupra docuimus.

Error barbitonſorum. Hinc apparet multùm eos errare, qui non per morbi tempora, ſed per ſtatutum quendam dierum ordinem, vulnera hæc curant: nam vſque ad quartum diem, imponunt oleum roſatum: à quarto ad ſeptimum, miſcent reſinam: à ſeptimo ad vndecimum, vel decimumquartum, apponunt vnguentum de betonica: vltrà verò vſurpant vnguentum Iſidis.

Emplaſtrum partibus circinis applicandum. Verùm cum non tantùm vulneris, ſed etiam partium circumſtantium ratio ſit habenda: circo, præter dicta præſidia, opus eſt refrigerantibus, vt materia influens repellatur, & exſiccantibus, ut materia influxa abſumatur; aſtringentibus denique, ut partes circumiacentes corroborentur. Qua propter Hippocrates in lib. de vuln. cap. medicamentum, ſeu emplaſtrum componit è farina hordei, & oleo roſ. quod ſuperponendum eſt omnibus medicamentis iam propoſitis, & exteriùs, tum caput magna è parte, tum ceruix, & collum, præcipuè ad venas iugulares, inungi debent oleo roſato calido; quod ſit, tum ad dolorem leniendum, ſi adſit, tum ad ſanguinem moderatè refrigerandum, qui ſurſum ad caput influit. Hoc autem emplaſtrum uariari poteſt, pro anni tempore, pro ratione vulneris, ſymptomatum, & naturæ capitis. Nam æſtate ſic fit, R. farinæ hordei vnc. viij. olei roſ. unc. iv. de poſca (id eſt, aceto, & aqua, propter maiorem refrigerationem) q. ſ. ad conficiendum emplaſtrum. Hyeme paramus cum vino. Si caput ſit debile, præter oleum roſ. & far. hord. addimus unc ij. pulu. roſarum rub. & cum uino formamus. Si vulnus doleat, addimus defruti vnc. ij uel iij. Si uulnus ſit factum è contuſione, aut quomodo libet contuſio uulneri adiungatur, ut ſanguis inter poros cutis ſpargatur; miſcemus aſtringentia, & quæ ſanguinem ſiccare, & diſcutere poſſunt hoc modo, R. farinæ hord. unc. vj. myrtill. unc. ij olei roſ. unc. iv. oxymelitis ſimpl. unc. iij. uini albi non potentis q. ſ. Miſc. & fiat emplaſtrum. Poſſunt interdum miſceri pulueres beton. aut ſtoech. aut parum ſpicæ, præſertim, ſi caput admodum debile eſt, & frigidum, ad calorem uidelicet cerebri fouendum.

CAPVT XIX.

De Vulnere duræ meningi.

Indicationes. SI vulnus tam altè penetret, ut dura etiam membrana uulneretur, præmiſſa uniuerſali cura, quæ reſpicit ſanguinis profuſionem, & inflammationem, oportet uidere, quæ parti affectæ ſint imponenda. Hoc ergo uulnus peculiare habet, quod dolor uehemens urget: unde prima indicatio eſt leniendi dolorem.

Deinde quia in hoc uulnere ſimul, & cutis, & cranium eſt læſum, ut pugnandum ſit contra materiam deſcendentem; os, niſi pateat, perforandum eſt. Tertiò, uulnus duræ matris, aut glutinandum, aut carne implendum.

Dolorem leniendus, & conſequentia. Primùm autem leniendus eſt dolor, ne facta attractione, oriatur inflammatio, aut conuulſio. Leniri aliàs ſolet dolor, uel ablata cauſa doloris; quod hic fieri nequit cum cauſa doloris ſit uulnus, dolor autem ipſe magis urgeat: uel ſtupefaciendo; quod & ipſum hic non habet locum, ſic enim & membrana, & totum corpus redderetur inſenſibile: uel denique leniendo, per medicamenta unctuoſa, & olea, quæ hic locum habent,

habent, ideq. maximè cum simul illa ole aduersus materiam descendentem purgare possint. Infundimus ergo oleum ros. tepidum supra membrana. Vel columbæ sub alis venam secamus, & sanguinem illum calidum instillamus: vel sanguinem palumbi, aut turturis, propter dolorem, & ad concoctionem. Si dolor non admodum vrgeat, magis respicere debemus ad materiam descendentem: ideòq; magis concoquentia adhibebimus, vt resinam abiegnam oleum mastichinum, oleum hyperyci. His vtendum donec, vel dolor sit mitigatus, vel pus in vulnere appareat: quibus præsentibus dimittantur olea, ne membranæ fiant hebetes, attollantur, & putrescant. Et tunc purganda, & siccanda est dura mater, melle rosato, vel syr. ros. aut supra positis.

His peractis, accedendum ad curandum vulnus duræ matris, quod vnionem postulat. At, licet pia mater propter mollitiem glutinari possit: dura tamen, quia dura, neruosa, & tenuis est, glutinari nequit: maximè quia ad unionem necessarium est, vt labia ad mutuum contactum adducantur, quod fit deligatura, sutura, & fibulis, quorum nullum fieri potest in dura meninge vulnerata. Archigenes cap. 1. lib. 2. per loc. ait eam posse glutinari: sed si medicamenta ipsius perpendantur, magis sunt carnem generantia, quàm glutinantia: vnde, & Galen. ait vulneratam hanc membranam debere curari per carnis generationem, totum scilicet uulnus carne implendo. Infundit autem Archigenes, quod etiam Galenus probat, supra duram membranam succum calaminthæ, deinde inspergit milij farinam, quæ moderatur calorem calaminthæ: & hæc medicamenta sunt siccantia, & detersoria, ac proinde carnem generant. Desuper imponendum est medicamentum è butyro, oleo ros. adipe suillo vetere; ut tum concoquat, tum carnem generet in labijs uulneris. *Sarcotica.*

CAPVT XX.

De Vulnere membranæ tenuis, & ipsius cerebri.

PIA mater omnino tenuis est, & prorsus cerebro adhæret, vt uulnerari nequeat, sine cerebri uulnere. Hæc uulnera ferè semper sunt lætalia, interdum tamen æger restituitur. Quæ autem de uulnere cutis, cranij, & duræ matris dicta sunt, ea omnia huc transferenda. Solùm enim ea, quæ uulneri proposito peculiaria sunt, lustrabimus. *Vulnus piamentagis, & cerebri.*

Quantùm igitur ad piam matrem, cum hæc plurimis uenis sit referta, fieri non potest, ut ipsa uulnus accipiat, quin sanguinis profusio sequatur. Cerebrum autem uulneratum, & aeri expositum (quod sæpe experientia probaui) facilè putrescit, propter frigus externum, quod calorem cerebri exiguum exstinguit; & propter humiditatem tum descendentem, tum in ipso cerebri corpore, ob debilitatem, collectam: vnde oritur indicatio calefaciendi, & siccandi. *Indicationes.*

De sistendo sanguine, supra in generali uulnerum curatione diximus. Et Galenus, cap 4. lib. 5. Meth. medicamentum hoc alijs omnibus anteponit: aloes una pars, duæque thuris, exquisitè puluerizentur, ouique subacta albumine, pilis leporinis excipiantur, & imponantur. De ijs, quæ carnem generant supra duram, & piam matrem; dictum quoque supra est. *Sanguinem in habentia, & carnem generantia.*

Cerebri uulnus quod attinet; calore opus est, & siccitate. Dum ergo vulnus soluitur, aut medicamenta mutantur, calefieri debent lateres, uel tegulæ, & capiti uulnerato in debita distantia apponendæ, ut aer ambiens calefiat. Prodest etiam totum cubiculum calefacere. *Aer calidus dum vulnus soluitur.*

De medicamentis topicis, sic statuo. Quidam oleo rosato utuntur: alij linteolis uino imbutis. Ego uerò experientia didici, in cerebri uulneribus ab omnibus oleosis, & pinguibus esse abstinendum: quia cerebrum, corpus mollissimum, facile ab ijs putredinem acquirit, etiamsi facultate sint sicca. Aquam uitæ probo. Et nuper in magno cerebri uul- *Topica siccantia, non multum oleosa.*

nere,

nere, felicissimo successu, hoc sum usus: R. farinæ milij vnc. sem. olei Hispani vnc. j (de quo supra cap. 7. in tractatu de vulneribus carnis) Mithridatij drag. vi. balsami nigri, quod è Lusitania, vulgo Portugallia, affertur; non lutei, quod adfertur ex Aegypto, & Cayro, drag. iij. aquæ vitæ drag. v. olei de chalcantho drag. j sem. Misc. Hæc ingredientia valde siccant, & putredini resistunt: quædam eorum immodicè calefaciunt, sed ab alijs frigidis temperantur; nam milij farina in excessu tertio frigida est, & sicca. Supra ponatur tale emplastrum: R. farinæ hordei vnc. viij. pulueris chamæmeli vnc. iv. pul. spicæ, & schoenanthi, ana drag. iij. pulu. beton. & stoechad ana vnc. sem. ol. mastichini lib. sem. ol. rosati completi vnc. iij. oxymelitis simplicis vnc. v. vini albi mediocriter potentis, quantum ad emplastrum essingendum satis est.

CAPVT XXI.

De Thoracis vulneribus, & primum de eorum differentijs, signis, prognosticis.

Thoracis descriptio.

PER Thoracem, seu medium ventrem, intelligimus totum illud spatium costis circumseptum: quod constat cute, pinguedine, membrana carnosa, musculis intercostalibus, costis, pleura membrana: ante, os est pectoris; post, dorsi spina: in cauitatis medio componitur pericardio conclusum: vtrimque pulmones adiacent: & infra ponitur diaphragma: adest etiam vena caua, aorta arteria, & gula.

Differentia vulnerum thoracis.

Porrò, thoracis vulnus aut est penetrans, quod pleuram perforat: aut non penetrans est, quod eam minimè pertundit. Rursus, penetrans vulnus, aut est cum lesione partium internarum, aut sine ea. Cum læsione multiplex esse potest: nimirum vulnus cordis, pulmonum, pericardij, diaphragmatis, gulæ, arteriæ magnæ, & reliquarum conditarum partium.

Signa.

Notis verò proprijs dictæ modò differentiæ accuratè sunt secernendæ. Si ergo penetrat vulnus, immissi styli aut candelæ multa portio ingreditur. Præterea, anhelitus siue aer exit, qui candelam, vel flocculum bombacis, aut lanæ, foramini appositum, mouere conspicitur: hoc maxime certum est signum, si aer eggrediatur cum strepitu, & sono quodam raueo. Interdum tamen si vulnus est prope os pectoris, etiam aer exire potest, & multa styli portio ingredi; propter insignem cauitatem, quam faciunt membranæ intersepientes ad sternum; distinctam, & separatam à cauitate thoracis. Num autem in penetrante vulnere lædantur partes internæ, cor, pulmones, diaphragma, gula, medulla spinalis, petatur è Celso, cap. 26. lib. 5.

Prognostica.

Vulnera in thoracis parte posteriore, magis sunt periculosa, quàm in priore; quia plures ibi, maioresq; adsunt nerui, & tendines: periculosiora redduntur, si dorsi medulla vulneretur, ob sæua symptomata, quæ sequuntur è sympatheia cerebri. Omne etiam vulnus thoracis periculosum est; propter materiam quæ in cauitatem thoracis descendit. Si cor vulneretur, desperata est res: sicut etiam, si diaphragma in parte neruosa: item si pulmo magno vulnere sit confossus, aut pericardij tunica.

Cur omne vulnus thoracis periculosum.

CAPVT XXII.

De Vulnere thoracis penetrante: ſine læſione membrorum internorum.

VLNVS thoracis non penetrans, curatur ut vulnus ſimplex. In penetrante autem præmiſſa corporis totius procuratione, potiſſimum in id inc umbendum, ut euacuetur colluuies, cruor, & humiditas, quæ in thoracem è labijs vulneris deſcendit; ne putreſcens mortem inferat. Euacuatur autem per tres vias: per vulneris orificium, per os, ſcilicet tuſſiendo, & per vrinæ viam. *Vacuatio materiæ in thorace contenta.*

Quantùm ſpectat ad vrinæ uiam, etiam Galen. lib. 5. de loc. affect. obſeruauit ea, quæ in thoraoe continentur, per vrinam interdum euacuari: quod & ego ſæpe uidi in pleuritide, & peripneumonia. Putauit autem Galenus materiam primò tranſſumi in propagines venæ axygos dictæ: hinc in cauam uenam ad dextrum cordis ventriculum; & è caua vena deorſum tranſeundo iecur, peruenire ad emulgentes. Nobis autem alia via innotuit, cuius primus fuit inuentor Nicolaus Nouocomenſis, Venetorum annis ſuperioribus medicus clariſſimus: à vena enim ſine pari, prope diaphragma, porrigitur ductus recta per ſpinam ad emulgentes. Fidem autem huic vacuationi, & hæc hiſtoria facere poteſt. Quidam meus amicus aliquando in thorace vulnerabatur; vulnus tamen non reperiebatur penetrans à medicis, quia ob foraminis anguſtiam, non multa ſtyli portio immittebatur; caro etiam occupauerat foramen, ut ſpiritus ſeu anhelitus non egrederetur. Ex accidentibus tamen ſuperuenientibus penetrans eſſe vulnus poſt cognitum eſt; ſuper diaphragma enim ſentitur pondus: exſpuitur ſanguis, cum tuſſi, inualeſcit febris, accidunt vigiliæ, deijcitur appetitus, anguſtatur anhelitus, & aliquando liuor apparet extra coſtas, ubi continetur materia. Et propterea medici, cum è foramine penè occluſo, nihil poſſent euacuare, volebant thoracem aperire inter ſextam, & ſeptimam coſtam. Cum autem poſtridie id eſſent facturi, interea accidit, ut æger cyathum cruoris plenum mingeret, è quo à dolore, febre, & omnibus ſymptomatis leuatus eſt. Proinde diureticis hoc in caſu opus eſt, & quidem vehementibus, niſi febris prohibeat: hac enim præſente, dabimus decocta, & ſyrupos capillorum Veneris, polytrirchi, rad. petroſelini, betonicæ. Si nulla, uel exigua adſit febris, dabitur decoctum apij, radic. feniculi. Hoc etiam in victu obſeruandum: vt, ſicut in omni vulnere, ad inflammationem arcendum, datur ptiſana hordeacea, ita hic in omni cibo, & potiſſimum in ptiſana, miſceatur lac ſeminum melonum, itemq; ſemina cucurbitæ. & reliqua frigida maiora. Cucurbitæ etiam fructus dabuntur in ferculis, ſi adſint. Potus, ſit aqua hordei, in qua radix fenic. aut petroſ. fuerit incocta. *Hiſtoria.* *Diuretica.*

1. Per vrinam vacuatio.

Secundò, materia in thorace contenta etiam per os excernitur, cap, 8. lib, 5. Meth. Vnde conuenit poſca diluta tepida, acetum enim mirificè ſangninem concretum diſcutit, & diſſoluit; at acrimoniam eius multa aqua Galenus obtundit. Ego manè ſoleo exhibere aliquod decoctum, ſiue ſyrupum, qui refrigeret, & potiſſimum vrinam adaugeat: ſequenti die exhibeo poſcam dilutam tepidam. Notandum autem, ſi ægri difficulter tuſſiant: ut lambenda dentur, quæ facilem reddunt tuſſim, ſyrupus de farfara, de glycyrrhiza, cum oxymelite, aut ſyrupo acetoſo.

2. Per os, vacuatio.

Tertiò, materia per vulneris foramen educitur. Quidam tamen volunt non eſſe aperta foramina relinquenda, ſed glutinanda; ne calor vitalis exſpiret, & aer frigidus, ac corrumpens ingrediatur. Mihi tamen probatur, vt apertum teneatur vulnus: nec enim tam facilè materia per urinam, & os vacuari poteſt, quemadmodum per foramen vulneris, è quo ſtatim, uia expeditiſſima, fit totius materiæ euacuatio: ſi enim per vrinas vacuatur, mate-

3. Per foramẽ vulneris vacuatio.

materiam primùm penetrat in ſubſtantiam pleuræ, deinde in azygon venam, poſt in emulgentes, renes, vreteres, veſicam: ſi per tuſſim materia primò fertur in pleuram, poſt pulmonum tranſit ſubſtantiam, tum in arteriam migrat aſperam, indeq; ad os aſcendens exſpuitur. Ad contrariam autem rationem reſpondendum; vlnus non diu apertum eſſe tenendum, & aerem calefaciendum, aut carbonibus, aut tegulis calidis, dum medicatio adminiſtratur.

Cur adeò ſit periculoſum, materiam in thoracem deſcendere.

Quæritur, autem, cur adeò periculoſum ſit, in vulneribus thoracis materiam in cauitatem deſcendere; cum in abdominis vulneribus materia deſcendens, nullum aut modicum faceſſat negotium? Cauſa ergo eſt, quoniam materia in thoracis cauitatem deſcendens, facilè inflammatur, perpetuò enim à thoracis motu mouentur, & conſiſtit propè partes calidiſſimas: præterea, quoniam partes in thorace contentæ maximum habent vſum, & indigent libero ſpatio, ut facilè inflari, & ſubſiſtere queant, ad cordis calorem refrigerandum, & cuſtodiendum: tertio, quia concluſæ ſunt omnes viæ, per quas materia à natura foras trahi facilè poſſet. Contra in abdominis vulneribus, materia deſcendit in cauitatem illam, quæ oſſe pubis, coxendicis, & oſſe ſacro concluditur, ubi adeſt inteſtinum rectum, ad quam cauitatem, tanquam ad ſentinam, natura ſolet etiam totius corporis excrementa detrudere, ut per inteſtinum, per anum, aut etiam per inguina quandoque vacuentur; & huiuſmodi materia inflammari non poteſt, quia locus non eſt calidus: partes denique circumſtantes non habent magnum vſum, ſed à natura excipiendis excrementis dicatæ ſunt. His ergo de cauſis in vulneribus thoracis foramen apertum eſt ſeruandum, in abdomine occludendum.

Quo foramen apertum ſit tenendum, & ſua pericula & tubuli.

Seruatur autem apertum, beneficio turundarum, in quantitate materiæ non multa: vt ſic non tam facilè, vel expirare calor, uel aer frigidus ingredi queat. At ſi multa materiæ copia intus continetur, periculum eſt, ne ſuo contactu partibus internis officiat; quando longum tempus, verbi gratia, una dies, inter vnam, & alteram medicationem, ſeu inſpectionem interponitur: propterea opus habemus aliquo inſtrumento, quod & apertum ſeruet foramen, & continuò etiam materiæ exitum præbeat; vt eſt cannula plumbea, vel argentea, cur confecta è linteo, cera alba oblinito, & in cannulæ formam redacto. Semper autem tum turundæ, tum cannulæ filum annecti debet ſatis longum: periculum enim eſt, ne turunda, ob perpetuum thoracis motum, & ob attractionem, quæ fit vacui vi in diaſtole, ingrediatur in thoracem, mortiſq; fiat cauſa: ut factum aliquando meminimus.

Quibus medicamentis turunda infici debet.

Turunda autem, ſeu cannula oblinenda eſt aliquo medicamento; in principio, quod pus moueat, & materiam ex alto trahat; in progreſſu, quod carnem generet, & ſimiliter materiam ex alto trahat. Accommodatiſſimum ergo erit hoc, quod. R. olei communis, ſæui atietini, an, vnc. j. ſem. picis nauallis vnc. ſem. picis Græcæ drag. iij. (ſi ſit æſtas: ſi hiems vnc. j.) maſtichis, thuris. galbani, Ammoniaci, opopanacis ſerapini, ceræ ana vnc. ſem. Teruntur terenda, liquantur liquanda ad ignem, & coctis adijciuntur terebinthinæ drag. vi. fiat vnguentum; quod partim pus mouet, partim carnem gignit. Si paretur forma cerati durioris, poteſt extra admoueri, ut attrahat materiam è profundo. Ad carnem gignendum, vtimur quoque vnguento de betonica, in turundis; extra autem apponimus emplaſtrum ſacrum, quod attrahit. Si in principio inflammationem formidamus; ſacri emplaſtri vice uti poterimus cerato è betonica.

Si materia difficulter exeat.

Si materia in thorace contenta eſt tenuis, facilè exit, præcipuè ſi æger tuſſiat, aut conſtringat thoracem. Si verò anguſtum ſit foramen, & materia craſſior, atque copioſior, difficulter exit: proinde thoracem eluimus, immittendo per vulneris foramen mulſam; (ceu clyſmum, cap. 8. lib. 5. Meth.) ægroq; præcipiendo, vt, ſi poteſt, de latere in latus reuoluatur, & vel tuſſi, uel aſtrictione thoracis, materiam expellere nitatur, reuoluendo ſe potiſſimùm in vulnus, ita ut materia poſſit ſuopte pondere ad foramen peruenire. Si materia ſit admodum craſſa, utimur iis, quæ habent maiorem uim detergendi, attenuandi, & incidendi; unde infundimus uinum album, cum melle; & interdum in vino decoquimus myrrham, thus, farinam lupinorum, hyſſopum, betonicam. Si admodum difficulter

mate-

materia extrahatur. Galenus vtitur instrumentis συρίγξιν, ad formam syringis, quæ extrahunt materias contentas ui vacui.

Vbi autem materiæ minui incipiunt, sensim turundam minuimus, & carnem gignere studemus, ut foramen claudamus: si enim uulnus fiat inueteratum, euadit fistulosum, & non amplius, aut difficulter glutinari potest. Hinc quidam in thorace uulnerati, quibus quotidie materia in cauitatem descendit, per totam vitam coacti sunt gestare cannulam argenteam in vulneris foramine. *Foramen quo do occludendum.*

CAPVT XXIII.

De Vulnere Pulmonis, & Diaphragmatis.

DIcemus pauca de curatione vulnerum penetrantium, cum læsione partium internarum. Si ergo uulneretur cor, aut pericardium, aut diaphragmatis pars neruosa: aut si pulmo magno uulnere sit confossus: lethalia sunt uulnera, de quibus nihil agemus. *Quarum partium thoracis uulnera lethalia.*

Si autem pulmonis uulnus paruum sit, & diaphragma in parte carnosa uulneretur, curari possunt hæc uulnera: de quibus in præsentia tractabimus. In pulmonis ergo uulnere, hi sunt curationis scopi: Quatenus pulmo uulneratus est, oportet & sanguinis profusionem sistere (cum pulmo uasis insignib. sit refertus) & inflammationem arcere, (cui pulmo maximè est obnoxius, ob calorem, & uitalis sanguinis abundantiam) & uulnus glutinari, quod tamen ob perpetuum motum, non nisi difficulter fieri potest. Quatenus uulnus penetrat, oportet uacuare cruore, in cauitatem descendentē. Totius etiā corporis maxima est cura habenda. *Indicationes in uulnere Pulmonis.*

Mittimus sanguinem, & uenæ sectionem sæpiùs iteramus. Prodest hæmorrhoidum prouocatio, ad arcendum inflammationem pulmonum, lib. 3. de humor. De reliquis generalibus præsidijs, in communi doctrina uulnerum. Ad Topica quod attinet, uno medicamento omnibus scopis satisfacere possumus, quod erit astringens & emplasticum: hoc enim sistet sanguinem, arcebit phlegmonem, & glutinabit. Sumimus igitur thus, mastichem, bolum Arm. sang. dracon. ana part. æq. ac puluerizata in uulnus immittimus, seu per cannulam pulueres insufflamus; aut infundimus cum uino nigro austero, aut cum decocto plantaginis, ros. rubi, prout indicatio se offert. Si enim præpollet indicatio refrenandi sanguinem: miscemus uino nigro austero prædictos pulueres, ita tamen, ut priùs in eo incoquamus cortices granatorum. Si magis potest indicatio arcendæ inflammationis: utendum potiùs est aqua, in qua plantago, rubus, equisetum, &c. fuerint decocta. Si nihil horum timetur, sed uulnus habet sorditiem; mulsum cum prædictis puluueribus infundere oportet. Ad glutinandum conferunt alchimilla, fragaria, caryophyllata, tormentilla, peruinca, pimpinella, pilosella, uirga aurea, radix symphyti maioris, radix rubiæ, sanicula, bistorta, auricula ursi, amaranthi purpurei flos, & pulmonaria. Orificium retineatur apertum, per turundam, aut cannulam: sicuti prius dictum est. Eædem sunt indicationes, eademq; medicamenta, si diaphragma in parte carnosa sit uulneratum. Et tantum de uulneribus thoracis. *Curatio.* *Topica.*

CAPVT XXIV.

De Abdominis uulneribus: & primùm de eorum differentijs, signis, & prognosticis.

CAPITIS, & thoracis uulnera hucusque prosecuti sumus. Imus restat uenter, quem Abdomen uocare consueuimus. Et, ne nominis ambiguitas errandi sit occasio, per abdomen intelligi uolumus totum illud spatium, quod à costis spuriis, lumbis, & ossibus ilium comprehenditur: constans cute, pinguedine, membrana carnosa, octo musculis: quibus partibus peritonæum subiacet, quod inclusa tenet nutritionis pe- *Abdominis descriptio.*

potissimum viscera, nimirum hepar, lienem, ventriculum, intestina, renes, vesicam, vasa seminaria, vreteres.

Differentia vulnerum Abdominis. Hin varia Abdominis existunt vulnera. Aut enim sunt non penetrantia, cum vulnerantur partes superpositæ, cutis, pinguedo, membrana carnosa, & subiecti musculi, intacto peritonæo; aut sunt penetrantia, vbi peritonæum quoque vulneratur: & hæc rursus sunt vel cum exitu alicuius partis, vel sine exitu; Item penetrant, aut cum læsione partium internarum, aut sine læsione. Vulnus penetrans cum exitu, duplex est: per vulnus enim exeunt aut intestina, aut omentum. Vulnus penetrans, cum læsione partium internarum tot habet differentias, quot partes sunt in abdomine contentæ: vnde alia vulnera sunt cum læsione iecoris, vel lienis, ventriculi, intestinorum, vesicæ, renum, &c.

Signa diagnostica. Penetrans vulnus à non penetrante dignoscitur ex immissione styli, seu candelæ. Si enim multa portio ingreditur, signum est, penetrare. Vbi tamen aduertendum, ne decipiamur: nam si foramine obliquo, retorto, aut à superiacentib. corporibus. occluso, expè minima portio ingreditur, licet vulnus penetret. Contra, sæpè multa styli portio obliquè inter musculos ingreditur, etiamsi vulnus non sit penetrans. Aliud signum est: si vinū intra orificium vulneris mittatur, in penetrante, ingreditur in cauitatem; in nō penetrante, retro egreditur per vulnus. Certius penetrantis vulneris signum est, si intestinum, aut omentum exeat. Quinimo si vulneris magnitudo conferatur cum instrumento vulnerante; conijci potest, num vulnus penetret. Si penetret vulnus, inquirendum, num pars etiam aliqua interna sit læsa: quod petendum è Celso, c. 26. lib. 5. in signis vlnerati iecoris, lienis, ventriculi, intestinorum, vesicæ. Maximi autē facienda sunt signa desumpta, tum à situ, tum ab exeuntibus: exitus enim sanguinis, & locus dexter significat iecoris: exitus sanguinis atrioris, & locus sinister, lienis indicat vulnus: locus dexter, & exitus bilis significat vesicam esse vulneratam.

Prognostica. Vulnus non penetrans periculo vacat, nisi admodum sit magnum; periculosius tamen est, quod in medio est abdominis, quam quod est in laterib. pars enim media magis est neruosa, & difficilius consuitur. Præterea etiam intestina facilè ad mediam partem faciunt impetum, & sic glutinationem impediunt. Vulnus penetrans, licet non lædantur partes internæ, periculosum tamen est, quia magnum, & altum. Cum autem læduntur partes internæ, vulnera maxima è parte sunt lethalia: seruari enim nequit, ait Celsus, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui iecoris portæ, cui spinæ medulla percussa est, cuiq; medius pulmo, aut ieiunum, aut tenuius intestinum, aut ventriculus, aut renes, aut vesica vulnerata sunt. Gal. vulnera ventriculi in fundo si magna non sint, bene curari posse ait; quia medicamenta facilè ad fundum descendunt, & permanent; contra accidit in ventriculi orificio. Ieiuni vulnus incurabile ait: Primò, propter multitudinem vasorum: Secundò, quia tunica eius est prætenuis, & neruosa. Tertiò, quia bilem sinceram recipit. Postremò, quia iecoris est omnium maximè vicinum. Et sic vulneratos obseruaui habere pulsus admodum exiles, & frequentissimos, moriq; primo, aut altero die: unde si tales videritis pulsus, semper dubitate de tenuibus intestinis vulneratis.

CAPVT XXV.

De Vulnere Abdominis penetrante, cum exitu intestini, aut omenti.

Indicationes. VVLNVS abdominis non penetrans curatur quemadmodum vulnus in carne. Penetrans autem, cum exitu intestini, aut omenti, quatuor indicat, cap. 4 lib. 6. Meth. Primùm, vt intestina suum in locum recondantur. Secundò, vt vulnus consuatur. Tertiò, vt medicamentum apponatur. Quartò, ut prospiciamus, ne qua præstantior pars simul afficiatur. Supposita ergo totius corporis procuratione, per venæ sectionem, medicamenta, diætam: ad propositos scopos deueniendum.

Intestinum prolapsum, vt reponendum. Quo ad primum scopum, si mediocre fuerit vulnus, & recens exciderit intestinum, manibus, & digitis impellendo, est recondendum. Si foramen sit angustum, & intestinum, ob longam

longam extrà ventrem moram, a frigidiore aeris contactu flatibus repleatur, & turgidum reddatur, vt non ampliùs intrò condi manibus queat: tunc vel vulnus ampliandum, vel flatus discutiendi. Priùs autem tentanda est flatuum discussio, per calefacientia, cum à frigore sint procreati. Foueantur igitur intestina spongia molli, ex aqua calente expressa; vel è vino nigro austero calido, quod meliùs, ob caliditatem natiuam, discutit flatus, & roborat intestina: quidam vinum alterant schoenantho, chamæmelo, spica, cypero: uel in horum defectu, calamintha, origano, pulegio, dictamno, quæ valenter flatus discutiunt; vt & semina annisi, feniculi, ammeos, cocta in vino nigro, vel albo; aut etiam ex aqua, in quibus expressa spongia aut lana intestinum diutiùs fouendum. Alij sumunt catulum, aut magnum pullum, quæ viua dissecant, & intestinis admouent, ut flatus discutiantur. Rhases subinde pulmones animalium calidos imponit. Flatibus dissipatis, intestina digitis intromittenda: Rhases ægrum manibus, pedibusq; apprehensum eleuat, & concutit, ut intestina ingrediantur. Si hic modus non procedat, tunc vulnus est ampliandum syringotomo, quod instrumentum vulgo Falcetta dicitur, & post intromittenda intestina.

Omenti prolapsio.

Si omentum extra labatur, & quidem, si diutius extiterit sub aere frigidiore, ita ut vel multum refrigeratum fuerit, uel etiam nigrum, aut uiride redditum; iuxta Aphor. 58. sect. 6. tunc ligabitur ea parte, quæ calidæ parti est proxima, portioq; corrupta amputabitur. Ligatur autem omentum, ne ipsius vasa aperta sanguinem intra abdominis cauitatem spargant. Quidam ligatum etiam ferro adurunt: quod tamen superfluum arbitror. Filum extra ventrem longum relinquetur, vt omentum per vulnus retrahi queat. Quod si non ita refrigeratum sit omentum: restituere possumus sine vinculo: restituta enim natura ipsa vnire solet.

2. Vt consuendum vulnus.

Alter scopus est, vulnus consuere, ne intestina rursus extra prorumpant. Collocetur igitur æger primùm in loco lucido, ut qui consuit, vulnus videat; & decumbat in partem vulneri oppositam, seu auersam, ut eò minùs impetum ad foramen faciant intestina. Minister manibus apprehendat vulneris labia, & medico tantam vulneris partem porrigat, quanta ad consuendum est necessaria. Postea vulnus consuatur. Species autem futurarum abdominis tres administrari possunt. In prima futura, consuitur peritonæum, cum abdomine, seu musculis, & vicissim musculi, cum peritonæo; acus enim filum trahens infigitur ab externis introrsum per cutim, & subiectos musculos, ad peritonæum vsque: postea, intacto peritonæo illius partis, per alterius partis peritonæum, atque etiam per musculos, ab internis extra acus est infigenda: hinc interiecto spatio digiti transuersi, per abdomen eiusdem partis, ab externis introrsum, intacto peritonæo, acus infigenda est; postea per peritonæum, & abdomen alterius labij, ab internis extra acus est transigenda, & ita deinceps pergendum, modò perforando, modò prætereundo peritonæum, donec vniuersa facta sit futura. Sic Galen. At Albucasis vult, vt in hac futura semper infigatur acus ex eodem latere: quod fieri non potest, nisi reuoluatur filum supra labia. Alij verò labijs quatuor perforatis, ligant, & efficiunt punctum, postea amputant, & sic efficiunt vinculum, quod fibula vocatur: tot autem uincula inijciunt, quot sunt necessaria. Omnes hi modi boni sunt. In altera futuræ specie, consuitur peritonæum cum peritonæo, & abdomen cum abdomine, id est, musculi cum musculis; traijcitur enim acus per abdomen ab externis introrsum, donec perueniatur ad peritonæum: deinde acu reuocata, per vtramque peritonæi partem ab externis introrsum acus est transigenda, tum ab internis extra per abdomen; & sic pergendum, donec vniuersum vulnus consutum fuerit. Tertia futura illa est, quæ communiter solet in vulneribus vsurpari, quam in carnis vulnere proposuimus, transigitur enim acus per quatuor labia simul, id est, per duo latera abdominis, & duo peritonæi, & tot efficiuntur futuræ, quot sunt necessariæ. Ex his tribus futuris, Galenus magis probat primum modum, quàm secundum, & secundum magis, quàm tertium; peritonæum enim, quia membranosum est, & tenue, difficulter cum peritonæo vnitur: vnde semper in parte læsa tumor apparet, qui fit ab intestinis extra peritonæum exeuntibus, & sub cute tumorem laxum, & magnum efficientibus, quem perpetuò deferunt patientes: vt etiam

Gastrorhaphia species, cap. 4. lib. 6. Meth.

Quinam optimus suendi modus.

Rhaſes annotauit 14. Continent. At peritonæum cum muſculis carnoſis facilius vnitur. Albucaſis, præter hos ſuendi modos, duos alios affert. cap. 87 lib. 2. In priore modo, acu perforantur quatuor vulneris labia, deinde reuoluto filo ſuper labia, rurſus per idem foramen acus tranſigitur, & poſt ambo fili capita conſtringuntur, fitque punctum: & ſic deinceps tot fiunt puncta, quot ſunt neceſſaria. In poſteriore modo, acu perforatis quatuor labijs vulneris, rurſus iuſto interpoſito ſpatio, altero etiam latere iterum perforantur quatuor labia vulneris, & ex ambabus extremitatibus fit punctum ad latera.

Dua alia ſutura Albucaſis.

Quoniam autem futuræ intra paucos dies laxantur, erodentes ipſa labia, & quidem maximè in abdomine, propter inteſtinorum impetum continuum: ad hoc prohibendum, præter futuras iam factas, ego appono glutinum, cum ſuis anſulis.

Vt roborandæ futuræ.

3. *Medicamenta glutinantia.*

Tertius ſcopus eſt, medicamentum apponere. Debent autem medicamenta eſſe glutinatoria: vnde inſpergendi pulueres aſtringentes, è ſanguine Draconis, bolo Armen. maſtiche, myrtillis, paribus portionibus. Poſtea ceratum aliquod glutinatorium ſuperponendum: vt in hieme, emplaſtrum Barbarum; alijs verò temporibus, Diapalma. Si vulnus ſit in loco, vbi medicamenta non adhærent; vſurpamus aſtringentia, vt folia ſalicis, rubi germina, plantaginem, gallas immat. linteum vſtum, xylum vſtum. Impoſitis medicamentis, Galenus deligat vulnus, faſcia è duplici initio circumducta, vt ſic conſeruatis futuris, impulſioni inteſtinorum reſiſtatur. Hæc deligatura (ut ego arbitror) conuenit quidem in vulneribus per longitudinem factis: at in vulneribus tranſuerſis, vel nullus, uel admodum exiguus faſciæ eſt vſus. Propterea nos ad futuras conſeruandum, generale. & ſtrenuum præſidium propoſuimus, nimirum glutinum.

4. *Partibus, vt proſpiciendū principibus.*

Quartum ſcopum Galenus proponit, vt in vulneribus penetrantibus proſpiciatur, ne qua pars nobilis ſimul afficiatur. Hic autem videtur Galenus maximè reſpicere ad cerebrum (quemadmodum etiam facit in vulneribus neruorum) quia plurimæ abdominis partes neruoſæ ſunt; vt ſecundùm abdominis partes anteriores muſculi, peritonæum, ventriculus, inteſtina, veſica, tunicæ viſcerum. Et hac de cauſa Galen. proponit inunctionem, aut fomentum è calido oleo, ab axillis vſque ad inguina, cap. 4. lib. 6. Meth. Credendum tamen eſt, dum Galenus vngit ab axillis ad inguina, id eſt, & totum thoracem, & totum abdomen: eum reſpexiſſe partes & thoracis, & abdominis omnes.

Materia in abdominis cauernę deſcendens.

Porrò cruor, & ſanies è labijs vulneris neceſſariò in cauitatem abdominis deſcendit, poteſtq; offendere inteſtina, & omnia alia membra: vnde interdum tumorem creat, interdum ad hydropem ægrum deducit. Cognoſcitur autem materiæ deſcenſus, è grauitate, dolore, tenſione, & tumore abdominis, item è motu materiæ de loco ad locum, qui ſentitur per impulſionem, ſeu compreſſionem. Videtur Galen. ad hanc materiam etiam reſpexiſſe, in illa inunctione ad inguina: nec enim Gal. alibi, uel quiſquam alius, huius ſaniei deſcendentis mentionem facit. Non poteſt autem vacuari ſenſibiliter, cum vulnus abdominis non ſit apertum detinendum, ſed vacuanda eſt hæc materia inſenſibiliter, per ea, quæ diſſipant, euocant, & imas abdominis partes rareſaciunt. Hinc Galenus inguina fouet lanis, & oleo calente. At ſi muſculi carnoſi vulnerati ſint, magis timetur fluxus cruoris, & propterea non ſufficit oleum commune, ſed opus eſt magis attenuantibus, ut oleo rutaceo, anethino, amygdal. coſtino, de caſtor. liliorum albor. Emplaſtrum molliens, diſcutiens, & rarefaciens inguinibus apponetur: vt, quod ſit è rad. althææ, lil. albor. cucumeris aſinini, cum pul. calaminthæ, aut hyſſopi, & cum oleo amygdal. dulcium, aut anethi, aut etiam pinguedinibus. Conuenit quoque ceratum ſanctum, oleo amygd. dulc. remollitum: item diachylum cum gummis, emollitum oleo de ſcorpionibus; & ſi reſina pini adijciatur, maximoperè valet ad materias ex alto attrahendum.

CAPVT XXVI.

De Intestinorum Vulneribus.

COGNOSCIMVS vulnerata esse intestina crassa, si vel stercus, vel odor eius exhibeatur: tenuia, si vel chylus exit, vel bilis vulnerato ieiuno, aut duodeno. Periculosissima sunt hæc vulnera, & tenuium ferè semper lethalia. *Signa.*

In his autem vulneribus quinque proponuntur scopi: Primò, labia vulneris adducenda; Secundò, medicamentum imponendum; Tertiò, intestinum in suum locum recondendum; Quartò, prohibendum, ne fæces pertranseuntes vulneri noceant; Quintò, vulnus abdominis penetrans curandum. *Indicationes.*

Quo ad primum scopum. Nisi intestinum vulneratum extra abdomen sit prolapsum, oportet id placidè foras trahere; deinde labia adducere, & adducta conseruare: Faciebat hoc Albucasis duobus instrumentis, cap. 87. lib. 2. Primum formicis illis, quæ magna habent capita: sumitur enim formica, quæ os apertum habet, & vtrique labio intestini applicato, admouetur, vt id apprehendat; quo facto formicæ corpus abscinditur, & caput inibi relinquitur: sumuntur autem tot formicæ, quot necessariæ sunt pro labijs coniungendis. Sed hunc modum Chirurgi improbant, quia caput formicæ demortuæ relaxatur, & è confrictione intestinorum facilè decidit. Præterea, in hieme formicæ hæ non reperiuntur, & in æstate non semper quærendi tempus suppetit. Alter modus est, quo labia intestini filo vniuntur, secundùm modum futuræ tertiæ abdominis; acus enim pertransit labium utrumque, & filum supra labia reuoluitur, eo modo, quo suuntur pelles. In consuendo autem intestino, quidam utuntur fibra ex intestino alicuius animalis extracta, vel sola, vel obuoluta cum filo è lino, idque faciunt (vt arbitror) ne fili durities labium vulneris offendat; at hoc mihi non probatur: quia necessariò fibra illa putrescit. Ego igitur filum eligo, potius è lino, quàm sericum, (quod ob tenuitatem, vel tincturam magis erodit) quod sit molliſſimum, & cera oblinitum. 1. *Vulneris labia & adducenda.*

Sunt nonnulli inepti, qui, antequam consuatur intestinum, cannulam immittunt, vel è sambuco, vel portione asperæ arteriæ alicuius animalis, vel ex alio intestini frustulo, ne futuræ ciborum transitu dilacerentur. His putrefactis, æger interficitur, ideòq. pessimum hoc consilium fugiendum.

Alter scopus est, vt imponantur medicamenta. Vulnus ergò abluendum est vino nigro austero, calido, & linteo molli, calidoq. siccandum: post medicamentum glutinatorium imponendum, vt puluis mastiches, boli Arm. sang. drac. barbula hirci, cortex granatorum. *Glutinantia.*

Tertiò recondenda sunt intestina; & futura in abdomine facienda, vt supra docuimus. Nonnulli vulnus abdominis apertum tenent: vt medicamentum quotidie supra vulnus intestini spargere queant. At magis probo, vt consuatur vulnus; sicuti etiam Galen. facit; ratio est: Si enim vulnus sit apertum, aer exterior frigidus torsiones, doloresq. excitat, tum è se, propter frigus, tum ob flatus, qui ratione frigoris generari possunt: unde periculum est, ne à flatibus futuræ intestini disrumpantur. Præterea, medicamenta non possunt inspergi supra vulnus: quia intestina in abdomine multis de causis loco mouentur, vt à flatibus, à chylo, &c. Conclusus autem calor natiuus, neque expirans, citiùs intestina sanat, si modò æger sanari potest. 3. *Reponenda intestina & sint*

Quartò prohibendum est, ne fæces per intestina transeuntes loco vulnerato noceant, dum vel detentæ, vel induratæ futuram comprimunt. Occurrendum autem est, tum victus ratione actu humida, tum maximè immissis clysteribus, qui fæces emolliant & educant, præterea vulneris glutinationem adiuuent, id est, qui habeant vim abluendi, astringendi, & glutinandi. Auicennas immittit per clysterem vinum austerum, vel solum, vel cum puluere 4. *Intra corpus quæ exhibenda.*

re ſang. dracon. gummi Arab. tragacanth. maſtiches: pro glutinando, & roborando Fæces molliuntur iure confecto è pedib. vitulorum, & caſtratorum, cum puluerib. propoſitis. Glutinatio etiam iuuari poteſt iis, quæ per os ſumuntur, ut eſt decoctum caudæ equinæ, piloſellæ: ſaccharum roſ. cum bolo Arm. Conſerua cydoniorum, aut ſimplex, aut cum puluere roſ. aut cortic. granatorum, &c.

CAPVT XXVII.

De Ventriculis Vulnere.

Differentiæ.

VLNVS hoc conſiſtit, vel in fundo ventriculi, uel circa os; & uel penetrat in cauitatem (cuius ſigna ſunt, exitus chyli per foramen, vomitus ſanguinis, & cibi inappetentia, dolor, & interdum ſpaſmus) vel non penetrat. Circa os inflictum, lethale eſt, ſicut & penetrans. Non tamen deſerendus æger, quia multa præter medici opinionem euenium.

Interna medi camenta.

Bibat æger vinum de cydonijs, aquam plantaginis, vinum granatorum, decoctum caudæ equinæ, & piloſellæ. Dentur thus, & maſtiche, cum ſaccharo roſ. aut conſerua cydoniorum. Parciſſimè comedat, ne vomendo impediatur glutinatio: vacuo etiam exiſtente ventriculo, & corrugato, faciliùs vniri vulnus poteſt. Leuiſſimus etiam erit cibus, aut aqua carnis, confecta cum cauda equina, & piloſella. In hoc caſu, præcipuè cum vomunt, probantur clyſmi nutrientes, è contuſo carnis, ex ouis ruptis, & cum iure pingui conquaſſatis.

Externa.

Extra, roborandus eſt ventriculus, oleo de abſinthio, de cydon. myrtino, roſaceo, Turunda immittenda eſt in foramen vulneris externi, non ventriculi; ita tamen, ut peruenire poſſit ad vulnus ventriculi; eſtq; inficienda turunda oleo hyperyci, & terebinthi, & oui vitello: lenit enim dolorem, emplaſticum eſt, & pus mouet.

CAPVT XXVIII.

De hepatis, lienis, & renum vulneribus.

Quid medicus in his præſtare queat.

ÆC omnia lethalia ſunt: æger tamen non deſerendus. Factis ergo ijs, quæ ad totius corporis procurationem pertinent, vulnus abdominis conſuendum: glutinatio naturæ committenda, ita tamen, vt æger ſumat decoctum thuris, & maſtiches, cum vino aut etiam cum aqua. Sanguis, qui in cauitatem abdominis erumpit, à natura diſſoluitur ipſa, ſi ſanari debet æger: aut abſceſſus quidam ob ſympathiam ad inguina excitatur, quo in pus verſo, ſanguis vacuatur: ita vt nullam huius ſanguinis rationem eſſe habendam Albucaſis exiſtimet. Hæc igitur de Vulneribus dicta ſufficiant.

Libri Secundi de vulneribus finis.

CHIRVRGIÆ VNIVERSALIS HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE

LIBER TERTIVS.

De Vlceribus, & Fiſtulis.

CAPVT I.

De nomine, definitione, differentijs, cauſis, & prognoſticis Vlcerum, in genere.

VLCVS, τὸ ἕλκος, multa ſignificat. Primò, omnem membrorum noxa m, text. 17. lib. 2. de art. cap. 6. lib. de inæq; intemper. nam omnis morbus vlcus dici poteſt, quia immodicus calor, & frigus proximè accedunt ad id, ut vnitatem ſoluant: calor quidem ſegregat, ac incidit ſubſtantiæ continuitatem; ſummum verò frigus, conſtipando, tum introrſum intrudendo, quædam exprimit, quædam quaſſat. Sumitur deinde vlcus pro continui ſolutione, quæ in carne facta eſt, cap. vlt. lib. de cauſ. morbor. Denique ſumitur pro vnitatis ſolutione ſiue hæc fiat in carne, ſiue in neruo, ſiue in oſſe, ſiue in capite, in pulmonibus, inteſtinis, &c. De Vlceribus ergo nos agemus in hac tertia ſignificatione: & quidem de ijs tantùm, quæ chirurgi manus poſſunt attingere, ut ſunt vlcera externa: nam de internis, ut ſunt vlcera pulmonum, & ſimilia nihil dicemus. *Nomen.*

Ad definitionem vlceris inueſtigandum, videre oportet, quomodo vulnus, & vlcus differant: nam Hippocrates lib. 1. de Vlceribus & Galenus lib. 3. Meth. hæc nonnun- quam confundere uidentur. Galenus penes cauſam efficientem diſtinguit: nam cap. ult. lib. de cauſ. morb. cauſas duas affert, quæ unitatem ſoluunt, alias, quæ extrinſecus aduenium, ut omnia, quæ uulnerare, & contundere poſſunt, alias, quæ ex ipſo corpore ortum ducunt, ut humorum uitia, quæ corrodendi uim habent; è qua diſtinctione cap. 6. lib. de Conſtit. art. colligit uulnus fieri à cauſa externa, ulcus ab interna, id eſt, ab humore in corpore. Auicennas, c. 4. Doctrina 1. Fen 4. Can. 1. vulnus uocat ſolutionem continui, in *Vulnus, & vlcus vt differant.*

qua

qua nondum factum est pus? Vlcus autem, in qua fit pus: ideoq; ait vlcera sæpe è vulneribus generari. At Galeni distinctio potior est: nam multa etiam vlcera sicca sunt, vt in morituris.

Vlcus quid. Proinde vlcus est solutio continuitatis, ab interna causa, ex erosione proueniens. Adiecimus, ex erosione, vt cum Galeno cap. 4 lib. 3. Meth. & cap. 1. lib. 4. Meth. indicaremus, omne id, quod ex erosione prouenit, id est, omne Vlcus, compositum esse affectum, è solutione continui, & diminuta quantitate.

Differentiæ. Vlceris differentiæ sumuntur; Primùm, à loco affecto, siue partibus vlceratis; Secundò, à natura affectus, siue vlceris, in se considerata; Tertiò, ab ijs, quæ præter naturam vlceri adiunguntur; Quartò, à quopiam extraposito. A loco affecto: vlcera alia sunt in carne, alia in vena, in osse, in capite, &c. A natura, & essentia vlceris, cap. vlt. lib. 3. Meth. nimirum à figura, magnitudine, inæqualitate, æqualitate: à figura, alia recta, obliqua, rotunda, pampinorum more retorta, alia hami similitudine vnca: à magnitudine, alia magna, alia parua, superficiali, profunda, longa, breui, lata, angusta: ab æqualitate, & inæqualitate, alia æqualia, & vniformia, alia inæqualia. A rebus præter naturam vlceri adiectis; alia habent iunctum morbum, vt dyscrasiam, putredinem, inflammationem, gangrænam, tumorem; alia morbi causam, vt vlcera cacochyma, corrosa, vexata fluxione; alia habent iuncta symptomata, vt vlcera dolorosa, sordida, dura, crustosa. A rebus extraneis, vt à tempore, alia recentia, alia vetusta. Ab ijs, qui primò curarunt, vt Cheironia, cap. 2. lib. 3. Meth. ab ijs, qui primò ijs correpti sunt, vt Telephia: à simili, vt cancrosa.

Quænam differentiæ chirurgo sint vtiles. Differentiæ à loco affecto, maximè ad curationem, sunt vtiles, cap. 10. lib. 3. Meth. sic enim vlcus in vena, aut arteria, valentioribus eget exsiccantibus, quàm in carne, & vlcera in cute capitis, valentioribus egent siccantibus, quàm in cute reliqua: interna vlcera alium curandi modum postulant, quàm externa; nam æs vstum, pompholyx, lithargyrus, &c. externis vlceribus vtiliter imponuntur; in internis locum non habent, quia nocent, cap. 7. lib. 4. Meth. Secundus fons differentiarum etiam vtilis est; id enim, quod curam desiderat, nihil est aliud, quàm affectus essentia, cap. 9. lib. 1. Meth. Sic magna vlcera vehementioribus egent siccantibus; rotunda difficiliùs curantur, quia non habent angulos, quibus committi possint; æquale vlcus vniformi eget medicamento, inæquale difformi. Tertij fontis differentiæ, non sunt veræ vlceris differentiæ: quæ enim consistere per se possunt, non sunt alterius rei differentiæ: nam differentia est rei forma, quæ à re separari nunquam potest, nisi per interitum, cap. vlt. lib. 3. Meth. Hinc Galenus Com. Aphor. 45. Sect. 6. ait: si vlcus dicitur putridum, non constituitur aliqua vlceris differentia, sed affectus implicitus ex vlcere, & putredine. Verumtamen recentiores has differentias vlceris, ceu proprias retinent; cum enim tractauerunt de simplicibus vlceribus, accedunt ad alia, cum intemperie, fluxione, dolore. Hinc Galenus cum lib. 3. Meth. tractasset de vlcere plano, & cauo; in lib. 4. deinde agit, de vlcere cum intemperie, gangræna, & de alijs, quæ præter naturam vlceri iunguntur: immò ferè semper omnem curationem hæc ad se trahunt; nec enim vlcus intemperie affectum, fluxione vexatum, dolorosum, curari potest, nisi priùs curetur intemperies, fluxio, dolor. Quarti fontis differentiæ non sunt vtiles: nam vlcus diuturnum non postulat aliam curationem, quàm recens, quatenus eandem habet proportionem: at verò, si aderit intemperies, putredo, tumor, non diuturnitas curabitur, sed putredo; intemperies, sordes, quæ vlceri uetusto plerumque coniunguntur. Sic in vlcere Cheironio, nil curationi conducit, si sciamus à Cheirone medico fuisse curatum: unde hanc nimis curiosam esse appellationem Galenus ait in Comment. Aphorismi 41. sectionis 6. &c. 33. libri de tumoribus præter naturam. Hæc de differentijs.

Causæ. Causæ vlcerum, sunt internæ, cap. vlt. lib. de caus. morb. nimirum humores, qui in toto fluunt, & vim corrodendi habent. Porrò hi humores uariant, calore, crassitie, tenuitate. &c. Si enim fuerint tenues, efficiunt vlcus purulentum: si crassi, sordidum, si ualde calidi, serpens, quod nostri corrosiuum, & ambulans: si calidi admodum, tenues, & flauæ bilis æmuli, fiunt vlcera, quæ tantùm cutim corrodunt, propter humoris tenuitatem, ac vocantur

cutis herpetes exedentes; si calidi, crassi,& vicini bili superassatæ,siue salsæ,non solum cutem, sed substantiam etiam carnosam (propter humoris crassitiem) corrodunt ,unde phagedænæ, vlcera phagedænica, & cancrosa dicuntur; si humores hi fuerint tantum calidi, vlcera fiunt crustosa, sicut carbunculi; si humores corrodentes sint admodum salsi, fiunt vlcera pruriginosa; si adeo fuerint uitiosi, ut è toto aduersentur calori natiuo, fiunt vlcera putrescentia gangrænosa, quæ Galenus lib. sexto κ. γ. νεμώδη appellat. Causæ ergo vlcerum sunt humores acres & erodentes: qui, ubi consistunt in parte affecta, sunt proxima, & continens causa vlceris: vbi autem in toto redundant, sunt causæ non ita proximæ, quæ antecedentes dicuntur. Causæ porrò superiores horum humorum,consistunt uel in corpore, uel exteriùs aduenium, Causæ internæ, plerumque sunt vitia iecoris, aut lienis, vt intemperies, obstructio, tumor, cap. 2.lib.6. κ.γ. Externæ, sunt vitiosi cibi,allia, cepæ, aromata,vinum potens, aer prauis qualitatibus affectus, motus nimius,vigiliæ immodicæ &c. *Causa humorum erodentium.*

Vlcera in genere manifesta sunt, nec signis egent: particularia sequentur in speciali doctrina. Quamobrem de prognosticis vlcerum. Omnia igitur vlcera periculosa fiunt propter tres causas, cap.6.lib.4. Meth. Primùm propter loci affecti, id est partis vlceratæ præstantiam: hinc externa vlcera, de quibus nos agimus, periculosa hac ratione non sunt, quia cutis non est pars principalis. Secundò, propter vlceris magnitudinem:nam in magno vlcere pars valde debilitatur: partesq. subiectæ præstantes, vt tendines, uenæ, arteriæ, nerui,&c. propter profunditatem corroduntur; propter latitudinem etiam vlceris, multæ partes internæ deteguntur, & debilitantur ab aere externo. Tertiò, vlcus redditur periculosum, propter malignam qualitatem,ita vt omnibus decenter factis,vix tamen, aut omnino non sanari queat, cap.5.lib.4.Method huiusmodi sunt vlcera, quibus iungitur aliquid eorum, quæ præter naturam sunt, ut vlcus cum intemperie,putridum, sordidum, dolorosum, fluxione vexatum,cacochymum, gangræna, aut inflammatione affectum. Hinc Aphor. 4. Sect. 6. vlcera circumglabra maligna dicuntur: quia vbi pili decidunt è parte vlcerata, aut carunculæ, aut squamulæ demittuntur: signum est admodum vitiosos ac errodentes humores in parte abundare. Sic Aphoris. 45. Sect.6. vlcera annua, aut diuturniora, in quibus os abscedere, aut cauas fieri cicatrices necesse est, omnia sunt maligna, propter vitiosi humoris præsentiam. Periculosa etiam sunt vlcera, quæ aliis succedunt morbis, secundùm Rhasin, 14. Continent, natura enim exonerat materiam corruptam per partem exulceratam. Pariter maligna sunt vlcera, quæ consistunt in extremitatibus dorsi, brachiorum, tibiarum: secundùm Galenum, & Auicennam. Sic vlcera procreata ab atra bile, Galeno sunt incurabilia, cap. 5. lib. de atra bile. Summatim, ubi perpenso corporis habitu, videtur adesse calida Iecoris intemperies,aut Lienis vitium, sine dubio maligna sunt vlcera, & difficilis curationis. *Prognostica.*

CAPVT II.

De curatione vlcerum generali.

VNIVERSALIS vlcerum curatio, hoc axiomate comprehenditur: omne vlcus perpetua exsiccatione indigere, secundùm Hippocratem in principio lib. de Vlceribus,& Galenum,cap.3.lib.3. Method. Quod præceptum ad vlcera, & vulnera communiter pertinet. Potest enim vlcus tripliciter considerari: & semper tamen siccantibus eget. Vel enim est simplex incisio, siue vnitatis solutio, quæ glutinatione curatur. Vel non est incisio simplex, sed cum amissione substantiæ, nimirum, aut cutis, quæ curatur cicatrice, seu operculo; aut carnis simul, quæ curatur carnis generatione. In simplici vlcere, glutinantia adhiben- *Vlcus indicat siccantia.*

hibentur, quæ ficca sunt. In amissione carnis requiritur generatio carnis, quæ est opus naturæ: quia autem in generatione carnis, resultant duo excrementa, tenue, & crassum, ideò natura eget medici auxilio, nimirum siccatione, & detersione huiusmodi excrementorum. In amissione cutis, quia hæc, ceu pars spermatica regenerari nequit; ideo caro vlceris, eatenus siccanda, & densanda est, vt cutis suppleat officium.

Scopi quatuor in vlcerum curatione.

Practici in vlcerum curatione quatuor scopos obseruant. Primò imponunt pus mouentia, seu suppurantia, ab ipsis digestiua dicta, Secundò, detergentia ab ipsis mundificatiua; Tertiò, implentia; Quartò, cicatricem inducentia. Sic enim procedit Rhases, cap. 3. libro 14. Continent, sic Auicennas, sic Celsus, cap. 26. libro 5. sic Galenus cap. 9. lib. 13. Method. cap. 12. libro 1. per gen. Com. 7. lib. 3. de fract. Com. Aphor. 22 Sect. 5.

Cur suppurãtia primum habeant locũ.

Ratio autem, cur primùm vsurpentur suppurantia, est hæc: quòd nimirum materia quæ extra propria vasa fluxit in porositates, cogitur putrescere; nos igitur ipsam concoquere debemus, ut pus bonum generetur, Alia est ratio, quòd caro in vlcere per sarcotica, & siccantia generari nequit, nisi crasis generans carnem sit sana, id est, nisi materia concoquatur, & purgetur: sic enim vlcus redditur idoneum ad carnis generationem. Vltima ratio est: quòd omnes morbi per sua tempora curantur: ideoq; pro temporum diuersitate, remedia diuersa poscunt. Tempora uerò vlcerum sic se habent; Primùm sanies tenuis, & aquosa ex vlceribus defluit; Deinde in augmento parcior, & crassior; Postea in statu, non ampliùs sanies, sed pus tenue; Postremò in declinatione pus exit calore magis album consistentia crassius, & minùs copiosum, cap. 3. lib. de totius morbi temporibus. Proinde, in principio sanies tenuis crassior est reddenda, vt tandem concoctionis beneficio in pus vertatur, hoc deinde in album, crassum, & minùs copiosum pus.

Dubium soluitur.

In vlceribus putridis, & fluxione vexatis non competunt pus mouentia.

Galenus quidem lib. 3. Meth. curans vlcus planum & cauum, nullam facit concoquentium mentionem: quia modum saltem docet vlcus carne implendi, & supponit vlcus idoneum factum iam esse, ut repleri carne queat. Præterea, Com. Aphor. 22. Sect. 5. ait in vlceribus putridis, & fluxione vexatis non competere suppurantia: putridis enim addenda non sunt, quæ putredinem augere possunt: & fluxio à toto corpore habet originem: sanè pus mouentia non conueniunt, quia sunt laxantia, & partem valde dispositam efficiunt ad receptionem materiæ fluentis, vnde postmodum phlegmone corriperetur. Quod si autem fluxionis causa sit in partæ recipiente, seu affecta, vt dolor vel inflammatio, tum suppurantia, quæ imponuntur, erunt blanda, quæ dolorem leniendo, ac inflammationem moderando, fluxionis causas intercipiant.

Quando repellentia in vlcere queant vsurpari.

Interim huic præcepto, (in vlcerum initio, vsurpanda, quæ pus mouent) non aduersatur Galenus: licet cap. 12. lib. 1. per gen. astringentia, & repelentia probet in vlceris principio, quæ suppurantibus contraria videntur. Nam hoc fit diuerso respectu: quia suppurantia diriguntur ad euacuationem materiæ influxæ: quæ cum acris, & calida sit, partem inflammaret, nisi suppurata expurgaretur: facta enim suppuratione, cessant inflammationes: at repellentia respiciunt fluxum materiæ influentis, cap. 2. lib. 13. Meth. Possumus autem vtriusq. vti præsidiis: quia enim materia parti infixa propelli nequit, ideò suppurantia in parte vlcerata ponenda: & quoniam materia in partem influens necessariò defluit è partibus ipsum vlcus circumstantibus; proinde repellentia, quæ fluxionem arcent, non imponenda sunt ipsi vlceri, sed partibus circumstantibus: Aphoris. 23. sect. 5. Hinc ergo patet, pus mouentia conducere in principio omnium vlcerum, nisi putrida: in ijs autem quæ fluxione tentantur, eo modo imponenda, quem iam tradidimus, circumponendo scilicet repellentia: sic enim: Primò repellemus materiam influentem: Deinde efficiemus. vt medicamentum suppurans, quod calidum est, nihil possit à partibus circumiacentibus attrahere: Tertiò facultate astrictoria, partem vlceratam corroborabimus. Quartò, partem per se sanabimus, quia astringentia ficca sunt, & quia etiam materiam aliò propellendo, per accidens exsicant. cap. 6. lib. 1. per gen. Vltimò, vis suppurantis intendetur,

tur, per antiperistasin frigoris medicamenti astringentis; sic enim fiet, ut calor partis vlceratæ, fugiens frigidum, quod circumcirca est, in vlcere vniatur, & validùs concoquat.

Neq; à suppurantium vsu deterrere nos debet, quod Galenus Com. Aphor. 22. sect. 5. ait, vlcera maligna, quæ corrosas habent partes circumstantes, esse insuppurabilia: non enim suppurationem hic negat Galenus, sed summè difficilem eam esse innuit: vnde in malignis vlceribus suppurante medicamento, nimirum thure, vtitur Galenus cap. 18. lib. 1. per gen. *Suppurantia etiam in vlceribus dyscrasis adhiberi debent.*

Porrò quæritur etiam de crasi pus mouentium. Quoniam igitur suppurantia debent roborare calorem natiuum, ut postea facilè concoquat, & pus moueat, cap. 6. lib. 5, Simp. patet sanè pus mouentia in temperamento conuenire debere cum partibus, quibus applicantur (quia calor natiuus in quantitate augendus, ut si calido ut 1, addamus similiter calidum vt 1. non autem augendus in qualitate, quia sic verteretur in febrilem, ut si calidum ut 2. adderemus calido vt 1.) Hinc si pars fuerit temperata, temperatum quoq; erit pus mouens; si calidior, paulò calidius & illud. Quoniam verò natura humana est calida, ac humida; Galenus voluit pus mouentia in genere esse calida, & humida. *Temperamentum eorũ quæ pus mouent.*

Dubitatur autem, cur chirurgi imponant siccantia, vt sunt thus, resina terebinthina, & abiegna, oleum mastichinum, succus apij, &c. Responsio. In vlcere duas habemus indicationes; Primùm enim materia incocta, est in pus vertenda; Secundò, detergendum, & expurgandum est id, quod in pus est uersum. Quod si ergo separatim bis scopis satisfacere uoluerimus, pus mouentia semper eius erunt crassos, cuius est pars cui applicantur: qua ratione Hippocrates cap. 2. lib. de Vlceribus præcipiebat vlceribus apponendum esse cataplasma calidum, & humidum. Galen. cap. 5. lib. 3. Method. iubebat in naturis temperatis thus addere: sicut enim hoc in naturis humidioribus siccum est, & carnem generat, ita in temperatis, & ad siccum uergentibus thus non siccat, sed humidum est, & pus mouet. Si autem duobus his scopis simul cupimus satisfacere, misceuda sunt suppurantia, cum siccantibus, & detergentibus; vnde suppurantia enadunt calida, & sicca. In hac tamen mistione obseruandum, non indifferenter hæc misceuda esse, sed temporis adhibendam distinctionem, ita vt in principio suppurantia, in fine detergentia præpolleant. Ita resina abiegna, & terebinthina, quatenus sunt calidæ, & humidæ, pus mouent; quatenus siccant, & detergunt reliquo scopo satisfaciunt. Ita succus apij, & oleum mastich. calore, & ui emplastica, pus mouent: siccando vero detergunt. Hic autem postremus modus, qui ambos scopos simul respicit, priore potior est; natura enim numquam, ac ne in principio quidem otiatur à carnis generatione, & prærea semper segregat illa duo excrementa humida, & crassa; vnde fit, vt vlcera perpetuò generatione indigeant: & proinde eo tempore, quo puri mouendo studemus, vlcus similiter exsiccabimus: vnde Galenus thus addit, cap. 18. lib. 1. per gen. *Cur Chirurgi suppurantib. vtantur, qua simul siccant & detergunt.*

In talibus suppurantibus insistendum, donec pus bonum appareat; quod est album, quia fit à crasi arteriarum, venarum, neruorum, membranarum, quorum alba est substantia: æquale etiam est, non grumosum, quia calor naturalis per omnes eius partes permeauit, & æquale illud effecit: qua de causa etiam læue existit tangenti: postremo minimè est fœtidum pus bonum, cum omnes prauæ qualitates materiæ iam sint a calore naturali ablatæ. His ita peractis, vlcus mundificandum, & pus expurgandum; tum carne implendum, Postremò, tegendum operculo, id est, cicatrix inducenda. Quæ omnia cap. sequenti docebimus. Et hactenus in parte affecta immorati sumus. *Quamdiu suppurantib. vtendum, & quomodo reliquis rebus satisfaciendum scopis.*

Verùm, cum vlcus, manente causa, perfectè curari nequeat, cap. 4. lib. 4. Meth. ideò etiam causæ vlcerum sunt auferendæ. Vlcus igitur omne fit ex influxu humorum acrium, & corrodentium, ad partem aliquam. Influxus excitatur à redundantia humorum vitiosorum in toto corpore: atque hæc redundantia interdum fit uitio iecoris, aut lienis, perpetuò autem à causis externis, id est à rebus non naturalibus. Fluxio igitur trib. auertur instrumentis; reuulsorijs, repellentibus, & intercipientib. Primùm enim humorem reuellere possumus ad loca cõtraria, c. 6. lib 4. Meth. c. 2. lib. 2. ad Glauc. Deinde eundẽ retrò pellere possu- *Causa vlcerũ primouenda.*

mus, cap. 16. lib. 13. Meth. cap. 6. lib. 1. n. 7. cap. 4. lib. eiusd. cap. 17. lib. 5. Simpl. Tertiò, humorem fluentem, in itinere quasi detinere, & intercipere possumus: vt si vlcus sit in suma manu, & humor illuc fluat, nos eum in carpo, aut cubito detinebimus, cap. 1. lib. 1. Meth. Aph. 23. sect. 5. hoc præstatur per medicamenta, quæ communiter defensiua vocantur, & sunt frigida, quoniam cogunt humores, ne vlterius influant: fiunt è bolo Arm. sanguine draconis, myrtillis, balaustijs, in pollinem redactis, deinde cera, seu oui albumine, & aceto subactis, seu mistis; quæ omnia sunt astringentia, & proinde frigida, ac siccantia: imponuntur autem ante aduentum humoris ad locum vlceris. Repellentia etiam sunt frigida, & possunt, uel humida esse, uel sicca, quamuis in vlceribus siccantia conueniant, cap. 12. lib. 1. n. 7. Reuulsionem molimur attrahentibus, ut sunt Calor, Dolore, Vis vacui. Calore attrahunt, balneum, inunctiones calidæ, & digerentes. Dolore vinculum dolorosum, ligatura: Calore, & dolore simul, cucurbitulæ, vesicatoria. Vi vacui attrahit purgatio, fonticulus, siue emissarium, quia humores sequuntur id, quod euacuatur. In reuulsione autem obseruanda est rectiaudo, tum partis, tum vasorum; partis, vt si vlcus fuerit in crure dextro, reuellimus in brachio dextro: vasorum, ut si vlcus sit in crure dextro, reuellimus in crure sinistro, quia sic seruatur communicatio uasorum. Sic igitur fluxioni occurrimus. Cacochymiæ purgatio est accommodata, cap. 6. lib. 13. Method. Causæ denique vlcerum externæ, nisi abierint, amouendæ, ne amplius vlcus foueant. Et hæc de generali vlcerum cura.

Cacochymia. Causa externa.

CAPVT III.

De curatione Vlcerum simplicium, & planorum, & cauorum.

Simpliciora vlcera.

SIMPLICIORA appellamus vlcera, quibus præter unitatis solutionem, ab erosione factam, non copulatur morbus, causa, uel symptoma. Hæc ulcera, si tantum in ijs amissa sit cutis, & cicatricula, dicuntur plana, seu æqualia, cap. 3. lib. 3. Meth. Si carnis etiam amittatur portio, appellantur ulcera caua. Agemus ergò primùm (secuti Galenum lib. 3. Meth.) de ulcere cauo: in cuius doctrina, de plano etiam vlcere agendum erit.

Indicationes seu scopi, in simplici vlcere.

Cum igitur in vlcere cauo duplex sit affectus, nimirum solutio unitatis, & cauitas; indicatur vnitio, carnis generatio, & cicatricis inductio: quæ operationes tantum à natura fiunt. Sed natura medici eget auxilio, non alia de causa, quam propter vlcerum excrementa, quæ ulcus reddunt δύσπρατον, cacochymum, dolorosum. Quare si hæc excrementa sint bona, id est, si pus sit album, læue, paucum, crassum, minime fœtidum; significant vlcus posse carne impleri Com. vlt. lib. 1. Prognost. Contra, si mala, id est, si pus sit nigrum, inæquale, asperum, seu grumosum, & fœtidum: indicant non posse vlcus carne impleri, nisi reddatur idoneum, id est, nisi materia illa suppurantibus bona reddatur, & expurgetur.

Species excrementorum in vlceribus.

De excrementorum in vlceribus differentijs Celsus agit cap. 25. lib. 5. Galenus cap. 3. lib. de totius morbi temporibus, hæc excrementa diuidit in saniem, & pus; & utriusq; duas facit species. Prima saniei species est sanies tenuis, & aquosa, primùm ex vlceribus defluens; altera species, est sanies paucior, & crassior. Prima species puris, est pus tenue, & copiosum; secunda, pus albidum, crassum, minùs copiosum. Ex hac igitur excrementorum obseruatione conijciendum, quando pus mouentibus, uel sarcoticis uti, aut non uti, aut quando his magis, quàm illis uti debeamus.

De conficiendo pure laudabile.

Suppuratio.

QVOD si igitur à copia, & qualitate excrementorum, quæ ex vlcere defluunt, cognoscamus opus esse pus mouentibus, hæc imponenda. Sunt autem alia simplicia, alia compo-

compoſita. Simplicia ſunt thus, reſina abiegna, & terebinthina, oleum maſtichinum, oui vitellus, &c. Compoſita debent conſentire temperamento partis, cui applicantur, & modicè erunt emplaſtica, vt caloris habituoſi tranſitum detineant, ac includant, quò materia in pus vertatur, cap. 16. lib. 5. Simpl. Quocirca, ſi corpus fuerit humidum, ſuppurans medicamentum tale erit, R. olei roſ. completi vnc. ſem. oui vitellum dimidium. Miſce. Si corpus non ita ſit humidum, R. ol. maſtich. vnc. ſem. reſinæ terebinthinæ vnc. iij. oui vitellum dimidium, miſce. Si corpus adultum ſit, R. reſinæ abiegnæ vnc. j. olei roſati drag. vj. farinæ hordei q. ſ. ad inſpiſſandum. In corporibus duris, & maximè ſiccis. R. farinæ fœnigræci, ſem. lini, ana drag. iij. farinæ hordei, terebinthinæ, pingued. anatis, & gallinæ, ana vnc. ſem. ſucci apij q. ſ. vt fiat medicamentum, quod commodè concoctionem præſtare queat.

In circumiacentibus autem partibus imponemus repellentia, & linteum madefactum in vino nigro auſtero, ac expreſſum, &c. *Repellentia.*

De pure ſordibuſque expurgandis.

VBI pus horum medicamentorum beneficio bonum apparet, relinquemus pus mouentia, vt monet Rhaſis 13. Continent. aliàs enim vlcus fit ſordidum, & carnis generatio retardatur. vt plerumque Chirurgis ſtolidis accidit. Debemus verò pus factum detergere per mundificatiua. Simplicia ſunt talia: lintea melle infecta: hordeacea, fabaceaque farina cum melle; melicratum, cap. 8. lib. 2. ad Glauc. Compoſita huiuſmodi ſunt, R. mellis roſ. vnc. ij. farinæ hordei q. ſ. ad mel inſpiſſandum. Vel. R. terebinth. drag. ij. ſyr. roſati vnc. ſem. ſucci apij vnc. j. ſem. farinæ hordei, & lupinorum q. ſ. ad inſpiſſandum. Sæpenumero autem eodem tempore, & concoquimus, & detergimus: nam quæ pus mouent, vt reſina terebinthina, & abiegna, apij ſuccus, & aliarum bona pars, etiam detergunt. Cum verò deterſio non eſt facta per ſuppurantia, propoſitis mundificantibus tamdiu vtemur, quamdiu pus in vlcere apparebit. *Detergentia.*

Signa vlceris puris vel impuris, tradit Celſus cap. 26. lib. 5. ſi enim vlcus rubet, ac nimiùm neque ſiccum, neque humidum eſt, purum exiſtit: contra, quod ſenſu caret, quòd nimiùm eſt aridum, aut humidum, aut pallidum, albidum, liuidum, uel nigrum, non eſt purum. Quomodo autem vlcera in profundo ſita cognoſcantur eſſe deterſa, docet Galenus cap. 2. lib. 4. *κ. γ.* purum enim vlcus eſt, ſi medicamenta incipiant ſenſum mordicationis inferre. *Signa vlcerit puri, & impuri.*

De carne generanda.

PVRGATO autem vlcere, ſequitur vt carne impleatur per ſarcotica. Gignitur quidem caro à natura, id eſt, à partis vlceratæ temperatura: at quoniam in carnis generatione, dum ſanguis in carnem mutatur, tenue, & craſſum excrementum ſegregatur, fit vt natura medici egeat auxilio. Aliàs, ſi ſanæ ſint partes, in tertia concoctione ſingularum partium tenue excrementum eſt inſenſibilis illa perſpiratio; quæ ſi interdum, aut ex motu, aut cibo, aut imbecillitate, aut alia de cauſa uiſibilis fiat, ſudor dicitur, craſſum verò excrementum ſunt ſordes, quæ extrinſecus corpori adhæreſcunt. Hæc excrementa in parte ſana à natura detruduntur extra corpus, ſenſibiliter, & inſenſibiliter: At cum exulceratæ partes imbecilles ſunt redditæ, excrementa non poſſunt ampliùs à natura extra vlcus propelli: vnde à craſſo excremento vlcus ſordidum redditur, & tenui humidum. Hinc ergo patet, vlcus duplici indigere medicamento, ſcilicet ſorditiem detergente, & humiditatem exſiccante: Et quia nullum eſt tempus, quo natura à carnis generatione ceſſat; nullum etiam eſt tempus, quo non hæc duo excrementa ſegregentur, & vlcus non indi- *Sarcoticorum neceſſitas, & de ſit, & quibus ea polleãt virtutibus.*

geat

geat ſiccantibus & detergentibus. Hæc medicamenta Sarcotica, id eſt, carnem generantia dicuntur; noſtri vocant, generatiua carnis, ſeu implentia vlcus; non quod ipſa carnem generent; quia natura hoc facit: ſed quia ſiccando, & detergendo impedimenta auferunt.

Exſiccans vis Sarcoticorum quanta eſſe debeat.

Iam autem inueſtigandum, quantum ſit ſiccandum. Proinde experientia obſeruatum eſt, ſarcoticum medicamentum eſſe exſiccans in primo gradu, in natura humana. Sed cum primi gradus magna ſit latitudo, non ſufficit hoc ſcire, verum etiam indagandum, num uis ſiccandi primi gradus remiſſa, aut intenſa eſſe debeat. Hoc autem æſtimabimus ex iis, quæ in vlcere apparent: ut ſunt craſis corporis totius, & maximè partis vlceratæ, quæ per ſimilia cuſtodienda; deinde copia ſanici, quæ per contrarium tollenda. Quapropter ſi multa eſt ſanici copia, ut in vlcere magno, valentioribus indigemus ſiccantibus: mitioribus, in vlcere minori. Item, ſi natura corporis vlcerati mollior eſt, ac humidior, ſimilis quoque caro, nimirum humida, & mollis regeneranda; ideoque mitioribus indigemus ſiccantibus: at ſi caro ſit denſa, & ſicca, ualentiora ſint ſiccantia. Sic ergo ſiccantium quantitas decernenda Si vlcus paruum, & corporis temperies humida, ratione vtriuſque, ficcante egemus mitiori: ideoq; thus erit accommodatiſſimum. Si vlcus magnum, & temperies humida; ſiccantia paullò e-

Magis ſpecialis determinatio.

runt ualentiora, quia indicationes pugnant: unde farina hordeacea, & fabacea conueniet. Si vlcus magnum, & temperamentum uel temperatum, uel ad ſiccum uergens; ſiccantia adhuc erunt ualentiora: vt farina erui, & iris. Si vlcus magnum, caro verò admodum ſicca, & dura; indigemus medicamento valentiſſimè in ſuo, nimirum in primo gradu, ſiccante, ut eſt ariſtolochia, tuthia, pompholyx. Hæc omnia medicamenta, ſiccant tantùm in primo gradu: differunt autem ratione intenſionis, & remiſſionis: nam alia in primo remiſſo, alia in

Sarcoticum bonum ratione ſiccitatis.

æquali, alia in intenſo exſiccant. Tale autem medicamentum num conueniat, nec ne; cognoſcimus è ſignis, quæ afferuntur à Galen. cap. 1. lib. 4. *κ. γ.* nimirum, ſi pars vlcerata eam ſiccitatem adipiſcatur, quam antea ſecundùm naturam habuit, ut ex vlcere nec pus, nec ſanies effluat.

Sarcoticorum uis deterſoria.

Eadem in detergentibus eſt ratio. Licet enim hæc non ſint diſtincta in quatuor ordines, ſeu gradus, ut ſiccantia; nihilominus pro vlcere cauo implendo, detergentia mitiora requiruntur: vnde Galenus ait nitrum, aphronitrum, & ſcillam, quæ valentem facultatem ſalſam, & amaram poſſident, ad detergendum vlcus in carne non eſſe accommodata. Vt autem ſciamus, quale nam conueniat detergens, perpendenda eſt natura ægrotantis, magnitudo vlceris, & ſenſus ipſius partis. Si enim vlcus ſit paruum, & corporis

Specialis determinatio.

laborantis temperatura mollis, ſiue humida, & pars ſenſu exquiſito prædita, uſurpanda ſunt quæ moderatè detergunt: ut manna thuris, farina erui, hordei, fabarum, & mulſa quoſa, cap. 4. lib. 8. Meth. cap 2. lib. 6. *κ. γ.* Paruum enim vlcus, non omninò multa efficit ſordes: caro autem mollis facilè colliquatur; & pars *εὐαίσθητος* facilè exacerbatur à ualidiore detergente: unde in tali caſu, quod modicè detergit, ſolum ex uſu eſt. Si verò vlcus fuerit magnum, caro mollis, ſeu humida, & ſenſu exquiſito prædita; ualentiora requiruntur detergentia, ut iris, panacis radix, ariſtolochia: licet pugnantes ſint indicationes. Si vero vlcus magnum ſit, & caro ſicca, & ſenſus obtuſus; adhuc ualentiora indicantur deterſoria, ut ſtaphiſagria, Denique, ſi vlcus ualde magnum ſit, & corpus ualde durum, & obtuſum habeat ſenſum; magis ualentia indicantur deterſoria, ut cyminum, ſemen eru-

Signa boni deterſorij.

cæ, mel roſaceum, &c. quæ in genere ſarcoticorum ſunt ualentiſſima. Signa autem ſunt medicamenti detergentis accommodati, ſi purum appareat vlcus, & ſine mordicatione: nam ſi impurum ſit vlcus, & morſum ſentiat æger, non eſt bonum detergens; quia ſic impeditur carnis generatio: imò cauitas ſit maior, & ora vlceris rubentia, atque calidiora euadunt, totumq; vlcus ueluti inflammatione afficitur. Quod ſi hæc ſigna non compareant, ſed vlcus ſit purum, & caro rubra, ſine ſordibus, craſſiſue excrementis adhærentibus, certi ſumus nos inueniſſe medicamentum deterſorium vlceri implendo accommodatum, cap. 6. lib. 3. Meth. med.

Verùm cum ſiccantia, & detergentia etiam actiuis agant qualitatibus; cauendum,

ne

ne vleus ad calidam, frigidamue intemperiem deducatur, & carnis generatio ita impediatur, cap. 8. lib. 3. Meth. Hinc alterum, nieconium, mandragora, fugienda; quia ſupra modum refrigerant: reſina verò, ſiue aſphaltus, non vſurpanda ſola; cum præter modum calefaciant. Proinde ſarcotica eum tenebunt caloris gradum, quem pars, cui applicantur: qui gradus eſt primus, aliquam tamen habens latitudinem. Et hoc intelligendum, de naturali partis conſtitutione: quam per ſimilia conſeruabimus. Vnde ſi caro vlcerata ſit temperata, vt in ſumma manu, ubi modica eſt caro, & plurimi nerui: temperatum erit ſarcoticum: ſi verò paulò calidior fuerit, vt locus ſupra cubitum, uel in humero, &c. ubi maior veræ carnis eſt copia: calidius erit ſarcoticum. Quod ſi caro ſubiecta receſſerit à naturali habitu, vel per frigiditatem, uel per calorem: non amplius ſimilibus, ſed contrarijs vtendum, ut caro ad priſtinam temperiem reducatur. In quo caſu Galenus monet aeris quoque ambientis, id eſt, anui temporis, regionis, & conſtitutionis habendam eſſe rationem, vt horum exceſſui occurratur. Sic enim Hippocrates frigidioribus anni temporibus, paulò calidioribus vtebatur medicamentis: & contra. Nos item, verbi gratia, emplaſtrum capitale æſtata conficimus cum aqua; hieme, cum vino. Signa autem, quibus innoteſcit, non inuenerimus accommodatum ſarcoticum ratione calid. tatis; ſunt color, tactus, & laborantis ſenſus; color enim partis interdum rubet, interdum albicat: tactu in parte affecta modò calorem vehementem percipiemus, modò nullum: ipſe verò patiens interdum vſtionem ſentiet, interdum manifeſtum frigus, gaudebitq. calidis, vel frigidis medicamentis. Spatio autem unius, duorumue dierum, certi eſſe poſſumus, num accommodatum ſit remedium, an verò aliquid addere, uel detrahere oporteat. cap. 1. lib. 7. per gen.

Signa boni ſarcotici, ratione caloris. c. 2. lib. 4. Meth

Porrò, quantum ad Sarcotica attinet compoſita; ſolent ea unguentorum forma adminiſtrari: debent enim eſſe læuia, æqualia, non aſpera, tenuia, mollia, alioquin facilè partem ulceratam irritabunt. Si ergo ulcus fuerit paruum, & temperatura humida, ſenſus acutus, ac tempus anni temperatum: unguentum de betonica conuenit, potiſſimùm factum è ſucco betonicæ, oleo, & cera, ſine pulueribus. Si verò ulcus magnum ſit, corpus durum, & ſiccum, (ut nautarum, & ruſticorum) ſenſus obtuſus partis vlceratæ, & tempus hiemale; Sarcoticum erit ualens, & calidum: ut eſt unguentum Iſidis dictum, quod à Galeno deſcribitur lib. 2. per gen. Si eædem aſint indicationes, ſed tempus fuerit æſtiuum, conuenit unguentum de tuthia, & de ceruſſa. Si indicationes fuerint contrariæ, ita ut ulcus ſit magnum, & temperatura humida, & habeat ſenſum exquiſitum: ſarcoticum erit medio loco conſtitutum: quale hoc eſt: R. reſinæ terebinthinæ unc. iij. ceræ unc. j. thuris, maſtiches, ſœnigræci, ana unc. ſem. olei communis q. ſ. ad unguenti formam. In quo caſu, & Baſilicum magnum, & unguentum Apoſtolorum commendantur.

Sarcotica cum poſita.

In horum unguentorum uſu duos errores incurrere poſſumus; Primùm, ſi nimis ſint mollia: tum enim propter partis calorem liquantur, & undique diffluunt, mundumq. linteum relinquunt ſupra carnem ulceratam, quod eam mordicat, cap. 8. lib. 2. ad Glauc. unde Galenus monet, in ulceribus non admodum profundis, ſed in ſummitate hærentibus, medicamenta craſſiori debere eſſe conſiſtentia, nè ſcilicet liquentur. Deinde, ſi nimis mollia ſint unguenta, propter oleoſam, & remollientem naturam, caro ab hoc medicamento gignitur nimis laxa, & mollis, carni ſubiectæ diſſimilis, quod potiſſimùm in naturis ſiccioribus, & corporibus duris contingit. Quapropter ſi puer ulcere laboret; quia caro generanda debet eſſe mollis & tenella, utendum eſt mollioribus. In dura autem carne, non ita mollibus utendum, ſed minus admiſcendum olei; uel puluis aliquis ſarcoticus medicamento adiungendus. Proinde nos in duris, & ſiccis corporibus, ubi carnem expetimus duram, ut plurimùm, vice unguentorum, utimur medicamentis, quæ potentia, & actu ſunt ſicca: cuiuſmodi ſunt pulueres ſarcotici, qui inſpergantur parti ulceratæ. Vt R. thuris, reſinæ, colophoniæ, ana unc. ſem. redacta in pollinem inſpergantur. Vel; R. aloes, ſarcocollæ, ſang. dracon. tuthiæ præparatæ, æqualia pondera, miſce. Pulueres etiam ſarcotici fiunt è radice iridis, manna thuris, myrrha, ſarcocolla, radice panacis, reſina laricis: quia pro ſcoporum varietate permiſcebuntur. Si utamur mollibus, extendi debent ſuper linamentis ſiccis,

De Sarcoticorum conſiſtentia.

In puerili cor. pore.

In corporibus duris.

ſiccis, ſi non adſit dolor, & ſenſus partis ſit obtuſus: At verò ſi ſenſus ſit acutus, deraſa melius vſurpantur, quæ conficiuntur ad formam ſplenis, id eſt, rotundam, & longam, qua de cauſa ſplenia dicuntur.

De roboranda parte vlcerata.

Ratio eorum, quæ circa partem vlceratã ponuntur.

NON tantùm verò parti vlceratę, ſed etiam circumſtantibus medicamenta admouentur. Primùm ad detinendum ſarcoticum, quæ tamen non eſt cauſa principalis, quia etiam faſcia, & linteo poſſemus detinere. Secundò, vt pars vlcerata à frigore defendatur, quod vlceribus mordax eſſe ſolet, Aphor. 23. ſect. 5. Tum, vt calor innatus magis detineatur, & includatur. Quæ cauſæ & ipſæ non ſunt præcipuæ, quia ſtupa, lana, aut goſſipio partem à frigore defendere, & calorem fouere poſſemus. Tandem, vt partis vlceratæ ſubſtantia (ſicut Galenus ait, cap. 90. art. med.) ſalubris conſeruetur, quæ cauſa eſt potiſſima. Multa autem ſunt quæ partem à priſtina ſalubritate deturbare poſſunt. Primùm enim, cum ex vlcere perpetuò ſegregentur excrementa, ſeu humiditates, quæ propter imbecilitatem partis extra vlcus propelli non poſſunt: ideò periculum eſt, ne huiuſmodi humiditates in carne vicina imbibantur, & abſorbeantur, atque ſic eam deducant ad intemperiem humidam. Deinde, quia vlcus partem reddidit debilem, etiamſi nullus ſit fluxus, ſemper tamen timenda eſt fluxio, quia natura conſueuit ſemper corporis excrementa propellere ad partem debiliorem. Tertiò, cum Sarcotica parti vlceratæ impoſita ſint mollia, & oleoſa; metus eſt, ne laxando; & effeminando, partis robur exſoluant, & eam fluxioni reddant obnoxiam. Vt autem ſaluti partis conſulatur, his tribus inconmodis obſiſtendum. Humiditates ſunt reſiccandæ; fluxio repellenda; pars laxa aſtringenda, & roboranda. Hoc aſſequimur medicamentis aſtringentibus, quæ repellunt, ſiccant, roborant, cap. 2. lib. 2. ad Glaucon. Varia autem huius generis medicamenta recenſentur, cap. 5. lib. 4. *meth.* Cum enim vlcus eſt altum, totum ipſius cauum medicamento indito replebitur; poſtea aliud platyſma accommodabitur, quod etiam labia comprehendat; hæc ergo reſpiciunt partem vlceratam, quæ carnem poſtulat. Hinc deinde rurſus linteum frigida madens obijciendum: poſtremò extrinſecùs ſpongia mollis faſcia lintea obducenda. Frigida hic vtitur Galenus ad repellendum: ſpongia, ad abſorbendum humiditates. Et cap. vlt. lib. eiuſd. ait, ſupra ſplenium lanam ſuccidam, vino, & oleo intinctam alligari debere: vinum enim facit ad repellendum, & ſiccandum; oleum, & ſpongia ad leniendum dolorem. Ibidem ſpongiam ex aqua, uel poſca madentem, & expreſſam imponit: nam aqua, & poſca repellunt; ſpongia, & poſca exſiccant. Vtitur etiam Galenus emplaſtris, quæ nos vulgo cerata appellamus, ut eſt Diapalma, quod deſcribit lib. 1. *meth.* & tempore potiſſimùm temperato vſurpatur: quemadmodum hieme emplaſtrum Barbarum; & æſtate ceratum de Ceruſſa. Admouemus etiam partibus circumiacentibus rubi germina, & folia in aqua cocta: item folia plantaginis in aqua decocta: aut in vino nigro, ſi hiems ſit. Præſtantiſſimum eſt vinum nigrum auſterum, aut linteo duplicato, aut ſpongia expreſſum: vinum enim optimum eſt medicamentum omni vlceri, qua vlcus eſt, cap. 4. lib. 3. Meth. Quod ſi pars admodum ſit laxa, aut corpus repletum, & cacochymum, ita vt mirum in modum fluxum timeamus: alterandum eſt uinum nigrum auſterum, & in eo ebullienda quæ ualidam habent vim aſtringendi, vt balauſtium, malicorium ſcabioſa, oliuæ folia, pentaphyllum, folia myrti, germina cupreſſi, eiuſdemque folia, & nuces: denique alumen in uino liquari, & incoqui poteſt. Si non adſit vinum nigrum auſterum, alumen ſimiliter vino liquandum. Si ceratis vti libet, horum forma ſolidior erit, ne propter multum oleum remolliant. Poſtremò, quia ſanguinem, è quo caro generatur, & quantitate, & qualitate bonum eſſe oportet: accommodatam victus rationem ſeruari in quantitate, & qualitate neceſſum eſt.

Materia medicamentorum, quæ partibus debent vlceratis circumponi.

De abſumenda carne ſuperflua.

HActenus, quomodo vlceris cauitas carne replenda ſit docuimus : quia vero ſæpe vel medici ignorantia, vel ægri errore caro ſuperflua in vlceribus generatur: huic quoque occurrendum. Cauſæ, cur generetur caro ſuperflua, duæ ſunt : primum, ſi alimentum ſuperabundet, ſi æger in victus quantitate deliquit, unde ſanguis in maiori copia, quàm debet, ad vlcus accurrit. Deinde, ſi vlcera à medico minus purgentur, & exſiccentur, quàm res poſtulat; vnde humiditates in vlcere conſiſtunt, quarum cauſa ſuperflua caro generatur.

Si excreſcat caro ob ſanguinis abundantiam.

Quod ſi igitur caro inutilis gignatur ob ſanguinis tantùm abundantiam; hoc inde cognoſcitur, quia caro genita eſt ſimilis carni ſubiectæ. Hinc oritur indicatio ſanguinem minuendi, per venam ſectam, cucurbitulas : vel ſecundo per purgationem, ſi corpus ſuperfluis ſcateat humoribus; nam ex euacuatione excrementorum partes corporis redduntur ſiccíores, in detinendo auaræ, in expellendo promptæ: vel tertiò; per victus rationem tenuem. Vlceri verò Sarcoticum ſiccans magis admouendum, quàm ſi nulla adeſſet ſuperflua caro.

Si excreſcat caro, ob medici negligentiã

Quod ſi caro generetur, ut plerumque contingit, culpa medici, qui minùs exſiccarit, & purgarit, ſiue deterſerit vlcus, quàm par eſt, hoc inde cognoſcitur, quia caro genita eſt laxa, mollis, flaccida & veluti ſpongia. In hoc caſu oritur indicatio carnem minuendi: quod fiet, ſi valentiùs vlcus exſiccetur, & purgetur cap. 8. libro 3. Method. Proin ſi modica fuerit caro ſuperflua, & corporis natura humidiſſima; ſtuppæ cannabinæ minutim inciſæ ſatis erunt, ex Auicennæ ſententia : vel ſpongia mollis ſicca ſimiliter inciſa, & impoſita. Sicca quoque linamenta, modicè carnem reprimunt, è Celſo. Si caro excreſcens ſit modica, & corpus humidum; carnem minuet lana combuſta; caro porci ſalata, & macra : ſimiliter linteum infuſum in aqua ſalita, ſecundùm Paulum : item linteum infuſum in aqua aluminoſa. Si caro ſupercreſcens ſit abundantior, & pars vlcerata humida : conuenient, mify, chalcitis ærugo, cap. 8. libro 3. Method. cum ijs, quæ desiccant, & detergunt. Secundùm Dioſcoridem in hoc ordine ſunt cinis quercus, tithymali, & ficus. Secundùm Rhaſin, ſal melli permiſtum, cepa cum melle, nuclei dactylorum vſti, ſemen vrticæ, radix vitis albæ, 4. Continent. Secundùm Auicennam, oſtreæ contuſæ, ſex aceti, & vini, puluis hermodactylorum, Ariſtolochia rotunda. Si caro ſupercreſcens ſit adhuc copiosior, pars vero ſicca, & dura : vſurpetur quæ validiſſimè detergunt, ac siccant : vt æs uiride, alumen uſtum, & è compoſitis præcipitatum, unguentum Aegyptiacum, calx viua, cum melle inuoluta in paſta, & in furno cocta : nigrum ueratrum in pollinem redactum, & inſperſum, oleum vitrioli, & de ſulphure.

In vſu cathaereticorũ cauendum.

In horum medicamentorum uſu duo notanda, ex Auicenna, quarta quarti, tract. 3. cap. proprio. Primùm enim partes vlcus circumſtantes aliquo refrigerante inungi debent; quia carnem exedentia interdum inflammationem mouere ſolent : hinc frigidis fluxio repellenda, nimirum cerato, aut unguento de ceruſſa, uel de tuthia, aut uino nigro auſtero, aut alio quodam eorum, de quibus & antea. Deinde ab oleosis abſtinendum, quæ propter unctuoſam naturam magis remolliunt, quàm carnem minuunt.

De cicatrice vlceribus obducenda.

Epulaticorũ neceſſitas, & facultas.

HIs ita expeditis, reſtat ut vlceri Cicatrix inducatur. Idem uerò eſt inducere cicatricem, & curare vlcus ſimplex planum : quia eadem utrobique eſt indicatio, uenienda cutis. Natura in utero cutim generat : extra uerò procreare eam nequit, ob materiæ ſeminalis defectum : proinde ars ſupplet aliquid cuti ſimile, quod eius præſtet officium. Ducere igitur vlcus ad cicatricem, eſt, tegere carnem aliquo naturali tegumento, è ſubiecta carne comparato. Cutis carne eſt durior, denſior, ſiccior. Caro ergo eatenus alteranda, donec ita dureſcat, denſetur, & siccetur, ut cutis ſuppleat officium. Indurant

autem tum refrigerantia; quia constringunt, & veluti exprimunt partes tenuiores, crassas verò in vnum cogunt; ut in glacie videmus; tum siccantia; quia tenuiores partes absumunt; quomodo rusticorum manus è nimio exercitio duræ sunt, lib. 5. Simpl. Ea autem refrigerantia oportet esse astringentia, non humida, quæ emolliunt, non indurant. Cum ergo cicatrix sit caro densata, siccata, & veluti callosa reddita: certè quæ carnem callosam inducunt, pro cicatrice erunt accommodata, cap. 16. lib. 1. Simpl. Hæc medicamenta dicuntur συνουλωτικὰ καὶ ἐπουλωτικὰ à nostris Cicatricem inducentia, à Barbaris consolidantia, ab Auicenna Sigillatiua.

Quoto siccitatis gradu cicatricem inducere possumus, & quibus id medicamentis peragatur.

Hæc autem medicamenta sicca esse dicuntur in gradu tertio, cap. 1. lib. 4. κ.γ. nam carnem generantia sicca sunt in primo, quia tantum siccare debent excrementa, quæ in carnis generatione resultant; glutinantia verò sicca sunt in secundo, quia non tantum excrementa, sed etiam totum illud exsiccare debent, quod aliunde affluit: cicatricem inducentia sicca sunt in tertio, quia non tantum excrementa, nec tantum quod aliunde affluit, sed etiam naturales humiditates ipsius partis exsiccare debent. Quod si his conseramus ea, quæ carnem minuunt: hæc tertium siccitatis gradum transcendere debent: quin & excrementa, & id quod aliunde fluit, & naturalem carnis humiditatem, & subiectam eiusdem substantiam, siue carnem siccare debent. Vt autem scire possimus in qua mansione tertij gradus cicatricem inducens debeat exsiccare; oportet duo considerare: Primùm, naturam ægrotantis; nam naturis siccioribus magis sicca medicamenta adhibenda: deinde, vlceris magnitudinem; quia cicatrix modica fieri potest siccantibus mitioribus. Proinde naturis humidioribus, ut pueris, & mulieribus, cicatricem inducent gallæ immaturæ, malicorium, id est, cortex granatorum, fructus spinæ Aegyptiæ, cap. 5. lib. 3. Method. Si autem vlcera sint maiora, & corpora non ita humida, prosunt misy, chalcitis, æs vstum, æris squama, alumen fissum: vehementia sunt misy, & chalcitis: mitior æris squama: adhuc mitius, æs vstum, quod, præcipuè lotum, præstantissimum ἐπουλωτικὸν esse prodidit Galenus cap 15. lib. 5. Simpl. & nos sæpe experientia comprobauimus. Composita sunt, ceratum diapalma, de minio, de rhabarbaro, quod tamen in naturis humidioribus, & paruis cicatricibus, hiemali tempore saltem accommodatum est. Et hæc medicamenta cicatricem inducentia sunt astringentia per se, & propriè. Quæ uero siccant tantùm, & carnem densant, sunt linamenta sicca, cap. 5. libro 13, Method. item myrrha, lithargyrus, ostreum, diphtyges combusta, sicca, illita, cap. 26. lib. 5. Simpl. item pini cortex, resina sicca, abrotanum assatum, ossa combusta, folia fici, aristolochia combusta, radix iridis, secundùm Auicennam, 4. 4. tract. 1. cap. 10. quibus addi possunt os sepiæ, cornu cerui vstum, tutia præparata, & id genus alia.

Epoulotica astringentia, & siccantia.

Epoulotica tantum siccantia

Quando vtendum epouloticis.

Quæritur autem quo tempore epouloticis vtendum? Si enim ulcus ad æqualitatem carne sit repletum, tunc fiunt cicatrices circumposita cute magis eminentes; cap. 5. lib. 13. Method. Causam reddit Auicennas; dum enim studemus cicatricem inducere, natura carnem generat; quia natura nunquam cessat carnem generare, licet epoulotica imponantur. Ideoq; ne hoc accidat, oportet epouloticum imponere, non quando caro est ad æqualitatem producta, sed quando aliqua adhuc inest cauitas, non tamen notatu digna.

Modus administrãdi epoulotica.

Modus inducendi cicatricem describitur à Galeno cap. 5. libro 13. Method. qui, vt intelligatur, sciendum, epouloticum duplex esse: uel & actu & potestate siccum; vel potestate siccum, actu verò, & consistentia humidum. Deinde notandum; vlcus omne, quod indiget cicatrice, & habet aliquam cauitatem, semper maiorem habere cauitatem in ulceris medio, minorem in circuitu. Proinde, cum cicatrix est inducenda, imponatur epouloticum potentia, & actu siccum in oris ulceris, seu in circuitu: cuiusmodi est æs ustum, æris squama, & quæ superiùs retulimus, in puluerem redacta: & hoc fit, vt citissimè in his partibus inducatur cicatrix, quia cauitas media maior est, nec tam forti eget epoulotico. In medio autem vlceris Galenus imponit epouloticum molle, & humidum consistentia; vt vnguentum ex lythargyro, è cadmia: quod

prout

prout siccum est, cicatricem inducit; prout uerò molle existit, eatenus non præproperè, sed tardiùs, quàm puluis, cicatricem facit; quia mollities, & humiditas actualis, carnem remolliendo, retardat etiam cicatricem, ut sic carne generata, maior illa cauitas quadantenus impleatur. Quod si modica hæc caro in vlceris medio generata fuerit; amouebitur medicamentum consistentia humidum, & siccum tantùm usurpabitur, lato specilli mucrone super toto ulcere uolutato, & insperso toti ulceri aliquo epoulotico. Hic modus in praxi optimè succedit, à nullo tamen hodie nec obseruatus est, nec animaduersus. Ego in praxi felicissimè induco cicatricem, insperso ære usto loto, aut thutia præparata, super ulceris ora: in medio autem vlcere imposito unguento de tuthia, de cerussa, aut è lithargyro, aut alio epoulotico consistentia humido. Foris sufficiet linamentum, uel siccum, uel uino madens: potissimùm quod fit è mollibus ellychnijs.

Ex hoc modo id notandum, loco corollarij; quando in ulcere plures oriuntur indicationes, his omnibus satisfaciendum esse diuersis medicamentis diuerso loco impositis. Sæpe enim, potissimùm in magnis, & latis ulceribus natura in una parte vlcus purgat, in alia carne implet, in alia cicatricem inducit: proinde, si bene operetur natura, id est si cicatricem inducat, ubi ea necessaria est, & carnem generet, ubi decet, &c. naturam imitari debemus, imponentes in una ulceris parte epouloticum, in alia sarcoticum, in alia detergens. Si uerò natura non bene operetur; eius defectum supplere debemus. Sic Galenus in cura Carbunculi, cap. 5. libro 5. κ.γ. aliud medicamentum imponit crustæ, aliud parti uicinæ. *Conclusio.*

Et hæc ratio est curandi ulcera, quæ facilis sunt curationis, & quæ nec fluxione, nec intemperie, nec ulla quapiam alia re præter naturam afficiuntur: unde totius corporis prouidentiam, uenæ sectionem, purgationem, ac diætam omisimus: hæc enim ad vlcera ægrè sanabilia spectant.

CAPVT IV.

De vlceribus ægrè curabilibus: & primum de vlcere cum vitiosi humoris affluxu, proinde difficulter cicatricem admittente.

HACTENVS egimus de ulceribus simplicibus, planis, & cauis, quibus nihil inest uitij, præter cutis, & carnis amissionem: quæ ob id facilis sunt curationis. Iam ad ea deueniemus ulcera, quæ iunctum habent uel morbum, uel morbi causam, uel symptoma: quæ ob id difficulter curari possunt. Cum enim in omni ulcere requiritur, vt natura carnem, cutemq. generet, per crasin partis ulceratæ, è sanguine bono, ratione quantitatis, & qualitatis: proinde si crasis partis illæsa est, siq. sanguis quantitate, & qualitate moderatus affluit; facilè curantur ulcera. At si uel crasis uitiatur, uel sanguis peccat, non nisi cum difficultate caro generari, ulceraq. sanari queunt. *Transitio.*

Sunt autem potissimum quatuor species ulcerum ægrè curabilium. Quando enim ulcus oritur ex influxu humorum multorum, uel acrium; uitium autem craseos in carne vlcerata non adest: dicuntur ulcera δυσεπούλωτον. Quando uitium est in temperamento partis ulceratæ; dicuntur ulcera maligna, cacoethes, cap. 18. libro 1. κ.γ. cap. 1. & 13. lib. 4. κ.γ. Si hæ causæ misceantur, ut & uitiosus sanguis affluat, & pars dyscrasia laboret: dicuntur ulcera supra modum maligna, cap. 5. libro 4. κ.γ. Quod si humor influens admodum sit uitiosus, & intemperies ita intensa, ut pars habitum prauum contrahat, oriuntur κ.γ. id est ulcera, quæ uicinas partes putrefaciendo, & erodendo *Differentia vlcerum, quæ ægrè curatur.*

depascunt, febresq; inferunt, cap. 1. lib. 6. κ.γ. De speciebus vlcerum ægrè curabilium uide etiam Galenum cap. 1. lib. 4. Meth. & cap. 5. lib. 4. per gen.

De vlcere dysepouloto.

VLcus cicatricem difficulter admittens, dicitur δυσεπούλωτον : alias vocant vlcus fluxione vexatum, quia prouenit à vitioso humore influente. In hoc vlcere cum duplex sit affectus, nimirum vlcus, & fluxio; duplex etiam oritur intentio, nimirum & sanandi vlceris, & remouendæ fluxionis. Quia verò sanari vlcus nequit, nisi fluxio auferatur: contra hanc omnis nostra dirigetur intentio; vlcere tamen non omninò neglecto. Primùm ergo videbimus signa vlceris fluxione vexati; Deinde causas fluxionis; Tandem vt fluxio sit curanda.

Signa. Primum signum est, quod vlcus hoc non sanatur, ob vitiosum humorem affluentem, etiamsi ritè peragantur omnia, quæ aliàs ad vlcus curandum requiruntur: vnde vlceris diuturnitas sequitur, cap. 5. lib. 4. Meth. Secundum signum est, quod hoc vlcus semper plus minus eroditur, ac dilatatur; & eò magis, quò copiosior, & acrior fuerit humor fluens. Tertium est signum, quod vlceris labia tumida, similiterque partes vlceris circumiacentes tumefactæ apparent. Quartum est, quod maior copia saniei, & virulentiæ semper effluit, quàm sit pro magnitudine vlceris. Quintum est, quod vt plurimum hoc vlcus fit cum dolore, qui prouenit è solutione continui facta in partibus neruosis, villisq; ob humorum acrimoniam, quem dolorem plerumque sequitur inflammatio.

Causa. Causæ fluxionis sunt pars mittens, & pars recipiens, cap 7. lib. 2. ad Glaucon. Humor non fluit è se, & proprio impetu, aliàs omnis fluxio ad inferiora fieret: sed vel à parte mittente propellitur: vel a recipiente trahitur. Pellitur à mittente, tum quia robusta, tum quia irritata, cap. 1. lib. de Caus. morbor. Irritatio fit à natura vitiosa: cuius causa vel interdum vitium iecoris, aut lienis, perpetuò autem sex res non naturales, vt aer putridus, motus nimius, cibi acres, & calidi, nimius somnus, nimiæ vigiliæ, vacuationis suppressio, ira, agonia, &c. Recipiens attrahit tum calore, tum dolore, cap. 3. lib 13. Methodi med.

Curatio. Ratio rerum non naturalium. Curatio primùm ad fluxionis causas, deinde ad ipsam fluxionem dirigitur. Externæ igitur causæ, si vlcus, & fluxionem adhuc fouent, emendandæ. Vnde aer frigidus alterandus, vt calor, & putredo eius emendetur. Cibi erunt boni succi, qui non generent humores prauos, & erodentes. Potus non sit uinum, vel saltem pauciferum, aut aqua cum vino granatorum, quod refrigerat, & constringit humores, vt in proprijs maneant receptaculis. Habenda etiam ratio est motus, quietis, somni, & maximè eorum, quæ præter naturam detinentur, omnesque viæ naturalium vacuationum aperiendæ.

1. Fluxionis causa vt tollenda. Causa interna est redundantia vitiosorum humorum, plerumque à iecoris, aut lienis vitio ortum duceris. Quorum curatio à practicis petenda. Perpetuò autem adest copia vitiatorum succorum, qui fluxionem concitare, & exulcerare possunt: quorum tres potissimùm sunt; nimirum bilis, humor melancholicus exustus, & pituita salsa. *Bilis.* Hi ergo humores, priùs præparati, purgandi sunt. Bilis præparatur syrupis cichoraceis: vt, R. syr. de cich. simp. vnc. j. de succo acetosæ unc. sem: decocti endiu. sonchi, hepaticæ vnc. iiij. Misc. pro syrupo. Purgatur hoc modo. R. rhab. el. pulner. drag. j. sem. spicæ gr. v. vini albi parum: fiat infusio, in decoctione tamarindorum, & expressioni adde syrup. ros. solutiui vnc. iiij. Mis. & fiat potio. Hoc medicamentum mite est: si desideretur valentius, addentur elect. de succo ros. drag. ij. aut etiam electuar. rosati Mesuæ drag. ij. *Melancholicus humor.* Humor melancholicus exustus, præparatur refrigerantibus, & attenuantibus, vt syrup. de fumar. de succo borrag. cum decoctis melissæ, buglossi, fumariæ, lupulorum. Purgatur hoc modo; R. epithymi, polypodij, ana drag. j. sem. fol. senæ drag. ij. schœnanthi, zinziberis ana gr. vj. vini albi aromatici parum: fiat infusio in decoctione florum & fructuũ cordialiũ, &

expres-

expr. ſſioni adde ſyr. de polyp vnc. iv. Miſce, fiat potio. Hoc medicamentum valentius redditur, additis confect. Hamech. drag. ij. Vel in forma boli, R elect. lenitiui drag. x. confect. Hamech drag. ij. cum ſaccharo fiat bolus. Pituita ſalſa præparatur ſyr. de beton. de ſtœchade, cum decoctio cichorij, betonicæ, &c. Purgatur hoc modo, R. agar. trochiſ. ſcr. iv. zinziberis gr. vij. vini albi aromatici parum, fiat infuſio in decocto betonicæ; expreſſioni adde mannæ calab. vnc. ij. mellis roſ. ſol. vnc. ij. Miſce, & fiat potio. Valentius hoc ſi cupis, adde drag. j. diaphœnicon. Vel in forma pilularum: R. pil. cocch drag. j. de agarico Meſ. drag. ſem. M. & cum ſyr. de beton. fiant pil. n. v. deaurentur. Verum, præter humores iam dictos, conſiderandus etiam eſt humor ſeroſus; qui & ipſe vlcera excitat, & perpetuò aliorum humorum eſt vehiculum. Vacuandus ergo vel per vrinam, uel per ſudorem. Per vrinam, diureticis: vnde ſyrupis prædictis addi poteſt, vel ſyr. de capillis veneris, uel decoctum polytrichi, aut apij, aut betonicæ, aut alterius diuretici, quod vel frigidum ſit, uel moderatè calidum. Poteſt etiam in hoc caſu dari ſerum lactis caprini: aquæ thermarum D. Petri, aut Lucenſium, conueniunt. Victus ratio eamdem habebit facultatem: vnde laudo cucurbitas, lac ſeminum melonum, &c. Per ſudorem ſeroſi vacuantur humores, ſi detur decoctum ſalſæ parillæ, cui adiectum ſit parum guaiaci: & guaiacum calore noceat, præparanda eſt decoctio cum cichoraceis. Hæc de parte mittente. In parte recipiente, cauſæ fluxionis ſunt calor accenſus, & dolor: vnde indicatur refrigeratio partis, & doloris mitigatio: Quæ, vt præſtanda ſint, infra docebimus, cap. 7. de vlcere calida intemperie affecto, & doloroſo. Hæc igitur de fluxionum cauſis.

Humor ſeroſus.

Attrahia in parte recipiente.

Iam ad ipſam fluxionem, ſeu humorem fluentem oculos dirigemus. Superatur autem fluxio tribus inſtrumentis; reuulſorijs, inter cipientibus, & repellentibus.

Fluxio ipſa vt curanda.

Reuulſoria ſunt, quæ humorem ad partes contrarias trahunt, calore, dolore, aut vi vacui: vt venæ ſectio, purgatio, balneum, frictio, inunctiones calidæ, & digerentes, vincula, ſetacea, fonticulus. Quo ad uenæ ſectionem: quamuis cacochymia adſit, attamen ſi repletum fuerit corpus, vena ſecanda contraria parti affectæ, & è directo. De purgatione antea dictum. Reliqua etiam reuulſoria in partibus contrarijs inſtituenda: vt frictiones, una cum inunctionibus calidis, & digerentibus, ex oleo caſtorino, liliaceo, rutaceo, caryophyllorum, &c. item balnea calefacientia ex origano, pulegio, hyſſopo, &c. Fonticulus etiam in parte contraria, maximè à me probatur in vlcere cum fluxione.

Intercipientia

Intercipientia ſunt, quæ faciunt, ne humor fluens vlterius procedat: aliàs defenſiua dicuntur; quia partem affectam defendunt, & præſeruant à fluxione. Hoc faciunt frigiditate, & aſtrictione: hac enim uaſa conſtringunt; illa verò & uaſa cogunt, denſantque, & humorem incraſſant, quò ad fluendum minùs ſit promptus. Sumuntur autem æquales portiones boli Armen. ſang. drac. myrtillorum, balauſt. corticum granatorum, quæ in tenuiſſimum pollinem rediguntur; deinde excipiuntur oui albumine, oleo myrtino, modico aceto, ac cera; & conficitur medicamentum. Idem præſtat vinum nigrum auſterum, uel ſimplex, uel in quo alumen ſit liquatum, aut calx ſæpiſſimè fuerit exſtincta. Et hæc medicamenta ponuntur ante aduentum humoris in locum exitus: ut ſi ulcus ſit in ſumma manu, imponantur in carpo, ubi uaſa magis apparent, & partes minùs ſunt carnoſæ: ſi ſupra, in cubito, ſi magis ſupra, in humero: ſi in coxa, ad inguina: ſi in capite, ad collum: ſi in mamillis, ſub his, & etiam ad inguina; hinc enim uena quædam è uenis uteri ad mamillas aſcendit; imo etiam ad hypochondria, in quibus uena quædam prodit communicantiam habens cum mamillis. Oportet autem hæc defenſiua frequenter immutare, ne calefiant.

Repellentia.

Repellentia ſunt frigida, & ſicca (humida enim laxando partem, fluxioni eam magis faciunt idoneam.) Diriguntur autem ad materiam, quæ influit. Et propterea circum partem affectam ponuntur: ſicut reuulſoria in loco contrario, & defenſiua in ſpatio intermedio.

Porrò, humor, qui ad partem affectam fluxit, uel conſiſtit in uenis exiguis ipſius partis; uel effunditur extra uaſa; at tunc, aut in ſpatijs uacuis hæret, quæ ſunt inter partes ſimilares,

nulares, nimirum arterias, neruos, venas membranas; aut moratur in ipsarum partium substantia, seu porositatibus. Si in vasis est spatiisue vacuis, adhuc in ipsa parte mouetur & propterea facilius repelli potest; magis, qui in vasis, minùs, qui in vacuis detinetur spatijs: vt dum in porositatibus substantiæ firmatur; quoniam impactus, & induratus est, repelli non potest. cap. 5. lib. 13. Meth. Hanc autem repellendi vim habent spongia, aut linteum, si exprimantur in posca, uel vino nigro austero, uel vino, & aceto, cap. vlt. lib. 4. per gen. Nos vtimur spongia noua, quæ maximè sua natura exsiccat, & combibit humores: eamque sæpe exprimimus in vino nigro austero, cui tamen balaustia, gallæ immat. cortex granat. myrtilli, scabiosa, quinquefolium, oliuæ folia, &c. priùs sint incocta: ipsamque spongiam procul ab affecta parte ponimus. Si fluxio sit vehemens, corpus robustum, & durum; vino miscemus quartam aceti partem, inque his copiam aluminis liquamus. Si minor sit fluxio, & corpus mollius; sufficit rubi germina, & folia incoquere vino nigro austero, aut in posca, & contundere; ac modo cataplasmatis imponere. Conferunt etiam folia plantaginis in vino, posca, aut aqua decocta, impositaque: deinde linteo superaddito, quod expressum sit è vino austero. Hæc medicamenta fascia obuoluenda sunt & circumducenda, eo modo, ut humores procul ab affecta parte exprimantur; nisi inflammatione, aut dolore prematur vlcus. Hec de fluxionis curatione.

III. Vlceris cura.

Ad vlcus accedamus. Hoc tollitur siccantibus, quæ valentiora esse oportet, quàm in vlcere simplici: nam & propter excrementa, quæ in carnis generatione segregantur, & propter materiam in partem influxam, siccans requiritur. Debent autem hæc quidem valentiora esse, ita tamen vt ne propriam speciem transcendant, id est, ne sarcotica gradum primum, aut epoulotica tertium in siccitate excedant: licet ratione mansionum intensiora esse debeant, quàm in ulcere sine fluxione, cap. 5. lib. 4. Meth.

Sarcotica.

Inter simplicia ergo conueniunt cadmia, terra lemnia, æris squama, chalcitis combusta, & lota, ærugo cremata: præterea buccinorum testæ crematæ, vt purpurarum, ostreorum, &c. item aristolochia, artemisia, panacis radix, dracunculus, gladiolus, calx. Inter composita, si corpus sit molle, tempus anni humidum, & vlcus exiguum; conuenit Sarcoticum mitius siccans, vt, R. chelidonij maioris exsic. & poluerizati, radicis panacis ana vnc. sem. resinæ abiegnæ unc. j. ceræ drag. vj. olei vetusti q. s. ad conficiendum mædicamentum. Si corpus siccius, vlcus magnum, materia influxa copiosa, tempus anni siccissimum: quia pugnant indicationes; hoc uti possumus, R. terebinth. vnc. j. seui taurini vnc. sem. plumbi usti vnc. j. sem. uel vnc. ij. Misce. Si corpus sit durum, vlcus magnum, materia influxa copiosa, pars sensu obtuso prædita; sarcoticum valentissimè exsiccabit, ut hoc, R. abrotani usti, gall. immat. ana vnc. ij. calcis semel exstinctæ unc. sem. mellis colati, quantum sufficit.

Cautio de conuenientibus.

Notandum, si materia influxa sit acris, incocta, & mordax, ut vlcus uideatur aliqua concoctione indigere; tunc dictis medicamentis portionem thuris esse addendam.

Alia de humectantibus Glandis cautio.

Deinde obseruandum, ut hæc medicamenta non sint consistentia humida, ac mollia; quia sic partem magis laxarent, cap. 6 lib. 1. per gen. Hinc Galenus cap. 1. & 13. lib. 4. per gen. ait in ulceribus dysepoulotis uitari debere, quæ generis sunt oleosi, ut adipes, præsertim porcorum, resina, cera, id est, hæc per se, & sola non esse usurpanda, sed cum alijs: additque aquam, & oleum omnium maximè humectare; ac proinde his, nec per se, nec cum alijs mistis utendum esse; quod de oleo communi intelligendum est, nam myrtinum, rutaceum, lentiscinum, mastichinum, &c. siccant, non humectant.

Detergentia quando uariandæ.

Porrò, in his ulceribus detergendis, monet Galenus loco citato lib. 4. per gen. sæpè accidere ut medicamentum, quod semel, uel bis, ulceri est impositum, tertia uice non amplius sit commodum; ob resiccatum uidelic. humorem, qui priùs uim medicamenti mordicantem obtundebat. Proinde si sub medicamento impositio pars vlcerata fiat sicca, & rubra; imminet mordicatio; ideoq. medicamentum mitius est eligendum.

Epoulotica.

Vlcere carne repleto, opus erit cicatricem inducere. Si ergo corpus sit mollius, & vlcus non admodum magnum, hoc conueniet epouloticum, R. cadmiæ vnc. j. aristolochiæ,

chiæ, iridis, ana vnc. ſem. olei myrt. vnc. ij. ceræ q. ſ. ad conficiendum medicamentum in forma ſolidiore. Si vlcus ſit paruum, corpus ſiccum, anni tempus humidum, pugnant indicationes; valentius tamen exſiccans requiritur priore; quale hoc: R. teſtarum oſtreorum crematorum dr. vj. rad. panacis dr. iij. gallarum immat. dr. ij. olei myrtini vnc. j. ſem. ceræ q. ſ. Miſce. Si omnes indicationes poſtulent valentiſſimum exſiccans, & aſtringens; hoc proderit: R. virgæ paſtoris vnc. ſem. antimonij drag. vj. radicis dracunculi vnc. ſem. olei lentiſcini, aut myrtini vnc. j. ceræ parum, Miſce. Ad eandem intentionem hoc valebit, R. aluminis, malicorij, ana vnc. ſem. chalcitidis vſtæ drag. iij. calcis viuæ drag. ij. ol. myrtini vnc. ij. ceræ parum, Miſce. Optimè quoque in hoc vlcere fluxione vexato cicatricem inducit aqua vitæ, potiſſimùm chalybeata: inſuper oleum de ſulphure, aut de chalcantho: quibus tamen non vtendum eſt puris, cum ſint cauſtica, ſed permiſtis cum aquis myrti, ſcabioſæ, aut alijs.

CAPVT V.

De vlcere Maligno, quod Cacoethes dicitur, & primùm de eo, quod iunctam habet ſiccam intemperiem.

DE PRIMA ſpecie vlcerum ægrè curabilium dictum eſt; quæ oriuntur è vitioſo ſanguine aliunde affluente ad vlcus: ſequitur altera horum vlcerum ſpecies, quæ Maligna, & Cacoethes dicitur; quoniam partis vlceratæ craſis, & temperies læſa eſt: unde fit vt difficillima fiat curatio, licet omnia rectè, & ordine adminiſtrentur. *Tranſitio ad vlcera cum dyſcraſia.*

Intemperies autem octo eſſe poſſunt in vlcere; calida, frigida, humida, & ſicca, ſine materia, & totidem cum materia, cap. primo, libro quarto Meth.

De vlcere ſicca intemperie, ſine materia.

SIgna, quibus hoc vlcus cognoſcitur, ſunt quatuor. Primum, caro vlcerata apparet ſqualens, & ſicca, ita vt vel nulla ichoroſa ſanies effluat, vel certè quàm pauciſſima, cap. 2. lib. 4. Meth. Deinde pars vlcerata eſt quodammodo aſperior, & durior: hi enim ſiccitatis ſunt effectus. Tertium ſignum ſumitur à cauſis ſiccitatis prægreſſis: quales ſunt ambientis temperatura ſicca, lauacra rerum exſiccantium, medicamenta nimis ſiccantia vlceri impoſita. Poſtremum ſignum ſumitur à toto membro, cui vlcus inſidet, vel toto etiam corpore ſi hæc nimis ſint reſiccata. *Signa.*

Quoad præſagium: omnia vlcera maligna curationis ſunt difficilis; omnium autem maximè vlcus hoc, quod ſiccam habet iunctam intemperiem; nam in alijs vlceribus, eodem tempore, & intemperiei poſſumus occurrere, & tamen vlcus non negligere, admouendo ſcilicet ſiccantia; at hic cum indicationes prorſus ſint contrariæ, neglecto vlcere, tantum dyſcraſiæ cogimur occurrere. *Prognoſt.*

In cura vlceris ſicca affecti dyſcraſia, remouendæ ſunt cauſæ ſiccitatis, cap. 1. libro 1. Meth. vt regio ſicca, cœli ſtatus ſiccus, aer, lauacra, medicamenta vlceri imposita nimis ſiccantia. Ablatis cauſis, neglecto prorſus vlcere, auferenda intemperies: quæ oritur, uel quia pars alimenti laborat penuria, vel quia ſicca intemperies eſt impreſſa; vel quia vtrumque accidit. Si vlceris exſiccatio proueniat ab alimenti penuria; oritur indicatio attrahendi alimentum ad partem, corpuſque nutriendi, ſecundùm Albucasin. Vt attractio fiat ad partem, hæc fouenda, eſt panno linteo, aqua calida imbuto, donec rubra efficiatur, *Curatio.* *Si exſiccationis cauſa ſit penuria alimenti.*

ciatur, & hoc de Albucasis sententia. Rhases 14. Continent. monet siccandam esse partem, non quidem vlceratam, sed circumiacentem; vt attracto sanguine vlcus nutriatur; suadet etiam Albucasis, vt calida medicamenta partibus circumiacentibus imponantur, nimirum picationes, ita vt pix ducatur super linteum, & parti admoueatur, deindè auferatur; quod tandiu faciendum admouendo, & auferendo, donec pars rubra fiat, hoc quippe signum est alimentum iam esse attractum. Corpus etiam nutriendum est cibis boni succi, carnibus laudabilibus, ouis, vino, &c.

Si dyscrasia in parte sit impressa. 1. lenster.

Si intemperies sicca impressa sit in parte vlcerata; tunc si exigua sit, non impedit carnis generationem in vlcere: ideoq; vlceri siccantibus mitioribus satis prospicere possumus, non valentioribus, ne intemperiem in parte imprimamus, verbi gratia, si vlcus postulat siccantia in secundo gradu, & secunda mansione: vtemur nos medicamentis siccantibus quidem in secundo gradu, sed mitioribus, nimirum, in prima mansione, cap. 2. lib. 4. Meth.

2. Vehementer

Sin in vlcerata parte uehementer impressa est dyscrasia; pars redditur imbecilla, secundùm omnes quidem facultates, potissimùm tamen secundùm attractricem: si enim alimentum non attrahitur, nec sanè retineri, nec concoqui, nec excrementa eius expelli poterunt. Hic ergo oritur indicatio, & humectandi siccam intemperiem, & attrahendi nutrimentum ad ipsum locum. Hoc efficit Galenus, dum vlcus aqua moderata, & tepida fouet, atque humectat, donec pars rubescat, & ipsius moles attollatur. Assumit aquam, quia hæc humectat: non frigidam, sed temperatam, vt meatus ob siccitatem strictos laxet: quin & tepida aqua fundit, ac liquat humores, faciliùs penetrat, cap. 7. lib. 1. Simp. cap. 2. lib. 4. Meth. Sunt quidem aliàs vlcera non nisi vino madefacienda, libro de vlceribus, vel posca, cap. 2. lib. 4. Meth. quia uidelicet, vlcus perpetua eget exsiccatione, vt humectantia ei non conueniant, cap. 7. lib. 1. [illegible]. At in vlcere cum sicca dyscrasia, vlcere sepositò, in intemperiem oculos dirigimus: ideoque aqua illa tepida est conuenientissima: qua partem Galenus primùm fouet, deinde perfundit. Auicennas partem vlceratam cooperit, vt uaporem ab aqua exhalantem suscipiat, & tandiu detineat, donec pars fiat rorida, & quasi sudet.

Fomentum Galeni ex aqua tepida.

Quoties autem aqua hac est vtendum? Galenus con. cap. 15. lib. 3. de his, quæ fiunt in medic. vult vltra tres vices aquam perfundendam: ego verò aut bis, aut saltem ter in die perfunderem; nam pars vlcerata debilis, forsitan non posset plures perfusiones tolerare, & sic quotidie pergendum, donec exsiccationis signa recesserint. Meta in singulis vicibus est rubor in parte contractus: si enim diutiùs persistatur, quod attractum est, rursus discutietur. Quod si corpus superuacuis redundet humoribus, dum aqua vtimur, hi priùs purgandi, ne ad vlcus confluentes carnis generationem impediant. Falloppius aquæ videtur hydrelæum præferre, maximè hieme: ait enim aquam tepidam, præter id quod humectat etiam refrigerare, calorem scilicet euocando, cap. 17. lib. 3. de ijs, quæ fiunt in medic. Dum autem quotidie bis, vel ter vlcus aqua perfundimus, non debemus temporibus intermedijs dyscrasiam siccam relinquere; sed tum in vlcere, tum in partibus circumiacentibus imponere humectantia. Galenus cap. 7. lib. 1. Simpl. laudat linamentum siccum imbutum in aqua temperata, quod si amouere velis hoc linamentum, & inuenias esse humidum, persistes in eodem: si inuenias siccum, non conuenit, quoniam siccat. Et propterea in eodem casu, vel linamenta, aqua imbuta, superponenda sunt, aut spongia, aut linteum hydrelæo imbutum, quod ratione olei conseruabit linamentum humidum: vel linamentum non aqua, sed hydrelæo est imbuendum; sic enim oleum conseruabit aquam, ne effluat aut digerat, vel denique linamentum inficiatur hoc vnguento, R. olei dulciss. vnc. ij. succi maluarum vnc. j. ceræ mollis, recentis, & aquæ solutæ, q. s. ad conficiendum vnguentum molliss imum, quod humectat. Partibus autem circumiacentibus extra sunt imponenda, quæ iam diximus, nimirum, spongia, uel lintea hydrelæo madefacta. Sic ergo pergentes, siccitatis signa sensim recedent, ipsaq; sicca vlceris intemperies curabitur.

Vnguentum.

Cu-

Curata autem ficcitate, ad ipsum vlcus deueniendum; quod carnis generationem, & cicatricem postulat. Debent autem siccantia in his vlceribus mitiora esse, quàm in vlceribus, quæ non habent adiunctam siccam intemperiem; ne videlicet per vehementiora siccantia, in siccam dyserasiam recidant, capit. 2. libro 4. Method. Auicenna 4. 4. tractatu 3. capite 10. *Cura Vlceris.*

Laudatur ergo hoc: R. mastich. thuris, picis Græcæ ana drag. j. seui arietini unc. j. olei rosati vnc. ij. ceræ parum, Misce. Oportet autem nos in his medicamentis eligendis perpendere aeris constitutionem, vlceris magnitudinem, crasin ægrotantis: ut sæpè supra diximus. Probatur etiam hoc: R. resinæ terebinth. vnc. ij. thuris, aloes ana drag. j. olei rosati vnc. j. ceræ mollis, q. s. ad conficiendum vnguentum. Ego quoque vnguentum conficio è succo betonicæ, cum multo oleo, vt molliſſimam substantiam contrahat. estque moderatiſſimæ ficcitatis, ac insuper concoquit. Cicatrix obducenda erit, uel cerato de minio, uel linamento ficco, uel Diapalma, uel alio epoulotico, de quibus supra. *Epoulotica.*

CAPVT VI.

De vlcere cum humida intemperie.

SIGNA humiditatis in vlcere sunt, primùm, si caro humidior videtur, quàm pro naturali habitu, cap. 2. lib. 4. Method. Deinde caro est mollis, flaccida, & quasi relaxata. Tertiò, præcesserunt causæ humectantes; ut ambiens humidum, lauacra rerum humectantium, aut medicamenta humectantia vlceri impositа. Quartò, multæ humiditates in vlceris porositatibus continentur, & effluunt. Vltimò si uel membrum, cui vlcerata pars adhæret, uel totum corpus est humidum; verisimile etiam est, vlcus per societatem esse humidum. Falloppius addit carnem supercrescentem: quod signum dubium mihi est, quia caromalignis vlceribus non gignitur, ob intemperiem: nisi dicatur caro illa superflua non bona esse, sed mala, & praua; vt sunt tubercula in ani fistulis. *Signa.*

Facilius autem curari hoc vlcus potest, quàm præcedens: nec enim hic vlcus negligere cogimur.

Quo ad curam. Causæ externæ, si quæ adsunt, amouendæ: ut aer humidus, medicamenta humectantia, uel parum sicca adhibita. Deinde vlcus indicat siccantia: intemperies humida, & ipsa indicat siccantia, & præterea, quoniam partem imbecillam reddit, roborantia flagitat & astringentia. Siccantia autem hic non solum tanta esse debent, quantum partis humiditas præter naturam aucta est; sed oportet etiam nos magnitudinem vlceris perpendere, & exsiccare excrementa, quæ secernuntur; vnde in gradu medicamenti siccantis definiendo, oportet nos respicere ad vlceris magnitudinem, dyscrasiam humidam, sensum partis, temperamentum ægri, cæli statum. Si enim humida intemperies non sit admodum intensa, nec vlcus magnum, corpus molle, aer temperatus, pars vlcerata εὐαίσθητος; mitiora erunt siccantia: vt, R. cadmiæ drag. j. sem. æruginis æris combusti, ana drag. j. aluminis sciſſilis drag. sem. ceræ nouæ, pinguis vnc. v. Misce ad ignem. Hoc medicamentum optimè satisfacit omnibus indicationibus; nam cadmia, ærugo, æs, alumen intemperiem humidam corrigunt, ac vlceris humiditates exsiccant; preterea alumen etiam valenter astringit, ac roborat, cap. 1. lib. 4. γ. κ. ærugo, & æris squama, tum exsiccant, tum detergunt. Hoc medicamentum compositum est mitiſſimum, ratione humidæ intemperiei: licet enim quæ ingrediuntur valenter siccent; ceratamen in quantitate decupla assumitur, quæ aliorum medicamentorum facultatem remittit. Si humida intemperies fuerit valentior, & vlcus parum, & sensus partis obtusus, & crasis siccior, anni etiã tẽpus siccus; pugnantes sunt indicationes: ideòq. medicamentũ requiritur, quod prædicto valentius ex- *Siccantia & astringentia.* *Mitiora.* *Valen...*

siccet, detergat, & astringat. Vt, R. æris squamæ, æruginis rasæ, ana drag. j. lanæ combustæ
Valentissimum drag. ij. ceræ sem. resinæ laricis unc. sem. Resinæ, & ceræ liquatis arida affundantur, & misceantur. Si indicationes requirant valentissimum exsiccans, detergens, & astringens; hoc conueniet, R. æris squamæ, calcis bis lotæ ana drag. ij. calcidis combustæ drag. j. stibij drag. sem. ceræ unc. ß. resinæ terebinth. unc. j. Misce affundendo liquida siccis. Cera autem in hoc medicamento tripla est ad reliqua medicamenta: sicut in priore est quinctupla, in primo decupla, prout videlicet magis, vel minùs uim medicamentorum retundere volumus: in mitiori enim siccante sumit Galen. ceram decuplam: in ualentiore quinctuplam, uel quadruplam, in generoso tandem triplam: nec ceræ q. s. apponit, ut nostro tempore chirurgi faciunt in componendis medicamentis ulcerum. Proposuimus autem in hoc affectu saltem composita medicamenta; quia uix unum est simplex, quod omnibus scopis possit satisfacere.

Num cera, & resina in his ulceribus locũ habeant. Notandum: nos in medicamentorum compositione, nec adipes, nec olea usurpasse, quia maxime humectant, cap. 3. lib. 4. *n.* 9. ceram quoque, & resinam uidetur damnare Galenus, quia unctuositate sua carnem remollunt, quæ siccanda potiùs, & constringenda erat, cap. 1. lib. 4. *n.* 7. At hoc de cera, & resina uerum est primaria ratione, itemq. si solitaria usurpentur: nos uerò ijs uti cogimur; tum ut medicamento unguenti, aut cerati formam aptemus; tum ut aliorum facultates valentes horum permistione frangamus. Et sanè, nisi primaria ratione ingrediantur, non multùm nocere possunt, quia parum unctuosa sunt.

Formula prædictorum medicamentorũ, in forma sicca. Verum tamen, ubi humida intemperies valde intensa est, & caro ualde flaccida, ac relaxata, ut deuitem unctuosam naturam medicamentorum, usurpo compositа in forma sicca, seu pollinis. Mitius ergo erit, tuthiæ præparatæ, cornu cerui usti, aloes, ana drag. j. subtilissimè puluerizata misce. Valentius: R. calcis lotæ drag. ij. aluminis. drag. sem. cærussæ drag. j. Misce. Valentissimum: R. Antimonij drag. j. tuthiæ drag. sem. Misce.

Aqua uitæ. In his medicamentis usurpari etiam feliciter potest aqua uitæ chalybeata: si modo cum humida intemperie frigida quoque fuerit coniuncta.

Siccantia circa morsum. Hæc porrò medicamenta opportuna esse cognoscimus, si nullum, aut leuem tantùm dolorem, morsum ve inferant; si enim contra fiat, statim mitigandum, moderandumq. est medicamentum.

Abluitio ulceris. Si ulcus est abluendum, id fiat cum uino, uel posca, uel decocto austerorum: ut si rosæ germina rubi, folia myrti, balaustium, malicorium, alumen, hypocystis, &c. in uino decoquantur: Sic ergo curabitur humida intemperies: id, quod è signorum remissione cognoscetur.

Sarcotica, & epuloticа. Vlcus postea sarcoticis, & epuloticis sanandum: quæ hic maioris esse debent exsiccationis, quàm si ulcus non fuisset passum humidam dyscrasiam; facilis enim aliàs in hanc posse esse relapsus. Componentur medicamenta ad imitationem eorum, quæ in alijs supra proposuimus.

CAPVT VII.

De ulcere, cum intemperie calida, sine materia.

Curatio. SIGNA desumuntur, primum à colore; nam in particula rubor leuis apparet, & caro ulcerata est rubicundior, quàm pro naturali habitu. Deinde à tactu: nam pars ulcerata calidior sentitur, quàm partes reliquæ. Tertio, à sensu laborantis: qui manifestum calorem, & quasi ustionem percipit, ut propterea frigidis medicamentis impositis gaudeat. Tandem dolor hunc sensum sequitur. In curatione, causæ externæ, si adsint, amouendæ: ut aer calidus, lauacra rerũ calefacientiũ, medicamenta calefacientia impositа. Vlcus indicat exsiccãtia, & detergentia. Caliditas indicat refrigeran-

frigerantia, & quatenus calor ad se trahit; indicat etiam repellentia, defensiua, & astringentia. Quoniam autem caliditas humiditates absumit, quæ in vlcere existunt; indicatur vtendum esse quidem exsiccantibus, sed mitioribus, quàm si vlcus non esset affectum intemperie calida. Proinde in hoc vlcere indicantur refrigerantia, siccantia, detergentia, & astringentia.

Quantitas horum medicamentorum coniecturis indaganda. Si enim calida intemperies mitior fuerit; mitiora requirit refrigerantia, & astringentia, sed ratione vlceris siccantia valentiora, quia mitior intemperies minus siccat. Si vlcus sit paruum, tempus anni calidum, pars ἐυκρατες, crasis calida; mitiora erunt refrigerantia, siccantia, detergentia, astringentia; vnde commodum erit, intra quidem vnguentum santalinum, extra verò ceratum infrigidans Galeni. Si indicationes pugnent, vt idigeamus mitiori refrigerante, & siccante; conueniet intra vlcus vnguentum de tuthia, de cerussa; extra verò linimentum simplex. Si omnes indicationes valens postulent medicamentum; intra vlcus conueniet vnguentum populeum; extra, vel hoc, vel aliquod propositorum. Præter hæc omnia maximè contulerit linteum duplicatum, aut spongia è vino nigro austero expressa, & superposita. Possunt etiam refrigerãtia, & astringentia in vino decoqui, ad refrigerandum, repellendum, & siccandum, vt balaust. myrt. gallæ immaturæ, malicorium, &c. Auicennas laudat solanum, cum bolo Armeno, & aceto, aut cum santalis, & caphura, præcipuè in externa parte impositа. Optimum quoque est, si litharg yrus contritus, & aceto dissolutus, oleo rosaceo, aut myrtino subigatur, & misceatur cum modico cerussæ, plumbi, caphuræ. Sic ergo curata intemperie vlceris calida: ipsum postea vlcus sarcoticis, & epuloticis curabimus: quæ, vt supra diximus, minùs erunt sicca, quàm si pars non laboraret calida discrasia. Medicamenta verò accõmodata supra retulimus.

Medicamentorum varietas pro ratione circumstantiarum.

CAPVT VIII.

De vlcere cum frigida intemperie.

SIGNVM primum est color vlceris albicans. Tactu deinde frigiditatem in parte sentimus. Et ipse æger frigus sentit, gaudetq; calidis. *Signa.*

In curatione, causæ externæ remouendæ. Porrò, vlcus indicat siccantia, & abstergentia: frigiditas calefacientia, & quatenus frigus carnem vlceratam densat, ac meatus constringit, indicat rarefacientia, & relaxantia poros obstructos. *Curatio.*

Quantitas calefaciendi, siccandi, detergendi, rarefaciendi, relaxandi submministratur nobis à coniecturis sæpè propositis. Si ergo vlcus sit paruum, dyscrasia non valenter impressa, ætas puerilis, anni tempus calidum; indicatur mitius medicamentum. Forma autem medicamentorum in intemperie frigida est fomentum; quod & actuali caliditate, & vaporatione meatus laxare, partemque rarefacere potest: quo administrato, alia medicamenta imponenda sunt. Mitius ergo fomentum parabitur è vino albo, calido, & non admodum potente, in quo madefacta spongia, vel panno pluries pars fouenda: intra verò imponatur vnguentum Isidis, quod calefacit, exsiccat, & detergit: aut etiam Apostolorum: extra in partibus circumiacentibus vsurpare possumus, aut ceratum de Betonica, aut Isidis, quod valentiùs calefacit. *Ordines medicamentorũ, pro varietate circumstãtiarum.* *Mitiora.*

Si indicationes sint pugnantes, vt indigeamus valentiori medicamento: fomentum parabimus è vino maluatico, aut vino albo, in quo decocta sint saluia, calamenthum, origanum, mentha, & alia cal. sicca: vlceri postea imponetur resina laricis, aut pini, siue colophonia emollita oleo de spica: extra vsurpabitur emplastrum cerussæ Galeni. *Valentiora.*

Si denique vlcus ualentissima poscat: fomentum fiat è lixiuio: intus utamur cerato sacro, remollito tamen, cum oleo de spica, aut de caryophyllis, extra admouebimus *Valentissima.*

ceratum ipsum sacrum, quod ualenter siccat, & calefacit. Possumus etiam pro fomento vsurpare aquam calcis viuæ. Valet etiam aqua uitæ, quæ ualenter calefacit, & siccat, cui si misceatur quid syrupi ros. aut mellis, redditur medicamentum etiam detersorium: & potest intra ulcus, & extra hæc aqua usurpari; intra quidem, filamenta sicca imbuta; extra uerò lintea madefacta. Sic curata intemperie, vlcus postea sarcoticis, & cicatricem inducentibus consolidabimus.

CAPVT IX.

De vlcere Verminoso.

Causa. VERMES interdum in vlceribus gignuntur præcipuè æstate: quorum generatio est è putredine, solùm in ulceribus immundis, sordidis neglectis, quæ caua sunt, & sinuosa. Materia uerminum in ulceribus est potissimum excrementum pituitosum Paul. cap. 17. lib 4. Causa efficiens est calor putredinalis, exortus à putridis, excrementis, Com. Aphor. 26. Sect. 3 ad quem calor etiam natiuus accedit, cum nihil putrescens, sed concoctum gignatur, cap. 2. lib. 3 de gener. animal. In ulcere ergo verminoso præter naturam sunt putredo, calida intemperies, & vlcus.

Signa. Quo ad signa, interdum oculis conspiciuntur, si ulcus pateat: interdum morsu dolorem inferunt, aut saltem tristem quendam sensum, quin etiam vermes mouentur proprio quodam motu, qui undam imitatur, & hic vndosus motus à partibus percipitur; ultimò fœtor adest maximus, propter insignem putredinem. Vermes hi eximendi sunt manubriolo, seu specilli mucrone, uel alio instrumento. *Curatio.* Quia autem ita interdum pertinaciter carni inhærent, ut sine maximo cruciatu auelli non possint; primum necandi sunt, deinde auferendi. Necantur amaris, ut succo absinthij, abrotani, calaminthæ, aloe, filice, felle taurino, farina lupinorum ex hydromelite decocta: item si folia persicorum, uel capparum contundantur, & imponantur, vel eorum succus imponatur. Sic & marrubium, scordium puluerizatum, matricaria, succus cucumeris asinini, centaurij, menthastrum, decoctum lupinorum: quorum vti possumus succo, decocto, vel puluere. *cap. vlt. lib. 4. ac Meth. med.* Necantur etiam uermes ab acribus, ut medicamento Archigenis, è cerussæ, & polij, pari pondere, cum pice liquida illito. Conueniunt etiam sulphur; misy, chalcitis, uiride æris, succus hellebori nigri, itemq; huius decoctio, & puluis. Præterea epithymi succus, cepæ, pyrethrum, vrina antiqua, lac tithymallorum. Si ulcus admittat; præstantissimum est, ferramento candente uermes interficere. Quibus interfectis, & ablatis, detergendum est ulcus ualentioribus detersorijs, ut est aristolochia cum melle, marrubium cum melle, sed inter hæc ualentissimum est unguentum Aegyptiacum. Amota putredine, si aliqua intemperies calida in ulcere fuerit relicta, auferenda est medicamentis suprapositis. Vltimò curandum est ulcus sarcoticis, & epouloticis.

CAPVT X.

De vlcere cum oſſe corrupto.

OS, quod vlceri ſubeſt, corrumpitur à cauſa Externa, vel Interna. Externa eſt, vel ambientis frigus nimium, quod oſſium calorem natiuum extinguit: vel nimius calor, qui euocando, reſoluendoq; humidum, ſimiliter corrumpit. Internæ cauſæ (quę in noſtro hoc caſu ferè ſemper locum habent) ſunt, vel humiditas viſcoſa, & ſuperflua, remolliens primò ſubſtantiam oſſis, deinde corrumpens; cap. 7. lib. de cauſ. morb. vel humiditas virulenta, ſeu praua ſanies vlceris antiqui, quæ contactu os corrumpit; t. 37. lib. 3. de fract. uel humor acutus, & corrodens, cap. 7. lib. de cauſis morbor. vel humor, qui occulta proprietate magis aduerſatur oſſi, quàm reliquis partibus; ſæpè enim experientia comprobaui corrupta fuiſſe capitis oſſa, id eſt, carioſa euaſiſſe, ſuperpoſita cute non exulcerata, quæ tamen (vt ad patiendum magis idonea) priùs debuiſſet erodi, ſi humor qualitate manifeſta os corrupiſſet. *Cauſa.*

Signa corruptis oſſis ſunt, ſi os conſpiciatur: Primùm, quod os redditur pingue, & vnctuoſum, quia ſeparatur naturalis humiditas; Secundò, fit nigrum, & carioſum; nigrum quia ablatum eſt temperamentum, quo os album conſeruabatur; carioſum, decedente, propria oſſis ſubſtantia. Si oculis conſpici os nequeat, primùm eſt ſignum, quod vlcus interdum cicatrice obducetur, & ſanum apparebit; ſed pauco interpoſito ſpatio, rurſus abrumpetur cicatrix, & vlcus renouabitur: humoris enim valido curſu, ab oſſe putreſcente, ac contabeſcente, tum inflammatio, tum pus oboritur, quæ cicatricem lacerant; Com. Aphor. 45. Sect. 6. & Paulo cap 10. libro 4. renouato ergò vlcere, ſemper os ſuſpectum eſſe debet. Alterum ſignum eſt vlceris diuturnitas; tunc enim ne ceſſe eſt os abſcedere, quia ob continuũ contactum, os madet & remollitur, Aphoriſ. 45. Sect. 6. Tertium eſt, quod caro vlcerata, oſſi corrupto ſuperpoſita, impensè mollis, & flaccida exiſtit; ita vt ſpecillum, turunda, & conuoluta linteamina facilè per ipſam penetrent cum enim os à ſanie corruptum eſt, facilè propter viciniam caro remollitur, & in corruptionem tendit: & hoc eſt Auicennæ. Quartum eſt, quod immiſſo ſpecillo ad os per partem ſuperpoſitam, os non reperitur lubricum, & læue, ſed aſperum, & carioſum; vel non reperitur ſtabile, & reſiſtens, ſed penetrat per ſubſtantiam oſſis corrupti remollitam. Quintum eſt, quod conſpicitur ſupra os corruptum frequenter caro liuida, & corrupta: Aphoriſ. 2. Sect. 7. Sextum, humores ex vlcere effluentes, primò copia plures ſunt, quàm conueniat vlceris magnitudini; deinde qualitate ſimiliter praui ſunt, nimirum tenues, & plurimum valde fœtidi. Vnde Falloppius addit, ſi linamentum ſiccum in vulnus infigatur, vt os contingat, & amotum altero die valde fœteat, os corruptum arguere. *Signa.*

Quod ad prognoſticum, tale vlcus inter maligna recenſetur; nihilq; medicos in curandis vlceribus magis fatigat, quàm oſſis corruptio. *Præſagium.*

In curatione, vlcere neglecto, os eximendum: quia corruptum eſt, & vita priuatum, Et hoc facilius fit oſſe detecto. Quod ſi os carne operiatur, denudandum eſt os, vlcere abſciſſo, cap. 7. lib. 8. Celſi. Vt plurimum tamen ſectio hæc tutò fieri non poteſt, quia oſſa in corpore alte ſepulta ſunt, & vndique obuoluuntur muſculis, neruis, arterijs, ac tendinibus: vt, ſi vlcus eſſet cum oſſe corrupto, in pede, aut ſumma manu, propter numerum tendinum, non poteſt os ſectione denudari. In hoc igitur caſu nos os corruptum detegimus, & dilatamus quantum poſſumus, vel immiſſa radice gentianæ, vel ſpongia compreſſa, & contorta, vel medulla cannæ, quam Sorgo noſtri vocant, compreſſa, & indita; vel aliquo alio, quod uehementer dilatare ulcus queat. *Curatio. Detectio.*

Dete-

Detecto vlcere, & osse, eximendum est os, vel medicamentis, si os tantum in superficie corruptum est, quod cognoscitur dolore, & febre remissis exsistentibus; indicatur enim sic parua corruptio: vel Chirurgia, in ossis corruptione profunda, ac intensa, quæ è dolore, & febre intensis cognoscitur.

Eximēdi ossis modus.

1. Medicamēta, quibus squama ossis eximatur.

Medicamenta, quibus os eximitur, sunt valenter siccantia, secundùm Paulum, quod ipse desumpsit, è Com. Aphor. 49. sect. 6. vbi Galenus iubet vlcera valenter siccare, vsq; quo squama decidat, si os fuerit corruptum. Quare subinde maiora exsiccantia imponenda sunt, donec os corruptum decidat. Siccitas autem facit os decidere, dum humiditates, quæ in ossis substantia imbibitæ sunt, & hanc mollem reddidere, absumit; hinc enim os exsiccatum redditur firmius, surgensq; facultas expultrix os corruptum à sano separat. Vel natura ossis, beneficio siccantium firma reddita, carnem generat inter os corruptum, & sanum, quæ deinde aucta os corruptum impellit, & separat. Proinde, si corruptio est superficialis, & exigua, natura mollis, vt in pueris; inter valenter exsiccantia, mitiora eligimus ad os eximendum: vt est radix peucedani. radix vitis albæ, iridis, aristolochiæ, myrrha, &c. Si latior fuerit ossis corruptio, & natura sit mollis, valentioribus vtimur: quale ad extrahendas squamas ab Auicenna componitur ex æqualibus portionibus aristolochiæ rotundæ, iridis, myrrhæ, aloes, corticum opopanacis, plantæ, pumicis vsti, scoriæ æris, & corticum pini. Radix etiam dracontij in hoc genere consistit, & aqua vitæ. Galenus etiam quædam habet composita, vnum cap. 6. alterum cap. 7. tertium cap. 11. lib 8. γ.μ. Si adhuc latiùs pateat ossis corruptio, & natura ægri robusta sit, ac dura, aliæ etiam indicationes circa aerem, & reliqua, valentissimum exposcant medicamentum: laudatur à Dioscoride euphorbium puluerizatum, & vitriolum Romanum. Huc etiam facit aqua illa fortis, per quam fit separatio auri ab argento; item oleum de sulphure, de vitriolo, quæ valentissima sunt. In vsu horum valentissimorum, quia aliquo modo vim causticam habent, muniendæ sunt partes circumiacentes linteis, ne adurantur.

Mitiora.

Valentiora.

Valentissima.

2. Chirurgica instrumenta, quibus os corruptum tollitur.

Quod si chirurgia vti cogamur, vel quia medicamenta iam proposita non è toto squamam expulerunt, vel quia profundior est ossis corruptio: sciendum hanc manualem operationem perfici posse ferro, vel igne. Ferrea instrumenta hic duo possunt vsurpari: Scalprum, & Terebra. Scalpro vtimur, vbi non ita profunda est ossis corruptio; ideoq; deradimus, donec ad os sanum perueniamus: quod cognoscitur, si aliquid cruoris emittatur, si os appareat album, si solidum, secundùm Celsum cap. 2. lib. 8. Terebra vtimur in corruptione profundiore, donec nigra esse definant ossa; nam per scalprum operationis esset longa, ac difficilis. Amoto osse corrupto, supra os scalpro derasum est inspergendum vitrum bene tritum: & post terebram vtendum candente ferro, vt si forsan humor extraneus in osse relictus fuerit, exsiccetur. Post vstionem factam candente ferro, imponimus succum porri, cum sale, ad vlteriorem exsiccationem, aut trochiscos Andronis, Pasionis, & Polydæ aut puluerem radicis hellebori nigri: studemus postea crustæ, iride cum melle, radice panacis, aristolochiæ, acori. In corporibus mollibus, Galenus putat sufficere orobi farinam, cum melle, & thure.

Si os non fit conspicuum.

Porrò, si os corruptum nudatum quidem sit à suo periostio, vt perpetuò in ossis corruptione contingit: sed non sit tamen conspicuum, vt non possimus omnia remedia proposita administrare; quemadmodum contingit in corruptione ossis in manibus, & pedibus, in quibus non possumus cutem secare, & os (vt par est) detegere: tunc ferrum candens administramus per cannulam, quam priùs immittimus, os corruptum attingat; & postea subinde, quoties opus est, ferramenta per cannam applicamus. Per cannulam etiam possumus inijcere pulueres, & instillare oleum de sulphure. Et hoc facimus, vt partes neruorum adiacentes à causticis defendantur.

CAPVT XI.

De Fistulis.

FISTVLAM Græci syringa vocant ; est sinus angustus, & longus Celsus ait esse vlcus altum, angustum, callosum, cap. 28. lib. 5. Rectius pro genere ponetur sinus, quàm vlcus : nam hoc genus valde est remotum. Sinus enim est cauitas partium priùs vnitarum, quæ iam distant (euacuato pure,) ob humorum affluxum, cap. 4. & 5. lib. de tumoribus præter naturam, cap. 8. lib. 2. ad Glauconem. Quoniam verò sinus est altus, & angustus, curari citò nequit, vnde necessariò callum contrahit. *Definitio.*

Genera fistularum sunt varia; nam aliæ breues, aliæ longæ & altiùs penetrantes: aliæ directè intus feruntur, aliæ transuersè : aliæ sunt simplices, aliæ duplices, triplices, &c. item aliæ vno orificio oriuntur, aliæ pluribus : aliæ desinunt in carnem, aliæ ad ossa, cartilagines. Ad curam eæ maximè faciunt differentiæ, quibus fistulæ dicuntur simplices, vel multiplices : item quæ desumuntur à partibus, in quas terminantur fistulæ. *Differentiæ.*

Si fistula desinat intra carnem, cognoscitur, quia specillo immisso, molle est, quod vltimo specillo tangitur : deinde, pus læue, album, copiosius fertur. Si ad neruum terminetur : immisso specillo, dolor excitatur intensus : pus item pingue est, & oleo non dissimile. Si perueniat ad venas, aut arterias, & huiusmodi vasa erosa non sint, veluti fex è fistula egreditur, quia sanguis è vasorum poris exsudans, cum sanie miscetur, & ita ex ambobus resultat excrementum, quod est veluti fex : Si autem vasa fuerint erosa, & quidem si vena fuerit, sanguis excidit crassior, obscurior, & sine saltu; si arteria, rubicundior, clarior, non sine eiaculatione. *Signa fistularum certas in partes desinentium.*

Si perueniat ad os, durum est, & renitens, quod specilli extremo tangitur ; nec dolor excitatur. Porrò, os hoc corruptum arguitur, si immissus specillus ossi innititur, nec relabitur : & si os adhuc æquale deprehendatur, ad corruptionem saltem est dispositum ; si inæquale, caries os iam plenè tenet : contra, si specillus elabitur, non adest caries, quia os sanum est lubricum, & politum. Aliud signum ossis corrupti est, si humiditas tenuis, citrina, & fœtida dimanat à fistula. Num autem fistula simplex sit, an multiplex, è puris modo colligitur. Si enim plus fertur puris, quàm simplici spatio conueniat, plures sinus esse constat. *Signa fistulæ multiplicis.*

Quoad prognosticum, fistulæ omnes difficilis sunt curationis, quædam etiam incurabiles : quia medicamenta difficulter imponuntur : nec ad fundum deuenire possunt, ac partes vt plurimùm non tolerant medicamenta opportuna, præcipuè si pertingant fistulæ ad uenas, arterias, aut neruos. *Præsagium.*

Antequam verò curationem aggrediamur, sciendum quasdam fistulas curari non debere, Com. 39. Sect. 3. lib. 6. Epid. & lib. de Humor. per quas videlicet superuacui corporis humores expurgantur : & quæ homines propterea ab alijs morbis præseruant : huiusmodi autem fistulæ sunt antiquæ, in loco decliui, procul à parte principali : hæ apertæ sunt relinquendæ, immò clausæ rursus sunt aperiendæ. Multos vidimus, qui fistulas habuere circa anum per 15 aut plures annos, & saluberrimè vixerunt. Fistulæ etiam quædam sua natura sunt incurabiles, secundùm Albucasin cap. 88. lib. 2. quæ perueniunt ad magnas venas, arterias, vel neruos, spectantes ad siphac, seu peritonæum, intestina, vesicam, uertebras dorsi, ani, & costas : denique quæ consistunt in aliqua iunctura, vt manus, & pedis, hæ enim medicamenta commoda non admittunt. *Fistulæ, quæ curari non debent.*

Curatio fistularum alia est ficta, mendosa, & palliata, alia vera. Fictam insinuat Galenus cap. 4. libro de tum. præt. nat. & Auicen. 4. 4. tractatu 4. cap. 11. & est, quando fistula exsiccatur *Curatio.* *1. Falsa.*

ſiccatur interiùs, conſolidatur exterius, intus adhuc sinu conſiſtente: & hoc fit siccantibus in fiſtulas impoſitis, proba victus ratione; & corpore à ſuperfluis purgato. Sic cohibitus ſinus aliquantiſper manet, & orificium occluſum: at poſt, aliqua humiditate ſubuentitia in ſinu illo collecta, rurſus fit abſceſſus, rediq fiſtula. Hac mendoſa curatione interdum, & ego uſus ſum, ut uerum fatear, pro conſolatione ægrotantium. Purgato enim corpore, ac ordinata tenui diæta, turundas abſtuli (quas in fiſtulis illis incurabilibus diu adhibueram) alligaui ſpongiam nouam, expreſſam ex aqua thermali, uel lixiuio, vel aqua calcis: vnde foramen exterius uelatum eſt, vt ſana fiſtula uideretur: & sic ægros dimiſi. Quæ curatio interdum bene ceſſit, interdum minùs. Plurimùm enim in curandis morbis externis refert, habere cutem ſanam, uel aptam, & inciſam; naturalis enim calor ex incisione exſpirat, & operationes partis naturales pereunt: clauſo autem orificio, calor naturalis includitur, tumq; bene concoquit, digerit, & diſſipat excrementa, ita ut interdum coaleſcat sinus, qui alioquin non potuiſſet uniri, aperta fiſtula exiſtente. Non igitur è toto ſpernenda eſt ficta fiſtularum curatio.

2. Vera curatio.

Alia autem curatio fiſtularum eſt uera: cuius duplex eſt uia, ſecundùm Celſum, cap. 28. lib. 5. & Galenum cap. 8. lib. 2. ad Glauc. Prima via fit per glutinantia; ſecunda per ſarcotica poſſunt etiam hæc miſceri.

Impedientia fiſtularũ curationem & amouenda.

Sed hic in primis expendendum, quænam sint cauſæ, quæ glutinationem, aut carnis generationem impediant. Eæ ſumuntur è definitione fiſtulæ. Primùm enim fiſtula dicitur sinus, id eſt, cauitas, quæ non unitur, propter affluxum humorum: unde primum impedimentum eſt humorum influxus. Secundum impedimentum eſt fiſtulæ altitudo: cuius ratione medicamenta non poſſunt ad fundum uſque peruenire: quo fit ut in fundo colligatur ſanies, quæ carnis generationem, & vnionem impedit. Tertium impedimentum eſt anguſtia fiſtulæ; huius enim ratione imponi medicamenta non poſſunt, nec fiſtula probè expurgari poteſt: unde humores, qui in sinu anguſto relinquuntur, prohibent conſolidationem. Vltimum impedimentum eſt caro calloſa, & dura: omnia enim dura difficulter uniuntur: ut lapis cum lapide, mollia contra, vt mel cum melle. Hæc igitur impedimenta ſunt tollenda, antequam fiſtularum curationem aggrediamur.

Humorum influxus.

Primum impedimentum eſt influxus humorum: qui ut sit remouendus, docuimus in vlcere fluxione uexato.

Callus, quo modo fiat.

Secunda indicatio eſt, eximere callum, id eſt, partem, quæ dura eſt reddita, propter influxum, & infarctum materiæ craſſæ, quæ in porositatibus ipsius partis eſt imbibita, & cuius partes tenuiores reſiccatæ ſunt, & reſolutæ à calore, tum natiuo, tum extraneo. Humor autem craſſus, pariens callum, uel pituitoſus eſt, & tum callus eſt albus, uel melancholicus, & eſt fuſcus, ſeu liuidus. Gignitur callus potiſſimum in orificio fiſtulæ externo, id eſt, in ipſa cute, idq; potiùs, quàm in carne: quia primùm facilius indureſcit cutis, quæ denſa eſt, quàm caro, quæ mollis: deinde, quia natura perpetò protrudit excrementa ad cutim. Cum autem inueteratæ ſunt fiſtulæ, in carne etiam ſubiecta callus contrahitur, & per totum ipsius fiſtulæ ductum. Quibus verò locis conſiſtat, & quantus sit callus, facilè cognoſcitur: si enim eſt in fiſtulæ orificio, & tactui, & oculis apparet: in partibus uerò profundioribus si conſiſtat, tunc immiſſo ſtylo nullus ſentietur dolor, aut exiguus etiam erit ſenſus, deinde uerò ſanguis è ſtyli contactu nullus exibit, ſtylo etiam perſentietur durities. Contra, si uel ſanguis exeat, vel dolor excitetur, nullus in fiſtula eſt callus. Num callus sit profundus, & magnus, an uerò exiguus, cognoſcitur è signis propositis, remiſſis, aut intensis. Callus porrò aufertur medicamento, ferro, uel igne. Medicamentum eum aufert qualitate manifeſta, uel occulta. Quæ manifeſta, ea ſunt mitiora, aut ualentiora. Mitiora ſunt mollientia, & digerentia; ualentiora, deterſoria; ualentiſſima cauſtica. Si ergo callus sit exiguus in carne molli, & ætate puerili, aufertur ijs, quæ humores infarctos diſſipant, ut ſunt calida, & sicca non valdè tamen, ne, siccatis partibus tenuioribus, reliquę lapideſcant, & callus durior euadat: ideòq; mollientia, & diſcutientia miſceri poſſunt. In hoc caſu laudatur à Dioſcor. lenticula cum melle, cinis ficus pinguedini anſeris admiſtus, diachylum magnum cum gummis, vnguentum

Medicamenta callũ adimentia.

tum Apoſtolorum Auicennæ, emplaſtrum ex oxelæo cap. vlt. lib. 1. k.y. tabacum, ſeu herba regina dicta, ſi eius uel folia imponantur, vel ſuccus immittatur. Si callus ſit maior, vel in ætate magis adulta, deterſoria valent, quæ corrodendo callum eximunt: ex his mitior eſt radix Sphondylij deraſa & impoſita, ſecundum Paul. cap. 49. libro 4. Valentius eſt ſi ſumantur, æruginis drag. xij. Ammoniaci drag. ij. aceto diſſoluta & impoſita. Hoc valentius eſt vnguentum Aegyptiacum, quod feliciſſimè vſurpatur. Valentiſſima ſunt chalcanthum vſtum, præcipitatum, cantharides in puluerem redactæ, & niger ſapo. Occultis qualitatibus callum eximunt, radix hellebori nigri tribus diebus dimiſſa in fiſtula, maximè ſi callus ab humore melancholico ſit ortus: occulta enim proprietate euacuat humorem, callum facientem: coroſione verò manifeſta, callum quoque demit. Laudatur etiam elaterium, therebinthina exceptum, in callo pituitoſo. Præterea radix cucumeris aſinini. Si callus ita ſit magnus & durus, ut his non poſſit auferri, recurrimus ad cauſtica. Inter initia igitur confert lac tithymallorum miſy, ſory, chalcitis, lixiuium è cinere, è calce viua, arſenicum puluerizatum, &c. Ferro etiam callum præcidere poſſumus, ſi admittat æger: quod ſit leui doloris ſenſu. Præcidere debemus, donec ad ſanum deueniamus, quod dignoſcitur è ſanguine & doloris ſenſu. Ferramento candente, præduri calli & expeditius, & minori dolore auferuntur.

Cauſtica ad callos.

Præciſio, & exuſtio.

Tertium & quartum impedimentum, eſt anguſtia & altitudo, ipſius ſinus. Quia autem propter anguſtiam medicamenta difficulter in fiſtulam immittuntur: propterea vel fiſtula dilatatur, uel medicamenta liquida redduntur. Dilatatio fit inſtrumentis, quæ altera parte tenuiora ſunt, altera craſſiora: & pars tenuior primum in fiſtulam infigitur. Fiunt autem hæc inſtrumenta è radice gentianæ, bryoniæ, ari, ariſtolochiæ, è ſpongia, vehementer cõtorta & expreſſa: quidam vtuntur medulla ſambuci: ego medulla ſorgi quæ contorta & intra fiſtulam immiſſa, dum attrahit, & imbibit humiditates, turgeſcit, fiſtulamq; dilatat. Hæc medicamenta, ad dilatandum comparata, interdum imbuuntur medicamentis, quę valent ad callum auferendum, carnem ve gignendum. Medicamenta etiam redduntur liquida lixiuio, mulſa, aut uino mulſo: hæc tamen minus ſunt valentiora, quam quæ in forma ſolida vſurpantur. Vt autem propter altitudinem ad fundum vſque peruenirent medicamenta, & fiſtula commodè expurgaretur; excogitarunt chirurgi inſtrumenta quædam, quæ turundæ appellantur, quibus medicamentum ad fiſtulæ fundum deduci poteſt. Excogitarunt clyſteres, ſeu iniectiones, quibus totam colluuiem è fiſtulæ fundo eluunt. Hi parantur è lixiuio, vino mulſo, aqua mulſa, aqua marina, muri, aqua calcis, aquis thermarum, aqua vitæ, vel hordei aqua cum melle roſaceo, uel aqua aluminoſa.

Profunditas & anguſtia fiſtulæ.

Vt autem ſciamus quænam ablutio ſit conueniens, notandum eſt, ablutionem reſpondere debere medicamento poſtea imponendo. Si enim medicamentum imponendum, ad callum eximendum valebit; ablutio etiam futura eſt, quæ ſimiliter callum adimat: vt lixiuium, aqua calcis, aqua uitæ, Aegyptiacum unguentum lixiuio dilutum. Si glutinans eſt imponendum medicamentum, ablutio erit glutinatoria: ut aqua aluminoſa, decoctum plantag. rubi, hypocyſtidis, vinum nigrum & auſterum, maximè ſi prædicta ei incoquantur.

Si medicamentum imponendum eſt ſarcoticum, etiam ablutio ſarcotica erit, & ſiccans & detergens: ut aqua mulſa, vinum mulſum, aqua marina, muri, aqua hordeacea cum melle, aquæ thermales, &c.

Impedimentum etiam eſt, quod fiſtulæ curationem moratur, ſi ſupra incipiat, & infra terminetur, unde humores pondere ſuo inferius deſcendunt. Hic ergo aut inferius foramen perforandum, ſi propè cutim terminetur, & ſi non obſtet vena, arteria, neruus, tendo, vel membrum collocandum eſt, ut effluxui humorum fit accommodum.

Situs fiſtulæ curationi inepti.

Impedimentis ablatis, deueniendum eſt ad ipſam fiſtulæ curationem: quæ fit, ſi pri-

Curatio fiſtulæ.

si primum sinus carne impleatur, deinde reliquum glutinetur. Carnem in fistulis generat fucus pimpinellæ, virgæ aureæ, centauri minoris. radix aristolochiæ: vnguentum Isidis, & de tuthia. In his perpendenda natura vlcerum, tempus anni, crasis ægri, &c. de quibus alias diximus. Quo ad glutinantia primum ablatis turundis, deinde adductis labijs ad mutuum contactum, ligatura è duobus iuitijs circundari debet, quæ ritè facta, sæpe sola sufficit. Glutinantia etiam imponenda, quale hoc: R. gummi oliuarum, aloes, ana partes æquales, excipiuntur succo foliorum Persici, & in mortario plumbeo teruntur. Optimum etiam ad fistulas glutinandum, est emplastrum Barbarum: item Galeni emplastrum giluum, cap. 12. lib. 2. meth. Valet etiam plurimum, emplastrum ex oxelæo, quod fit è parte vna lithargyri, è duabus acceti acerrimi, & oleo vetustissimo.

Carnem generantia.

Glutinantia.

Proprietate sanant fistulas, gentiana cum vino epota, radix aristolochiæ rotundæ contrita, & in vino bibita: quæ expurgant materiam fistularum per intestina. Ranæ pulverizatæ etiam prosunt.

Fistulas proprietate quæ tollant.

Fistulæ autem perfectè coratæ cognoscuntur: si humor emanans, sit paucus crassus, coctus: si locus sine tumore, dolore, & ad vnguem siccus, capite 8. libri 2. ad Glaucon.

Nota, curata fistula.

CAPVT XII.

De Fistulis in ano.

Fistula in ano frequentes.

ANI fistulæ particularem curationem exposcunt. Frequentissimè autem circa anum excitantur. Primò, quia hæ partes molles sunt, & admodum laxæ, vnde facilè humores suscipiunt: deinde quia locus ille etiam in sanis corporibus aquosa humiditate refertus est, &c. licet autem hæ fistulæ curari non debere videantur: cum distent à partibus principalibus, situmq; habeant declivem: nisi tum curentur, facile multiplicantur, & ex vna, duæ vel tres fiunt; item intra intestina tubercula, quædam dura oriuntur, quæ obstruendo meatus, fœcum prohibent exitum.

Fluxionis curatio.

Porro, in curatione videndum, ne supprimantur humores, neve fluxio intra corpus intereludatur. Obsistimus autem fluxioni, primum frequentibus totius corporis purgationibus, interdum quidem per intestina, vt plurimum autem per vomitum, si fieri potest: deinde per auersionem fluxionis, & potissimum per fonticulos in cruribus: item per exsiccationem totius corporis, cuius gratia sudor prouocatur decocto salsæ parillæ. Hippocrates desiccat fluxionem per vrinam, datq; mulsam, in qua radix seseli is macerata est, ternos ieiuno cyathos. In summa totius corporis procuratio repetatur è doctrina vlceris fluxione tentati.

Num vna sit fistula, vnq. penetret in anum.

In ipsius autem fistulæ curatione, primum explorandum num hæc sit vnica, an multiplex, id est num vnum habeat orificium & ductum, an verò plura orificia, pluresue ductus: deinde, num intestinum penetrent fistulæ. Num sit vnica interdum cognoscimus visu, interdum immisso stylo: Num penetret in intestinum, cognoscimus, si stylo in fistulam immisso, digitoq; indice in anum indito, nudus digito stylus occurrat. Si propter fistulæ tortuositatem, in hanc cognitionem deuenire nequeamus, alia sunt: signa nam è fistula penetrante interdum fæces exeunt, si amplior sit; vel spiritus & uentus, aut saltem fœtor, si angustior: interdum & lumbrici exeunt. Secundum signum est, quod ex ano profluit sanies, & indusia inficit: tandem in fistulam liquor immissus, exit per anum; & vice versa.

Quod

Quod si ergo fistula circa anum existens, admodum profundè progrediatur, ut incidi non possit: primum dilatanda est, deinde abluenda per clysterem, factum è flore æris, myrrha, lycio, è vino dilutis, vt callus auferatur: quo ablato, reliqua curatio est eadem, quæ in alijs fistulis, nisi quod vehementiora hic requiruntur; quoniam partes admodum sunt humidæ. Laudantur ergo diphryges, ostreorum cinis, lithargyrus, sicca magis consistentia, quàm humida. *Fistula non penetrans, si alte progre...*

Verum huiusmodi fistulæ sæpè propositis medicamentis curari nequeunt: ideoq; ad sectionem veniendum: quæ nisi administrari queat, relinquendæ vt incurabiles, ægrisq; præcipiendum, vt apertas tenent. *Syringotomia*

Si incidi possunt, incidendæ sunt, quousque penetrent. Pro quibus mihi gladiolum paraui, acie donatum longa, & angustissima, circa cuspidem aliquantum recurua. Apertione facta, æris flos inspergendus, ad diem vsque quintum, pro callo auferendo. Extrinsecus cataplasma imponendum ex aqua polentæ, & betæ: quod Hippocrates facit, ad inflammationem arcendum. Reliqua glutinatorijs absoluetur curatio, ut supra dictum est.

Si intestinum penetret fistula, aliquando ab Hippocrate sine incisione curatur. Nam primum turundam fistulæ immittit, succo tithymali madidam, pro callo eximendo. Deinde florem æris aspergit. In anum, ad phlegmonem prohibendum, glandem immittit corneam, exterius illitam, vsque ad quintum diem. Ablato callo, glandem alumine implet, anoq; imponit; ad glutinandum, ad inflammationem arcendam: ad locum affectum circumquaque exsiccandum. *Fistula in intestinum penè trans.*

At curatio hæc, vt quod sentio apertè dicam, vix unquam dextrè succedit. Melior est multò, quæ incisione fit: cuius duplex est modus. Vel enim sumimus filum sericum (quod ob tenuitatem, & tincturam facilius incidit, & erodit) hocq; traijcimus ab orificio fistulæ ad anum: & transuerso quodam paruo ligno conuoluendo, arctius subinde stringimus, donec vniuersus ille locus incidatur.

Postea, ad calli absumptionem, æris flore locum respergimus, deinde imponimus, quæ ad inflammationem modò enumerauimus. Incisio etiam breui absolui potest syringotomo; quod instrumentum est recuruum altero extremo capitulum crassius habens. Et hoc fistulæ vnico ictu, seu adactu inciduntur, ne diu ægri doloribus torqueantur. Contra, quæ filo peragitur incisio, cruciatuum diuturnitate aliquot diebus molesta est. Locum tamen hæc apud eos habet, qui meticulosi ferrum expauescunt.

Facta incisione, & callo ablato, vulnus carne implemus, & glutinamus ijs, quæ supra retulimus. Peculiariter autem in hisce fistulis aquas thermales enematum forma in anum infundo: & ex ijsdem aquis insessus parari iubeo: vt tum vlcus intra intestinum siccetur, tum omnes etiam partes circumiacentes siccando roborentur, ne in posterum tam promptè humorum colluuiem recipiant.

APPENDIX AD DOCTRINAM DE VLCERIBVS

CAPVT XIII.

De Vlcere in urethra è Gonorrhœa.

Causa profluuij seminis.

GONORRHOEA est assiduus seminis fluor: cui nec voluptas, nec tentigo coniuncta est. Causæ sunt acrimonia, & tenuitas seminis: vnde intra vasa contineri nequit. Item abundantia seminis, in his qui Cereri, & Baccho sunt dediti, vel cœlibatui sese addixerunt. Imbecillitas quoque testiculorum, ob dyscrasiam simplicem, aut compositam, ob tumores præter naturam, ob omnimodam continentiam. Ignauia enim exsoluit, teste Platone, exercitatio autem robur addit particulis. Solet etiam oriri ob inexhaustam libidem, accessumq; ad scorta, præsertim dum menstruæ fluunt purgationes. Sæpè si quis vel virginem, vel matronam inexorabilem per vim stuprare tentat, nec eam expugnare potest, oritur hic affectus.

Sic longa sub ardenti cælo equitatio laxat arterias illas, & venas, quæ iuxta renes sunt, vt per illas succi liquati ad testes facilè delabantur. Nonnumquam tres, vel quatuor annos hoc durat profluuium, corpusq; ad extremam maciem deducit. Si enim (quod sæpè fit) ex vno, alteroq; concubitu corpora contabescunt, & labefactantur: multò sanè magis id accidet è tam diuturno benigni seminis effluxu. Insuper vt menstrua singulis mensibus prodire solent mulieribus: ita viris quibusdam redundantia sanguinis, quæ nec per vrinam, nec sudores, nec insensibilem transpirationem discuti potest, ad testes confluit, & per lotij meatus excernitur. Hinc viri nonnulli effeminati, & lac gignunt, & purgationes, instar muliebrium ordinata vicissitudine patiuntur, in Germania, & Lotharingia.

Quomodo seminis effluuium vesicã exulceret.

Si igitur semen, quod effluit, sit purum, pellucidum, omnisq; alienæ qualitatis, & odoris expers, nec adhæreat meatui, nihil nocet: indicat tamen plenitudinem; vel imbecillitatem facultatis retentricis; vel conuulsionem vasorum, vt in epilepticis. Si verò sit infectum vitiosis succis, odore viroso, consistentia & colore referens pus non probè concoctum, tunc id collum vesicæ calefacit primùm, post etiam erodit, pungit, & exulcerat: licet à calculis quoque anguloſis, & vrina acri sæpè exulceratio causetur.

Signa diagnostica Vlceris in vesica, & pene.

Distinguendum verò est colis, & vesicæ vlcus. In colis vlcere pus una compactum, & collectum urinam præcedit; dolor inter meiendum acerbissimus. In vesicæ vlcere, non ita sæuus est dolor, nec pus ab urina secretum meitur; squamulæ etiam quædam excernuntur; fœtet lotium. Si vrinæ meatus sit exulceratus, colis tensus est, dolet, curuatur ad inferna, nec nisi inter femora indolenter eneri potest.

Prognostica.

Vlcera in penis cauo nisi citò curentur, in carunculas præter naturam transeunt, quibus vrinæ meatus obstruuntur. Vt enim è sanguine bono caro laudabilis, sic è succis vitiosis spongiosa, ac praua crescit, quæ ægrè exterminatur in locis abditis, & inaccessis: ideoq; vlcera his in locis citissimè curanda.

Scopi curationis.

Curatur vlcus in vesicæ, vel urinæ consistens meatu, si exsiccetur, & cicatrice obducatur: quod fieri nequit, nisi humor affluens coerceatur. Si igitur plethora adsit, vena tundenda, victuq; tenui æger alendus. Si succorum acrimonia, & tenuitas adsit; hi incrassandi, ad symmetriam reducendi. Corroboranda vasa spermatica, si imbecilla. Si labor, & æstus præcesserint, corpus refrigerandum.

Curatio.

Vt autem res magis fiat perspicua, casum quendam, seu exemplum speciale proponemus,

pus; totam curandi rationem, ſubiectis formulis medicis, breuiter adumbrantes. Vir quidam quadragenarius, ſanguineus, & bilioſus, venas habens amplas, hirſutus venereus gonorrhœa corripitur; indeq; in collo veſicę vlcus contrahit; calculoſus item, & vrinæ ardore affectus. Hic ſub veris initium curandus venit, in regione calida, & humida fluxionibus obnoxia nimirum Romæ.

Vacuantia, & reparãtia humorem biliosum.

Aluus huic primùm ſubducenda eſt clyſmo emolliente, qualis hic eſt: R. fol. maluæ, violariæ, parietariæ, lactucæ, ana. Manip. j. hordei mundi Pugil. j. prun. dulc. n. xij. coq. ſ. a. ex aqua; Colaturæ libræ. j. adde pulpæ caſſiæ vnc. j. rhodomelitis, ol. violati, an. vnc. ij. injiciatur. Aluo ſubducta, ſecanda vena Baſilica, & extrahendus ſanguis ad vnc. vj. circiter. Poſtea quinque, vel ſex diebus continuis mane hauriat æger ſyrupum præparantem, indeque poſt quinque horas prandeat: R. ſyr. violati, & de endiuia, ana vnc. j. aquæ hordei vnc. iv. ſpec. diatrionſantal. ſcrupul. ſem. Miſ. Septimo die, niſi nouilunium ſit, vel plenilunium, ieiunus hoc ſumat: R. glycyrrh. raſæ, prun. Damaſcen. tamarind. hordei mundi, ana drag. iij. quatuor ſem frig. maior. mundatorum ana drag. ij. ſem florum cordial. ana Pugil. j. coq. in decocto diluantur electuarij diacathol. & pulpæ Caſſiæ, ana drag. v. (vel, horum loco, mannæ vnc. ij.) ſyr. roſ. laxatiui vnc. ij. ſpec. diatrionſantal. ſcrup. j. Miſce. Atque hæ vacuationes repeti toties poſſunt, quoties opus erit.

Refrigerãtia corporis, & potiſſimum renes ad ſiſtendum fluxum.

Abſoluta vacuatione, ſumat aliquot diebus mane conſeruæ roſ. vnc. i. ſuperq. bibat aquæ hordei cyathum. Abluantur crura decocto roſarum rubear. hordei, viol. calycumq; papaueris. Ablutis cruribus, plantæ pedum radantur, vngues reſcindantur, renes, ac tota ſpina, teſticuliq; & pudendi radix, refrigerentur: R. vnguenti roſati Meſuæi, & infrigidantis Galeni, ana vnc. j. ol. violati vnc. ſem. pnlu. roſ. rub. ſantali citrini, ſpodij, ana drag i caphuræ grana v. Miſce diligenter, addito aceti roſati pauxillo. Si ſpermatis fluxus non ſiſtitur, lamina plumbea mediocris craſſitudinis lumbis admoueatur: qua meatus relaxati comprimantur. Vel hoc: R. boli Armenæ, terræ ſigillatæ, ſanguinis dracon. coral. rubeor. roſ. rub. ſpodij, ſantali citrini, an. drag. ij. acaciæ, thuris, maſtiches, ana drag. ſem. terebinthinæ, cerę, ana vnc. j. olei myrtini vnc. ii. fiat emplaſtrum: quod perpetuò adhæreat renibus, donec decidat. Bibat diebus aliquot cyathum ſeri lactis caprini, cui ſyrupi violati vnc. j ſit addita,

Topica, pro vlcere meatus vrinarij.

Quo ad ipſum vlcus, hoc purgandum, & glutinandum. Vnde aqua hordei, cum modico melle roſato per ſiphonem injici debet, ad detergendum, & eluendum. Cicatrix poſtea inducatur, R. aq. roſarum, & plantaginis, ana vnc. iv. ſacchari canditi vnc. i. ceruſſæ, argenti ſpumæ, aluminis rochæ, ana dr. i. ſem. caphuræ ſcrup. ſem. fiat collyrium; cui addi poterunt unguenti Aegyptiaci drag. ij. ſi valentiùs ſiccare placeat.

Diæta.

Victus ſit mediocris, refrigerans modicè, & humectans, ſuccorumque acrimoniam retundens. Paſtum inchoet ſemper à prunis Damaſcenis, ex aqua cum ſaccharo coctis. Potus ſit non vinum, ſed glycyrrhizæ & hordei decoctum. Caueat æger à diureticis validis, itemque à venere. Vtendum his, quæ dolorem minuunt, impetumq; ſiſtunt humorum turgentium. Ideoque dum æger ſomno ſe daturus eſt, quatuor à cœna horis, ſingulis noctibus ſorbeat emulſionem amygdalarum dulcium, hoc paratum modo. R. amygdal. dulc. ex corticatarum vnc. i ſeminum quat. frig. maior. recentium unc. ſem. papaueris albi drag. i. tundatur, & extrahatur decocto glycyrrhizæ; colaturæ adde ſacchari roſati tabulati vnc. j.

CAPVT XVI.

De Caruncula in collo vesicæ.

Signa.

SI vlceri in vesicæ collo accrescat caro superflua, tunc insignis est vrinæ difficultas. Lotium enim non nisi guttatim, maximoq; conatu redditur, ita vt sæpè alui etiam feces vna egerantur: in venere semen frigidum languidè, & citra voluptatem stillat; nec lotium recto filo excernitur, verum in vnam alteramve partem infringitur: interdum diuaricatur, prout caro meatus partem occupauit; sæpè omninò non excernitur, sed per alias partes erumpit, vt per scrotum, peritonæum, sedem, per inguina. Præterea, specillum si per vesicam inferas, penetrare ad vesicam vsque non potes, sed in tumorem ipsum impingis. Signa distinguentia à calculo. Primò secernitur tactu ipso per specillum; Deinde è prurigine iuxta penis radicem; Tum è diuerso modo suppressionis vrinæ: Interdum enim calculo laborantes liberè & copiosè mingunt, lapide scilicet se reuoluente, dum supinus collocatur æger, vt crura sint sublimiora corpore.

Curatio. Curandi duplex est methodus: vna violenta & periculosa: cuius Galenus meminit in Opere de loc. affect. scilicet, si ænea fistula caruncula illam deteramus. Altera mitis, & facilis, nec periculosa, quæ fit medicamentis.

Vt via medicamentis parata. Præmissis igitur euacuationibus, diætaq;, mollis cauliculus apij, aut maluæ, oleo amygdal. dulc. munctus, molliter vesicæ collo est inserendus; qui, si facile penetrat, significat carunculam non adeò excreuisse. vnde spes magna surgit curationis.

Per cauliculum. *Per emollientia.* Si verò impingens flectatur, aut frangatur; emollienda est excrescentia, vt tractabilior reddatur, fomentis, collyrijs, & emplastris eam ad rem aptis. Fomentum: R. fol. maluæ Manip. j rad. apij, fenic. altheæ, ana vnc. iii. seminis lini, cydon. ana vnc. i. florum chamæmeli, stœchad. meliloti, pulegij, origani, ana p. ii. caricarum ping. vnc. i. sem. coque ad rad. dissolutionem. Postea æger decocto insideat mane, & vesperi, vt vaporem vniuersum ab eis sublatum pudendis excipiat, ac præcipuè ipsa colis radice. Vel spongiam imbutam, & expressam impone.

Et dum hæc fiunt, æger reddat vrinam. Postea, partes abstergantur linteolo, & vnguntur: R. vnguenti dialth. Agrippæ, œsypi, butyri bubalini, ana vnc. i. ol. amygd. dulcium, lilior. albor. chamæmeli, ana vnc. ii. Ammoniaci vnc. ii. sem. succi apij, & chamæactes, ana vnc. iii. mucilag. althææ, fœnigræci, ana vnc. ii. coque ad consumptionem succorum, adde ceræ modicum, & fiat sec. art. vnguentum.

Inunctæ partes lana succida integantur. Postea siphone hoc injiciatur: R. rad. althææ, sem. lini, & fœnigræci, ana drag. iii. coque è tribus cyathis aquæ fluuialis ad tertias: cola, adde ol. amygd. dulc. vnc. iii. His peractis, cauliculis dictis tenta caruncula præterire: quod si potes, breui discutietur tumor. Cauliculus longus sit palmum vnum, & duos digitos ipsius ægri.

Per cereum. Quod si adhuc renitatur, inserenda leniter cerea candela tenuis, è forti filo, & cera, cui aliquid terebinthinæ additum sit, ne frangatur: perungatur priùs ol. amygdal. dul. modicè inflexa iuxta tenuiorem partem: quæ si vltra caruncula progreditur, bonum; quia sic compressa digitis, signum loci affecti denotabit. Quam postea candelæ partem signabis, & medicamentum aptum ei applicabis. Et si plures partes læsæ conspiciantur, etiam pluribus medicamentum appones. Quod si autem candela tumorem superare haud possis, virgulam plumbeam confice, ac illine oleo dicto:

Per virgulam plumbeam.

plum-

plumbum enim & anodynum est, & vlcera exsiccat, & excrescentes carnes supprimit, constringitq; vt sedeant.

Si & hanc caruncula respuat, aureo vel argenteo cathetere vtendum: tutius tamen prioribus res agitur: hoc enim instrumentum sanguinis fluxum excitare solet; ad quem compescendum siphone in meatum inicijantur, aqu. plantagin. & rosar. quibus albumen oui sit permistum: sic enim fluxus sistitur: & extra apponatur hoc cataplasma, R. aquæ vel succi plantag. aquæ ros. ana vnc. iv. aceti ros. vnc. ij. albumina ouorum numero ij. pulu. boli Armeni sang. drac. corall. rub. myrtill. corticum mali Punici, terræ sphragitidis, ana drag. ij. Misce, fiat cataplasma. *Per cathetere.*

Siphonum autem sit quantitas pro varietate sexus & ætatis: pro maribus, maximus sit 15. digitorum, medius 12. minimus 9. Pro mulieribus, maior 9. minor 6. viriles magis curuantur, quod viris magis intorqueatur collum vesicæ: Aeger super sellam ponatur supinus: Chirurgus à dextris illi assistens, sinistra colem teneat, dextra immittat siphonem, & vbi ad collum vesicæ peruenerit, simul cum cole fistulam inclinatam sensim in vesicam compellat, & per totam diem intus relinquat: cogaturq; æger lotium sic reddere, vt tum ab vrina, tum ab organo, ductus ille dilatetur. Educto cathetere, inserenda candela cerea ibidemq; sinenda, donec ipsi à caruncula signum imprimatur.

Parti autem candelæ, vbi caruncula contingit, sequens emplastrum applicandum, partes sanas tutans, excrescentes verò absumens, sine insigni dolore, R. æruginis, auri pigmenti, chalcitidos, id est, vitrioli offic. aluminis rochæ, ana vnc. ij. infunde aceto acerrimo: inter duos lapides marmoreos inducantur in leuissimum pollinem: exponantur soli caniculari, idque octo vel nouem vicibus, donec summa partium tenuitate acquisita, omnem prorsus mordacitatem amiserit. *2. Emplastrum absumens excrescentiam.*

Præterea, R. argenti spumæ, vnc. ij. ol. ros. vnc. iv. coque ad emplastri consistentiam, adde pulu. dicti vnc. ij fiat medicamentum duriusculum, vt candelæ vel plumbo adhærens, diffluere à propria sede non possit.

Sed ob varia corporum temperamenta, duplex habeatur compositio: vna mitissima, quæ præhumidis atquè maximè sensibilibus administretur; altera robustissima, quæ robustis applicetur: quas dein variè commiscebis, pro medijs constitutionibus. Auspicandum semper à mitioribus, progrediendumque ad acriora, si ex vsu fore videantur.

Fortissima erit composito, è pulueris dicti, & argenti spumæ æquis partibus. In summa, curandum, vt medicamentum adhæreat caruncula. Sic 5. vel 6. dierum spatio caruncula consumetur.

Interim si quis dolor, aut insolitus rigor, aut febris, aut symptoma aliud acciderit: extrahenda candela, eluendus meatus lacte caprino, aut aqua rosar. cum pauco caphuræ; idq; tam diu, donec sedata illa impedimenta videbuntur.

Signa exstirpari caruncula, habentur è mordicatione circa partem, & è copia effluentis puris.

Signum absumptæ caruncula est, quando facilè candela, etiam parte crassiore transire potest vsque ad vesicam; si lotium libere, citò, copiosè, & recto tramite profluit; sicque celeriter genitale excernitur semen.

Discussa carne, vlcus abstergendum, iniecto hoc collyrio, R. centaurij minoris, apij, caudæ equinæ, ana Manip. sem. hordei concisi vnc. j. coque in lib. ij. aquæ purissimæ, donec media pars absumatur: colaturæ adde rhodomelitis, uel mellis centauriati, vnc. ij. *3. Abstersio vlceris.*

Laudatur collutio ex aqua destillata è cochleis & fabis viridibus, cui additum sit non nihil mellis rosati. Si verò sordium sit maxima colluuies, adde vnguenti Aegyptiaci parum.

Vlce-

Conſolidatio vlceris. Vlceri puro cicatrix inducenda, R. aquæ plantaginis, & roſ. ana vnc. iv. ſeri lactis caprini vnc. ij. ceruſſæ drag. vj. aluminis rochæ, marmoris candidiſſimi, ſpodij, cryſtalli, ana drag. j. ſem caphuræ ſcrupul. j. terantur terenda tenuiſſimè, & cribrentur, poſtea humidis miſceantur. Victus interim alterandus, vt ſit paulo tenuior. Diuretica exhibenda, cum non amplius humor affluit.

CHIRVRGIÆ VNIVERSALIS HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE LIBER QVARTVS.

De Fracturis.

CAPVT I.

De definitione, differentijs, cauſis, & ſignis fracturarum.

SI CONTINVI ſolutio in oſſe fit à cauſa interna, id eſt, ab humoribus corporis erodentibus, dicitur Caries, de qua nos capite 10. lib. 3. in vlcerum doctrina, egimus: ſi fit ab externa, dicitur Fractura, de qua iam agemus. Definitur autem à Paulo, cap. 89. lib. 6. quod Fractura ſit ſolutio continui in oſſe, a violentia quadam extrinſecùs aduenies. *Definitio.*

Differentiæ fracturarum, ſecundùm Galenum cap. vlt lib. 6. Meth. ſumuntur à figura, à magnitudine, ab oſſium fractorum varietate. A figura, fractura eſt, vel recta, id eſt, quæ fit per longitudinem; vel tranſuerſa per latitudinem; vel obliqua, quæ è prædictis quaſi componitur. Secundò, fractura eſt magna, vel parua. Tertiò, differentiæ ſumuntur à ſubiectis, id eſt, ab ipſis oſſibus fractis: vel enim fractum eſt femur, vel humerus, vel coſtæ, & cætera. *Species.*

Inter cauſas fracturæ, rariſſimè eſt inſtrumentum erodens, vt ignis actualis; rarò pungens; frequenter ſecans; & frequentiſſimè tum rumpens, tum contundens. *Cauſa.*

Fractura ſine vulnere exſtens, cognoſcitur primò è cauitate, quæ percipitur, ſi ſub, & ſupra fracturam pars tangatur. Secundò, ſi contrectetur membrum fractum plerumque ſolet efficere crepitum, ſeu fragorem, in loco fracto; ob durorum corporum mutuam affrictionem. Tertiò, dolor vehemens adeſt; ob diuulſionem neruorum, aut ob diſtorſionem corporum neruoſorum, aut ob punctiuram eminentiæ alicuius oſſis in neruoſo corpore. Quartum ſignum eſt impotentia ſuſtinendi membrum fractum, & innitendi in ipſo. Poſtremum ſignum eſt, ſi præceſſerunt cauſæ fracturarum, & ſimul propoſita ſigna adſunt. Hæc ſigna perpetuò comitantur. Interdum verò etiam adeſt membri tortuoſitas, & breuitas, ſed non ſemper. Si vulnus adiunctum ſit fracturæ, præter ſigna propoſita, digito aut ſpecillo immiſſo, ruptura vel aſperitas oſſis perſentietur. Et *Signa.*

hæc de fractura transuersa. Quod si os secundùm longitudinem fractum sit, primò adest membri crassities, vltra naturalem statum; deinde dolor; tum membri inæqualitas.

Prognostica. Quo ad præsagium: fractura ossium non vacat periculo: quia necessariò solutio continui sit magna: in parte quidem carnosa si fiat vulnus, tantum vulneratur, quantum instrumentum incidens vulnerat, non vltra: at si os tumpatur, propter rigiditatem, & continuitatem non potest frangi, nisi totum frangatur. Fractura etiam periculosa est, quia fit in loco profundissimo, ad quem chirurgi manus peruenire non potest. Aliæ etiam aliis magis sunt periculosæ. Nam fracturæ in osse magno difficilius curantur, quàm in paruo, multiplex, quàm simplex, cum vulnere, quam sine vulnere, iuxta articulos, quàm longè ab his.

CAPVT II.

De arcenda inflammatione in fracturis.

Phlegmone in fracturis cur timeatur. CVRATIO fracturarum requirit unionem. Vnio autem fieri nequit, nisi hæmorrhagia præcaueatur, & inflammatio, secundùm Celsum, cap. 26. lib. 2. Hæmorrhagia quidem in ossibus non est formidanda, vt in carnosis partibus,) nisi fracturæ sint cum vulnere: Ad ossa enim non feruntur insignes venæ, & arteriæ, cùm in durissimo corpore calor exiguus minimum de substantia dissipare queat. Inflammationem verò hic summè formidamus, & quidem magis, quàm in parte carnosa. Propter dolorem enim fit attractio, propter imbecillitatem, multa excrementa tum recipiuntur, tum generantur, quæ à parte fracta amplius extrudi non possunt. Augetur periculum, quod ossa in multa carne sepulta iacet. Prohibetur autem inflammatio remotis causis: ut abundè in vulnere carnis simplici, supra cap. 4. lib. 2. ostendimus.

CAPVT III.

De curanda fractura transuersa; sine vulnere; & primùm de coaptandis partibus ossis fracti.

Indicationes. ACCEDAMVS ad ea, quæ tantum ipsius fracturæ curationem respiciunt; & primùm agamus de fractura transuersa sine vulnere. In hac fractura indicatur vnio ossis, quæ non per primam intentionem, nisi in infantibus, sed per secundam fieri potest, interuentu scilicet calli supernati, & fractas partes circumalligantis. Scopi ergo hi proponuntur. Primùm fracti ossis partes rectè committere. Secundò, commissas seruare. Tertiò, partium adiacentium saluti consulere. Quartò, callo generando studere, Quintò, accidentia corrigere.

Commissura partium fracti ossis. Vt rectè committantur partes, opus est extensione, & coaptatione. Quia enim in fracturis, potissimùm transuersis, ossa distorquentur, & rectitudo membri deperditur, accidit vt quædam partes emineant, & alibi cauitates cõtrahantur. Quoniã vero vna ossis fracti pars alteri superponitur, membrum necessariò fit breuius, quia musculi perpetuò membrum trahunt versus suum principium. Qua de causa extensio est necessaria, quæ partes fracti ossis, quæ directæ nõ iacent, in directũ agat, & eminẽtias in suas cauitates recõdat. Et quamuis interdũ membrum non videtur breuius fieri (vt si è duobus constet ossibus, & alterum tantum frangatur, vel si ĩ

vna

vna pars ossis fracti non superponatur alteri) nihilominus, si proba debet fieri coaptatio, necessariò in omnibus fracturis transuersis fieri debet extensio: alias enim periculum est, ne eminentiæ frangantur; si absque extensione velimus os distortum dirigere, & circumrotare, aut confricare mutuò partes ossis fracti; nam si eminentiæ franguntur, tunc vel intercidunt inter ossa coaptanda, & sic coaptationem impediunt, vel procidunt extra ossa, & excitant dolorem, tum distendendo, tum pungendo partes neruosas. Hæc incommoda in ἀντιτάσει vitari possunt. In extensione autem modus est seruandus: Si enim validior sit, quàm requiritur, oritur dolor insignis, vnde febres, & conuulsiones, & resolutiones, interdum etiam musculos esse diuulsos Galenus scribit, Com. 1. lib. 1. de fractur. Si mitior sit extensio, quàm pars est, confricabuntur inuicem ossis eminentiæ, & aut frangentur, aut in proprias cauitates non recondentur. Proinde ossa grandia, & musculi magni, qui membrum robustissimè trahunt versus suum principium, validissimam postulant extensionem: talia ossa sunt, primum femur; deinde humerus, & tibia; tertiò cubitus; post, quæ in summa manu, & summo pede sunt; Præterea si vtraque ossa sunt fracta. Minimam extensionem postulat radius in cubito, id est, os superius, quia hoc os non habet musculos, qui sursum trahant, cum moueatur in pronum, & supinum. Oportet etiam obseruare debitam figurationem, id est, vt membrum extendatur in ea figura, quæ minimum facit dolorem: quod fit, si fibræ musculorum in rectum intendantur, & musculus integer in vna membri parte conseruetur. Pueri, & qui molli sunt corporis habitu, validiorem tolerant extensionem: contra, adulti, & duri. Denique perpendendum est fracturæ tempus, si enim Chirurgus primo die aduenias, validiùs extendere potest: at si post primam diem veniat, aut non debet extendere, aut mitiùs, propter influxos humores, & metum inflammationis, secundùm Celsum cap. 10. lib. 8.

Extensio quàm valida esse debeat.

Cautio.

Instrumenta extensionis sunt triplicia: Primùm manus Chirurgi, ad debilem, seu exiguam extensionem; Secundò, funes, & habenæ ad mediocrem; Tertiò, organa, & machinamenta, ad validam.

Instrumenta extensionis.

Laxatis igitur instrumentis extendentibus, optima fit partium ossis coaptatio: quam factam esse, tribus signis dignoscimus; Primò, si membrum fractum sano in figura respondeat; Secundò, si tactu nulla cauitas, asperitas, eminentia, vel inæqualitas, in osse facto notetur; Tertiò, si dolor mitescat.

Signa bona coaptationis.

CAPVT IV.

Quomodo partes ossis fracti vnitæ seruari debeant.

SECVNDVS fracturas curandi scopus est, vt partes coaptatæ seruentur: quod fit deligatura, quæsita fieri debet, vt & partes commissas seruet, & inflammationem arceat.

Deligatio.

Hippocrates tribus vtitur fascijs, è linteo non nimis crasso, vel tenui, ne vel premat, vel rumpatur. Primam fasciam ter voluit circa fracturam; Deinde sursum circumuoluit, vsque ad bonam membri partem, ita, vt tres, aut quatuor, vel plures circumuolutiones faciat.

Modus deligandi, secundum Hipp.

Hoc modo stabilitur fractura, dum ter linteum obuoluitur; arcentur etiam humores, qui inflammationem facere possunt, tum influxi, vnde ter circa partem fractam fascia voluitur; tum, qui adhuc influunt, maximè a partibus superioribus) vasa enim inferiora, sensim in nihilum terminantur) vnde fascia sursum circumuoluitur. Secundam fasciam, prima duplo longiorem, contrario modo obuoluit: si enim prior versus dextram, hæc versus sinistram obuoluitur; vt si musculus aliquis, nimirum per primam fasciam ad partem aliquam sit attractus, restituatur in partem contrariam, per secundam fasciam: quæ semel circa fracturam obuoluenda est; deinde, vt exprimantur humores influxi, deorsum est circunducen-

da, vsque ad aliquam membri partem; fractis scilicet tribus quatuor, aut pluribus circumuolutionibus, si opus sit; postea oportet sursum redire per ipsam fracturam, & præterire circumuoluendo etiam ipsam fracturam, quo vsque tandem ventum sit ad finem prioris fasciæ: vbi & secunda fascia terminanda. Hæc fascia, vt dixi primo obuoluitur circa fracturam, vt humores ab hac exprimat; Deinde deorsum fertur, ad detinendum humores, qui à partibus infernis ad fractam partem fluere possunt, ceu ad debilem; & quia timor est descensus humorum à parte superiori, ob id Hippocrates non terminat fasciam deorsum, sed sursum eam circumvoluit, vt finem habeat, vbi prior finitur. Hæ duæ fasciæ magis inflammationem arcent, quàm fracturam stabiliant: ad hanc enim plures circumuolutiones requiruntur.

Plagulæ. His factis, apponit Hippocrates circa fracturam pannos quosdam triplicatos, aut multiplicatos, qui eius sunt longitudinis, cuius formæ sunt fasciæ ipsæ; at angusti, vt 5.6. aut plures possint circa fracturam accommodari: inuncti hi cerato modico (si enim copiosum esset ceratum, defluerent, non autem continerent) apponuntur per longitudinem, circa partem fractam tot, quot requiruntur, ita vt vnius, vel duorum digitorum spatium inter vnum, & alterum intercedat. Dicuntur plagulæ, & splenia, à forma oblonga: supplent vim glutinantis medicamenti; & præterea leniunt dolorem, dum compressionem fasciarum prohibent. Tertia Hippocratis fascia plagulas iam dictas firmat: initium circumuolutionis huius fasciæ fit à fractura; deinde alterum huius fasciæ caput sursum, alterum deorsum voluitur. Id notandum, fascias magis stringi debere in parte fracta, quàm alibi, vt pars fracta magis illæsa seruetur ab humorum defluxu.

Ratio deligandi secundum Celsum. Celsus alium diligandi modum ponit, cap. 10. lib. 8. Primùm enim circa fracturam inijcit lintea, in oleo, & vino tincta; Deinde sex ferè circumducit fascias, quarum prima est breuissima, & ter circa fracturam voluitur, ter etiam circumuoluitur circa partem membri superiorem; altera dimidio longior, incipit à fractura, & deorsum circumducitur, postea sursum reuersa, in parte superiori vltra priorem fasciam debet desinere. Et hæ sunt duæ primæ fasciæ Hippocratis. Super has latius linteum cerato oblinitum est obducendum; vt priores fascias contineat. Et vbi os eminet (semper enim membrum fractum propensionem habet ad illam partem, ad quam in ipso frangendi actu propensionem habuit) semper apponendus est pannus triplex, vel multipex, eodem vino, & oleo madens, ei parti, quæ contraria est parti, in quam membrum inclinat. Ego interdum pannis vtor, interdum stupa, quam madefacio in vino nigro austero, si volo roborare, & arcere inflammationem, vel in oui albumine, si fractura dolore caret, & solum stabilire volumus. Celsus madefacit in vino, & oleo potissimùm rosaceo; si dolor scilicet infestat. Latiore linteo applicato, circumuoluere oportet quatuor reliquas fascias, ita vt insequens semper priori sit aduersa, & tertia in inferiori parte, reliquæ omnes in superiori terminum habeant.

Cōparatio deligationis Hippocratis, & Celsi. Celsi igitur deligatio ab Hippocratis deligatione differt. nam Hippocrates tribus vtitur fascijs, Celsus sex: Hippocrates vtitur plagulis, quarum loco Celsus latiora lintea vsurpat; Hippocrates cerato vtitur, Celsus vino, & oleo. Si dolor alicuius momenti partem infestat, Celsi deligatura magis prodest: at si dolor est vel nullus, vel exiguus, præstat deligatio Hippocratis, quæ maximè à Galeno probatur, cap. 5. lib. 6. Meth. Recentiores statim sumpta fascia è duplici initio deligant fracturam, non animaduertentes, quæ Hippocrates, & Celsus scripserunt. Nos autem medicinæ principes sequemur.

Bona deligatura signa. Terminus in stringendo debet esse bona laborantis tolerantia: vt deligatura leuiter premat, & sic tum contineat & stabiliat fracturam, tum humores exprimat. Sunt etiam alia huius signa, quæ altero die apparent: si enim æger eo die, quo deligatus est, sentiat se valentiùs stringi, postera verò die tumor laxus, mollis, & paruus appareat (in manu quidem, si brachium, in pede verò, si crus fractum sit) bona est deligatio, quia iam humores à parte fracta sunt expressi: Si verò aut nullus tumor, aut magnus, & durus postri-

postridie, in manu vel pede, appareat, praua est deligatura; quia illa non continet, hæc verò nimis arcta est, & inflammationem mouet.

Tertio die à deligatione facta Hippocrates fascias resoluit. tunc enim incipiunt laxari: quæ prima causa est, cur soluantur. Altera causa est, quòd frequentissimè in fracturis intolerabilis pruritus infestat, ob humores, & vapores per deligationem detentos, & acriores reddiros; qui pruritus terminati solet in excoriationem dolorosam, necnon inflammatoriam: & tunc soluendæ fasciæ, parsq; pruritu infestata sæpè aqua tepida perfundenda, vt sic omnia euaporent: postea rursus membrum deligandum. Facta bona deligatura, & pruritu non infestante, à tertio vsque ad septimum, oportet ægrum deligatum detinere: septimo membrum rursus soluendum, perfundendum tepida aqua, & ligandum. *Quãdo fascia soluenda.*

Sed hoc tempore vice plagularum oportet ferulas (ita Hippocrati dictas) apponere. Nostro tempore, quia non habemus copiam ferularum, chirurgi vtuntur laminis è ligno factis, è quo fiunt vaginæ ensium, vulgò assulas vocant, quas stupa obuoluunt: alij vtuntur carta, seu papyro crassissima; alij ligneis frustulis digitum crassis vtuntur. Horum vsus est, non solùm immobile, sed etiam rectum tenere membrum: quod optimè præstant ferulæ, quæ, cùm læuissimæ sint, non premunt, nec inflammationem mouent; quatenus verò sunt rigidissimæ, rectum seruant membrum. Assula facilè incuruatur, vt & carta illa crassissima, oleo præsertim, aut vino madefacta: ligna autem crassiora valde premunt, & mouent inflammationem. His vtebatur Hippocrates demum post septimum; quia ante septimum magis vrgebat intentio arcendæ inflammationis, quàm intentio stabiliendi fracturam, post septimum autem contra accidit. *Ferula, loco plagularum.*

CAPVT V.

Quomodo ossis substantia salubis conseruari debeat.

TERTIVS scopus curationis fracturarum est, substantiam partis salubrem conseruare: natura enim, id est partis temperies, os vnire nequit, nisi pars sit sana. Quia ergo pars fracta debilis est, vt corporis excrementa ad eam facilè confluant, vt etiam ob coctionem debilem multa excrementa secernantur, & expelli nequeant, & præterea, quia in osse fracto, etiam optimè coaptato, cauernulæ tamen quædam remanent, quæ postea sanie replentur: iccirco vt partem salubrem conseruemus, opus habemus medicamentis, quæ materiam influxam desiccant, & influentem repellunt, quæ vno verbo astringentia dicuntur. *Substãtia partis vt salubris sit conseruanda.*

Huius præsidij materiæ variæ sunt. Nam Hippocrates vtitur cerato, deinde vino nigro austero. Celsus linteis, oleo, & vino tinctis. E recentioribus quidam sumunt linteum vino nigro austero expressum: quidam stupam pexam, vino nigro austero expressam: quidam vinum, & oleum sumunt, hisq; admiscent pares portiones puluerum boli Armen. sang. drac. myrtillorum, balaust. rosarum rub. Alij præter hos pulueres, subigunt oui albumen, & faciunt medicamentum instar mellis crassum, imponuntq; supra stupas pexas, aut supra latius linteum. Quidam sumpto oui albumine, & vino nigro austero, admistis pulueribus propositis, absq; linteo, aut stupa, membrum fractum circumcirca illinunt. Et hæc medicamenta, propter oui albumen, statim siccantur, & valdè parti adhærescunt. Nonnulli fascias è vino nigro austero expressas circumuoluunt, vt firmiùs teneant. *Materia præsidiorum.*

Quantum ad horum vsum attinet; scopi considerandi sunt, nimirum Primò; arcere inflammationem; Secundò, substantiam partis salubrem conseruare; Tertiò dolorem lenire. Debet etiam perpendi, tempus anni, habitus corporis, ætas, fracturæ magnitudo. *In vsu horum medicamentorum quæ spectanda.*

Si

Si ergo dolor vrgeat, ceratum Hippocratis supra latius linteum conuenit : supra ceratum autem hoc, aliud linteum è vino nigro austero expressum circumponi debet, ad inflammationem arcendam. Si fiat ceratum è cera, & oleo rosaceo, uel myrtino, leniet dolorem, ratione olei, arcebit phlegmonem, & stabiliet fracturam, ratione astrictionis. Si dolor sit exiguus, non tamen omninò despiciendus, magis incumbimus in id, ut phlegmonem arceamus, & fracturam stabiliamus : vnde sumimus oleum rosar. vinum, & oui albumen, his pulueres dictos, ad mollis crassitudinem miscemus, & linteo, aut stupa apponimus.

Collocatio membri. Si nullus ferè adsit dolor : tunc totis viribus arcemus inflammationem, & stabilimus fracturam : ideoq; ab oleo abstinemus. Si habitus corporis sit durus, tempus æstatis, fractura magna, ut in femore ; oui albumini miscemus pulueres cõstringentes propositos, additis corticibus granatorum, gallis immaturis, succo hypocystidis, quæ stupis imponuntur : supra stupam autem imponimus latius linteum è vino expressum ; aut si non placeat tot lintea obuoluere, primam fasciam, itemq; secundam è uino nigro exprimimus, & circumuoluimus. Et his medicamentis substantia partis labbris conseruatur : quæ omnia ante deligaturam sunt imponenda.

Cõmoda membri figuratio. Deligaturæ succedit positio, seu collocatio membri, lib. 13. de illis, quæ fiunt in medie. & Com 51 52. & 53. lib. 2. de fract. Hæc secundum Hippocratem debet esse mollis, ne premendo dolorem inferat : æqualis, ne distorqueat : sursum uersus, ne humores descendant. Hinc chirurgi membrum fractum collocant in lecto, & molli stragulo, uel pulunar è molli lana, aut pluma parti fract æ circumligant : uel cartam crassam (quæ cartone dicitur) in canalis modum conformant, & intus stupa subfulciunt, in cubito, & ijs ossibus, in quibus æger non cogitur in lecto degere. Si autem æger cogitur in lecto morari, nil melius est, quàm formare capsulam è tabulis ligneis tenuibus, & stupa multa, aut lana implere.

Præterea, in positione, sicut etiam in extensione, & deligatione, oportet congruam membri figurationem considerare, quæ scilicet dolore vacat, & musculos integros seruat ex vtraque parte : hæc autem est figura media, in qua, dum otiamur, singula membra continere consueuimus, ut in cubito, figura angularis, in carpo recta, &c. ea nimirum, quæ inter extremos cuiusque membri motus intermedia est. Hæc figura nisi obseruetur, exiguo post tempore membrum dolere solet.

CAPVT VI.

De Callo in fracturis generando.

Quando callus generandus. VARTVS scopus est callum generare. Quod faciendum, postquam timor inflammationis recessit, plerumque circa diem septimum, secundùm Galenum cap. 5. lib. Metod. licet interdum citiùs : hoc fiat, interdum tardiùs, pro magnitudine fracturæ, anni tempore, ætate, habitu corporis, vt supra etiam de simplici carnis vulnere diximus. Dum enim fluxum adhuc timemus, non possumus studere generationi calli, quia natura partis læsa non potest callum generare.

E qua materia generetur callus. Generatur autem callus ex ossis alimento, quod à labijs fracturæ exsudans, circum ossa fracta concrescit, & licet non sit os, ita tamen durus est, vt si membrum illud rursus frangi contingat, potius in alia parte frangatur, quàm vbi callus est genitus. Duo igitur hic indicantur. Primùm, vt congrua materia suppeditetur. Secundò, vt à labijs fracturæ non eluatur, aut foras euocetur.

Cibi. Quo ad calli materiam, cibi debent esse crassi (quia ossis alimentum crassum est) & simul viscidi, vnde vtendum oryza, frumento in aqua cocto, farre, pedibus, ventribus, & capitibus animalium, potissimùm vitulorum, & castratorum, dabitur etiam cutis hœdi, &

verue-

veruecis, crura vaccina. Vinum tunc exhibendum omninò est, idq; nigrum, & crassum. Debet autem victus è tenui in pleniorem verti.

Medicamenta etiam per os dari solent, quæ ad callum generandum, & indurandum faciunt: vt succus primulæ veris, pluribus diebus potus; pulvis radicum agrimoniæ in vino sumptus, aut succus eius epotus. *Medicamenta interna.*

Localia erunt emplastica: vnde in pueris, & mulieribus paramus emplastrum è farina volatili, & oui albumine. In adultis apponimus hoc emplastrum: R. boli Arm. thuris, myrrhæ, aloes, acaciæ, tragacanthæ, ladani, gallarum, nucum cupressi, ana part. æq; in pollinem redacta, miscentur oui albumini, cum modica farina volatili. Vtimur etiam perfusionibus è decocto granorum, & foliorum mytti, radicum ulmi, radicum, & foliorum fraxini: item è succo foliorum vitis albæ. Hæ perfusiones fiunt, quando ligatura resoluitur, ante quàm emplastrum apponatur, & deligatura adhibeatur. Inter cætera à chirurgis vsurpatur emplastrum Barbarum, item oxycroceum, tempore hiemis, veris, & autumni, quia sunt calida. Diapalma verò tempore æstatis. Sic ergo materiam paramus aptam ad calli generationem, tum victu, tum medicamentis. *Topica.*

Ne autem materia hæc, è qua callus generari debet, foras euocetur, oportet deligaturam mutare. Non enim amplius pars ita deliganda est, vt humores exprimantur, sed vt persistant, & concrescant circa fracturam. Non ergo tam frequenter fractura est deliganda, vt prius, sed quinto quoque die. Laxiores etiam debent esse circumuolutiones. At in prioribus deligationibus non est tantum interualli interponendum, sed videndum, quomodo callus in fractura procedat. Satis ergo erit duos dies protrahere deligaturas sequentes, & interim prospicere oportet, num tantus, talisq; callus generetur, quantus, & qualis requiritur. Quomodo autem callo minori, vel maiori occurrendum, infra paulo post docebimus. *Deligatura in callo.*

In fractura per longitudinem facta, eadem prorsus curatio adhibenda, quæ in transuersa, saltem vt deligatio magis stringatur; aliàs enim facilè posset decidere, cap. 5. libro 6. Method. *Fractura per longitudinem.*

CAPVT VII.

De Symptomatis fracturæ superuenientibus.

QVINTVS succedit scopus, nimirum correctio accidentium, quæ fracturis solent superuenire, & curationem tardare: ea sunt dolor, inflammatio, pruritus, excoriatio, callus iustò maior, vel minor, membri debilitatio, & gracilitas, depranata figura, gangræna, vulnus. *Accidentia quæ fracturis superueniunt.*

Si ergo dolor infestet, leniendus est anodynis: vt lana succida, infusa in oleo, & aceto simul mistis, & coctis: spongia ex oleo rosarum expressa, & imposita: inunctio ex oleo chamæmelino, & lumbricorum: deinde linteum vino nigro austero imbutum, & impositum: quibus omnibus actu calidis vtendum. Hippocrates vtitur cerato, quod præstantissimum est, si ex oleo rosato fiat. Conuenit fomentum cum spongia expressa in aqua, in qua malua, & chamæmelum bullierint. *Dolor.*

Inflammatio nondum orta ut præcaueri debeat, diximus. Quod si autem oborta sit, apponimus hoc medicamentum. R. rad. althææ, florum chamæmeli, violarum, an. M. j. coctis in aqua, & contusis, adde farinæ hordei vnc. iv. sapæ. vnc. iii. olei ros. viol. ana vnc. iii. vini nigri, aut aquæ hordei q. s. Misce pro cataplasmate. Si calor magis vrgeat, vt fol. violarum, balaustiorum, plantaginis an. Manip. sem. florum chamæmeli Manip. j. decoquantur in aqua, & cum oleo ros. ac chamæmel. æquis portionibus simul mistis, fiat emplastrum. Si inflamma- *Phlegmone.*

flammatio ſit in declinatione, vtimur fomento, è flor. chamæmel. & bet. decoctis in vino albo: item fomento è roſis, & calamintha ſimiliter decoctis.

Pruritus. Si pruritus infeſtat ob detentos humores, perfundatur locus aqua calida, vt poris apertis, flatus, & vapores diſſilentur: aut foueatur locus ſpongia aqua calida imbuta, & expreſſa. Perfuſio, & fomentum maximè conferunt ex aqua marina, quæ, propter ſalem, expurgat, & poros aperit,

Excoriatio. Neglectus pruritus terminari ſolet in excoriationem doloroſam, & interdum inflammatoriam: cui occurrendum eſt exiccantibus, & refrigerantibus. Aeſtate igitur confert vnguentum de ceruſſa: & in calore inſigni, vnguentum de ceruſſa caphuratum. Si æſtas ſit, & corpus calidiſſimum, conuenit vnguentum populeon: item linimentum ſimplex dictum, dum recens eſt factum. Alijs temporibus, prodeſt vnguentum è lithargyro, vnguentum de minio. Hæc omnia ſunt refrigerantia, & ſiccantia; ſed differunt ſecundum magis, & minus.

Callus minor Callus interdum iuſtò eſt vel minor, vel maior. Si minor, ſigna ſunt, quòd pars ad motum redditur debilis: & ſi pars fracta tangatur, callus aut nullus, aut exiguus ſentitur. Fit autem hoc, vel quia æger tenui victu eſt victu, vel cibis aut non craſſis, aut non viſcidis, ſed friabilibus; Deinde, quia faſciæ nimis fuerunt aſtrictæ. Debet ergo maior reddi, per victum pleniorem, faſciæ ſunt laxandæ, medicamenta aſtringentia mitiora reddenda: attrahendi etiam humores perfuſionibus ex aqua calida (non admodum calente, ne attracti rurſus euaporent) donec pars rubeſcat, & in tumorem attollatur, tunc enim deſiſtendum. Si

Callus maior callus ſupra modum ſit auctus, ſigna ſunt, quod tactu percipitur, & comprimendo muſculos, parteſq; neruoſas, dolorem infert; Denique pars redditur inepta ad motum, propter dolorem, & compreſſionem. In hoc caſu omnia contraria ſunt facienda, quo ad victum, faſcias, &c. deinde callus molliendus, & digerendus: vnde fiunt emplaſtra è radicibus althææ, folijs maluæ, & meliloti, decoctis in aqua cum axungia anatis. Antequam autem emplaſtrum apponatur, fiunt perfuſiones ex eodem decocto. Facta emollitione fiunt poſtea perfuſiones ex aqua, in qua decocta ſit betonica, ſcabioſa, ſcordium, parietaria: & tamdiu fiunt, donec non tantum pars rubefiat, & in tumorem attollatur, verum etiam decidat, & corrugetur.

Gangræna. Si gangræna oriatur, ſtatim initio partem debemus perfundere, & abluere lixiuio, in quo decocta ſint ſcordium, & plantago, deinde apponendum emplaſtrum factum è farina lupinorum, puluere ſcordij, & oxymelite, cum modico lixiuio.

Gracilitas membri. Si membrum gracile reddatur, vel remaneat, propter nimiam, faſciarum ſtricturam, aut propter nimiam perfuſionem factam, aut nimios motus, aut paucitatem viſcoſi alimenti: æger nutriendus eſt; deinde adminiſtrandum balneum ex aqua dulci, in qua ſi aliqua portio carnis decoquatur, erit melius: Præterea, picatio efficienda eſt, appoſita pice, ſupra linteum ducta, & multoties velociter ablata, vt dolor quidam excitetur ratione adhærentiæ, & ratione pilorum, ob quem dolorem alimentum attrahatur, & pars nutriatur. Tandem perfuſio facienda eſt ex aqua calida.

Figura diſtorta. Poſt curatas autem fracturas, ſæpè membrum in figura deprauatum, & diſtortum manet, quoniam oſſa non bene ſunt coaptata; id quod fit, aut propter inſcitiam medici, aut propter motus ægri inordinatos, aut prauam deligaturam. Si ergo læſio membri in ſuis motibus non ſit effatu digna, æger ſorte ſua contentus eſſe debet. Si effatu digna ſit membri læſio in ſuis operationibus, & æger ſit ſenex, ac debilis, callus vetuſtus, os fractum magnum; æger ſimiliter ſorte ſua contentus erit. At ſi æger ſit iuuenis, & robuſtus, callus recens, os fractum exiguum, vnicum erit refugium fracturam denuo rumpere; vbi tamen priùs per multos dies, quantum fieri poteſt, callum mollire debemus, perfuſionibus ex althæa, & maluis, lutis thermalibus D. Petri, & D. Bartholomæi, vel lotura lanarum, œſypo: multæ frictiones fient cum digitis, œſypo iunctis: fient perfuſiones ex aqua, in qua incocta ſint folia cicutæ. Vtimur etiam emplaſtro è folijs cicutæ, cum axungia porcina. Deinde rurſus os frangitur manibus, vel digitis impellendo, ſeu comprimendo.

Si

Si callus fuerit durior, frango cum inſtrumento attrahente in diuerſas partes; deinde ſano, vt hactenus docui.

CAPVT VIII.

De curanda fractura cum vulnere, in qua nec os nudatum eſt, nec aliquod oſsis fruſtulum receßurum expectamus.

IN fractura cum vulnere, vel os nudatum eſt, vel non eſt nudatum. Præterea, vel fruſtulum oſſis abſceſſurum eſſe opinamur, vel nón. Nos primùm de ea agemus, in qua nec os nudatum eſt, nec fruſtulum oſſis abſceſſurum putamus. In hac ſatisfaciendum eſt & vulneris, & fracturæ ſcopis, idq; alternatim. *Quid deinceps agendum.*

Primò enim coaptanda ſunt oſſa, per extenſionem, vt ſupra docuimus in primo ſcopo fracturarum. *Extenſio.*

Deinde ſatisfaciendum eſt ſecundæ, & tertiæ indicationi vulnerum, id eſt, labia vulneris ad mutuum contactum adducenda, & adducta conſeruanda; quod fit ſuturæ, aut fibulis. *Coaptatio vulnerum.*

Poſtea incumbimus tertio ſcopo fracturæ, & quarto ſcopo vulneris, id eſt, ſubſtantiam & fractæ, & vulneratæ partis ſalubrem conſeruamus; imponendo medicamenta ſupra vulnus conſutum, & fracturam coaptatam, quæ tum dolorem leniant, ſi adſit, tum inflammationem arceant, id eſt materiam influentem repellant, influxum exſiccent, & procul à parte exprimant; qualia ſunt aſtringentia, & glutinatoria, de quibus ſupra fusè. In præſentia ſi dolor adſit, & ſit hiems, vtendum eſt cerato picato, quod, ſecundùm Hippocratem, dolorem lenit: ſi æſtas, cerato roſato: aliis temporibus, cerato ſimplici. Si dolor non adſit, magis eſt incumbendum ſtabiliendæ fracturæ, & inflammationi arcendæ: vnde ſuperponere debemus ſtupas pexas, & oui albumine illitas; vel linteum è vino nigro, & oleo roſato expreſſum. Si pars omninò ſit expers doloris, poſſumus etiam vti pulueribus aſtringentibus ſupradictis, oui albumine ſubacto permiſtis. *Aſtringentia præſidia.*

Poſt hæc explendus alter ſcopus fracturæ, id eſt, deliganda eſt fractura, ſicut ſupra docuimus. Hic tamen notandum, vt faſciæ ſint molliores, & latiores, quàm in fractura ſine vulnere, vt oras vulneris vtrimque comprehendant, & ſic labia vulneris ſtringant, non comprimant: minus etiam ſtringendæ ſunt faſciæ, quàm ſi vulnus non adeſſet, ne compreſſo vulnere dolor, & phlegmone oriatur: vnde Hippocrates, & Celſus plures circumuolutiones faciunt, cum melius ſit ſepè circumire, quàm aſtringere. Debet autem faſcia tertio quoque die ſolui, & ſemper minùs comprimi, quam diu durat timor inflammationis. *Deligatura.*

Ferulæ vel non apponendæ, ne vulnus comprimant; vel ſi apponantur, ſupra vulnus apponi non debent: magiſq; hoc in caſu multitudo faſciarum probatur: vnde Celſi deligatio, quę fit 6. faſcijs, conuenire videtur. Et hæc hactenus. *Vt habliendo fractura.*

CAPVT IX.

De fractura cum vulnere, in qua os nudatum non est, aliquod tamen ossis frustulum recessurum expectamus.

Quot modis os abscedat.

OS recedere, seu abscedere intelligimus, quando ossis portio à reliquo osse separatur, & foras à natura extruditur; id quod fit, primùm cum è veteri vulnere ossa emarcuerunt, aut arefacta sunt, & marcida effecta; tunc enim à facultate partis expultrice, marcidum os à probo separatur, & sic fit abscessio, seu desquamatio ossis: quæ etiam sine fractura contingere potest, vt in fistulis, & vetustis vlceribus propter multam saniem diutiùs cum osse commorantem, os corrumpentem: potest etiam hæc desquamatio ossis contingere in fractura nõ conformata, propter multam saniem collectam. Secundò etiam recedunt ossa, cum ob fracturæ impetum aliquod ossis frustulum, aut è toto à reliquo est separatum, aut ita concussum, vt parum absit quin sit separatum.

Causa.

Causæ ergo sunt vel impetus externus, vel ossis corruptio, aut à sanie diutiùs commorante, aut ab alteratione aeris externi, quæ & ipsa ossa corrumpit, & à naturali temperamento dejcit.

Signa.

Signa verò, quibus os recessurum significatur, sunt plura, t. 18. lib. 3. de fract. Primùm enim sanies copiosior effluit, non respondens magnitudini vulneris; vnde os corruptum, & recessurum indicatur. Deinde vulnus gliscere videtur, id est ad excretionem incitari; vnde labia vulneris non coeunt, sed potius inuertuntur, & æger in hanc rem intentus motionem quandam tacitam in membri parte intima sentit. Tertium signum ponitur t. 44. lib. 3. de fract. si ossa conformatione frustrata sunt; tunc, propter moram saniei os corrumpentis, recessurum est ossis frustulum. Quartum signum. Si os à carne nudatum sit, necessariò recedit, quia non ampliùs porrigi potest alimentum, cum venæ, & arteriæ non ampliùs ad partem nudatam excurrant; quia etiam aeri externo os exponitur, & ab hoc corrumpitur. Quintum signum ponitur à Paulo cap. 107 lib. 6. nam caro, quæ accrescit super labia vulneris, est laxa, hebes, vacua, spongiosa; natura enim non sanat vulnus, vbi aliquid intus habet, quod non potest detinere: ea igitur parte, vbi caro laxa est, os recedet.

Signa velocioris recessionis.

Citissimæ autem recessionis signa sunt, quando citissima fit suppuratio in vulnere, & citissima, atque pulcherrima carnis excrescentia; non enim alio modo os recedit, quàm dum natura carnem in labijs ossis sani creat, quæ os superpositum suspendit, & propellit. Os quidem magnum, solidum, in ætate adulta, tempora hiemali, tardiùs recedit; vt totus eius circulus 60. diebus: at mediocre, laxum, in tenera ætate, & æstiuo tempore, citiùs, vt 40. diebus. Sic pars ossis citiùs recedit, quàm totus circulus.

Num os quod abscessit, debeat extrahi.

Quantum verò ad curationem: si os recessurum omninò à reliquo osse separatum sit, & intra vulnus inciderit, ibiq; consistat, volsella est apprehendendum, & foras trahendum. Si autem ossis frustulum per rimam vndique à reliquo osse sit separatum, in suo tamen adhuc loco detineatur: nihilominus, quoniam numquam cum reliquo osse glutinari potest apprehendendum est, & extrahendum, si citra violentiam fieri potest: si absque vi magna fieri nequit, non debet extrahi, quia excitaretur dolor, inflammatio, febris, conuulsio; & vlcus redderetur fistulosum. cum extracto osse cauitas illa sanie repleatur, quæ corrodendo carnis generationem impedit: tunc ergo negotium hoc ipsi naturæ permittendum, quæ sensim carnem in labijs ossis sani gignit, facitq; ossa recedere, quemadmodum in vulneribus capitis diximus.

Os recessurũ parvum, vel magnum.

Considerandum etiam, est, num ossis frustulum recessurum sit magnum, aut parvum: quod è signis propositis intensioribus, & remissioribus cognoscitur. Si enim suppuratio tardiùs fiat, & multa saniei copia conspiciatur, copiosa etiam caro laxa, &

hebes

habes generetur; maius fruſtulum eſt receſſurum: ſi contra, minus. Curationem autem vtriuſque fracturæ tradit Hippocrates t. 20 & 21. lib. 3 de fractur.

Os paruum receſſurum.

Si parua eſt oſſis portio receſſura, primò cauendum, ne pus collectum diutiùs commoretur intra vulnus, & os etiam bonum corrumpat: euacuandum igitur pus eſt, non quidem expreſſione faſciarum arctè aſtringentium (ſicut in fractura ſine vulnere) ſic enim dolor, & inflammatio oriretur, ſed ita vacuandum eſt pus, vt ipſum è vulnere fluat. Alter ſcopus eſt, vt oſſis receſſionem iuuemus; quod tamen negotium in oſſe paruo, ipſi naturæ committendum eſt; in magno autem medicamentis iuuandum. His de cauſis Hippocrates probat deligaturam laxiorem, ac frequentiorem, ne pus intercludatur, ſed facilè effluere queat: ferulas non apponit, ne comprimendo dolorem excitent: reliquum naturæ committit. Id notandum; licet oſſis receſſio expectetur, vulnus tamen conſui debere: nec enim natura ſanat vulnus ea parte, qua os abſceſſurum eſt. Stabiliri etiam poteſt fractura faſcijs pluribus, vt ſupra diximus.

Os magnum abſceſſurum.

Si os magnum eſt receſſurum: curatio in duobus differt à prædicta, nam & medicamenta adhibentur, & modus deligandi peculiaris. Indicationes ſunt: vt pus non intercludatur, ſed effluere poſsit, ſtabiliatur fractura, inflammatio arceatur, dolor non excitetur, denique procuretur citiſſima oſsis receſsio.

Deligatura firmas os fractum.

Ad hæc omnia præſtandum, quo ad deligaturam, multæ ſunt ſumendæ plagulæ è panno lineo duplicato, longiores, quàm vt ſemel membrum circumeant (nam breuiores non conſeruarent fracturam ſtabilem) breuiores autem, quàm vt bis membrum circumeant, (longiores enim non eſſent commodæ, dum membrum, propter medicamenta innouanda, reſoluitur, oportet enim membrum attolli, & dimoueri) vt ſic fractura contineatur, & immoto membro, laxatis ambobus capitibus, ipſum vulnus in reſoluendo appareat. Latitudo plagularum, non minor erit dimidio palmo: in ſumma tanta, vt labia vulneris ſufficienter apprehendat. Circumducendæ ſunt è duobus initijs, vt decuſſatim ſe interſecent, crucis modo; vel, vt paulo longius ab extremitatibus ſeſe decuſſent, in oppoſita parte. Tot autem debent eſſe plagulæ, quot ſunt neceſſariæ, ne vllus vacuus detur locus, & ſæpè ego expertus ſum, ſatius eſſe plures ponere, quàm pauciores, pro fractura ſtabilienda; ita tamen ne grauando comprimant. Madefaciendæ ſunt in vino nigro, auſtero, craſſo, ſic enim melius adhæreſcunt, inflammationem arcent, ſubſtantiam partis ſalubrem conſeruant: quibus de cauſis potiſsimùm propter phlegmonem, Galenus non tantùm plagulas ita madefacit, ſed etiam per totum diem, & noctem vino illo partem perfundit, aut linteola, & ſpongias imponit in eo madefactas: ne autem vinum defluens madefaciat totum cubile, & ſtratum, ſubijcit corium, canalis modo figuratum quod exitum dat vino influenti.

Anodyna, & phlegmonem arcentia.

Verùm ante admotionem plagularum, neceſſe eſt medicamenta apponere, quæ in principio, id eſt, quamdiu durat tempus inflammationis, & dolorem leniant, & inflammationem arceant: vt ceratum roſatum, laudatur etiam ceratum picatum, eo maximè tempore, quo pus conficitur: iuuando enim coctionem, & faciendo ſuppurationem, arcet phlegmonem, quoniam ſuppurata materia, nihil mali euenire poteſt; Com. Aphor. 23. Sect. 4. Contra dolorem etiam, & imminentem conuulſionem Hipp. interdum vtitur linteolis madefactis in oleo, & vino ſimul miſtis.

Os extrahens.

Si tempus inflammationis præterijt, omni induſtria attendendum eſt, vt os recedens citiſsimè foras trudatur, quod licet à natura fiat, hæc tamen medicamentis iuuanda. Manifeſta qualitate hoc faciunt calida: vt oleum vetus, cera citrina, ſordities vaſorum apum ad ignem liquata, cui admiſcebitur pars vna euphorbij, duæ tithymalli, tres ariſtolochiæ: hoc medicamento vtendum hieme, in corporibus adultis, & duris, & laudatur etiam ab Auicenna. Alijs temporibus, & corporibus prodeſt Ammoniacum, & Bdellium diſſolutum cum oleo liliaceo. Proprietate quadam occulta os receſſurum extrahit cinis lumbricorum terræ melli admiſtus, & impoſitus. Ceratum etiam ſacrum calore oſſa extrahit.

CAPVT X.

De Fractura cum vulnere, in qua os nudatum est.

Sutura.

OS nudatum omnino ab aeris alteratione defendendum est, ne putrescat, & recedat. Proinde si os nudatum non emineat extra vulnus, cooperiendum est, non medicamentis abstergentibus, quæ irritant, & dolorem excitant, nec oleosis, & mitigantibus, quæ sordidum reddunt vulnus, t. 43. lib. 3. de fract. sed naturali tegumento id est cute. Labia igitur vulneris adducenda sunt ad mutuum contactum futuris, & fibulis; deinde curatio instituenda, vt in fractura simplici, cum vulnere.

Extensio.

Præcisio.

Si os nudatum extra vulnus emineat; si quidem facilè in propriam cauitatem restitui possit, beneficio debitæ extensionis, citra violentiam, vtique restituendum, postea vulnus consuendum, vt paulò ante diximus. Quod si eminentia ossis nudati ita foras protuberet, vt sine violentia in locum suum reponi nequeat, tunc è duobus malis minus est eligendum, & os præcidendum, vel lima, serra, aut alio instrumento aliquantulum breuius reddendum, & postea coaptandum, modica facta extensione; hoc enim melius est, quàm huiusmodi ossa non coaptata relinquere; vel extensione violenta ægrum ad conuulsionem, & mortem deducere. Si os retusum, & præfectum adhuc difficulter coaptari queat, & metuimus validam extensionem, in qua propter vulnus multæ fibræ distrahuntur, & dolor insignis excitatur, vt conuulsio sit expectanda: tunc Hippocrates reponit fracturam quantum potest, & ferramenta quædam (vulgò Scarpelli dicuntur) altero extremo latiora, & tenuiora, inter ossa fracta imponit, ceu cuneos quosdam, & modo vectis inflectit: vt sic ossa magis quàm musculi extendantur, & reponantur.

Lib. Quarti de fracturis finis

CHIRVRGIÆ VNIVERSALIS HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE LIBER QVINTVS.

De Luxationibus.

CAPVT I.

De definitione, differentijs, cauſis, & ſignis Luxationum in genere.

LVXATIO, ſeu exarticulatio, barbaris diſlocatio dicitur, & eſt prolapſus capitis articuli è proprio ſinu in ſedem alienam. Dearticulatio enim ad motum deſtinata conſtat è capite oſſis, & ſinu. In capite obſeruandum, quod capita rotundiſſima omnes habent motus, vt in femore, humero In ſinu, quod oſſa, quæ habent ſinum profundiorem, vt os coxendicis, minùs apta ſunt luxationi; contra, quæ habent ſinum leniter cauum, vt ſcapula. Sed ne capita oſſium, facilè è ſinibus excidant, adſunt etiam vincula, quorum alia ſunt orbicularia, quæ in omnibus articulis, & caput, & ſinum in orbe complectuntur: alia rotunda, quæ tantùm in ijs ſunt articulis, qui ſeruiunt motibus robuſtis, vt in femore, & genu; hæc è profundo ſinu in caput ipſum inſeruntur. Qui igitur articuli vtrumque habent ligamenti genus; vel qui orbiculare tantum habent, ſed id arctius, difficiliùs prolabuntur. Eſt in articulis vnctuoſus, & viſcidus quidam humor, ne oſſa perpetuo motu incaleſcant, & exſiccentur. *Definitio.*

Summa luxationum genera tria ſunt. Primum, cum oſſa debiſcunt, quæ antea inter ſe iuncta erant: quod tribus locis contingit; nimirum cum latum ſcapularum os ab humero recedit, aut radius à cubito, aut ſura à tibia, Celſo ita ſcribente, cap 10. lib. 8 Rhaſi dicitur diſiunctio, 15 Continentis. Alterum genus eſt, cum oſſa elongantur, propter mollitiem, & laxitatem, & diſtenſionem ligamentorum, ob quam fit, vt caput oſſis aliquantulum promoueatur à ſinu, nec tamen excidat, ſed facilè poſſit excidere: ſecundùm *Differentiæ.*

dum Auicennam 5.4.tract.1.cap.1. Hanc luxationem sæpe vidi in medicantibus, in carpo, & cubito. Tertium genus, propriè luxatio dicitur, cum caput à proprio sinu excidit; cuius nullæ sunt differentiæ, nisi secundùm magis, & minus, Paul. cap. 11. lib. 6. Si ergo caput è toto, & perfectè excidit è suo sinu, dicitur ἐξάρθρωμα, Rhasi dislocatio: si è parte, & imperfectè, dicitur παράρθρωμα, Rhasi distortura. Vtramque luxationis speciem patiuntur articuli cubiti, manus, tibiæ, pedis, & digitorum: solummodo perfectam patiuntur duo, femoris, & humeri, cuius causa est capitum rotunditas, & superciliorum in sinubus tenuitas, vnde fit, vt capita, quasi in puncto attingant supercilia, & vel è toto prolabantur, vel rursus in sinum ingrediantur. Dicit tamen Hippocrates, quod etiam humerus, & femur possint secundùm magis, & minùs luxari; quod de perfecta luxatione intelligendum, dum magis, vel minus à loco suo naturali distant. Gal. com. tom. 1. lib 4 de artic. Porro vera hæc luxatio quatuor modis fieri potest, in partem superiorem, vel inferiorem, dextram, vel sinistram. Galenus cap. 4. lib. de Constit. ar, addit partem priorem, & posteriorem: sed os non potest excidere ante, vel retro; quia adest os immobile, quod resistit; nam retro est os, cui innititur membrum, & quod resistit ossi comprimenti, dum mouetur: antè est os quiescens, supra quo membrum mouetur.

Causæ. Primum genus luxationis fit tantum à causis internis, id est, ab humoribus remollientibus, & laxantibus ligamenta. Reliqua duo genera, nimirum hiatus, & vera luxatio, fiunt tum à causa interna, scilicet, ab humoribus ad articulos fluentibus, qui cauitatem sensim implent, & caput ossis à sede deturbant sua: tum ab externa, quæ violentia quadam os loco mouet, vt saltus, casus ab alto, vehementissimus cursus. Et de his luxationibus, quæ fiunt à causa externa, nos tantum agemus.

Signa luxationis in genere. Luxationis autem signa varia sunt. Primum, si pereunt motus articuli; nam quamdiu motus non pereunt, licet luxationis sit suspicio, non tamen facta est luxatio. Sed hoc signum non sufficit solum: addenda alia. Secundum ergo signum est concauitas: apparens in loco insolito, & contra eminentia in loco opposito: semper enim tumor est in ea parte, in qua os prorumpit, & sinus, à qua recessit: deprehenditur hoc signum visu, & tactu, & magis in iuncturis, aut sua natura excarnibus, aut macie affectis. Tertium, membrum ferè breuius euadit: os enim prolapsum è sede sua, cum non habeat resistentiam, sursum trahitur à musculis, id quod fit in perfecta luxatione. Quartum, membrum luxatum sano dissimile apparet in figura, situ, longitudine.

Signa differentiarum. Perfecta luxatio ab imperfecta distinguitur intensione signorum prædictorum. Si enim omnes motus articuli pereunt, membrum breuius redditur, eminentia & cauitas magna est, membrum admodum sano dissimile; perfecta est luxatio. Contra, imperfecta. Disiunctionis, in qua ossa dehiscunt, signum est certissimum, crassities membri maior facta, supra naturalem statum; & qua capita ossium consistunt, extuberantia quædam maior. Ea autem luxatio, in qua membra fiunt longiora, ob remollitionem ligamentorum, cognoscitur: primum, quia articulus veluti filo appensus apparet, & huc, illucque in ordinatis motibus mouetur, & vacillat, quia ligamenta sunt laxata, & ossa non amplius se contingunt. Secundo, dum comprimitur caput ossis, membrum in suam mensuram naturalem redit: & si rursus dimittatur, ad mensuram accidentalem reuertitur. Postremo circa articulum vndique cauitas generatur, in quam interdum etiam digitum immittere possumus.

Luxationis ablatæ, id est, membri bene repositi, signa sunt contraria, quæ naturalem statum indicant: si non ampliùs adsint signa, vel causæ luxationis. Præterea Auicennas aliud adfert signum, nimirum, strepitum, & sonum, qui sentitur ab ægris & astantibus dum os in cauitatem redit. At hoc signum non est bonum, & exoptandum, cum duas habeat malas causas. Vel enim fit ille strepitus, dum caput ossis confricatur, cum supercilijs sinus, vnde supercilia tenuia, & cartilaginosa rumpuntur, cauitatemque subeunt, prius quàm caput ingrediatur, & proinde vera repositio fieri nequit, quia caput ampliùs in cauitate sua circumuerti non potest, vnde claudicant. Vel fit strepitus, quia caput ossis contundit sinum,

vnde

vnde vlcus poteſt excitari, & pars putrefcere, poſſunt cartilagines incruſtari, auferri à reliquo oſſe, & remanere os aſperum, vnde motus ſequitur difficilis.

CAPVT II.

De curanda luxatione, in genere.

TRACTATVS de luxationibus verè chirurgicus eſt, quia in eo omnia à medici manu dependent, nihil à natura. Quatuor enim ſunt ſcopi in luxatione, extenſio, repoſitio, deligatio, collocatio, Com 52. 53. & 54 lib. 2 de fract & Com. 21 l. 3. de ijs, quæ fiunt in med. Extenſio eſt neceſſaria, quia muſculi trahunt os prolapſum, & membrum breuius reddunt, cum non amplius habeat reſiſtentiam. Deligatio etiam neceſſaria eſt, ne ob ligamenta laxata, & per muſculos extenſa facilè rurſus os prolabatur. *Indicationes.*

Dicta autem quatuor ita ſunt adminiſtranda, vt & debita membri figuratio ſeruetur, & præcaueatur phlegmone. Figurandum enim membrum ita eſt, vt dolore vacet: in extenſione quidem ſeruandi ſunt muſculi ex vna parte integri, ne ſcilicet caput muſculi ſit in parte interna, finis in externa: in deligatione, & depoſitione, figuram membri ſeruare debemus, quę inter motus iſtius membri extremos eſt media. Phlegmone in luxationibus accidere ſolet ob dolorem, qui excitatur, & cum fit luxatio, & dum facta eſt; cum os in loco alieno muſculos, parteſq; neruoſas comprimat, fit etiam dolor in extenſione, qua os reponitur. Præcauenda autem eſt phlegmone, quantum ad partem recipientem, commoda figuratione: quantum ad mittentem, id eſt, vniuerſum corpus, venæ ſectione, purgatione, diæta, de quibus alibi diximus. *Cõmoda membris collocatio.* *Inflammatio.*

His notatis, primùm, extendendi meſt membrum, ſicut etiam in fracturis diximus. Secundò, reponendum placide, ne fiat contuſio, vel attritio capitis, & ſinus inter ſe, vitanda capitis oſſis circumrotatio, ne frangatur ſupercilium. Tertiò membrum deligandum, ne rurſus prolabatur, deligatura igitur ita adminiſtranda, vt ſeruet naturalem figurationem membri, & arceat inflammationem, exprimendo humores influxos, & detinendo influentes. Antequam autem fiat deligatio, oportet medicamenta apponere, quæ phlegmonem prohibent, nimirum aſtringentia, quæ præter hanc vtilitatem, etiam laxata ligamenta contrahunt, & partem roborant: talia ſunt ceratum Barbarum, diapalma, de minio, oxycroceum, ceratum ſimplex, ceratum roſaceum, vnguentum roſaceum, vinum, poſca, vinum granatorum, ſuccus hypocyſtidis, decoctum corticum granatorum, balauſtiorum, oui albumen. Componitur etiam medicamentum è bolo Armena, ſang. drac. myrtillis, cortic. grana. puluerizatis, & miſtis oui albumini, ad mellis conſiſtentiam: exceptum hoc ſtupis pexis, circa articulum imponitur. *1. Extenſio.* *2. Repoſitio.* *3. Deligatura ex Hippocrate in doctrina de fracturis propoſita.* *Medicamenta aſtringentia.*

Quod ſi dolor adſit, hic indicat lenientia, & vnctuoſa, id eſt, laxitati vinculorum, & inflammationi contraria: vnde ſic procedendum. Si dolor ſit exiguus; parumpendendus eſt, & admouenda aſtringentia, ſine vnctuoſis, vt ſtupæ cum oui albumine. Si verò dolor ad ſe curationem trahat; pars priùs inungenda eſt oleis dolorem lenientibus, quæ tamen vim habeant etiam aſtrictoriam, vt ſunt oleum roſatum oleum myrtinum, maſtichinum; deinde medicamentum propoſitum imponendum, vel linteum cerato roſaceo illitum, cui ſuperponendæ ſtupæ iam dictæ. In principio non ſunt vſurpanda cerata: quia propter duritiem comprimunt, & inflammationem mouent: qua de cauſa Galenus ante deligationem apponit lintea aliquo ſucco tincta ne comprimendo dolorem excitent. *Anodyna.*

His peractis, membrum deponendum in figura media, ne dolor excitetur; eritque poſitio mollis, æqualis, & ſurſum verſus. *4. Depoſitio*

Ita

Solutio fasciarum. Ita ergo oportet membrum deligatum, & (quantum fieri potest) immotum seruare; per tres, aut quatuor dies: tunc enim laxatis fasciis, & pruritu, ob detentos vapores, excitato, soluendæ fasciæ parsque pruriens aqua calida perfundenda, ne tamen nimis calida aqua laxet ligamenta, quæ debebant potius astringi, propterea, pruritu non præsente, abstinendum a fomentis. In secunda autem deligatione, si dolor non adsit, possumus aliquod ceratum apponere, vt hieme ceratum Barbarum, æstate ceratum de minio, diapalma. Hoc tempore etiam possumus plagulas, & ferulas è corio, aut densa papyro apponere propter firmitatem capitis ossis. Et ita procedendum, donec membrum satis videatur robustum: quo tempore soluendum, & fouendum decocto absinthij, rosarum, chamæmeli, musci albi querni, quæ corroborant: postea, appositio cerato per aliquot dies absque deligatione membrum est conseruandum: & præcipiendum ægro, vt operationes consuetas exerceat, sed moderatè. Hæc de curatione vniuersali omnium luxationum recentium.

Vetustæ luxationes. Luxationes vetustæ eosdem habent scopos, quos tamen præcedit mollitio, & discussio materiæ, quæ influit in articulum, & circum articulum. Quamobrem, R. rad. althæę vnc vj rad. cucum. asinini vnc. ij. fol. maluæ M. ij. coctis in aqua, & contusis adde farinæ fœnigræci ʒ, & seminis lini, ana vnc. j. sem. olei communis vnc. vj. axungiæ porcinæ vnc. iv. Decocti prædicti q. s. Misce, & fiat emplastrum. Vtimur etiam diachylon, & simplici, & cum gummis, in callo maiori, & duriori: prius tamen oportet partem fricare digitis inunctis œsypo humida, quin crassam æsypum admouemus. Membrum sæpe infundimus in loturis lanarum calidis, mane, & vesperi, per horam vnam, vel alteram. Prosunt etiam luta thermalia, præcipuè D. Bartholomæi. Hæc sunt emollientia.

Discutientia. Post hæc digerentibus vtendum, qualia sunt, in naturis mollioribus, ceratum de betonica; in durioribus, emplastrum sacrum. Ante adhibitionem emplastrorum fiunt fomenta è decocto chamæmeli, hyssopi, betonicæ, stæchadis; item è vino albo generoso. In humoribus multis, & valde induratis, si modo prius remolliti sint, vsurpamus fomentum, seu suffumigium è lapide pyrite, aut molari: item fomentum è decocto rad. cucum. asin. althæę, iuæ, colocynthidis; quæ tum calore, & siccitate materiam discutiunt, tum proprietate eandem extra articulos ad se trahunt. Infunduntur etiam membra in aquis thermarum Patauinarum, maximè Aponitanis, & montis ægrotum. Suffumigantur quoque in foueis eorumdem balneorum, è quibus halitus euaporat calidus vim digerendi insignem habens. His factis, omnia reliqua administrare oportet, quæ in recenti luxatione.

CAPVT III.

De particularibus luxationibus, & primùm de luxationibus maxillæ.

Luxatio maxillæ vera. MAXILLA luxata, & mastication tollitur, & locutio deprauatur. Rarò tamen accidit vt ea luxetur, quia caput maxillæ, quod in cauitate continetur, vndiq; ossibus circumuallatum est: deinde maxilla plures, & valentes obtinet musculos, qui ipsam in proprio detinent loco: tum duo habet capita, quæ non tam facile, vt vnum, prolabuntur; insuperq; duos processus acutos: quartò, maxillam in vnam tantum partem, nimirum anteriorem, prolabitur: quintò, paucæ sunt causæ luxationis maxillæ.

Causa. Non enim luxatur maxilla, nisi processus acutus ipsius elabatur infra os iugale, & non amplius sursum redire queat: deorsum autem labi processus ille non potest, nisi in maxima oris aperitione; & sursum redire nequit, nisi in oris distortione. Ego tamen sæpius vidi maxillam luxatam: cuius causa esse potest frequens, & assiduus maxillæ motus, tum in man-

mandendo, tum in loquendo, quo musculi fatigantur, debilitantur, & ita occasionem præbent, vt promptè maxilla luxetur.

Guilielmus de Saliceto, & alij chirurgi anatomiæ imperiti scripserunt maxillam luxari etiam ad partem posteriorem, sinistram, dextram. At hoc falsum est: nam post, impedit os: ad dexteram, impedit caput maxillæ sinistrum; ad sinistram, impedit caput dextrum. Sequitur ergo, quod maxilla tantum in priorem partem luxetur, Com. 3. 4. 5. 6. lib. 2. de artic. Cels. cap. 12. lib. 8. *Differentia.*

Luxatur autem vel vtrumque eius caput, vel vnum tantum. Si vnum tantum; 1. ea maxillæ pars prominet in partem anteriorem. 2. in partem luxatam mentum inclinatur. 3. ad partem contrariam parti luxatæ, os distorquetur, & maxilla distorta eminentior apparet. 4 sub dentibus sectoribus canini consistunt. 5. in parte luxata processus acutus eminentior apparet. 6. dentes non possunt committi. Si luxetur verò maxilla ex vtroque latere, signa sunt: 1. quod tota maxilla in anteriorem partem prominet, neque distorta est, sed recta. 2. os manet apertum. 3. processus acutus ex vtraque parte apparet prominentior. 4. dentes inferiores excedunt multò superiores. 5. musculi temporales interni admodum, & duri conspiciuntur. *Signa.*

Hippocrates scribit, nisi confestim fiat repositio, oriri febres continuas, soporem, inflammationem, dolorem, conuulsionem, bilioforum eiectionem: & ferè decimo die mortem sequi. Ego horum nihil vidi, licet plures curauerim: credendum est tamen visa hæc ab Hippocrate, præsertim cum omnia hæc rationabiliter contingat, propter affectos musculos, & nerios primariò, & cerebrum per consensum. *Prognosticum*

In repositione maxillæ, faciendi sunt motus contrarij ijs, quos fecit maxilla, dum prolapsa est è proprio sinu. Primùm maxilla elabitur in partem priorem: propellenda igitur in posteriorem. Secundò in apertione oris deorsum trahitur: propellenda igitur sursum. Tertiò, musculi sursum trahunt processum acutum: deorsum ergo trahenda maxilla. Si ex vna tantum parte maxilla proruperit; agitanda etiam est ad latus oppositum. Incipiendum autem est à motibus postremis. Et proinde si vtraque maxillæ pars exciderit: primà actio chirurgi est tractio, seu extensio ipsius deorsum, secunda, retro, tertia, sursum: si vna pars exciderit, requiritur altera operatio, quæ est agitatio ipsius maxillæ ad latera. Hæc vt præstentur, oportet intra os immittere ambos digitos pollices, cum reliquis autem apprehendi debet mentũ exterius: tum maxilla trahenda deorsum, retro, & sursum. Sic facillimè, & citissimè reponitur. Oportet autem vt minister aliquis caput teneat, vel hoc ad murum apponatur, ne cedat, cum retro pellitur maxilla. *Repositio.*

Facta repositione, ad capita maxilla, ideſt, ad tempora imponenda sunt, quæ inflammationem arceant, vt ceratum rosaceum; in valida distensione, vbi maiori opus est astringente, possumus admouere stupas madefactas in oui albumine, additis, si opus est, pulueribus astringentibus. Oportet etiam inungere partes temporum, id est, totum musculum temporalem, oleo ros. lumbricato. *Astringentia medicamenta*

Deligatura fit hoc modo: fascia imponitur ad mentum, vbi aliquantulum dehiscet, vt hinc inde mentum apprehendat: deinde ex vtraq; parte ad aures, eadem fascia rescindenda, auriſq; foras trahenda; post liganda fascia in vertice capitis; & sic detinendus æger, donec maxilla fuerit confirmata, quod fit spatio vnius diei, aut bidui, vel ad summum tridui, quo tempore, si periculum immineat, ægrum à cibis abstinere optimum erit, nec dimittenda venæ sectio, & ea, de quibus in curatione luxationum vniuersali diximus. Ego tamen, vt verum fatear, per vnum saltem diem, medicamenta in loco affecto posui, & tempore capiendi cibum, fascias laxari iussi. *Deligatio.*

CAPVT IV.

De luxatione humeri.

Conſtitutio humeri.

HVMERVS eſt os magnum, rotundo capite donatum, quod inſeritur in ſinu ſcapulæ inſculptum, leuiter cauum, & obuoluitur caput hoc ligamento tantum orbiculari, eoque laxo ſatis. Sinus circumcirca habet quædam propugnacula, ad partem enim exteriorem ſcapula habet proceſſum quendam ſatis magnum, conflatum è ſpina ſcapulæ: in parte ſuperiori habet, partim quidem dictum proceſſum, partim clauiculam; in parte interna habet proceſſum anchoroidem. Hinc apparet humeri caput facillimè luxari, com. 3 lib. 2 de artic. eſt enim hic articulus vniformis, & ſimplex, non quemadmodum in genu, duplex; deinde humeri caput rotundum exiſtens, debitur collo oblongo, inſeritur in ſinum profunditate carentem, & hinc facilius elabitur, quàm femur, quod collum habet longum, & in profundum acetabulum inſeritur; tertiò, ligamentum hic tantum eſt ſimplex, nimirum orbiculare (non etiam rotundum, vt in femore) eſtque laxiſſimum: quartò articulus humeri ſatis eſt exiguus, & propterea facilius prolabitur è propria ſede, quàm articulus carnoſus. Poteſt autem humerus non niſi ſub alam, id eſt, deorſum prolabi, quia ibi nulla ſunt propugnacula, vt in aliis locis, & humerus etiam ſuopte pondere facilè deſcendit: attamen Galenus quinquies ſe vidiſſe ait prolapſum humeri in partem anteriorem.

Cur facilè humerus luxetur.

Signa humeri luxati. 1. in alam.

Si ſub axillam prolapſus ſit humerus, in figura ſano admodum diſſimilis apparet: deinde in ſummo humero cauitas inſolita apparet, ſub axilla verò rotunditas capitis, & durities perſentitur: tertiò, ſi humerus in loco naturali conſiſtit, proceſſus ſcapulæ ſuperior rotundus apparet, prolapſo verò humero acutus videtur, quia caput, quod rotunditatem efficiebat, iam prolapſum eſt; quartò, cubitus à coſtis valde recedit, & ad eas non niſi maximo dolore admoueri poteſt: quintò, ægri non poſſunt manum ad caput porrigere, quia humeri articulus non poteſt amplius ſurſum moueri, aliique etiam motus humeri multiplices impediuntur: ſextò, brachium luxatum fit longius altero, ſi humerum tantum deorſum prolabitur, at breuius fit, ſi caput, poſtquam deorſum prolapſum eſt à muſculis ſurſum trahitur: ſeptimò, pars ad extremam axillam plicas faciens in humero luxato longè inferiores, & anteriùs, & poſteriùs quàm in brachio ſano, quod ſignificat caput humeri inferius prolapſum eſſe.

2. in partem anteriorem.

Si humerus luxetur ad partem anteriorem, ſigna ſunt, quod in anteriori parte eminentia, in poſteriori inſolitus ſinus conſpicitur: præterea cubitus ad poſteriores partes vergit: nec apparent ſigna luxati humeri ſub alam.

Num & perfectè, & imperfectè luxari queat humerus.

Hippocrates ait humerum, & femur tantum perfectam luxationem pati, cuius cauſam ſupra attulimus, quod verum eſt, ſi luxatio à cauſa externa oriatur: ſi verò cauſæ ſint internæ, id eſt, humores concreſcentes, & ſenſim indurati, hi dum caput paulatim recedere cogunt, poſſunt imperfectam excitare luxationem.

Repoſitio humeri.

1. Modus.

Modi, quibus humerus in alam luxatus reponitur, ferè decem ab Hippocr. enumerantur lib. 2. de art. qui ad tria genera commodè reduci poſſunt. Primus modus ſit per circumrotationem, ſeu circumuolutionem, dum uel æger, vel medicus manum omnibus modis aſtrictam, ponit ſub axillam, vt nodi medij caput humeri in cauitatem ſuam impellant. Hic modus adminiſtratur tantum in corpore puerili, & in iis corporibus, quibus laxa admodum ſunt ligamenta, & humida: at ſicut hoc modo facilè humerus reponitur, ita facilè rurſus excidit. Hic modus ab Hippocrate dicitur non ſecundùm naturam, quia non ita tutus eſt: nam dum circumrotamus caput brachij per corpus ſcapulæ,

facilè

facilè arteruntur membranosa,& nervosa corpora, item supercilia in sinu, vnde propter accursum humorum medicus frustratur repositione.

Secundus modus fit via contraria prolapsui. Humeri caput si luxatur, primùm à sinu recedit, & sic in anteriorem partem mouetur, deinde deorsum fertur, tertiò ad partem posteriorem, ideſt, retro à musculis trahitur. Differt hic modus à primo, quòd in primò per circumrotationem fit motus per lineas curuas, in secundo per rectas. In restituendo ergo, etiam tres hi motus sunt efficiendi, via prolapsui contraria. 1. à posterioribus ad anteriora, 2. ab anterioribus ad superiora. 3. retro. Primùm igitur Chirurgus apponet caput ad summum humerum patientis: deinde digitos sub alam immittet: tertiò genu cubitum premet, hocque fieri debet ægro sedente. Videamus iam, quomodo hæ operationes propositis indicationibus satisfaciant. Primus motus, qui fieri debet in restitutione brachij, est ad partem anteriorem, & fit digitis sub alam positis: hunc motum roborat, & faciliorem reddit genu, quod cubitum ad costas premit, qui ab his nimis per prolapsum recesserat, sicuti enim dum caput in alam prolabitur, cubitus à costis remouetur, ita vicissim dum ad costas impellitur cubitus, humerus in anteriora mouetur. Beneficio igitur digitorum, & genu, humerus à partibus posterioribus mouetur ad anteriores. Caput autem Chirurgi summo humero innititur, ne, dum digiti ipsum humerum trahunt ad partem anteriorem, reliquum etiam corpus ad eamdem consequatur, vel potius (quod ego experientia didici) ne ipsa scapula, quæ mobilis, est, consequatur, articulus enim humeri luxatus, si non sit recens luxatio, difficillimè reponitur, ob vnicam hanc causam, quia dum fit extensio ipsius humeri, non mouetur humerus è suo loco præternaturali, sed potius scapula mouetur Sic igitur Hippocrates primum motum efficit, id est, humerum ad partem anteriorem promouet: reliquorum duorum motuum nullam facit mentionem, quoniam à musculis efficiuntur; hi enim dum integri sunt, & luxatio recens facta, humerum sursum trahunt, & in propriam sedem restituunt, modo caput humeri non sit impeditum, quemadmodum erat dum consistebat retro sub ala. Potest etiam hic modus alia ratione administrari, quia enim genu non adeò facile humerum ad costas impellere possumus, pro genu ministrum substituemus, qui manu cubitum apprehendat, & ipsum ad costas deducat. Est & tertia ratio, qua secundus hic modus absolvitur: reducatur cubitus retro ad spinam dorsi, sic enim humerus promouetur ad partes anteriores: deinde altera manu cubitus prehendatur, vt hæc motus ad partes superiores, altera verò manu innixus fiat in summo humero, ne scilicet scapula moueatur, vt antea etiam diximus.

2. Modus.

Declaratio huius modi.

Tertius modus generalis, secundò addit extensionem, quæ maxime necessaria est, si caput humeri in loco alieno iam sit firmatum, accedit insuper quod musculi semper sursum trahunt, vnde oritur indicatio deorsum trahendi, per extensionem. Absolvitur hic modus, vel Sine instrumentis, vel cum instrumentis.

3. Modus.

Sine instrumentis, duobus modis. Primus est, si patiens iaceat, & Chirurgus in eadem planitie sedeat apprehendens ambabus manibus brachium luxatum, & calcem apponens sub alam, (dextrum calcem, si luxatus est humerus dexter, sinistrum. si sinister) ante quam autem calcem apponat sub alam, necessarium est apponere pilam duram, qualis est palmaria illa, quæ ab artificibus conficitur. Hoc facto minister alter debet apprehendere oppositum brachium, & deorsum trahere: Alius vero habens fasciam, lorum, vel habenam, sed firmam (eius latitudinis, vt pilam comprehendat) ambo eius capita sursum, versus caput ægri trahere debet; deinde altero pede inniti in summo humero luxato.

Prima restitutio sine instrumentis.

Considerandum autem, quomodo humerus his operationibus reponatur. Primus, qui trahit brachium deorsum, & alter, qui sursum habenam trahit, efficiunt extensionem, & motum deorsum. Motus ad anteriora fit, tum à pila, tum à calce: vnde calx inferi debet intra costas, & caput humeri, seu pilam, vt caput humeri prematur ad anteriora: pila autem ea ratione apponitur, vt, quo pertingere non potest calx; propter cauitatem ipsius axillæ, quæ fit à tendinibus, & musculis vtrinque positis, pilæ

Declaratio huius modi.

tamen beneficio calx operari queat. Duo igitur motus fiunt à Chirurgo primo, deorsum, & ad anteriora. Alter minister, qui sursum trahit habenam, efficit motum sursum: premens autem pede summum humerum, facit innixum, ne scapula consequatur. Tertius, qui deorsum trahit humerum sanum, præstat, ne totum corpus ad extensionem vna consequatur.

Secunda reductio sine instrumentis.

Alter modus sine instrumentis sic fit: Homo, qui altioris sit staturæ, quàm patiens, alam ægrotantis à terra sublati ponat supra suum humerum, vt sic faciat extensionem: deinde brachium luxatum adducat ad suum pectus, vt humerus ad anteriora moueatur. Post alius minister, ambabus suis manibus ad ægri ceruicem, & summum humerum retro positis partem illam trahat, & premat, ne scapula consequatur. Denique puer à tergo lateribus appendatur, ne pedibus terram tangat, vt prohibeat; quò minùs totum corpus consequatur. Hæc de modis, qui fiunt sine instrumentis.

Instrumenta, pro humero reponendo. Pistillus.

Instrumenta, quibus fit repositio, vel tantum ponuntur sub ala, vel vna cum tabula adhibentur. Sub ala tantum ponuntur Pistillus, & Scala. Pistillus, vel in eius absentia baculus, inuoluatur linteo, ne propter lænitatem elabatur: deinde altero extremo ponatur sub ala, altero terræ innitatur (sedeat patiens, si breuis sit pistillus, vel si longus, stet,) Postea minister brachium deorsum trahat, & alter retro stans, similiter trahat, seu comprimat summum humerum, & ceruicem. Denique teneatur firmiter humerus sanus. Hæc primùm fit motus deorsum: deinde ad anteriora, à pistillo ad costas promoto: de reliquis motibus antea est dictum. Verùm pistillus aliquo modo fallax est: fieriq; potest, vt in pistilli vsu totum corpus circumuagetur. Magis igitur laudatur scala, in qua gradus aliquis in sui medio habebit corpus quoddam rotundum, quod sub ala ponetur, inter costas & caput: postea chirurgus brachium luxatum deorsum trahet: alius minister, apprehensa ceruice, & summo humero, similiter trahet ex alia parte: tertius apprehendet totum corpus, trahetq; deorsum ex alia parte scalæ. Hic modus anteferendus est priori, qui fit cum pistillo: quia corpus firmius tenetur, vt circumuagari nequeat.

Scalæ.

Glossocomium Hippocratis cum adiectis instrumentis.

Si placeat instrumenta cum tabula administrare, ita agendum. Tabula paretur paulo breuior binis cubitis, id est, tam longa, quàm est brachium ipsum: lata 4. aut 5. digitos, prout brachium ægrotantis, aut crassius, aut minùs crassum: crassitudine tabula sit duorum digitorum, aut paulo tenuior. Extremitas huius tabulæ in angustum finire, & aliquanto tenuior esse debet, cum extante capitulo rotundo, & leuiter cauo, vt aliquam capitis humeri particulam recipere possit. Hæc extremitas inserenda est sub alam humeri luxati inter costas, & caput humeri: reliqua verò tabula, per longitudinem brachij interni collocata, ligari debet, primùm quidem statim sub capite humeri luxati, deinde supra cubitum, post ad carpum. Sic ergo tabula brachio affixa, reponimus humerum ope aliorum instrumentorum, quę trium sunt generum. Primum instrumentum fit è duabus columnis, & trabe transuersa, alligata ipsis columnis: quæ trabs non erit rotunda, sed eius figuræ, cuius est tabula, maior tamen, quoniam totum corpus debet appendi huic trabi transuersæ.

Trabs transuersa columnis alligata.

Ad hanc trabem collocetur humerus luxatus, vt trabs sit inter costas, & tabulam brachio alligatam: tamq; altè alligetur columnis: vt patiens vix summis pedum digitis terram attingat. Sic collocato ægro, chirurgus ex vna parte brachium deorsum trahet: ex altera minister ceruicem, & summum humerum amplexus, ægrum similiter deorsum trahet. Dum chirurgi brachium deorsum trahunt, tabula etiam, vna cum brachio, ad costas trahitur: vbi autem inferior tabulæ extremitas ad costas adducitur, superior rotunda pars facit motum contrarium, ita mouet caput luxatum ad partem anteriorem: qua motione facta, facilè postmodum musculi trahunt, aut ipse chirurgus impulsum faciens reponit hoc modo caput ossis.

Alterum instrumentum est sedile Thessalicum, qualia sedilia in nostris etiam regionibus fiunt, quorum reclinatorium est planum: supra hoc reclinatorium collocatur brachium cum alligata tabula, & os reponitur, eo modo, qui in trabe transuersa explicatus est.

Tertium

Tertium instrumentum est ianua biforis: brachium igitur cum tabula alligata collocabitur ad transuersam illam tabulam, quæ consistit in ianua bisori, eo modo, quem iam attiginus in trabe transuersa, & sedili Thessalico.

Hi sunt omnes decem modi, quibus reponitur humerus, in alam luxatus: præter quos & scamno vtebatur Hippocrates, vbi maiori opus erat robore. *Scamnum.*

Si humerus in partem anteriorem luxatus, sit restituendus, faciendus est motus contrarius. Et licet membrum breuius non sit redditum, quia tamen caput explicamus, & soluimus efficienda est aliqua extensio, sed modica. *Luxatio ad anteriora.*

In genere autem sciendum, si recenter humerus sit luxatus, ipsis etiam digitis facilè reponi posse. At cum vetusta est luxatio, difficillimè reponitur: quia humerus firmam sibi fecit sedem, ita vt callo etiam quodamodo obduruerit, præterea cauitas ipsa carne repletur, quæ os etiam repositum, nihilominus è proprio sinu prolabi cogit. *Vetusta luxatio difficulter reponitur.*

Reposito humero, eum deligare debemus. Ante deligationem autem imponenda quæ phlegmonem arcent, & simul laxata, distortaq; ligamenta coniungunt: vt sunt ea, quæ supra proposuimus, bolus Arm. sang. drac. myrtilli, balaustia puluerizata, oui albumine subacta, ad mellis consistentiam, & cum stupa, aut linteis imposita. Debet autem in humeri articulo Pila confici è linteis conuolutis, aut è stupa: quæ medicamentis modò dictis infecta sub alam ponenda, ne humerus propter grauitatem, & ligamentorum laxitatem rursus descendat. Postea linteum latius vino nigro austero expressum imponitur. Tertiò loco fascia circumducitur, quæ pilam constringat, & brachium semper sursum trahat, vel saltem conseruet: primùm ergo media fascia pilam apprehendet, & circumuoluetur semel, aut bis circa articulum, post ambo capita circumuoluentur ad ceruicem alterius lateris. Exactis tribus, vel quatuor diebus, soluenda fascia: & si timor inflammationis non præterierit, aut ligamenta nondum perfectè astricta sint, renouandum simile medicamentum, donec timor inflammationis recesserit, & ligamenta roborata sint. Tunc enim abiecta & fascia, & medicamento proposito, apponitur aliquod ceratum: hieme quidem barbarum, æstate verò diapalma. *Deligatura.* *Solutio fasciarum.*

CAPVT V.

De Cubiti Luxatione.

CVBITI articulus difficillimè luxatur, & reponitur, secundum Hipp. lib. 2. de artic. Galen. lib. 1. de fract. primùm, quia est multiformis, & varius, non rotundus: secundò, ossa articulum componentia vicissim se mutuò suscipiunt, & suscipiuntur, vnde hic articulus dicitur ginglymoeides, quod factus sit ad formam cardinum: tertiò, ligamenta huius articuli sunt arctissima: postremò ossa non sunt duo, vt in plerisque articulationibus, sed tria, cubitus, radius, humerus, quæ mutuò membranosis ligamentis sunt innexa. *Cur hic articulus difficulter prolabatur.*

Nisi autem citissimè reponatur luxatus cubitus, vehementissimus sequitur dolor, quia caput ipsius prægrande comprimit musculos circumiacentes, & neruos ad manum excurrentes, alta etiam, atutaque ipsius supercilia eadem partes pungunt: præterea radius dolorem auget, si enim consequatur, fiunt aliæ compressiones, si non consequatur, fiunt multæ distensiones neruosorum corporum distractorum. Dolorem hunc sequi solent febris, bilis, vomitus, torpor, &c. *Symptomata supernenientia.*

Cubitus luxatur ad partem anteriorem, vel posteriorem: ad exteriorem, vel interiorem & radius vel subsequitur, vel subsistit. *Differentia.*

Si radius subsequitur, tactu sentitur dessidentia radij à cubito. Si luxetur cubitus in partem anteriorem, signa hæc sunt: externum cubitum flectere non possumus; breuior *Signa.*

cubi-

cubitus redditur, tumor insolitus apparet in parte anteriori, & cauitas insueta in posteriori, motus cubiti impediuntur. Si luxatio facta sit ad partem posteriorem, signa sunt eadem, nisi quod tumor apparet in parte posteriori, sinus in anteriori. Si luxetur in partem exteriorem, eadem sunt signa, sed tumor in parte est exteriori, cauitas in interiori. Si luxetur in partem interiorem, contra.

Prognostica. Celerrimè luxatus cubitus est reponendus, aliàs enim propter dolorem magna oritur inflammatio, ob quam cubitus luxatus celeriter callo obdurescit, resoluta materia tenuiore, maximè, quia cubitus excarnis est, & neruosus, frigidique temperamenti. Induratus autem cubitus reponi nequit, nisi priùs remolliatur supradictis remedijs.

Luxatio ad partem priorem. Si ergo cubitus luxatus sit in partem priorem, primùm extensio fieri debet in congrua figuratione, non in directum, sed in obliquum, ne humeri caput attingat cornicem, id est, altum cubiti supercilium, & hoc per circumrotationem rumpatur. His factis, cubitus luxatus in partem priorem reponitur quatuor modis. Primùm enim, si imperfecta sit luxatio, solo cubiti inflexu subitò reponitur. Secundò, in perfecta luxatione fieri debet extensio, deinde aliquod durum, & rotundum corpus è linteis conuolutis apponetur ad cubiti flexuram: tum inflectetur cubitus. Extensio fiet à duobus ministris, quorum vnus sursum trahet humerum, alius cubitum deorsum, sed obliquè. Corpus autem illud rotundum ad cubitum positum comprimi debet, vt, facta inflexione, fiat repositio. Tertiò, duo ministri similiter extendent; habena verò ponetur ad cubitum luxatum, & infra tam longa ligabitur, vt pes chirurgi possit ei, tamquam staped ibus inniti: facta igitur extensione, & habena deorsum tracta à pede chirurgi, postea chirurgus manus apponet ad ipsum cubitum, & retro comprimens hunc inflectet: sic enim reponetur. Quartò manibus solis hoc etiam fieri solet: facta enim extensione, apprehendendo hinc humerum, & hinc cubitum, cubitus debet inflecti, & in propriam sedem impelli.

1.
2.
3.
4.

Reliqua luxatio is differē tia. Si luxatio fiat ad partem posteriorem, obliquè facta extensione, facilè solis manibus luxatio recens reponitur. Et quia extensio in hoc casu difficilis esse solet, quoniam musculi extendentes cubitum exterius validissimi sunt; chirurgi manus inungendæ erunt oleo, vt musculi magis fiant sequaces. Et, si robur manuum in reponendo cubito non sufficit; vtemur etiam organis, vt scala, scamno Hippocratis, &c. Si cubitus prolabitur in interiorem, aut exteriorem partem, facta extensione, fiat impulsus cubiti in partem contrariam.

Medicamenta anodyna, & astringentia. Repositione facta, imponenda unt medicamenta, quæ dolorem leniant; ligamenta laxa, & distorta contrahant, ac constringant: inflammationem arceant: quorum primum fit oleosis; reliqua astringentibus; vbi videndum quid magis vrgeat. Si dolor adest; cum pulueribus astringentibus, & oui albumine, miscendum est oleum myrtinum, aut rosaceum, vel vtendum est Cerato rosaceo inducto in linteo latiore, deinde apponi debent stupæ, oblinitæ medicamento è pulueribus astringentibus, oui albumine subactis. Post congrua facienda deligatio, similis ei, quam supra in fracturis proposuimus; semper mediam obseruando figuram.

CAPVT VI.

De Radij luxatione.

Differentia & signa. RADIVS prolabi solet, potissimùm ad partem exteriorem. Signa sunt, quod in exteriore parte tumor apparet, cubitus, & radius inuicem dehiscunt. Facta extensione, propellitur intro facilè.

CAPVT VII.

De luxatione Carpi, seu Manus itemq; Metacarpi, & Digitorum.

CARPVS in se totus consideratus, & cubito toti per diarthrosin connexus, potest excidere ad interiora, exteriora, anteriora, posteriora, potissimum tamen ad anteriora; & tunc signa sunt, tumor in partibus anterioribus, digiti non possunt flecti. Si luxatio fiat ad posteriora, digiti non possunt extendi, quia tendines, & nerui ab ossibus cõprimuntur. Si luxatio fiat ad interiora, vel exteriora, tumor in ea parte, & sinus in opposita apparet.

Quod si ergo facta sit luxatio in partem anteriorem, aut posteriorem; manus ponatur in tabula; supina, si luxatio ad anteriora; prona, si ad posteriora facta est; deinde fiat extensio à duobus ministris trahentibus hinc inde tum brachium, tum digitos. Dum fit extensio, chirurgus articulum luxatum impellere debet ad partem contrariam; vel manu, vel, in robustis corporibus, calce pedis premendo: Celsus corpus aliquod durum, è linteis confectum, ad luxationem apponit, ea parte, qua premendum maxumè est, vt sic robustior fiat intrusio, & minor dolor. Si luxatio sit in partem exteriorem, vel interiorem; facta extensione, chirurgus impellere debet in partem contrariam. *Repositio.*

Luxatio ossium carpi, aut metacarpi, in illa nulla facta extensione, in hac modica, facilè reponitur, manu collocata in tabula; & supposito corpore duro; sicq; manu, aut calce ossibus in loca sua protrusis, vel anteriùs, vel posteriùs. *Luxatio ossium carpi, & metacarpi.*

Digiti luxantur in partem anteriorem, posteriorem, & ad latera. Signa sunt manifestissima, quia articuli admodum sunt excarnes. Facta extensione super tabula à duobus ministris, facilè os in contrarium impellitur. Facta repositione, imponenda medicamenta: membrum deligandum, & deponendum, &c. *Luxatio digitorum.*

CAPVT VIII.

De luxatione Femoris.

FEMVR habet caput rotundissimum, longæ ceruici annatum, quod in sinum profundissimum inseritur. Alligatur autem femur cum suo sinu ossis coxendicis duobus ligamentis, altero orbiculari, altero rotundo. Hinc apparet, solum perfectam luxationem in femur cadere, non imperfectam, nisi sit causa externa; vt etiam supra de humero luxato diximus. Prorumpit femur ad partem anteriorem posteriorem, exteriorem, interiorem: hoc tamen fit difficulter; primò propter musculos robustissimos, & propter copiosam musculorum carnem, quæ femur in proprio sinu conseruat: secundò propter profunditatem acetabuli; tertiò, propter duo ligamenta arcta, & breuia. Rarò luxatur femur in partem priorem, & posteriorem: quia in his partibus supercilium acetabuli est altius; sæpe in exteriorem, quia hic minùs altum, sæpissime in interiorem, quia hic minimè altum: præter verò supercilium, ego ligamentum addo rotundum, quod magis proximum est parti internæ, & proinde facilius permittit, vt femur luxetur in partem internam. *Causa, differentia.*

Si interius luxetur crus; longius altero apparet; capite .s. femoris descendente. Item genu in exteriorem partem prominet; sicut etiam tibia, & pes: semper enim, si alterum

extre-

extremum in partem aliquam elabitur, alterum extremum in oppositam reclinat: vnde, si caput femoris interius dimouetur, genu, pes, tibia in partem exteriorem inclinant. Præterea crura non possunt inflecti ad inguina: quia musculi inflectentes sunt constricti, & impediti, quò minùs possint ipsum femur attollere, & inflectere. 2. Alterum signum est, quod è regione, quæ est inter anum, & testes, tumor manifestus apparet, in exteriori parte sinus. Si femur exterius prolabatur, signa sunt contraria; nam crus est breuius altero; quoniam caput elatius est ipso sinu. Inter scrotum, & anum pars in sinum dehiscit; iuxta verò clunes in tumorem attollitur. Genu, pes, tibia interiùs spectant. Aegri crus sursum trahere possunt; quia musculi inflectentes non sunt impediti. Calx terram non contingit, sed planta ima; quia crus breuius est redditum. 3. Si in priorem partem elabatur femur; crus extentum implicari non potest, propter inflectentes musculos impeditos, & compressos à capite femoris. Vrina his supprimitur; quoniam caput femoris premit vesicam. Inguina intumescunt; eò, quod caput femoris in eam partem promotum est. Nates rugosæ, & excarnes apparent: quia femur totum, 4. vnà cum processibus, promotum est ad partem anteriorem. Si in partem posteriorem promoueatur femur, contraria adsunt signa: crus extendi non potest; quia musculi extendentes, qui sunt in posteriori parte, comprimuntur; vnde ad propria principia trahi nequeunt: deinde crus affectum redditur breuius altero crure; quoniam sinus consistit in inferiori parte, caput in superiori, calx terram non contingit, inguina laxiora apparent, & per nates caput femoris eminet.

Prognostica. Femur luxatum, difficulter admodum reponitur, quia propter valentissimos musculos extensio fieri non potest: & augetur difficultas, si luxatio non sit recens, quæ callo obdurescerit, propter humores circa caput femoris influentes, & propter repletionem ipsius sinus. Repositum etiam femur facilè rursus excidit, propter musculos, iam imbecilles redditos, vt ponderosum femur in sua sede continere nequeant: propter ligamentum etiam teres laxatum, vel ruptum.

Repositio sine extensione. Reponi femur potest, vel sine extensione, vel cum extensione. **Sine extensiune, duobus** modis: quitum locum non habent, nisi recentissimà sit luxatio, **& modica, id est, parum distans** à proprio sinu, nisique sit in corpore puerili. Primus modus est, vt circumrotetur caput femoris circa illum (quemadmodum etiam in luxato brachio diximus) nec ab hoc separetur, nisi in sinum perueniat. At hic modus non est tutus: quia metus est, ne caput cum supercilio attritum, retundatur, aut frangatur. Alter modus est: vt subitò femur flectatur; nam & sic aliquando reponitur, secundùm Paulum, cap. 98. lib. 6.

Repositio cum extensione, quæ fieri potest. Meliùs autem reponitur femur cum extensione. Si ergo femur in partem interiorem sit prolapsum, licet extensione non videatur opus, cum longius crus sit redditum, (non breuius, vt in alijs luxationibus, in quibus musculi mouentes caput ossis longè supra hoc habent originem, ideoque caput sursum trahunt) nihilominus modica fieri debet extensio, quanta nimirum sufficit ad caput fixum dimouendum, & extricandum. *Manibus.* Manibus hæc fiet, si sit recens luxatio, si modica, & in corpore puerili. Hoc autem instituetur modo: alter minister apprehendat corpus ægrotantis sub axillis, & firmitet teneat, alter supra genu ambabus manibus ipsum apprehendat, & extendat: interim, dum fit extensio, chirurgus femur ad interiora prolapsum impellat manibus ad exteriora. Sic extricatum caput beneficio huius impulsionis, sursum trahentes musculi facilè in suum sinum reponent, vel, si debiles sint musculi, facilè chirurgus hoc præstabit. Si corpus non sit puerile, sed ro- *Habenis.* bustum: maiori egemus extensione; quæ fit habenis, funibus. Habena igitur ponenda est in spatio illo, quod interiacet inter genitalia, & anum, ita autem ponenda est habena, ne comprehendat caput ossis; deinde alia habena alliganda est supra genu, aut etiam alia supra talum; & hæ habenæ duobus capitibus trahendæ, vel manibus tantum, vel etiam scala, cuius vni gradui superior habena alliganda, & æger in scala ponendus, altera verò habena deorsum trahenda; possumus etiam vti scamno Hippocratis. Hæ tamen valentes extensiones potiùs locum habent in alijs femoris luxationibus, vbi in partem exteriorem, anteriorem, vel posteriorem luxatur; tum enim facta extensione, & capite in partem contrariam

trariam impulſo, à Chirurgo facilè reponitur. Poſt repoſitionem, apponenda medicamenta, quæ phlegmonem arcent, dolorem ſedant, laxata ligamenta conſtringunt, & roborant, &c.

CAPVT IX.

De luxatione Genu.

GENV non adeò facilè excidit; quia duo habèt ligamenta: habet etiam caput, & ſinum duplicatum. Patitur autem imperfectam, & perfectam luxationem: & labitur ad partem exteriorem, interiorem, & poſteriorem: ſolus Celſus addit anteriorem, ad quam tamen difficulter genu luxatur, propter patellam, quæ validiſſimis alligata tendinibus mirificè genu firmat in partibus anterioribus, vt ad has non prolabatur, niſi adſit cauſa violentiſſima. *Differentia.*

Species autem huius luxationis patent oculis; maximè quia locus eſt excarnis; apparet enim tumor in loco inſolito, ſinus in loco contrario; figura deprauatur; motus debilitantur, & pereunt. *Signa.*

Si luxatio ſit imperfecta; nulla, aut exigua requiritur extenſio, ſed ſolùm impulſio ad partem contrariam. Si perfecta; extenſio eſt neceſſaria: quæ fiet manibus in recenti luxatione, & puerili ætate: miniſter vnus trahat in ſuperiori parte, alter ſub genu, ad pedem; Chirurgus verò os impellat ad partem contrariam. In homine adulto, & magna luxatione, opus eſt habenis, vel etiam machinamentis, præcipuè quæ deorſum trahunt, & ſufficientem efficiunt extenſionem, &c. *Repoſitio.*

CAPVT X.

De luxatione Tali, ſeu Articuli pedis, & Digitorum.

ARTICVLVS hic poteſt erumpere in partem interiorem, exteriorem, anteriorem, & poſteriorem. Si in partem interiorem; ima pars pedis in exteriorem partem conuertitur: ſi in exteriorem, contra. Si in priorem, tunc latus ille, & robuſtiſſ. tendo in calcaneo durus euadit, & intentus: præterea pes minor fit; quia tibia, & articulus promouetur in partem priorem, & multam pedis partem occupat, vnde pes fit minor, & breuior. *Signa.*

Si in poſteriorem, calx pene reconditur, quia articulus ad calcem elapſus eſt: præterea planta maior fit, & pes videtur longior euadere. Si hæc ſigna ſunt manifeſta, perfecta eſt luxatio; ſi obſcuriora, imperfecta.

Curatio non eſt difficilis, ſi debita adhibeatur extenſio: manibus quidem, in luxatione recenti, & corpore puerili; miniſter alter pedem manibus apprehendat, alter tibiam ſupra pedis articulum; & extendat: Chirurgus autem in partem contrariam impellat. Si manibus non poteſt fieri proba extenſio; vtimur habenis, in pede, & tibijs ſupra talum, in parte ſequenti. Si valentiſſima requiritur extenſio, vti poſſumus ſcamno Hippocratis: aut eo modo, quem Paulus præſcribit lib. 6. cap. proprio. *Repoſitio.*

Facta repoſitione, diutiùs eſt æger in lecto continendus, quàm in alijs luxationibus, nimirum per 40. dies; quia talus totum corpus geſtat, ideòque niſi completè reſtituatur, ideſt, niſi ligamenta laxiora reddita, & muſculi diſtenti priſtinum acquirant robur; vel ægri in eandem luxationem recidunt leui de cauſa; vel longo tempore pedem admodum debilem *Poſt repoſitionem quid faciendum.*

ſentiunt. Oportet ergo vti pulueribus aſtringentibus oui albumine ſubactis, & ſtupa excep-
Oſſa pedij tar & digitorum. tis, circaque articulum impoſitis. Si dolor adſit, etiam hunc lenientia requiruntur. Oſſa pedij, & tarſi tam robuſtè alligata ſunt, vt nunquam patiantur luxationem. Oſſa verò digitorum pedis rarò luxantur; quoniam multis, & ijs validiſſimis ligamentis ſuffulciuntur; multis etiam tendinibus. Reponuntur autem, vt in manu ſupra cap. 7. docuimus.

Libri Quinti, de Luxationibus, finis.

APPENDIX LIBRI PRIMI

DE TVMORIBVS QVIBVSDAM VVLGO PARTICVLARIBVS.

DE ERYSIPELATE IN CAPITE, VEL FACIE.

ERYSIPELAS in capite, vel facie, eſt tumor, qui à naſo vt plurimùm incipit. Primò rubet: deinde verò intumeſcit, & rubet, ſenſim ſpargitur, & ſerpit interdum in cutem capitis, interdum in ceruicem, aut collum. Fit autem eryſipelas ex bilioſo ſanguine prædominante: dico, prædominante ſanguine bilioſo, quia etiam ſanguis bonus coniungitur, ex quo phlegmonoſum eryſipelas fit. Et hic tumor, eryſipelas dictus, in omni ætate fit, & omni anni tempore, magis autem in temperatis temporibus, maiùs verò æſtate, in hieme autem maximè, propter faciei conſtipationem, quia humorum in ea contentorum fluxus ad inferiora prohibetur. *Signa Eryſipelatis capitis*

Cauſæ eryſipelatis ſunt duplices, aliæ ſunt externæ, aliæ internæ. Externæ ſunt contuſio, vulnus, inſolatio, & omnia, quæ poſſunt dolorem, & calorem in facie excitare, quibus fluxio ſuperuenit. Item vſus aromatum, vinorum generoſorum, & aliorum vehementer calefacientium. Internæ cauſæ ſunt tres. Prima, iecoris intemperies calida, quæ abundantiam ſanguinis bilioſi cauſat. Secunda eſt ſanguinis bilioſi redundantia. Tertia eſt fluxio humorum in caput vel faciem, ſine qua eryſipelas fieri minimè poteſt. *Cauſæ.*

Quod ad eryſipelatis prognoſtica attinet, periculoſum eſt eryſipelas, quia fluxio ab externis ad interiora verti poteſt; quod fit, ſi medicamentis refrigerantibus curetur: Si enim ſit in facie, & ſerpat in caput, ſerpit in membranam cerebri, magnoſq; & periculoſos morbos excitat: Si ſerpat verſus ceruicem, & introrſum vertatur concitat anginam: Si ſerpat à ceruice per aſperam arteriam, quod interdum fieri ſolet, in pulmones illabitur, & peripneumoniam excitat, aliaq; huius generis. *Prognoſtica.*

Cæterum, ſi de curatione eryſipelatis in facie, vel capite, ſermo ſit, contrarium habet curandi modum, quàm eryſipelata aliarum partium; hæc enim refrigerantibus, illa potiùs calefacientibus ſunt curanda. Debemus autem in primis de illius cauſa eſſe ſoliciti, an ab externa, an interna cauſa proueniat. Si enim ab externa cauſa fiat, illa remota tollitur eryſipelas. Si verò à ſanguinis bilioſi redundantia fiat, qui in faciem fluxerit, externæ venæ, *Curatio.*

quæ minores sunt: primò implentur, deinde verò maiores, quæ sunt interiùs, tandem venæ circa cerebrum, ex quo fit, vt per contiguitatem cerebrum etiam inflammetur. Tria verò circa erysipelatis curationem indicantia nobis occurrunt, tribus interioribus illius causis correspondentia. Prima indicatio est refrigerandi calidam intemperiem. Secunda, euacuandi sanguinis bilioſi redundantiam. Tertia, fluxioni obsistendi. Obsistitur autem fluxioni, vel reuellentibus, vel intercipientibus in via, vel repellentibus: quorum duo vltima, repellentia scilicet, & intercipientia in erysipelate nihil valent; valent autem reuellentia, quæ sunt partim chirurgica, partim pharmaceutica, partim diætetica.

Indicationes.

Chirurgia, Vena sectio.

Reuellentia chirurgica consistunt in venæ sectione, quæ in brachio fieri debet, ad redundantiam sanguinis euacuandam; licet alij censeant venas inferiores esse secandas, quorum opinio, propter distantiam, minimè probatur. Debet autem fieri venæ sectio ex ea parte, quæ respondet parti affectæ, ita vt si erysipelas dextram faciei partem, aut capitis, obsideat, vena media dextri brachij, quæ caput, & iecur respicit, secanda sit: vtriusq; autem brachij, si tumor in omnes loci differentias sit sparsus. Atque hæc venæ sectio debet esse magna, & larga, ad vnam libram & semis, si vires sufficiant. Quod si non sufficiant, perficienda est partitio ad duas vices. Quod si nec hoc permittant, vtendum cucurbitulis scarificatis in dorso, & coxis. Fit verò interdum, vt hirundinibus sanguis per hæmorrhoides euacuetur, si aut in iuuene hæmorrhoides sint obstructæ, aut ætas sit consistens, in qua sanguis melancholicus viget. Præter venæ sectionem vtendum est alijs reuulsorijs, vt cucurbitulis siccis dorso, & coxis appositis: item balneis calefacientibus ex betonica, calamintha, chamomeli, &c. Postea frictionibus in cruribus; quo ad pars rubeat; fricatis autem cruribus, liniuntur oleo liliorum alborum cum aromatibus. Quod si erysipelas inualescat, & nimium augeatur, valent vesicatoria in brachio & coxis ex contusa flammula ad pilularum formam facta, & alligata.

Reuellentia alia.

Pharmacia. Euacuantia.

Pharmaceutica medicamenta debent esse euacuantia per inferiores partes; qualia sunt vnica vna cassiæ, cum tribus drachmis pulpæ tamarindorum; refrigerant enim &, euacuant bilem, & si febris adsit, eam pellunt. Syrupi rosati solutiui ad vnicam vnam cum decocto cordialium. Si sit æstas, & erysipelas sit insigne, & calidum, & febris magna, vtendum est sero caprino ad libras tres, vel tres, & semis. Animaduertendum autem est hic, an vrinam moueat, vel aluum: Si enim mouet vrinam, non tamen sufficienter, in serum imponendum est lac feminum melonum. Si haud sufficienter aluum conciat, valent vnicæ tres syrupi rosati solutiui. Valent etiam decocta aquæ stillaticiæ ex cichorio, endiuia, hepatica, borragine. Post hæc dandum est Rheubarbarum ad drachmam vnam cum vncijs quatuor syrupi rosati solutiui; vel vncia vna florium cassiæ. Porrò cum erysipelas in facie febrem semper habeat coniunctam, fit interdum, vt febrem malignam coniunctam habeat, quæ fit si erysipelas corpori ad febrem malignam dispositum superueniat. Hæc autem maligna febris proprijs signis obseruatur, vt vigilijs, delirio, phrenitide, &c. In hoc igitur casu præter ea, quæ iam allata sunt medicamenta, vtendum est remedijs malignitati resistentibus, vt sunt conserua acetosæ cum bolo Armena, terra sigilata, lapide Bezoar &c. Circa quæ, & alia superiùs dicta medicamenta, hoc obseruandum, quod continuo propinari debent, aut reuellendo, aut euacuando, ne intermittendo fluxio recurrat, ita vt si tertio die cucurbitulis vtaris, quarto vtaris clysteres, quinto balneis, &c. Sexto medicamentis, & sic deinceps.

In febre maligna coniuncta.

Diæta.

Iam quod ad diætam attinet, abstinendum est à vino, & carnibus, donec cesset timor recursus ad interiora: pro vino detur aqua hordei cum suo granatorum, & iulepo rosato. Detur item aqua ex endiuia, hepatica, &c. Cibus sit refrigerans, vt cum lacte seminum melonum, ex blito, cucurbita, ptisana hordeacea. In fine autem cibi cydonea sumantur, quæ corrugando uentriculum, prohibent fluxionem ad superiora. Et hæc in causis interioribus facienda sunt.

Topica.

Restat vnum notandum de parte affecta, ad faciem aut nihil debere apponi, non calidum, quia sic materia attrahetur; non frigidum, quia sic repelletur: vel si vrget necessitas, poni medicamenta temperata. Tunc autem vrget necessitas, quando calore, aut dolore pars

infe-

infestatur, tunc enim dolor mitigatur illinitione olei amygdalorum dulcium. Si autem dolor ex calore fit, vtendum est mediocriter refrigerantibus sine astrictione, ut est decoctum maluæ cum portione olei uiolarum. In fine uerò ad digerendas materias, utendum est nido hirundinis cribrato, cum melle excepto, & superposito.

De Psydracio.

PSYDRACIVM est pustula subalbida, acuta, ex qua, si exprimatur, humidum quid expurgatur, secundùm Celsum. Galenus interdum collocat inter tumores palpebrarum; aliquando vult esse tuberculum capitis, & peculiare ipsi capiti. Dicitur autem Psydracium, uel quia in capite insigniter acuatur, uel quia continet plurimum seroſæ humiditatis. Quamuis Psydracium sit tuberculum, tamen rumpuntur tubercula, & fiunt abscessus, & ulcera, in principio tamen sunt tubercula. *Signa Psydracij.* *Nomen.*

Fiunt tubercula illa ex mixtis humoribus: pituitosis, quatenus pustulæ sunt subalbidæ, & duriores; biliosis, quatenus sunt acutæ, & exiguæ; seroſis, quatenus ex ijs, si exprimantur, humidum quid purgatur. *Causa.*

Quod ad curationem attinet, illa fit ex medicamentis modicè refrigerantibus, & discutientibus: refrigerantibus bilem, quæ calida est; modicè autem, ne repellantur humores cutis in cerebrum: discutientibus, propter pituitam. Videndum est autem ut primò ordinetur congrua uictus ratio. Deinde fiat purgatio totius, & etiam capitis; quæ totius purgatio perficitur ex pilulis compositis ex aloe, scammonio, quæ bilem, & colocyntide, quæ pituitam, & serum respicit. Huiusmodi pilulæ exhibentur reformatæ ex succo brassicæ: pilulæ autem hæ non tantum euacuant corpus, sed etiam caput, non debent autem dari, nisi robustis, ideò hominibus non adeò robustis dantur pilulæ de aloe, & cochiæ ad drachmam unam; Item pilulæ aggregatiuæ. Pueris dantur pilulæ dæ tribus, cum Rheubarbaro. Pilulæ placidæ sunt de aloe ad scrupulum unum. Purgatio capitis particularis etiam ineunda est per nasalia, & masticatoria. Videndum est autem, ne caput indifferenter illis duobus præsidijs purgetur, sed partes capitis anteriores affectæ nasalijs purgantur, quia anteriores ventriculi cerebri perueniunt ad summitatem nasi: A medietate capitis pars posterior masticatorijs expurgari debet. Videndum est etiam, vt non indifferenter quibuscumq; dentur, si enim caput sit calidum, vtendum est illis frigidis, vt succo betonicæ attracto per nares, succo maluæ. Quod si caput sit frigidum, vtimur succo maioranæ per nares attracto, & alijs calidis. Quando caput non indiget caliditate, nec frigiditate, vtimur manna. Hoc idem de masticatorijs dicendum est, quod de nasalijs. *Purgantia.* *Nasalea, & masticatoria.*

Pars affecta tractanda est medicamentis refrigerantibus, & discutientibus, vt malua cum farina hordeacea, & cicerum decocta, cataplasmatis modo. Melilotus cum farina fænugræci, cicerum decoctus, & impositus; nuces amaræ mansæ & applicatæ. Discutiunt autem humores radix lolij affricta, lupinorum decoctum affrictum, thus ex aceto illitum, malua puluerizata cum oleo laurino, ancusæ radix contusa: quorum vltima sunt valentiora, prima mitiora. Et medicamenta valent etiam ad partes ulceroſas capitis cum pustulę illę etiam suppurent. Quod si psydracium iam sit vlceratum, & ex eo humidum quid exprimatur, ualent lithargyrij drag. j. ceruſſæ drag. iv. aluminis drag. ij. rutæ folia virentia, cum aceto, & oleo mista cuti illinantur. Item rutæ folia cum nuce trita, & imposita. Item R. lithargyrij, ceruſſæ drach. j. sulphuris viui vnc. j. Item ualet aqua thermalis, in cuius defectu ualet aqua, in qua liquata sunt sulphur, alumen, sal. Abluuntur item ulcera aqua scabioſa, saluminoſa; post hæc illinitur pars hoc linimento R. lithargyrij, ceruſſæ pulueriz. drach. ij. sulphuris drach. j. olei roſati quantum sufficit, misce, & fiat linimentum. Adhibetur ultimò aqua scabioſa efficaciſſima ex alumine; efficacior autem est, in qua chalcantum decoctum sit. *Topica.* *Discutientia.* *In exulceratione.*

DE

DE FICO.

Fici nomen.

ICVS ita dictus est propter similitudinem cum ficu fructu, quæ in tribus spectatur; vel quia habet pediculum tenuem, sicuti ficus: vel quia continet in se grana similia illis, quæ continent ficus: vel quia à ficu curetur. Ficus alius potius in partibus alijs à capite, alius in capite viget. De primo non agemus, quia hic est valde exiguus, qui actionem ferè nullam edit, estque flaccidus, & curatur cum fuerit forcipe præcisus pediculus, aut si serico stringatur, vt mortuus decidat. De secundo hic est sermo, qui est tumor capitis, ex quo rupto sanies exit similis granis ficuum; de quo Autores non concordant, quem locum proprium habeat: alij vlcus esse dicunt, alij tumorem. Est autem vlcerosa eruptio, subdura, rubens cum dolore, secundùm Paulum. Hippocrates verò ficum tumoribus annumerat. Ficus igitur est tumor, qui facilè degenerat in vlcus, ex Galeno, 5 de med. per loc. cap. 4. Dubium autem est de loco. Alij enim capitis proprium dicunt; alij verò, vt Hippocrates, pelpebrarum, & oculorum. Galenus de med per loc. cap. 5. menti; Celsus partim barbæ, partim capillorum. Est autem tumor maximè in capite, & puerorum præsertim, qui tandem etiam excitatur in alijs corporis partibus, ex Aetio lib. 8. cap. 14. Tumor ergo ruber, rotundus, & subdurus, ex quo sanies exit similis semini ficuum, ficus est vbicumque sit.

Ficus duplex.

Locus.

Causa.

Fit autem ficus ex humoribus mixtis, sanguine scilicet crasso, pituita, & serositate, quia est tumor rubeus, rotundus in capite, propter pituitam, cui miscetur serositas, propter quam citò exulcerantur fici, si non rectè curentur, illa enim erodit cutem. Differt ficus à pfydracio, quia hoc est tuberculum acutum, sub albidum, non dolens: ille verò tumor est maior, rotundus, rubeus, dolens, ex quo exit sanies coaceruata, propter copiosam serositatem, quæ prohibet, quò minùs crassa materia à calore concoquatur, vnde fit conglobetur.

Curatio.

Purgatio.

In curatione fici prohibenda exulceratio, quia migraret, in alium morbum, qui longior est. Exulceratur autem ficus, si non rectè curetur. Curatio autem, quæ illam exulcerationem prohibet, est illa, quæ purgat totum corpus, vt pilulæ cochiæ, decoctum sarsæparillæ cum sudore ad euacuandam serositatem. Item fit prohibitio per curationem capitis, ne exulceretur ficus; pars affecta verò, si dura sit, emollienda est, alias discutientibus, & euacuantibus. Itaque hæ sunt indicationes, & prohibetur suppuratio in pueris, vt mille folio contuso, cum pauco sale impositio, aqua sulphuris, & salis per spongiam imposita, aqua marina, & muria appositа, ficus decoctæ in aqua, & emplastri modo impositę. In durioribus corporibus valent chalcanti vsti, aluminis, glutinis partes æquales, squammæ æris duplum; gluten in aceto modico diluatur, & cum reliquis imponatur. R. lithargyrij drach. iv. salis fossilis drach. ij. thuris drach. iij. sandarachæ drach. i. terantur, & imponantur. Si exulceretur, adhibendum ceratum citrinum, elaterium tritum, lini semen tritum, cum aqua impositum. Item detergendus est ficus exulceratus pulpa ficus melli admixta, item cerato diapharmaco. Conuenit etiam vnguentum citrinum linamentis obductum, deinde cerato citrino ligatum.

In exulceratione.

DE TALPA TOPINARIA.

Nomen.

Signa.

TA dicitur, quia sicuti talpa excauat terram inter duas cautes, sic iste tumor excauat, & continetur inter cutem, & pericranium. Parum differt hic à fico, quia sicuti ficus est tumor ex mixtis humoribus proueniens, qui in tumorem eleuant cutem capitis, & tumor exulceratur, fitque abscessus: sic testudo, siue talpa est tumor ab ijsdem humoribus qui similiter exulceratur, Differt tamen à fico, quia hic est maior fico, ideò tardiùs suppuratur, & mouetur, nam fit ex crassioribus humo-

humoribus, quàm ficus, in quibus minor copia serositatis miscetur. Deinde quia ficus prohibetur suppurari, & sanatur digerentibus, testudo autem non potest prohiberi, quin suppuretur, vt plurimùm enim suppuratur, licet interdum etiam digerentibus sanetur.

In curatione talpæ oportet nos esse solicitos de medicamentis, quia maior est tumor, & fluxio, quàm in fico. Purgandum, est totum corpus pilulis aureis, cochijs, vel de tribus, vel aggregatiuis. Præterea oportet habere rationem capitis, ex cuius repletione fit tumor, per masticatoria, & errhina. Conuenit autem, quando morbus is non sanatur, exhibere decoctum sarsæparillæ. Quod pertinet ad curam totius, facilius est, ideò quod ad partem affectam attinet, primò vtendum mollientibus & digerentibus. In principio quidem, quando facta est emollitio, si humores sunt rebelles: ad discussionem veniendum est, tamen prius tentanda concoctio est cerato ex oxelæo, item cerato de betonica, item sacro mixto diapalmæ. Valentiora sunt radix lilij trita cum melle, radix cyclaminis, aut narcissi radix cum melle, aut pulegium tenuiter tritum, & cerato exceptum. Quod si non cedat humor, signum est tumorem velle suppurari, quod prohiberi non potest, & propterea dum adsunt signa suppurationis, vt mollities, dolor, inundatio, &c. debemus iuuare suppurationem; & in pueris, in hoc casu egemus medicamentis attenuantibus vt diachylo cum gummis, emplastro triapharmaco. In alijs autem robustioribus suppurant aliqua medicamenta digerentia purè. R. radicum porrorum, caricarum pinguium ana partes æquales, farinæ fænugræci tertiam partem, axungiæ porcinæ salitæ quantum sufficit. R. cepas coctas sub cineribus tres, vitellos ouorum induratos tres, mucilaginis, altheæ, fænugræci, ana vncias axungiæ porcinæ salitæ q. s. misce, & fiat emplastrum. Deinde aperiatur, si abscessus non fiat, dandus est enim exitus sanici, quia copiosa est materia, ideo discuti non potest, si deinde prorrahatur res, & non incidatur, periculum est, ne aliquando propter sanies moram corrumpatur pericranium, propter contactum saniei, & inde os putrescat, & spongiosum fiat; Item ne putrescat dura mater propter continuitatem per suturas. Secanda est igitur cutis capitis absque timore: & sectio quidem longa fieri debet, & in loco declui, vt sanies tota euacuetur. Facta sectione, & vacuata materia, debemus purgare vulnus linamentis in melle tinctis, aut farina lupinorum cum melle. Deinde caro generanda est vnguento Isidis, si hiems sit; si æstas, de glutine. Impleto vlcere carne, cicatrix inducenda est linamentis siccis, aut thuria præparata, cum portione rosarum rubearum; aut maioribus vlceribus balaustia, bolus Armena, aut cornu cerui conueniunt.

Curatio.
Euacuantia.
Digerentia.
Incisio tumoris.
Sarcotica, & epuloticæ.

De tumoribus cum folliculo.

SEQVITVR vt aliquid dicamus de tumoribus capitis, qui in abscessum vertuntur, & materia contenta in spacio continetur in folliculo. Abscessus dicitur ideò, quod cum materia aliqua partes, quæ priùs coalescebant, distingit, & spatium in medio efficit, in quod materia confluit; qui abscessus à Græcis dicitur Apostema, ab Arabibus Iubelet. Est igitur abscessus tumor; in quo distant, quæ prius se contingebant. Faciunt autem abscessum tria, materiæ naturales, præternaturales, & quæ sunt ex toto genere præter naturam, cu usmodi humores, vel sunt acres, vel vaporosi. A naturalibus fiunt abscessus eo modo, quo Galenus 13. Meth. cap. 10. dicit inflammationes mutari in abscessus per suppurationem materiæ. A præternaturalibus fiunt etiam vt tumores antedicti, qui sunt ex humoribus mixtis. Item materia toto genere præter naturam facit abscessum, & est illa materia, quæ non est similis vlli alteri, & quæ in corpore nostro nullam habet partem sibi similem, vt calculus. In hoc genere multi continentur humores, & variæ materiæ, vt lapides, testæ, lutum, &c. Occurrit iam tumor ex abscessu propter materiam toto genere præter naturam. Ex quo autem humore fiat abscessus, dubium est; non enim fit ex naturalibus, nec ex præternaturalibus, quia illi faciunt suos abscessus particulares, qui non sunt his similes. Fiunt igitur illi abscessus toto genere præter naturam ex quatuor humoribus, sanguine scilicet, flaua, & atra bile, & pituita; qui cum humores qua-

Nomen abscessus.
Definitio.
Causa.

lescum-

leſcumque ſint, vel ſunt qualitatis calidæ, & humidæ, vel calidæ, & ſiccæ, vel frigidæ, & humidæ, vel frigidæ, & ſiccæ. Sed vt plurimùm pituita ita craſſa fit, vt videatur in humorem præter naturam migraſſe, non tamen ita eſt. Habent igitur humores, ex quibus hi abſceſſus fiunt, hoc peculiare, vt ſint craſſiores alijs, & migrent in aliquid præter naturam. Et in illis quidem abſceſſibus, ſecundùm Auicennam, dominatur aut pituita, aut atra bilis: ſi pituita color erit albus: ſi humor melancholicus, color eſt plumbeus, aut niger, aut amurca, lutum, pili, carbones, &c.

Signa.

Folliculus.

His ita poſitis, vnum ſcire opus eſt, quod hi abſceſſus ſemper habent folliculum, & ſemper materia continetur in illo. Eſt autem folliculus tunica quædam propria, in qua eſt materia præter naturam. Alij abſceſſus facti ab humoribus naturalibus, & præternaturalibus, non habent materiam in folliculo, ſed eo carent, habent tamen materiam in ſpatio ſine folliculo. Rurſus abſceſſus cum folliculo, alij habent materiam in vnico, & continuo folliculo, qui non habet exitum; alij, qui non habent materiam fluxilem, habent illam inter duas tunicas, vt illi, qui non habent materiam fluxilem, ſed coactam.

Cur hi abſceſſus habeant folliculum.

Cum igitur abſceſſus omnes ex materia præter naturam habeant folliculum, non autem alij quæritur, quare in illis ſit folliculus, non autem in his? Reſpondetur; quia materia præter naturam eſt aliena, & contraria naturæ partium, ita vt ſi tangeret partes, temperiem earum deſtrueret; ne igitur tangat partem, natura ipſam ſeparauit, & amouit contactum per folliculum, in quo eſt incluſa materia. Alij verò abſceſſus ex materia naturali, vel præter naturam, quæ formam ipſius non amiſit, non habent folliculum, quia materia non amiſit propriam formam, ita vt non poſſit concoqui à calore; quare fuit relicta vt tangeret partes vitales.

Folliculus vnde fiat.

Folliculus autem ille fit à natura, non de nouo, ſed cum ſentitur materia præter naturam, fit ex nexibus membranoſis tunica. Et hi abſceſſus ex folliculo vocantur nattæ, qui à paruo incipiunt, & ſenſim creſcunt, nutriuntque à venis contingentibus, vel folliculum, vel partem aliam. Hæc vena obſeruatur ſola ſine arteria, vnde fit, vt materia, quæ in abſceſſibus nattis eſt, toto genere præter naturam, aut non vertatur in naturam humorum, aut formam ipſius partis, quia deſtituta eſt calore naturali, & vitali, qui communicatur per arterias, quæ arteriæ in hoc caſu deficiunt.

Differentia abſceſſus.

Tres abſceſſus nattæ frequentiſſimè oriuntur, Meliceris, Atheroma, & Steatoma, in quibus aut materia ſicut mel, aut pulticula, aut ſeuum continetur; & hi frequenter in capite fiunt. Steatoma enim in capite etiam gignitur, licet Celſus dicat contrarium.

DE ATHEROMATE.

Cauſæ.

Signa.

ATHEROMA eſt abſceſſus continens tunica ſua materiam pulticulæ ſimilem, qui à mixtis humoribus prouenit, in quibus dominatur pituita, vt ex colore albo indicatur. Hic abſceſſus dictus Atheroma, eſt, tumor concolor, indolens, in neruoſa tunica tenui humorem in ſe continens pulticulæ ſimilem. Item eſt tumor oblongus, rotundus ſublatus, compreſſu digitorum non facilè retrocedens, nec facilè retrogrediens digitis amotis.

Indicationes.

Huius curatiuæ indicationes omnibus abſceſſibus communes, dicuntur à Galeno eſſe, vel digerere, vel putrefacere, vel exſcindere rem contentam. Notandum autem, curationem omnium abſceſſuum contineri in euacuatione materiæ, quæ vel eſt ſenſibilis, vel inſenſibilis. Inſenſibilis curatur digerentibus: ſenſibilis verò vel putre reddendo totum contentum, vel excidendo. Per putre reddere totum, non intelligitur, vt materia contenta putrefiat, vel pus fiat ſuppurantibus medicamentis, ſed vt eliquetur, exedaturque, non ſolum materia, ſed etiam folliculus. Hæc autem medicamenta, quæ id efficiunt, omnia ſunt calida in quarto gradu. Igitur hic abſceſſus, vel curatur digerentibus, vel ſæpticis, ſeu exedentibus, vel exciſione, quæ ferro fit. Non tamen tres illi abſceſſus curantur

tur triplici illo modo curandi, sed meliceris potest triplici ratione curari, quia continet materiam, quæ concoqui potest: at Atheroma, quia continet materiam crassam, & densam, non potest curari digerentibus, quia per halitum digeri non potest, sed curatur vel septicis, vel excisione. Steatoma verò, quòd continet materiam crassam, respuit curationem digerentium, & septicorum.

His ita positis, curandum est atheroma septicis, vt ærugine, squamma æris, chrysocolla, mysi, calcitide, auripigmento, arsenico, calce viua, atramento sutorio, lacte caprificus. His autem non indifferenter vtaris, verbi gratia, Septica erunt in durioribus corporibus, arsenicum, chrysocolla, calx viua, quæ in alijs naturis erunt caustica. Calx in pueris quidem est septicum, in adultis verò, & robustis est tantum epouloticum. Medicamenta septica sunt R. calcis viuæ drach. iv. fæcis vini combustæ, nitri liquida tosti, drach. ij. minij drach. j. lixiuio teruntur, & melle ad crassam substantiam deducuntur. R. squammæ æris drach. iv. sandarachæ drach. ij. veratri nigri drach. ij. cum rosaceo. Item. R. squammæ æris, sandarachæ, seminis urticę torrefactæ, cum rosaceo. Item R. erinaceorum combustorum, testæ sepiæ, auripgmenti partis æquales, ex rosaceo. Valet plurimum aqua fortis, qua vtuntur aurifices, in quam tingatur lignum, & eo perfricetur pars, exedet partem. Item ualet illud ex lixiuio fullonum in sartagine cocto, donec crassescat, & indurescat, deinde miscentur auripigmenti partes v. atramenti sutorij part. iij. *Curatio. Septica aqua.*

Curatur etiam Atheroma per Chirurgiam, scilicet, excidendo, qui modus primo melior est: septicis autem curatur, si eruperit materia, nec folliculus sit abscissus, vel si æger ferrum ignitum pertimescat. Excisio autem fit hoc modo: Aegro in sella posito in cubiculo claro, deradendi sunt crines, uel potius incidendi, quia derasionem sequitur sanguinis eruptio; deinde atramento signanda longitudo incisionis, quæ tanta esse debet, quanta est rotunditas abscessus. Interdum abscessus postulat unam, interdum verò duplicem incisionem crucis modo; quando sit duplex incisio, prima maior esse debet, quàm secunda. Fit vnica in abscessu minore, vel in fronte, duplex uerò, ubi est in capillis. In qua incisione scalpellus debet habere aciem recuruatam exteriùs, & in ipsa incisione efficienda videndum est, ut tantum cutis superposita folliculo incidatur, cauendum uerò est ab incisione fulliculi. Incidemus autem tantum cutem sine folliculo, si sciamus colorem cutis, & folliculi, qui cum sit diuersus, facilè discernitur. Solet autem vnum nos impedire, quò minùs distinguatur folliculus à cute, scilicet sanguis effluens; ideò Chirurgus manu sinistra spongia exiccare sanguinem debet. Facta sectione vel vna, uel duplici, statim toto specilli mucrone inter folliculum, & cutem immisso, separetur folliculus à cute, quod facili negotio fiet, quia non ualde adhæret cuti folliculus. Quod si folliculus magis hæreat, scalpello separatur. In fundo autem, ubi est uena illa porrecta ad folliculum, sanguinem atheromati deferens, & illud augens, præcidere oportet per transuersum uenam, ne cum vase relinquatur aliqua folliculi portio, & ita reuertatur morbus: illa enim uena simplex est sine arteria, quo fit ut sanguis ille non sit alimentalis. Hoc peracto coniungenda sunt inuicem labia, non tamen prehendatur pericranium, nec deradatur. Dimissa futura etiam reducuntur labia, quia inter incidendum semper sanguis exit, & in cauitate semper sanguis remanet, qui per futuram factam inflammaretur. Interdum vtendum est glutinatione, quando nimirum remanet aliquis tumor in parte, & labia magis, quàm par est, sunt separata. Interdum solent liquores replere cauitatem, & eò confluere, tunc vtere suppurantibus, quale est. R. resinæ terebinthinæ vnc. ß. thuris pulueriz ati drach. j. myrrhæ drach. i. olei hyperici vnc. i. olei vitellorum quantum sufficit. *Chirurgia. Excisio qui ad ministretur. Suppurantia.*

Quod si folliculus iam sit ruptus vel per se, vel per Chirurgum, necesse est vt eueniat hoc, vel reuertatur morbus, vel remaneat vlcus cauernosum, fistulosum, & fædum. Tunc autem vtendum est incidentibus, vel septicis, vel cõsiderandũ tempus ruptionis: si recens sit ruptus vtere curatione artificiosa, immitte latum specilli mucronem inter cutem, mõ prædicto, & aufer folliculum. Quod si multò ante sit ruptus, septicis vtendum. In maximis abscessibus *Curatio post ruptum folliculum.*

qualibuſcumque, forcipe abſceſſu prehenſo abſcindendus eſt cum cute, tantum enim timetur profuſio ſanguinis.

DE MELICERIDE.

Signa. MELICERIS eſt abſceſſus folliculum habens continentem materiam melli ſimilem. Ita deſcribitur ab Aetio, Meliceris eſt abſceſſus in neruoſa tunica, continens materiam ſicut mel, dolore carens, figura rotundus, preſſus digitis facilè cedens, amotis his facilè rediens.

Cauſa. Cauſa meliceridis eſt humor mixtus præter naturam. Et licet abſceſſus cum folliculo habeant materiam præter naturam, tamen reducuntur illæ materiæ ad quatuor modos; vnde in meliceride, quia eſt materia mollior, & tenuior, pituita miſcetur bili in maiori copia, quàm in atheromate; aut pituita, ex qua fit meliceris, eſt tenuior quàm atheromatis; vel in meliceride concurrunt ſpirituoſi vapores, ex Galeno 2. ad Glauc. cap. 4.

Curatio. Curatur meliceris triplici ratione, ex Galeno 13. Meth. cap. 12. vel digerentibus, vel ſepticis, ſeu exeſione, vel exciſione. De ſepticis, & exciſione dictum eſt in atheromate, iam de digerentibus erit ſermo, quæ cum vacuent materiam per halitum, notandum, quod digerentia, quæ huic loco ſunt opportuna, ſunt valentiora, quàm ſi eſſet abſceſſus ſine folliculo, quia materiam præter cutem debet exire folliculum: vnde in humidis, & parua meliceride valent ceratum farinæ, & ceratum ſacrum, item decoctum pulegij, calamenthi, hyſopi, ad motum cum ſpongia, & expreſſa. Item ſpongia ex lixiuio expreſſa. At in maiori abſceſſu, & in duriori corpore valent reſta alij, aut allium decoctum, & per ſpongiam admotum. Valentius hoc eſt, ſi in aquam infundamus calcem viuam, quò aqua inficiatur calce, deinde aliò infunditur aqua, & fæx abigitur, poſtea exprimitur ſpongia, & ſuperponitur aqua infecta. Media ſunt inter valentiſſima, & mitiſſima, v.g. R. ſalis Hiſpani, argenti ſpumæ, ceruſſæ, ana lib. j. ceræ vnc. j. terebinthinæ, galbani, opopanacis vnc. ij. ſinapi vnc. vj. olei veteris lib. iij. aceti vnc. vij. Miſce. Eſt & aliud. R. ſalis Ammoniaci, ſpumæ argenti, lib. j. ceræ, terebinthinæ, galbani, opopanacis vnc. j. rubricæ ſinopicæ vnc. vj. aceti hemina, miſce. Ex Aetio lib. 15.

DE STEATOMATE.

Definitio. STEATOMA, qui eſt tertius abſceſſus capitis, ita deſcribitur: Steatoma eſt abſceſſus, ſeu pinguedo ſeuo ſimilis, ob localem proprietatem exaucta, molem habens concolorem, tactu lenem, in principio puſillum, temporis progreſſu ampliatum: deinde eſt tumor rotundus, non tamen elatus, ſed depreſſus, quod eſt deſcriptioni Aetij addendum, validè adhærens cranio, & pericranio, eſtque tumor durior reliquis duobus abſceſſibus. Materia ſteatomatis non eſt fluida, ſed compacta, & coacta, ideò in ſteatomate materia non continetur in unico, & continuo folliculo, ſed inter duas tunicas, quia neceſſitas folliculi eſt, ne materia contactu inquinet partes viuentes. In ſteatomate ſatis eſt, ne tangat partes alias, ipſam concludi inter duas tunicas, non autem in folliculo. Steatoma igitur vbi eſt in capite, habet materiam ſeuo ſimilem, latam baſin, & compreſſum digitis renititur, depoſitis facilè redit. Vbi verò eſt alijs partibus, videtur continere materiam cæteræ pinguedini potius ſimilem, quàm ſeuo, propterea ſteatoma in alijs partibus non ita eſt depreſſum, nec materia ſolet eſſe alba, ſed magis colorata, item ſolet habere folliculum continuum, non tunicas.

Signa.

Cauſa. Generatur autem ſeuum uel ob loci intemperiem, vel quia ſanguis uitioſus influit: Generatur uerò potiſſimum ob loci proprietatem, ſiue partis intemperiem. Fit etiam ſeuum, quia

quia uas illud, quod influit, & porrigitur in folliculum, & præbet nutrimentum, eſt ſolum, & prohibetur quò minùs uitalis ſanguis influat, unde ſanguis fluxus facilè in ſeuum degenerat.

Quod ad curationem attinet, propter duritiem, latam basin, multitudinem ſeui, tractandus eſt abſceſſus tantum excisione, quia medicamentorum uis ſeuo obtunditur, & multitudine ſeui obruitur. Audacter ergo ſcalpello ſeparetur ſeuum à pericranio, ne aliquando reuertatur abſceſſus; difficulter enim uel curatur, uel reuertitur, propter humorem craſſum obduratum, & propter pericranium, quod reducit ad humidam intemperiem: unde nec caro gigni, nec cicatrix poteſt induci; unde ne difficulter curetur, nec reuertatur, cum Aetio lib. 15. ſeparetur pericranium, & deradatur cranium, quia materia eſt lata, & facilè utrumque remollit. Deinde claudenda eſt cicatrix.

Curatio

APPENDIX LIBRI SECVNDI

DE VVLNERIBVS SINGVLARIVM QVARVMDAM CORPORIS PARTIVM.

DE VVLNERIBVS FRONTIS.

Propoſitio.

EGIMVS ſupra in ſecundo noſtræ Chirurgiæ libro de vulneribus generaliter; deinde de vulneribus partium ſimilarium, vt pote carnis, venarum, arteriarum, & neruorum: tertio loco egimus de vulneribus partium diſſimilarium, quæ pleraque ſunt, vt capitis, thoracis, & abdominis. Nunc operæpretium facturi ſumus, ſi de vulneribus magis particularibus, quæ in dictis diſſimilaribus magnis continentur, tractationem ſubiungamus, orſi à capite, in quo comprehenditur facies, & in ea frons, oculi, palpebræ, naſus, & aliæ partes, de quibus ſigillatim agemus.

Quando decori attendendū in vulneribus faciei.

In primis quantum attinet ad vulnera faciei, illud generaliter notandum eſt, quod cum facies ſit perpetuò omnium oculis expoſita, atq; in ea decor, & venuſtas deſideretur, in quocunque vulnere faciei illud potiſſimùm eſt exoptandum, vt non fiat deformis cicatrix: id quod exoptandum eſt, quando vulnus ſine periculo ſit. Nam ſi accidat, vt vulnus periculum aliquod vitæ portendat, tunc neglecto decore ſecuritati tantum incumbendum eſt; Igitur primò frontis vulnera perçurramus.

Curatio Vulnerꝭ frontis.

Si in fronte vulnus inflictum ſit, idque cum læſione oſſis, in eo caſu, vt dixi, decori nequaquam eſt ſtudendum, ſed ſecuritati, quia periculoſum eſt vulnus; & curari debet ſine futuris, ſine alijs inſtrumentis, quæ poſſunt vulneris labbia vnire: quinimò vulnus apertum tenere oportet, os deradere, atque in ſumma eam adhibere curationem, quæ ſoler fieri in vulneribus capitis, cum caluariæ fractura. At vbi vulnus frontis uarium eſt, & multiforme habet intentiones, aut etiam ſubſtantiam deperditam, tutiſſimum tamen eſt vulnus, quia ſit ſine oſſis læſione; in eo caſu, quantum fieri poteſt, decori eſt attendendum.

Vulnus duplex frontis.

Ponamus igitur vulnus curandum eſſe in fronte, ſimplici inciſione factum, ſine ſubſtantiæ deperditione, & ſine oſſis læſione: huius curatio ſub ea comprehenditur, quæ allata fuit in vulnere carnis, & cutis, vt propter hanc rationem alicui forſitan ſuperflua hæc vulnerum tractatio uideri poſſit. Cum tamen non ita ſe res habeat, imò quatenus huius uulneris tractatio ſub propoſita comprehenditur, eatenus nos in huiuſmodi uulneribus ſuppone-

mus vniuerſis corporis procurationem per Chirurgiam, Medicamenta, & Diætam: ſuppo-
nemus etiam eas intentiones curandi, quæ in illa fuere propoſita; ſed in eo tantum inſiſtemus,
vt ſi quid particulariter deſiderent hæc vulnera, ſiue medicamenta ſint, ſiue operationes, ſiue
aliud, illud in ſingulis præmittemus, vt in propoſito frontis vulnere, in quo ſcopus eſt, vnire
quod diuiſum eſt, ſiue vulnus per longitudinem, ſiue tranſuersè fiat. Quod ſi adſit ſanguinis
profuſio, quæ vnioni aduerſetur, prius illi incumbendum eſt; poſtea ad vnionem veniendum,
quæ perpetuò eatenus eſt perquirenda, vt deformis euitetur cicatrix. Ad vnionem autem ef- *Vnio.*
ficiendam inſtrumenta ſunt, ſuturæ, deligatura, fibulæ, & glutinum. Suturæ, & fibulæ, tan-
quam deformem cicatricem inducentes, reijciendæ ſunt: nam dum acus perforat ipſam cutim,
continuum ſoluit, & noua cicatrix paratur. Filum autem tranſuersè abradit cutim, & defor-
mem reddit cicatricem.

Quod ſi dicatis, omnes conſueuere vulnera frontis, aut ſaltem qui melius faciunt, prima vi- *Sutura & fi-*
bula reiecta.
ce ſuere, ſecunda, & tertia ſuturas auferre, & glutinum imponere; ita vitant deformem cica-
tricem. Dicendum, quod ſuturæ, & fibulæ perpetuò aliquod veſtigium cicatricis inducunt,
& relinquunt ratione fili, quod abradit cutem; aut ſaltem ratione acus perforantis cutem, in
quo foramine neceſſaria eſt cicatricula: vnde præter vulneris propoſiti cicatricem, ſemper
ſub ſuturis, & fibulis aliæ & nouæ cicatrices ſunt expectandæ: propterea quantum fieri poteſt,
in vulnere frontis abſtinendum eſt à ſuturis, & fibulis.

Abſtinere autem quis poteſt, vbi per directum frontis vulnus factum ſit, ita vt à capite de- *Vulnus dire-*
ctum.
ſcendat verſus oculos aut nares; vel obliquè verſus anteriora, ſecundum ductum fibrarum
muſculi frontis: ſi enim tale vulnus accidat, nos poſſumus, & debemus etiam prima vice ab-
ſtinere à ſuturis, & fibulis, & adminiſtrare alia, quæ labia adducunt, & adducta conſeruant, in-
ter quæ deligatura numeratur; quæ ſi fiat duplici initio, erit apta ad conſtringenda labia ad
mutuum contactum, & ita conſeruanda.

In qua ligatura illud notandum eſt, vt faſcia non ſit lata, imò anguſta, ita vt non ſemel, ſed *Deligatura.*
bis, & ſæpius circumducatur, vt ſolum vulnus adducatur. Quia verò faſcia imbecillis eſt, nec
poteſt vulneris labia tum adducere ad mutuum contactum, tum potiſſimum adducta conſerua-
re, eò quia perpetuò laxatur, ideo nos non contenti ſola faſcia, ſecunda vice apponimus glu-
tinum, id eſt, lintea cum ſuis anſulis hinc inde vulneri applicamus glutino, quo exſiccato, &
firmiter adhærente, poſtea anſula aduerſæ anſulæ ligatur. Glutinum autem hoc loco non eſt *Glutinum.*
afferendum, quia de varia glutini genere dictum eſt, dum ageremus de vulnere in carne; ſed
memoriæ gratia in defectu aliorum medicamentorum, oui albumen ſubactum eſt glutinum,
quod adhæret cuti, cum exſiccatum fuerit. Quod illi admiſceatur puluis tenuiſſimus aut ſan-
guinis draconis, aut thuris, aut maſtiches, aut ſarcocollæ, & ad craſſitiem mellis redigatur,
adhuc valentiùs adhærebit. Hæc eſt ratio curandi vulneris in fronte, vt euitetur turpis ci-
catrix.

Quod ſi vulneris ratio non patiatur vti ea deligatura, quia verbi gratia, vulnus tranſuersè ſit *Vulnus tranſ*
uerſum.
factum, in quo vſus deligaturæ nullus eſt; tunc perpendenda eſt vulneris longitudo; nam ſi
vulnus admodum longum ſit, quia in tali vulnere labia valde ducuntur, abſuntque à ſe inuicem,
propterea futuris, aut fibulis egemus prima vice: ſecunda verò vice oportet futuram remoue-
re, & glutinum applicare. Imponimus futuras, aut fibulas, vt labia vulneris valde dilatata ad
mutuum contactum adducantur: Auferimus ſecunda vice futuram, ne deformis fiat cica-
trix ex filo abradente cutem per tranſuerſum in efficiendis futuris, aut fibulis. Scire licet, hu-
iuſmodi futuras rariores eſſe inijciendas, quàm in alijs partibus; propterea fieri debet ex filo *Sutura qua-*
lis requiratur
non ſerico, ſed linteo, tenui, non nimis torto, & cera potiſſimum oblinito, quæ prohibet ab-
raſionem cutis; ita enim turpem cicatricem vitamus.

Quod ſi ſimiliter per tranſuerſum factum ſit vulnus, ſed exiguum, ita vt labia non
multum diſſideant, in hoc caſu poſſumus vitare futuras, & fibulas, etiamſi deligatu-
ra aliena ſit: nam tunc poſſumus vſurpare linteola longa, & anguſtiſſima, hoc eſt, latitu-
dine tranſuerſi digiti medij; longitudine, quæ comprehendat vulnus hinc inde, quantum fie-

ri po-

Linteola futura Vitaria. ri potest. Huiusmodi linteola, prius reductis vulneris labijs ad mutuum contactum, & ita reductis, manibus detentis, madefiunt in oui albumine, & applicantur hinc inde tot, quot sunt necessaria, ita vt se contingant; & sic tamdiu tenentur, donec siccentur, postea de super ponitur stupa pexa, albumine oui madefacta: quæ si imponatur transuersè, dum siccatur, solet in seipsam contrahi, & ita vulneris labia adducere, & adducta conseruare. Hoc fit prima medicatione, vt uitentur fibulæ, & futuræ. Secunda uero uice apponimus glutinum propositum, & ipsius beneficio adducuntur & conseruantur labia. Fieri etiam potest, vt vulnus adeo sit exiguum, vt non solum prima uice linteola proposita satis sint ad adducenda, & conseruanda labia, verum etiam secunda, & alijs uicibus possint sufficere similia lintea transuersè vulneri applicata, sed cerato aliquo illita, cui nis insit aut emplastica, aut astringens, in exiguo enim vulnere possumus dimittere glutinum, & sequi totam curationem cum his linteolis, prima uice albumine oui, sequentibus autem aliquo cerato illitis. Ceratum esse potest vel sacrum, vel barbarum, uel de betonica, uel diapalma, uel aliud simile, quod habeat nim emplasticam, aut astringentem, & cuti adhærescat. Et hæc est ratio adducendi labia vulneris in fronte, & adducta conseruandi, ut uitetur deformitas cicatricis.

In vulnere frontis ex simplici incisione facto, sine substantiæ deperditione, & sine ossis læsione, siue per longitudinem, siue transuersè factum sit vulnus, in quo unio requiratur, uisum est in superioribus, quinam modi essent opportuni labia adducendi, simul & adducta conseruandi, quæ sunt duæ primæ intentiones ad unionem moliendam. Superest nunc, ut alias intentiones expleamus. Est autem, ut medicamenta imponamus, quæ faciant ad glutinandum vulnus, quæquæ glutinatoria appellantur, non quia glutinent & uniant, quoniam coalitum, & *Gulinantia.* pristinam vnionem restituit natura, ut uult Galenus 3. Meth. sed quatenus hæc siccando humiditates, quæ segregant, auferunt omne impedimentum, ut deinde natura possit unire: ideo siccantia huiusmodi medicamenta futura sunt.

Glutinantia consistentia. Cum igitur glutinatoria siccantia sint potestate, actu uerò possint esse mollia, seu humida, & sicca, ut puta puluerulenta, unum nobis communicandum in præsentia uenit, quod pertinet ad uulnera non solum frontis, sed etiam totius faciei, ne deformis fiat cicatrix; quia ut dictum est, ubi uulnera faciei tutissima sunt, manifestè requiritur faciei decor, ratione cicatricis dico. Igitur etsi proposita medicamenta futura sunt siccantia potestate, actu tamen in facie, ut pulchra fiat cicatrix, futura sunt mollia seu humida, siue uelimus glutinare uulnus simplex, siue cicatricem inducere.

Siccantia quando conueniant. Si uulnus sit cum deperditione substantiæ, licet prima facie paradoxon uideatur, & contra nonnullos scribentes, uulnera faciei exposcere ualentissimè siccantia, quia natura sua sicca sunt; quod quamuis in fronte concedi potest, atque in auribus, naso, & plerisque alijs faciei partibus, in gena tamen non ita hoc concedendum est, quia pars genæ humida est, & pinguedine multa obducta. Non tamen quod dico, contrarium est, scribentibus, requiri in faciei uulneribus medicamenta ualde sicca, quoniam si optamus citam glutinationem, & citam cicatricem, uulnerisque sanationem, utique debemus admouere ualenter siccantia, id est, actu & potestate. At si non ita simus soliciti de festina & matura uulneris sanatione, sed potius de pulchra cicatrice, in eo casu experientia a me comprobatum est, ne quaquam perpetuò actu sicca ualere, sed consistentia mollia & humida, siue glutinatoria, siue cicatricem inducentia sint medicamenta. Ratio autem huius rei, ut opinor, hæc est: quoniam dum utimur potestate & actu siccis, ut puta, cum pulueres inspergimus, quia quæ huiusmodi sunt, solent magis siccare quam quæ potestate quidem sicca, actu autem sunt mollia prospera succedit, & quam citissimè fit uulneris glutinatio, & cicatrix. Quia igitur in omni uulnere non possunt labia ita adamussim coniungi, quin aliquot spatia, quamuis exigua, interueniant, quæ carne repleri debent: hinc fit, ut sub pulueribus, actu & potestate siccis medicamentis, non concedatur tantum temporis naturæ, ut possit carne replere illa spatia: unde accidit, ut unio seu cicatrix interdum fiat, & inæqualis, interdum maior, interdum minor. At sub medicamento potentia siccante, actu uerò molli; natura non potest

teſt ita feſtinare unionem aut cicatricem, vt non generet carnem, & non repleat ſpatia, & non exiccet ipſum vulnus: hinc fit, vt perpetuò, prout experientia comprobatum eſt, ſub medicamento mollis conſiſtentiæ tardius aliquantulum, ſed perpulchra poſtea ſuccedat cicatrix, quam exoptamus potiſſimum in facie.

Ad glutinandum dictum vulnus frontis, ſi fuerit hiems, ceratum, barbarum appellatum, erit opportunum: alijs verò temporibus diapalma eſt conueniens. Quæ ſanè cerata, ſi duriora ſint conſiſtentia, mollire oportet cum oleo hyperici: imò uerò ſi eodem oleo hyperici utamur, mixto reſinæ terebinthinæ, unionem efficit pulchram. Præ cæteris oleum illud Hiſpanicum, cuius deſcriptionem ſuperius tradidi, eſt præſtantiſſimum, & ad uniendum, & ad pulchram cicatricem moliendam. Vbi autem propemodum facta eſt vnio, inungatur locus inciſionis pinguedine humana, quæ citò ſiue proprietate ſubſtantiæ, ſiue alio modo, pulcherrimam efficit cicatricem.

Quod intentio ſit cicatricem inducere ſub vulnere facto cum deperditione ſubſtantiæ in fronte, in quo primùm requiritur carnis generatio, ea medicamenta opportuna ſunt, quæ retulimus in tractatione vulneris carnis: ut puta vnguentum de betonica, Iſidis, apoſtolorum, & huiuſmodi. Si volumus inducere cicatricem, quæ æqualis ſit, neque deformis, oportet ob dictam rationem, abſtinere à pulueribus, licet huiuſmodi citam efficiant cicatricem: ſed vtendum quidem eſt medicamento cicatricem inducente, ſed conſiſtentiæ mollis. Vſurpanda etiam medicamenta cicatrizantia, quæ potentia ſicca ſint, conſiſtentia autem molli, teſtatur hoc Galenus 13. Meth. 5. ubi præcipit in vulnere circa oras inſpergendo pulueres, in reliquo ulcere etiam imponendum cicatricem inducens conſiſtentia moli; ſed in uulnere faciei, in quo pulchra optatur cicatrix, à pulueribus abſtinendum eſt. Vnde ſicuti tuthia præparata eſt cicatricem inducens actu, & potentia ſiccum: ita unguentum de tuthia cicatrizat, ſed molle eſt: hoc igitur utendum eſt ad cicatrizandum in fronte. Similiter conuenit unguentum de ceruſſa, præcipue æſtate. Vidi quoque ſub unguento de betonica inductam fuiſſe cicatricem pulchram. Et quia quæ cicatricem inducunt, ſunt eiuſdem naturæ cum glutinantibus, niſi quod ualidiora aliquantulum ſunt cicatrizantia; propterea oleum hyperici cum reſina probatur, & emplaſtrum barbarum, & diapalma, & in fine, ubi fermè facta eſt cicatrix, pinguedo humana eſt præſtantiſsima. Hac ratione ſanantur uulnus in fronte inflictum. *Epulotica.*

De Vulnere ſuperciliorum.

QVOD ſi uulnus in ſupercilio contingat per longitudinem, huic eadem curatio competit, qualem propoſuimus in reliquis frontis uulneribus. Et ſi tranſuerſim fiat, ſciatis, uulnus huiuſmodi, niſi diligenter curetur, ſequi caſum ſupercilijs & conſequenter palpebrarum ſuper oculum: unde quantum fieri poteſt, eſt exactè glutinandum uulnus. In quo caſu à futuris, & his quidem altis, abſtinendum non eſt, ut ſuperficies labiorum adamuſſim in omni parte ſe mutuò contingant. Et ſi uulnus fuerit ex ſimplici inciſione factum, ſine deperditione ſubſtantiæ, in hoc uulnere, in quo propter pilos regentes locum, non ita ſolliciti eſſe debemus de cicatrice & ſigno remanente, ſunt inſpergendi pulueres, ut cita fiat cicatrix. Quod ſi uulnus ſit cum deperditione ſubſtantiæ, contrarium faciendum eſt, propter unum, quod ſuccedere ſolet, contrarium ei, quod dixi, nimirum cicatrix interdum ita dura efficitur, ut retrahat palpebram ſurſum, & impediat, quo minus palpebra tegat oculum: unde ne palpebræ retractio ſuccedat, operæ pretium eſt uti ſarcoticis & cicatricem in ducentibus, conſiſtentia mollibus. *Vulnus tranſuerſum pericuioſum.*

Quod ſi fortè accidat, ut ob imperitiam fuerit relictà cicatrix ita retracta, ut palprebra non poſſit deprimi, in eo caſu uos debetis ipſam cicatricem incidere inciſione ſemicirculari, quæ *Cicatrix retracta & curanda.*

ri, quæ fiat secundum ductum fibrarum orbicularium ipsius musculi constringentis palpebram, sic enim non offenduntur fibræ, nec musculis; interea palpebra deprimi potest. Neque verendum est, ne efficientes orbicularem incisionem, quæ æmulatur transuersam, offendatur musculus palpebram attollens, quoniam ille musculus ignoratus ab antiquis Anatomicis, consistit intra orbitam oculi sub ossibus prope musculos oculum mouentes, neque offendi potest; quoniam incisio non est tam alte efficienda, vt laniet & perforet tunicam internam palpebræ, sed tantummodo incidat cicatricem, & musculum orbicularem, qui non offenditur per orbicularem incisionem.

De Vulneribus Palpebrarum.

Vulnerũ palpebrarũ differentia.

PALPEBRARVM vulnera vel recta fiunt, vel transuersa, seu obliqua; & vtraque incidunt tantummodo musculum orbicularem, vel subiectam etiam membranam, quæ musculi fundamentum est. Recta palpebrarum vulnera dicuntur, quæ per rectitudinem fibrarum fiunt, quamuis secundum faciei processum transuersa appellari debeant & sunt, quæ ab vno angulo ad alium producuntur: quæ si per longitudinem facta dicantur, idem erit. Transuersa verò vulnera in palpebris appellantur, quæ à supercilio versus cauum oculi fiunt.

Sutura recta.

Si igitur vulnus sit ex simplici incisione factum, & transuersum sit, tunc sui non potest, nisi subiecta membrana quoque consuatur: consui non potest tale vulnus, quoniam incisæ sunt fibræ musculi, unde futuræ non tenent, nisi subiecta membrana consuatur, quod fieri non debet, quoniam filum oculi corpus attingeret, atque ipsum offenderet, & inflammaret. Igitur in hoc casu glutino magis vtendum est, quod habeat vnicam vtrinque ansulam.

Quod si vulnus per longitudinem palpebræ fiat, neque subiectam membranam incidat, in eo casu futura vti possumus, & debemus, quæ fiat ex acu, & filo tenuissimo, & multa cera oblinito. Siue autem futura fiat, siue glutinum imponatur, & ita labia aducantur, & adducta conseruentur, medicamentum imponendum est, quod citissimè glutinet palpebram; inde puluis tenuissimus supra labia vulneris insperſus, ex bolo Armena orientali, est opportunissimum medicamentum, sicut etiam terra sigillata, & sanguis draconis, in tenuissimum puluerem redacta, supra quem linteum angustum; & vetustum, ne duritia offendat, ouo integro subacto made factum apponendum est: quod tum ad conseruandum puluerem, tum ad inflammationem arcendam facit. In quo casu partes palpebrarum circumstantes vel omnino non, vel cautè admodum inungendæ sunt oleo rosato, ne oleum defluat in oculum, & ipsum inflammet: olea enim valde sunt inimica oculis. sed linteum ex vino nigro austero non potente expressum est superponendum. Atque ita curanda sunt vulnera palpebrarum.

Glutinantia.

De Vulneribus oculorum, & primò de incisione tunicæ corneæ & coniunctiuæ.

Vulnera oculorum duplicia.

QVOD si oculi vulnerentur, sciendum est, oculum vulnerari posse dupliciter: vel ad corneam, vel ad coniunctiuam tunicam, id est, albam illam membranam, quæ exterius apparet. Vtrumq; autem vulnus vel fit cum incisione aut corneæ, aut coniunctiuæ, ita vt incisio non penetret totam tunicam, & huiusmodi vulnus solet esse sine amissione visus: Aut huiusmodi vulnera ita incidunt, vt totam membranam perforent, in quo casu vulnus vt plurimum succedit cum visus amissione, eò quia si cornea incidatur, solet exire humor aquosus; si verò coniunctiua, solet

humor

humor vitreus pariter exire: interdum autem, vbi huiuſmodi vulnera magna ſunt, etiam cryſtallinus humor, & vuea tunica prorumpunt. Interdum etiam à perforante inſtrumento ita profundum fit vulnus in orbita oculi, vt penetret per foramen, aut rimam latam, & oblongam, quæ eſt in oſſibus in profundo orbitæ, & inſtrumentum peruenit ad cerebrum, ex quo ægri ſtatim decidunt. Et digladiatores periti ſolent huiuſmodi ictum quaſi certum habere, & inter cæteros Gallus quidam digladiator erat, qui huiuſmodi vulnus habebat certiſſimum, & tutiſſimum.

Indicationes in vulnere ſimplici.

Igitur ſi oculi vulnus ſit ſimpliciſſimum; ita vt tantum cornea, ſeu coniunctiua tunica inciditur, vulnus tamen non penetret, & ſit ſine exitu alicuius interni, ſiue corporis ſolidi, ſiue humoris; ſciendum eſt triplicem oriri intentionem curandi, una eſt, unire inciſionem: ſecunda, propter ſenſum oculorum dolorem lenire: tertia eſt, inflammationem, & ſanguinis fluxum cohibere, quia oculi vulnerati ſtatim inflammantur.

Ad vnionem præſtandam in exiguo propoſito vulnere, forte ſatius eſt, uel nullum medicamentum, quod oculi corpus contingat, apponere, quia oculus ab omnibus irritatur: vel ſi abluendi, aut vniendi cauſa quidpiam omninò apponendum debet eſſe aut aqua, aut liquor. Sed vbi aliquid apponere conſilium ſit, tunc adductis palpebris, & obuelato oculo læſo, medicamenta, quæ tum dolorem leniunt, tum inflammationem, & ſanguinis fluxionem arcent, exterius apponenda ſunt; propterea in hoc caſu vbi palpebræ occluſæ ſunt, & inuicem reductæ, attendendum eſt aut dolori, aut inflammationi, vni, uel utriq; prout vnum magis curationem ad ſe trahit.

Oleum vitandum.

Ergo ſi dolor minus inſtigat, inflammationi arcendæ eſt attendendum, propellendo materiam, & ſanguinem ab oculo. Præſidiorum materiæ multæ ſunt, ſed ante omnia quædam ſunt animaduertenda, quæ ſi non obſeruentur, inflammationem mouebunt. Vnum eſt, vt in oculo vulnerato ab oleo, & omnibus oleoſis, ſeu pinguibus medicamentis penitùs abſtineamus, quia oculum inflammant, & dolorem inferunt. Alterum eſt, vt uno oculo vulnerato ambos oculos faſcia obuelemus, & ægro tenebras affundamus; quia oculi patientes ab omni luce læduntur: ambos igitur oculos obuelamus, vt ſanum oculum firmemus, & motum illius cohibeamus. Ratio huius redditur ab Alexandro in Problematibus, ubi quærens, qua ratione uno oculo patiente, difficiliùs curetur, quàm ſi vterque lædatur? ait quia oculus ſanus toties cogit oculum ægrum moueri, quoties ipſe ſanus moueatur, cum natura comparatum ſit, non poſſe vnum moueri, quin & alter moueatur: motus autem ſanationi contrariatur, & inflammationem mouet. His tertium accedit, ſitus nempe capitis, qui oculo vulneratur, hic non ex toto capite depreſſo iacere debet, cùm pernicioſus ſit ille ſitus, quo inclinatur caput ad anterioria ualde, ad quam partem vt plurimùm patientes ſolent reclinare caput, tamquam aſpectum lucis aufugientes, quæ facilè vitatur, ſi oculi ambo obuelentur: vnde oportet ægrum capite ſublenato in lecto iacere. Inſuper neq; caput oportet deponere in puluinar ex pluma factum, ſed ex corio, repletum ex alga, aut palea illa tenuiſſima, quæ euolat dum purgatur frumentum; aut oportet lintea multiplicata ſub capite ponere.

Obuelandi oculi.

Situs capitis.

Aſtringentia ſimplicia.

Quod uerò ad medicamenta attinet, quæ futura ſunt repellentia, hæc duplicia ſunt, alia aſtringentia, id eſt, terrea, alia aquea. Si dolor adiungatur vulneri, ſunt magis oportuna repellentia aquea. Si non adſit dolor, vtemur aſtringentibus, quorum alia ſunt ſimplicia, alia compoſita. Simplicia ſunt aqua fontana, roſarum, plantaginis, portulacæ, hordei, oui candidum, mucilago pſillij, cydoniorum, tragacanthi, decoctum papaueris, hyoſciami, acacia, ſumach, hordeum, decoctum nucum cypreſſi, gallarum immaturarum, balauſtiorum, & huiuſmodi; quę partim ſunt liquores, partim decocta, partim medicamenta in ſubſtantia.

Compoſita.

Ex iam dictis ſimplicibus fiunt compoſita medicamenta, quæ, niſi neceſſitas urgeat, non ſunt imponenda immediatè ſupra vulnus, & corneam tunicam, ſed ſupra palpebram iam ſupra oculum reductam: neq; dubium eſt, quin facultas medicamenti repellens, & aſtringens ad vulnus perueniat, ipſumq; glutinet, quoniam cutis palpebræ, muſculus, & tunica, hæ omnes partes ſunt tenuiſſimæ, ita vt facilè poſſit penetrare medicamentum.

Si vrgeret neceſſitas medicamenta in oculum immittendi, ut ſi ſanies, uel lippitudo oculo ſuperueniret, uel aliàs impurus eſſet, in eo caſu abluendus eſt aqua plantaginis, vel roſarum; aut aqua roſarum, cui bolus Armena ſit mixta, uel aqua plantaginis cum modico ſief albo ſine opio. Sed vt plurimum ſummæ palpebræ imponitur medicamentum, ut eſt aqua pluuialis, cui ſexta pars aluminis liquata, & incocta ſit, linteis madefactis impoſita, uel decoctum nucum cupreſſi cum ſanguine draconis, aut aqua fabarum cum oui candido; ſi inflammatio adſit, cum ſucco portulacæ, & mucilagine pſillij, quibus vnitur vulnus oculi, ubi dolor non admodum infeſtat.

Anodyna. Quod ſi dolor vrgeat, anodyna conueniunt, ut lac omne, potiſſimùm muliebre, tum extra linteis admotum intrò emunctum, quo ſi chalybeato utamur, tum ad dolorem ſedandum, tum ad glutinandum facit: ſanguis turturum, columbarum pullorum, ſub alis inciſa vena, in oculum inſtillatus prodeſt. Hoc cataplaſma mitigat. R. carnis pomorum, eorum præſertim, quæ Calamana appellantur, uel Apiola, ſub cinere calido coctorum, vnc. ij. uitellorum ou. num. ij. flor. caſſiæ nouiter extractæ, drac. vj. mucilag. pſillij, althææ ana unc. ſemis, farinæ hordei cri-

Defenſiua. briratæ parum, miſce, & fiat emplaſtrum. Non modo ad leniendum dolorem his vtimur; ſed etiam ad inflammationem arcendam defenſiua appellata probantur, quæ intercipiunt, & cohibent ſanguinem influentem ad oculum, & non ſinunt ad partem affectam peruenire; & hæc apponuntur in fronte, in temporibus, in genis, & in circumiacentibus oculi partibus, unde venæ excurrunt ad oculum. Vnde ſi argilla propoſitis partibus apponatur, ſanguis ad oculum fluens prohibetur; ſic lintea madefacta in poſca frequenter applicantur: ſic granatorum vinum cum mucilagine pſillij, bolo Armena, ſanguine draconis, oui albumine; in uino nigro auſtero ad mellis craſſitiem mixtis, quo illinitur frons, genæ, & tempora. His curatur uulnus oculorum ſimpliciſſimum.

De Vulnere oculi, cum exitu humoris aquei.

Scopus in hoc vulnere. QVOD ſi vulnus maius ſit, & corneam penetret, uel coniunctiuam tunicam, ex quo exeat aqueus humor, huiuſmodi uulnus fere contingit cum deperditione uiſus, niſi puer ſit uulneratus, in quo Galenus uoluit humorem aqueum reſtaurari. Vnde tam in puero, quàm in adulto ſcopus eſt prohibere ne tam multa copia humoris aquei effundatur, quod fit aſtringendo, & medicamentis emplaſticis ſupra palpebram, & intra ipſum uulnus immiſſis; ut R. mucilag. pſillij, thuris, gummi Arabici, tragacanthi, ana unc. ſemis, quæ mucilagines in aqua hordei extrahuntur: idem ad totum oculum ualet, ſi bolum Armenam orientalem adniſcueris.

De Vulnere oculorum, cum effuſione humoris vitrei, & cryſtallini.

Epuloticum. SI ſub uulnere oculi penetrante humor uitreus, & cryſtallinus ſit euacuatus ad inflammationem, & dolorem ſedandum, ſi adſit, ea conueniunt, quæ ſupra propoſuimus. Reliqua intentio eſt, uulnus carne implere, & quàm citiſsimè cicatricem obducere. Vnde inſpergitur intus ſief album ſine opio, & cum opio, ſi adsit inflammatio, ceruſſa pulueriz. pul. boli Armenę, tuthia præparata, & alia actu sicca, ut cicatrix inducatur, quia uisio in hoc uulnere deperdita eſt. Hinc decori incumbendum eſt, quod fiet, ſi uitreum oculum, simlem alteri imponamus, sic facilè

Oculus aquiuocus. deformitatem vitabimus, oculum æquiuocè reſtituentes, qui aliquando ita ſimilis uidetur eſſe ſano, ut etiam peritis imponat, nec uideatur oculus æquiuocus, ſed uerus. Huiuſmodi oculi Venetijs parantur.

De

De Vulnere oculorum profundiore.

SOLET nonnunquam oculus uulnerari ab inſtrumento perforante, & incidente, in quo uulnere per uias quaſdam patentes inciſas in ipſis oculis, in partem profundiorem penetrat inſtrumentum, & peruenit in baſim, & ad uentriculos cerebri; unde patientes extemplò mortui cadunt, quoniam motus ex diſſipatis ſpiritibus ſtatim omnis deperditur, & conſequenter reſpiratio, & ita matura ſequitur mors. Quod ſi non peruenerat ad cerebrum huiuſmodi uulnus, eſt curabile, & curatur ſarcoticis, priùs diligenter inueſtigando, num in hoc uulnere relicta ſit inſtrumenti portio, ut mihi aliquando accidit. Tarutio enim ad me uenit quidam, qui in illa cauitate uulnus acceperat, & præterierant duo menſes, & non ſanabatur, & oculus erat humidus, & dolebat; ſecunda uice diligentiùs inueſtigaui, & extraxi fruſtulum pali, cum quo fuit uulneratus, longitudine dimidij medij digiti, & breui fuit ſanatus ungento de betonica in turunda, & oxelæo exteriùs. Quod uolui animaduertere, un non modo in his, ſed in alijs omnibus ſemper ante omnia inueſtigetis, num aliqua portio inſtrumenti relicta ſit in vulnere. *Hiſtoria.*

De Vulneribus Naſi, & primùm de ſimplici inciſione cutis naſi.

AGENDVM nunc eſt de uulneribus naſi, ubi ſciendum primò, naſum in parte ſuperiore habere oſſa, in inferiore cartilaginem. Vnde ſi uulneretur, uel poteſt tantum uulnerari cutis, uel unà cum cute oſſa, & cartilagines potiſſimùm in parte inferiore, ubi aliquando tam ualenter uulneratur cartilago ut naſi globus, & portio pinnæ amputetur, & decidat. Hæ ſunt ſpecies uulnerum, quæ naſo contingunt. *Species Vulnerus naſi.*

Si cutis tantum uulneretur, ſiue in ſuperna, ſiue inferna parte, omnino abſtinendum à ſutura, ad labia adducenda, & utendum glutino cum ſuis anſulis, ut cicatricis ueſtigia non appareant. Nam cum naſus omnibus faciei partibus ſupereſt, ſpectatiſsimus eſt, unde cicatrix ſolet magis apparere in naſo, quia oculis primò obijcitur, quàm in alijs partibus, propterea in huiuſmodi uulnere tutiſsimo tantummodo pulchritudini ſtudendum, quod fiet, ſi glutino adducantur labia. Aliquando incisio adeò exigua eſt, ut ſufficiant anguſtiſsima illa lintea, albumine oui madefacta, pro prima uice: aliquando etiam pro reliquo tempore ſufficiunt anguſtiſsima linteola aliquo cerato emplaſtico oblinita, & apposita, ut in frontis uulnere fuit propositum. In quo caſu operæ precium eſt ad cicatricem inducendam uti medicamentis conſiſtentia mollibus, quemadmodum in uulneribus frontis dixi, ut cicatrix pulchra fiat, quæ uix oculis animaduertatur. *Curatio vulneris cutis, naſi.*

De Vulnere oſsis naſi.

QVOD ſi vulnus naſi ſit in parte ſuperiore factum, cum præciſione oſſis, ſciendum eſt proponi vulnus cum fractura iunctum: vnde prima intentio eſt conformare fracturam, deinde vulnus unire. *Indicationes.*

Primum fit, interiùs ponendo latā ſpatham, aut ligneā, aut ferream intra nares, quæ cōmodè ingrediatur, exteriùs digitis æquando ac cōformando oſſa fracta. Facta huiuſmodi oſſium æquatione, debemus intra nares imponere cannulam, uel oſſeam, uel argenteam, uel æneam, quæ rotunda non ſit, ſed potius depreſſa, reſpondens cauitati internæ narium, *Conformatio.*

atq; tam longa sit, vt in parte interna prominеat, quò auferri possit; quæ sanè cannula aliquando fit ex calamo anseris, quando non est aliud ad manum. Hæc cannula tria præstat. Primò, conformatam fracturam custodit, & conseruat, & prohibet, ne ossa interiùs prorumpant. Deinde, respirationis vsum præstat, dum narium foramen latum conseruat. Tertiò, præbet viam apertam excrementis à cerebro descendentibus, tum etiam sanici ex vulnere deorsum defluenti. Sed notandum, ne huiusmodi cannula nimis sursum mittatur, ne moueat sternutamentum: quia sternutamentum labefactat conformationem fracturæ.

Cánula intra nares.

Vnio.

Conformata fractura, adducenda sunt labia vulneris ad mutuum contactum, & prima vice fit linteis angustis, oui albumine madefactis, ac stuppa; reliquo tempore, cum medicamentis, quæ astringendi vim habent, quæ si actu sicca exteriùs inspergantur, propter ossis fracturam, quæ maiora exsiccantia desiderat, non erit abs re. Quantum ad cicatricem spectat, vbi ossa vnita sunt, poterunt apponi quæ cicatricem pulchram efficiant: nam si humida apponantur ratione pulchræ cicatricis, ante ossis vnionem, fieri poterit, vt callus nimis magnus increscat, & vulnus sit deformius ratione huius, quàm ratione cicatricis. Vnde licet in vulnere superiore nasi probauerim glutinatoria cõsistentia mollia, propter rationem propositam est necessariũ vsurpare consistentia sicca, vt sunt bolus Armena, sanguis draconis, quæ sint in tenuissimum pollinem redacta. Interdum ubi insignis est fractura, eadem medicamenta oui albumine ad mellis crassitiem commixta apponimus, intus illiniendo ipsam cannulam: sed oportet vt cannula obuoluatur tenuissimo linteo, quo medicamentum adhæreat, ne propter læuitatem cannulæ statim labatur.

Epqulotica.

Vulnus ossis nasi transuersum.

Si vulnus nasi sit in osse transuersum, opus est etiam deligatura quæ fit primò oppositis hinc inde duobus puluinaribus, confectis ex linteis multiplicatis, expressis in vino nigro austero: deinde sumpta fascia, quæ habeat in medio foramen, quod uix nasi globulum excipiat, hæc retro ducatur supra caput in occiptio, & sic impositа ligetur, quæ fascia arctiùs liganda, ut prohibeat casum nasi. Sic altera fascia angustissima ponatur in confinio nasi, & supremi labij, & similiter ducatur hinc inde sursum, & ut prior ligetur. In quo casu, vt huiusmodi fasciæ firmiùs teneant, & teneantur, necesse erit fasciam orbicularem, quæ supra tempora ducatur, alligare, ibiq; filo firmare propositas fascias, uti & pulnilli appositi firmandi sunt, & appendendi. Sic curatur vulnus nasi, quod cum ossis fractura fit.

De Vulnere Cartilaginis nasi.

Vulnus cartilaginis.

VLNVS in nasi cartilagine inflictum eandem cannulam requirit, deinde vulneris labia adducenda, & fascijs alliganda, ijsdemq; medicamentis curanda sunt, ut supra dictum est.

Nasi reparãdi ratio.

Si uerò portio nasi cartilagine ex toto amputetur, insanabile huiusmodi est vulnus. Ne tamen tanta ex abscisso naso in facie appareret deformitas, ars excogitauit reparare amissum nasum; & primi, qui modum reparandi nasum calluere, fuerunt Calabri, deinde deuenit ad Medicos Bononienses. Est tamen modus adeo laboriosus, difficilis, & longus, ut ij, qui se submiserunt prædicto modo, si rursus indigerent nasi reparatione, non ampliùs se submitterent. Fit scarificata portione pinnæ nasi, deinde incisa cute brachij respondentis maiori portioni nasi deperditæ, & applicata cute, atq; consuta cum parte scarificata nasi, brachium postea capiti alligatur, ita vt neq; hinc, neq; inde nunquam dimoueatur, quia si moueretur, non fieret agglutinatio. Facta glutinatione, iterum scarificatur nasus altis scarificationibus, & frequentibus, adeo ut caro rubea appareat, & cicatricis reliquiæ non appareant; tum vicina brachij portio inciditur, & apponitur naso, & consuitur, atq; hoc toties repetitur & efficitur, quousq; totus nasus fuerit scarificatus, & cutis brachij ex toto fuerit brachio ablata, & naso agglutinata. Multas animaduersiones in huiusmodi curatione proponerem, nisi scirem huius rei professorem magnum volumen in lucem dedisse.

De

De Vulneribus Genarum.

IN genarum vulneribus illud peculiare obſeruaui, talia vulnera eſſe obnoxia ſanguinis profuſioni, propter venas, & arterias ſurſum per genas excurrentes; quæ ſanguinis profuſio vulneris glutinationem impedit, adeò illi primum eſt occurrendum medicamentis, & modis in vulneribus uenarum propoſitis, poſtea labijs adducendis, & glutinando vulneri incumbendum eſt, quæ ijſdem prorſus medicamentis, & modo abſoluuntur; vt in vulneribus frontis propoſitum eſt. In huiuſmodi vulnere illud non eſt ignorandum, ſcilicet non oportere vulneratum mandere, neque loqui, neque buccas inflare, neque ridere, neque flere, neque inclinato capite ſtare, neque ſpiritus cohibitione vti. Nam memini iuuenem quendam in gena vulneratum, in flata bucca focum accendere voluiſſe, & ſtatim tanta copia ſanguinis profuſa eſt, vt ferè periret. *Indicationes*

Hæc vulnera genarum aliquando adeò profunda fiunt, propter muſculos, & multam pinguedinem, quæ oſſi ſuperſtant, ut cum non poſſint labia in profundo exactè committi, neceſſarium ſit ſinum quendam intercedere; & ſic vulnus ſimplex in compoſitum degenerat, ut carnis generatione indigeat. Quod vbi accidit, omnino venuſtati cicatricis eſt attendendum, quia gena eſt pars ſpectatiſſima; vnde in propoſito caſu, primò labijs glutino adductis, opportunum fuerit foramen in parte inferna parare, quod immiſſa turunda apertum ſeruetur, ut inde profunda pars vulneris expurgetur: quod eſt efficiendum, quando vulnus genæ in barbam deſinit, vnde cicatrix ex aduentu barbæ occultatur. At ſi vulnus totum extra barbam ſit, vel labia vulneris non ſunt ad amuſſim anſulis aſtringenda, ſed quadamtenus amplectenda, ut per ipſa ſanies poſſit exire, potiſſimùm id præſtandum eſt circa partem infernam: aut, quòd melius eſt, oportet faſcijs ita vulnus ligare, & comprimere, ut ſinus uitetur, & ita generatio, collectioq; ſaniei. Hæc faſcia in vulnere genæ tranſuerſo, & profundo alligari debet prima uice, in qua requiritur, ut labia ad mutuum contactum adducantur; quod cum futuris, & fibulis, à quibus in hoc vulnere abſtinendum, fieri non poſſit, id faſciarum compreſſione corrigimus. Ideò anguſtiſſimis linteis primò, deinde ſtuppis in oui albumine madefactis, & appoſitis, dum miniſter manu, & digitis continet labia in unum adducta, Chirurgus debet faſciam ex duplici initio conuolutam ſub mento apponere, ſurſum ducere, & arctè ſtingere, donec alligetur in capitis uertice, & hæc faſcia in vulnere tranſuerſo ualde longo debet eſſe non nimis anguſta, adeò ut dimidium vulneris comprehendat: deinde alia faſcia ſimilis priori alteram vulneris partem ſtringat; & à mento ſurſum ducta, ut prima, in uertice capitis alligetur. Hic eſt unus modus. Alius eſt, ut capiti uulnerati birretum Turcium, quod geſtant Turcæ ſub Turbante, apponatur, poſtea ad tempus utrumque faſcia aſſuatur birreto, & iſta faſcia ſub mento trahatur, & ſic in uertice alligetur: huiuſmodi faſciæ prima uice ſolent labia vulneris adducere ad mutuum contactum, loco futurarum, & fibularum, à quibus abſtinendum in uulnere genæ, propter deformitatem cicatricis. Quia uerò profundum eſt uulnus, & ratione profunditatis ſinus poteſt procreari in intima parte: præterea labia propoſiti uulneris ſub prioribus faſcijs poſſunt ſubſultare, & unum ſupra alterum aſcendere, ideò ut utrumque uitemus, ponimus alteram faſciam, quæ tranſuerſa ſit, & tranſuerſa facie ducta ſupra labia ſuprema, ad utrumque tempus aſſuatur. Si opus eſt ualidiori compreſſione, dummodo ſine dolore fiat, puluinar ex duplicato linteo factum, & ex uino nigro auſtero expreſsum, ſub dicta facia eſt apponendum, ne labium ſubſultet, & uitetur ſinus profundæ partis: hoc fit prima uice. Secunda uice ubi reſolutur vulnus glutinum cum anſulis apponitur, & propoſitis faſcijs, & medicamentis ſimiliter curatur. *Vulnus genarum profundum.* *Deligatio faciendæ quoad.* *Alius modus* *Faſcia tranſuerſa.* *Puluilli.*

Deinde dimiſsis etiam faſcijs, aut non omnibus obuolutis procedendum eſt cum glutino, ac medicamentis glutinantibus, & cicatricem inducentibus, quæ conſiſtentia mol- *Glutinum.*

lia ſint, vt in vulneribus frontis dictum fuit.

Foramen iuxta aurem.

Aliud quoque experientia à me comprobatum eſt in genarum vulneribus, nam quotieſcumq; vulnera prope aures contingunt, glutinantur modo propoſito; ſed uerſus aurem foraminulum anguſtiſſimum, vix oculis conſpicuum, apparet, per quod, potiſſimum, vbi patientes mandunt, tanta copia exit limpidæ aquæ, quæ eſt veluti lacryma ab oculis emiſſa, & durat aliquando vnum, aliquando duos menſes. Vnde, & quo modo effluat, ego certè neſcio: ſed ad exſiccandam illam copioſam humiditatem vſus ſum linteis madefactis in aqua thermali Aponenſi, vel cerato ex oxelæo, vel ſacro, & huiuſmodi valenter exſiccantibus.

De Vulneribus labiorum.

Differentia.

LABIA vt plurimum per longitudinem reſcinduntur. Aliquando à natiuitate labrum ſuperius infantulis apertum manere contingit, & vt plurimum accidit cum amiſſione ſubſtantiæ, modò labij, modò gingiuæ, aut palati. Si labium ex vulnere ſit præciſum, ſiue ſit ſuperius, ſiue inferius, citò glutinatur fibula impoſita; ſed propter fili eroſionem, & deformem cicatricem etiam imponendum eſt glutinum, quod cutem ſubſecare non ſinat. In fibula imponenda, & poſt ipſam impoſitam, omnino ab omni labij motu eſt abſtinendum, qui vel mandendo, vel loquendo, vel ridendo, & huiuſmodi fiat. Nam cum aliquando tentarem ſuere labium, æger in riſum mouebatur, & numquam fuit poſſibile acum tranſmittere, donec abſtineret à riſu. Poſtea eadem medicamenta applicanda cum oui albumine.

Curatio labij præciſi.

Labia in natiuitate diuiſa.

Quod ſi labio ſuperiore diuiſo naſcatur infans, quia huiuſmodi ſolutio vnitatis eſt cum amiſſione ſubſtantiæ, uel labij, uel gingiuæ, uel palati, oritur indicatio reficiendi ſubſtantiam deperditam: quod ſi à natura non abſoluatur, multò minus à Medico abſoluetur, quia opus naturæ eſt. Non poteſt natura hoc præſtare pluribus de cauſis, ac potiſſimùm, quia labia infantis, uel mammas, & papillas apprehendendo, vel vociferando, uel flendo; contineò in motu ſunt, qui impedit ſanationem. Quod ſi à natura caro non procreetur, arte labia reciſa glutinentur, & ad mutuum contactum adducantur: nam cum ſua mollitie ſint extenſibilia labia, ideò facilè adducuntur, etiamſi ſubſtantia deperdatur, quod faciliùs in infante præſtatur futura, vel fibula. At in adultis prudentioribus fibulæ tantum ſufficiunt, ſed in pueris non ſunt ſufficientes, propter motum prædictum, unde neceſſarium eſt glutinum, vt conſeruet fibulas, ne labium erodant.

Fibulas imponendi ratio.

In fibulis imponendi nonnulli ſunt, qui communi vtuntur fibula, quæ imponitur tranſmiſſa acu per vtrumq; labium, facto deinde puncto: ſed oportet acum longiùs à fiſſura labij tranſmittere, quò valentiùs teneat fibula, & non abrumpatur. Alij ſunt, qui infigunt acum per vtrumque labium reciſum, deinde inibi relinquunt acum, & filum pluries circa acum obtoluunt. Ego verò paro mihi acus in altera extremitate acutas, & rigidas, in altera verò molles, & flexibiles; hæ infiguntur per utrumq; labium, inibiq; relinquuntur, & pars dextera reflectitur in ſiniſtram, & ſiniſtra ſupra dextram, & tot acus infiguntur, & relinquuntur, quot ſunt neceſſariæ, vt fiat adductio labiorum ad mutuum contactum: ſuper quas acus apponitur linteolum albumine oui madefactum; & eatenus ſeruantur acus infixæ, quouſq; facta ſit labiorum proba glutinatio. Et hic modus eſt tutior, quoniam minus eroditur cutis tranſuersè ab huiuſmodi acubus, quàm à filo. Sed oportet, antequam fibulæ imponantur, ſcarificare ex omni parte labium diuiſum, vt eo reducto ad mutuum contactum, per fibulas vniri poſsit.

De Vulneribus auricularum.

ACCEDAMVS modò ad vulnera auricularum, siue ex toto abscindatur auricula, siue aliqua eius portio. Quod attinet ad portionem auriculæ, quæ, ex toto decidit, tutissimum est vulnus, quo ad uitam. Quod si auricula ita abscindatur, ut portio incisa coniuncta sit sanæ, hanc cum sana coniungere oportet uera sutura, quæ fit filo continuato, & transmissa acu per utrumque labium, deinde supra vulnus reuoluta, rursus ex eodem latere transmissa, reuolutaque quousq; tota sutura completa sit: in qua perficienda subiectam cartilaginem uitare oportet, quia puncta inflammatur, & putrescit. Quare tantum cutem consuere oportet, incipiendo primò ab una extremitate vulneris, siue superna; siue inferna, deinde verò deuenire ad alteram extremitatem; & facta hoc modo sutura in una parte, vt puta superna, consuenda est etiam inferna, id est, pars aduersa: nam si consueremus tantum ex una parte, aduersa pars non glutinaretur, aut curuata auricula maneret proinde deformis, & turpis. Aliquando ubi auriculæ portio abscinditur, ita tamen ut reliquæ sit adiuncta, possumus abstinere à sutura, atque ita uitare occasionem inflammationis, & doloris; & ad labia ad mutuum contactum adducenda possumus uti linteolis angustissimis, uel in oui albumine madefactis, uel aliquo medicamento emplastico oblinitis, quæ sufficiunt ad labia uulneris adducenda. Emplasticum est, quod componitur ex mastiche, & resina terebinthina, oleo rosaceo, & pauca cera.

Vnio auricula per sutu-ram.

Sine sutura.

Postquam futuris, uel materia iam dicta portio auriculæ præcisa cum sana commissa est, indigemus glutinantibus, quæ in parte ficciſsima essedebent ficciſsima, ut est bolus Armena; balaustia, puluis rosarum rubearum, malicorij; qui puluis conseruatur supra partem affectam, uel emplastro barbaro, uel diapalma. In tota curatione uulnerum auricularum perpetuò solicitos esse oportet de meatu auditorio, prohibentes, ne à sanie repleatur; vnde obstruendus est vel gossipio, uel spongia: per interualla etiam est detergendus gossipio, uel ficco, uel in uino nigro madefacto.

Glutinantia.

De Vulneribus Linguæ.

LINGVA etsi intra os consistat, septo dentium munita, & ab omnibus iniurijs tuta videatur, accidit tamen aliquando eam vulnerari, cum non modo offensores externos, verum etiam domesticos obtineat; quoniam vbi genæ, & buccæ inciduntur, & perforantur, solet etiam lingua nonnunquam vulnerari; imò sæpe à dentibus proprijs rescindi, ubi in valido dentium concussu lingua intercidat. Et hæc vulnera fiunt vel cum omnimoda totius abscissione, uel alicuius portionis: prius si acccidat, abscissam partem exspuere oportet, nec est quod eam glutinare tentemus, quia abscissa, portiò penitus est mortua, & mortuum viuo non adiungitur.

Differentia.

Quod si linguæ portio abscindatur, ita tamen vt corpori linguæ hæreat, hæc species vulneris curabilis est. Sed considerandum est, num portio præcisa viuæ coniuncta sit, ut quodammodo vibret, propter quam rationem difficulter admodum possumus sperare glutinationem: vel portio præcisæ linguæ corpori magis appensa sit. Sed siue portio præcisa parum uiuæ adhæreat, siue multum, omnino uitare debetis omnimodam abscissionem, ut plerique facere consueuerunt. Quod præceptum perpetuum esse uolo, non modo in lingua, sed in omnibus faciei partibus, naso, digitis, & huiusmodi, quoniam sæpe præter spem Medicorum partes agglutinantur, quæ mens non concipit glutinari posse, & si præscindantur, omnino perit vsus, & contrahitur deformitas; ut in lingua, & labijs perit locutio, in naso, & auricula præ-

Portio cum sero cohærens non est abscindenda.

ter

ter vsum amissum deformitas paritur. Causa autem, ob quam sæpe præter spem glutinantur partes, quæ modicè viuæ adhærent; est, quia si per illam partem, quæ viuæ adhæret, parua excurrat vena tantùm; illa potest illam nutrire, & vitam præstare. Nam si in brachio cutis portio ex toto abscissa agglutinatur naso, multò magis possibile est eamdem portionem suo toti agglutinari. Hoc vos admoneo, quoniam multi sunt, qui contrarium faciunt, existimantes se magnum facinus patrasse, si frustulum partis à se incisum ostentet, cum tamen indignum facinus commiserint. Et quamuis non succedat glutinatio partis commissa, nihil tamen ex ea re amittimus, cum natura soleat deinde viuum à mortuo separare: vnde soli naturæ negotium est committendum, & nostrum tantum est labia ad amussim adducere ad mutuum contactum.

Lingua præcisa vt vnienda & extrahenda. In quocumq; ergo vulnere linguæ, in quo pars præcisa sanæ adhuc coniuncta sit, sunt mutuò applicanda labia, quod licet difficillimum factu sit, quia inter præsidiorum materias, quæ mutuò labia adducunt, glutinum, & deligatura, aliena sunt, tamen sutura conuenit. Hæc verò vt efficiatur, non dici potest, quàm difficile sit: & nisi lingua extrahatur extra os, non etiam possibile est. Ad trahendum foras linguam, nonnulli præcipiunt linguam à patiente extramissam linteo mundo tenui apprehendendam, ne elabatur: sed ad hoc ego tenaculas paraui inuersas semiorbiculares, obuolutas linteo, quibus apprehensa lingua foras trahitur, & tutissimè tenetur. Et hoc instrumento quoq; vtor dum volo incidere vinculum sub lingua.

Sutura. Foras extracta, & exporrecta lingua, accedimus ad suturam efficiendam, quę dupliciter fieri potest: uel si solum linguæ corpus consuamus; uel si tantùm linguæ tunicam sutura apprehendimus dimisso corpore. Inter duos prædictos modos secundus videtur magis opportunus, & tutior à dolore, & inflammatione. Dicebat Celsus lib. 5. cap. 26. quod quò minus acus corpus transit, minores inflammationes sequuntur; at minus transit, si tunicam tantum, quàm si etiam corpus transeat.

Glutinatoria. Facta hoc modo sutura, & sic linguæ portione cum reliquo coniuncta, medicamenta deinde glutinatoria adhibenda sunt, quæ imponenda sunt ad inflammationem arcendam, vel ad glutinationem moliendam. Hæc uerò, neq; oleosa, neq; emplastica, uel vnguenta sint, quia statim diffluunt, tum ex se, tum quia ab humore linguæ remolliuntur. Nam lingua dum sana est, humiditate scatet, quando uerò vulneratur humiditates sunt copiosissimę ideò ea medicamenta sunt opportuna, quæ diu in ore continentur; & versantur cum lingua, ut sunt puluis boli Armenæ, sanguis draconis; myrtilli non sunt improbandi, aliquamdiu detineantur; sed si ab humiditatibus linguæ statim decidant, liquores tantum in ore tenendi sunt: qui præterquam quod glutinant, & inflammationem arcent, etiam abluunt saniem, siqua aggregetur, & humores affluentes similiter eluunt, & exsiccant. *Astringentia* Vnde hæc medicamenta futura sunt sicca, ualenter adstringentia, ut vinum granatorum cum aqua aluminis, uel aqua plantaginis cum syrupo de ribe, aut decoctum pilosellæ cum syrup. de rosis siccis, aut aqua hordei cui modicum alumen sit incoctum, decoctum balaustiorum, malicorij, cum syrup. cydoniorum, aut decoctum rubi cum aqua fabrorum. Si adsit dolor, lac sem. melonum. serum chalybeatum. Addatur peculiaris victus ratio, ut frigidis, & liquidis nutriatur, vt ptisana hordeacea, panatella liquida cum sem. melonum, vitelli ouorum in iure carnis, quod Restaurum vulgo dicitur. *Diata.* Hæc sunt medicamenta ad linguæ vulnera opportuna.

De Vulneribus Colli.

Descriptio colli. POstquam egimus de vulneribus faciei, nunc descendamus ad vulnera, quæ in collo, & ceruice fiunt. Collum autem dicitur ea pars, quæ capiti proximè subiacet, & interfaciem, & pectus collocatur: figura rotundũ; ita dictum, quod caput quasi columna sustentet. Hoc cùm ex pluribus partibus componatur, plures in eo vulneris species contingunt. Particulariter autem præter cutem, & subiectos musculos in parte anteriore colli collocatur aspera arteria, sub qua gula poni-

ponitur, paulò autem à lateribus venæ, & arteriæ iugulares ponuntur, in parte posteriore spina consistit, anteriùs, & supra gutur, seu larynx, quemadmodum infra ad iugulum, ubi cauitas est, venę, & arterię insignes iugulares, & axillares ponuntur : ideò de quatuor colli vulneribus priuatim agemus. Si collum in parte anteriore vulneretur, solet lædi aspera arteria, & gula: in anteriore parte supra larynx, infra verò insignes venæ, & arteriæ iugulares, & axillares; in parte posteriore spinalis medulla. *Differentiæ vulnerũ colli.*

Generaliter nullum colli vulnus periculosum est, etiamsi totum collum pertranseat ab vna ad alteram partem, nisi aliqua prædictarum partium vulneretur : in quo casu uel vulnus est mortale, vel periculosum. *Prognosis.*

De Vulnere asperæ arteriæ.

VLneris in aspera arteria facti signum est, spiritus per vulnus emissus, tussis, exitus sanguinis per os, amissio vocis, deniq; hoc vulnus attestatur medius colli locus. In eo curando, si transuersè inflictum sit vulnus, necessarium est ægrotantem deprimere caput, & collum; si per longitudinem, attollere, quò vulneris asperæ arteriæ labia coeant & simul iungantur. Insuper patientem recta ceruice potius stare conuenit, ne sanguis, & sanies in asperam arteriam descendant. Quo facto, vulnus suendum est, vel sutura uera, uel fibulis, quæ labia vulneris ad mutuum contactum adducant. Deinde medicamentum est imponendum, quod glutinatorium sit, ita tamen vulnus glutinet, ne humor, sanguis, & sanies in asperam arteriam cum periculo suffocationis illabantur, sed ita exteriùs glutinare oportet, ut per ipsa labia exteriùs natura possit vulnus purgare. *Curatio.*

Huiusmodi autem glutinatoria magis futura sunt emplastica quàm astringentia, consistentia potiùs humida, quàm sicca : vt R. resinæ terebinthinæ, cum aquæ portulacæ lotæ, vnc. j. pul. mastiches, drach. j. semis, olei hyperici, drach. iij. albumina cum vitellis ouorum, quot sufficiunt ad efficiendum medicamentum ad formam vnguenti. Oleum illud Hispanum, supra in vulnere carnis traditum plurimum præstat. Hac ratione curatur vulnus asperæ arteriæ, quod periculo non vacat, tum propter inflammationem, quæ arctando potest suffocare; tum propter humorem in asperam arteriam descendentem, qui etiam suffocationis adducit periculum. *Glutinantia.*

De Vulnere gutturis, & laryngis.

QVOD si vulnus in gutture, & larynge factum sit, signa sunt, locus superior colli, uocis amissio, & aeris, ubi ad cauitatem peruenerit, exitus. Magis est periculosum, quàm vulnus asperæ arteriæ, tum propter loci angustiam, quæ minatur periculum suffocationis, si locus sanguine, sanie, & huiusmodi repleatur; tum quod hæc pars habet musculos circumpositos, qui sunt rubei, & sanguinei, vnde angina oriri solet. Quare magis oportet esse solicitum Medicum de cura totius. *Signa.* *Prognosis.*

Quoad partem affectam, eodem modo in hoc vulnere medicamentis procedendum est, vt in vulnere asperæ arteriæ dictum est. Quod si sub sutura facta, & appositis medicamentis immineat suffocationis periculum, quia cauitas laryngis sit repleta, inflammata, uèl coarctata, vt respiratio effici non possit, in eo casu debemus vulnus dilatare atq; fistulam argenteam, ex altero extremo recuruatam, ex altero verò in tubæ formam dilatatam, immittere, quæ perueniens ad cauitatem respirationis, aeris ingressum præbet. Vbi causæ spiritum obstruentes ablatæ sunt, est auferenda etiam cannula, & glutinando vulneri, uel carnis generationi incumbendum. Quod dixi de fistula, non modo in hoc vulnere laryngis, sed etiam asperæ arteriæ, locum habet. *Cannula imponenda.*

Si vulnus sit anterius in inferiore parte in colli cauo, ita ut tam alte penetret, ut sanguis ex vulnere erumpat, mortale æst : quia tantus fit sanguinis impetus ruentis, ut statim cum sanguine effundatur uita. Vnde huiusmodi cauitas ab antiquis iugulum est appellatum, quia eo leso animalia iugulentur.

De

De Vulnere venarum, & arteriarum iugularium.

Prognostica. VLnera colli, si magis à lateribus fiant, quia ibi excurrunt venæ, & arteriæ iugulares, ideò similiter fit sanguinis effusio, quæ efficit vulnus lethale, potissimum si arteria vel uena interna vulneretur. At si vulnus fiat paruulum, & in externis venis, uel arterijs, & Chirurgus tempestiuè accedat, ubi medicamentis in vulneribus venarũ, & arteriarum propositis sanguinem sistere nõ potest, statim debet hamo apprehendere uas vulneratum, & attollere, deinde partes vtrinq; filo ligare, & transuersim totum uas præscindere: sic poterit refrenari sanguinis profusio, quæ vitam è vestigio tollit, & æger curari potest, licet factu difficile sit. Cætera vide in vulnere uenarum, & arteriarum.

Hæmorrhegia sistenda.

De Vulnere spinalis medullæ.

COllum si in posteriore sui parte vulneretur, ceruix læditur. Si vulnus illatum sit musculosæ ceruicis parti, iam proposita est curatio. At si ad medullãm spinalem peruenerit, adeò vt uel tota, uel pars præcidatur quomodocumq; vulnus, mortale est. Nam si tota præscindatur, statim deperditur motus, & sensus totius corporis vnde deperditur quasi tota respiratio, & multi motus ad vitam necessarij, hinc sequitur mors. Quod si non tota spinalis medulla abscindatur, sed tantum vulneretur, necessario ingens sequitur conuulsio, ac proinde matura mors. Quia verò succurrendum est miseris ægrotantibus remedijs, quæ possunt etiam ipsos aliquando sanare, præsertim cum plura præter medicorum opinionem contingant. Ideò imponenda sunt ea, quæ dolorem leniant, conuulsionem arceant, quæ etiam saniem exicent sine morsu.

Prognost.

Medicamenta. Medicamenta oleosa sunt huic intentioni accommodatissima: vnde probatur oleum hyperici, instilliatum, aut ol. de lumbricis cum modica portione Theriacæ, uel Mithridatij, aut ol. de vitellis ouorum, balsamum nigrum, uel luteum, aut ol. Hisp. ol de cera, aut mastichinum cum terebinthina. In quo casu oportet totius spinæ haberet rationem, inungendo oleo vulpino, mastichino, de castoreo, & de lumbricis. Nec modo spinę totius, sed etiam capitis habenda cura, perfundendo totum caput oleo camomelino lumbricato. Reliqua in vulneribus neruorum sunt proposita.

De Vulneribus Gulæ.

Signa. REstat in collo gula, quæ si vulneretur, signa sunt, difficultas deglutinendi, vomitus cibi, exitus cibi, & potus per vulnus. Quia verò gula in profundissima colli parte consistit, fieri ferè non potest, ut ea vulnerata, non etiam aspera arteria, venæ, & arteriæ iugulares, nerui recurrentes, vulnerentur; ex quo fit, ut præter proposita signa, quæ significant gulam vulneratam, coniungantur ea, quæ aliarum partium vulnus manifestant. Qua etiam ratione fit, vt vulnus gulæ, quod sua natura periculosum est, sæpe tamen lethale fiat, propter coniunctionem aliorum vulnerum, & sæua symptomata, quæ illa sequuntur. Nam ubi uenæ, & arteriæ iugulares vulnerantur, statim sanguinis profusio superuenit. In uniuersum, uulnus gulæ periculosum est, tum propter deglutiendi difficultatem, tum quia persæpe inflammatio communicatur oriuentriculi, ex quo oriuntur sæua symptomata. Licet hoc quoque experientia compertum sit, non paucos ex vulnere gulæ superuixisse, unde proponenda est curatio.

Prognostis.

Curatio. Vulneris gulæ curatio in eo consistit, ut consuatur vulnus uera sutura, aut fibulis, ita tamen vt labia vulneris ad mutuum contactum, uel non omninò ducantur, ne sanies intus collecta detineatur, sed per labia exire possit, uel si consilium sit omnino adducere, in inferiore parte foramen turunda imposita seruandum est apertum tum vt detur exitus saniei, tum ut si cibus exeat, possit extra exire, non intus detineri, & esse causa inflammationis. Ideo medicamenta emplastica, supra in vulnere asperæ arteriæ proposita, sunt conuenientissima. Preter hæc apponendum exteriùs aliquod emplastrum, quod inflammationem arceat, ut quod conficitur ex farina hordei, oleo rosato, sapa, & vino nigro.

Victus ratio. Sed in hoc vulnere particulariter victus ratio requiritur; nam cum deglutitio cibi, & potus per-

perpetuò ſit difficilis, nonnunquã ex toto adimitur. Vbi difficulter deglutiunt, exhibẽdi ſũt cibi illi, qui ſint liquidi, & plurimũ nutriant ut copia paucior ciborũ ſit ſufficiens, quæ alioquin plurimũ nutrientia cibaria nõ conuenirent ad inflãmationẽ arcendã. Vnde contuſũ liquidum ouũ ſorbile in aqua carnis, Reſtaurũ dictũ, cõuenit, itẽ ſuſcula, in quib. per multũ tẽporis portio pulli ſit incocta, ius cõſumatũ appellatũ; itẽ lac ſem. melonum, lac caprinũ, & huiuſmodi, quæ liquida ſunt, nec grauant, & plurimùm nutriunt, tanquã opportuniſſima exhibenda ſunt.

Quod ſi omnino ablata ſit deglutitio, ita vt nihil poſſit in ventriculum deſcendere, in eo caſu, ne ægrotantes fame pereant, debemus nutrire per clyſteres immiſſos in anum, quos nutrire poſſe teſtatur Oribaſius, & Aetius; vti ipſa Anatome oſtendit, per venas meſaraicas peruenientes ad inteſtina fieri poſſe tranſumptionem cibi ad iecur. Quare clyſteres fiant ex cibis ſupra poſitis, ſecluſis iis, quæ irritant naturam ad expulſionem. Quando autem hæc cibandi ratio neceſſaria eſt, debetis primò expurgare inteſtina à fæcibus per clyſterem, qui vim habeat educendi fæces, vtpote qui ſalem recipiat, præterea mel roſaceum, aut ſaccarum rubrum, & oleum, & alia, quæ molliendo, & detergendo fæces abluunt, & naturam ad expulſionem irritant. Euacuatis fæcibus, immittendi ſunt clyſteres ad nutriendum apti, prætermiſſis oleo, ſale, ſaccaro, & his, quæ poſſunt irritare expulſionem: quibus immiſſis imperandum eſt; vt diutius detineant huiuſmodi clyſteres. *Clyſteres nutrientes.*

De Vulneribus articulorum.

A COLLO deſcendimus ad thoracẽ, inde ad abdomen, quæ vulnera extra, & intus facta, etiã cum partium internarũ læſione, ſupra executi ſumus, vt modò ſuperſint brachiorum, & crurum. Omitto hoc loco penis, & teſticulorum vulnera, quæ partes rarò, vel nunquã vulnerantur, & eandem cum abdomine requirunt curationẽ. In brachijs & cruribus nos, dimiſſis vulneribus, quæ in parte carnoſa contingunt, de quibus aliàs à nobis abundè tractatum eſt, deuenimus ad eas partes, quæ peculiarem expoſcunt curationem, ut ſunt vulnera articulorum, quæ vlt. loco in hoc tractatu de vulneribus ſuperſunt. Articulus ex Gal. lib. de oſſib. in principio, eſt oſſium compoſitio, ad motum voluntarium comparata. Quæ compoſitio ad minus fit ex duobus oſsibus, præterea ex ligamento orbiculari, alligante ambo oſſa, adeò vt ſe mutuò contingant; aliquando etiam ex ligamento rotundo, quod in profundiſsima oſsis parte conſiſtit. Hæc coniunctio, quæ articulus appellatur, obtinet profundiores partes, quàm cæteræ: quo fit, vt omnis articulus tegatur muſculis, tendinibus potiſsimum, venis, arterijs, & neruis. Ex quo ſequitur, & experientia quotidie monſtrat articulorum vulnera non modò curatu difficillima, ſed periculoſa, ac lethalia eſſe. Periculoſa ſunt, ac lethalia, quoniam rarò fit, vt articulus vulneretur, & vulnus perueniat ad articulationem, id eſt, ad oſſa incidenda, quin partes ſuperiores, quæ voluunt articulos, quoq; vulnerentur; vnde ſi venæ, & arteriæ vulnerentur, ſanguinis profuſio oritur, propter quam periculoſum redditur vulnus: ſi tendines, & nerui vulnerentur, ſtatim inſignes dolores oriuntur, quib. inflãmatio, & ſpaſmus ſuperuenit. Vnde huiuſmodi vulnera ratione aliarum partium, quæ neceſſariò vulnerantur, fiũt periculoſa. Dixi neceſſariò propoſitas partes vulnerari, quia ut plurimùm carnem ſuperpoſitam non habent, quæ in ſe vulnus recipiens, defendat à vulnere venas, arterias, tendines, &c. Sunt etiam vulnera articulorum periculoſa, & difficilis curationis, ratione ſuæ naturæ ſeu naturæ articulorum, quia cũ natura carnem generet, & glutinationem moliatur in ipſis vulneribus, hæc in ipſis articulis admodum eſt imbecillis, & redditur imbecillior ob acceptum vulnus. Sunt enim articuli imbecilles, quia exangues, frigidi, & ex carnes ſunt. Addo, quod cum articuli conſtent ex ligamentis membranoſis, huiuſmodi non poſſe glutinari teſtatur 5. Aph. Gal. vbi dicit, veſica nõ glutinatur, quia frigida, & ex ſanguis eſt. Ideò non eſt mirandum, ſi ſint periculoſa, aut ſaltem ſanatu difficilia, & diuturnam expoſcant curationem artic. vulnera. *Tranſitio.* *Artic. quid.* *Prognoſis.*

Horũ vulnerũ alia ad articuli cauitatẽ pertingunt, alia non. Quæ nõ pertingunt, potius appellanda ſunt vulnera ſupra articulos facta qm̃ nõ perueniunt ad cauitatem articuli; in quib. ſi tendines, aut nerui vulnerẽtur, curãdi ſunt vt vulnera neruorũ: ſi verò uenę, & arterię vulnerẽtur oportet talia vulnera curare, prout ſuo loco dictũ eſt. Sola aũt ea articulorũ vulnera cẽſẽda ſunt, quæ ad articuli cauitatẽ pertingunt, in quib. ſaltem orbiculare ligamentũ inciditur; interdũ aliqua pars capitis oſſis. In his aũt vulneribus curandis ſtatim oritur dubitatio, num conſuen- *Differentia.*

ſuenda ſint,nec ne.Nam in praxi ſunt qui conſuunt,& adducunt labia ad mutuum contactum,& glutinare tentant : alij relinquunt vulnus apertum,& carnis generationi ſtudent. Qui reuniunt futuram, dicunt non oportere fuere,primò, quia conſuitur pars, quæ vniri non poteſt, vt eſt ligamentum, quod cũ neruoſum, & exangue ſit,non poteſt vniri, ex Galeni ſententia. Secunda cauſa eſt,quia aſtringendo labia vulneris futura,includimus in profundo ſaniem , quæ ex ſanie copioſiſſima ſeruatur,aliquando mucoſa : aliquando tenuis; & ſic inflammationis abſceſſus, & non raro gangræna oboritur.Ego verò memor ſententiæ Gal.3. de fract. qui aſſerit,quod omnia ſub cute conſtituta gaudent operculo cutis; & conſiderans, quod articuli cum ſint frigidi, exangues,excarnes,calore depauperati, facilè in ijs extinguitur calor innatus,præcipue ſi aeri frigido exponuntur: propter hanc rationem huius opinionis fui , ut articulorum vulnera ſuerentur,& labia ad mutuum contactum adducerentur. Ad rationes in contrarium adductas , & primò ad primam reſpondetur, quod in his vulnerib. ſatis eſt cutem mutuò aplicare futuris , aut fibulis,& ſic vulnera à frigiditate aeris tueri , & tegere articulum cute, id eſt , naturali ſuo integumento,intacto à futura ligamento ; niſi fortè puer ſit,in quo propter partium mollitiem vnio ſperanda eſt, in quo ſi ligamentum conſuatur,& vulnus totum ſimul adducatur,facilè hæc operatio abſoluetur, tum quia ligamentum ſua natura robuſtum eſt, & futuræ tenent, tũ quia fit ſine dolore,ſenſu enim priuatum eſt ligamentum.Quod ſi huic obſtare credat,quod hoc modo conſuta cute,& ligamento dimiſſo,cauitas in parte interna paretur , ideò vulnus carnis generatione potiùs curandum,propterea quod per ſecundam rationẽ, intus ſanies cum periculo colligatur, ſi vulnus conſuatur. Sed reſpondetur nos parum curare in his vulneribus an vulnus cauum relinquatur, vel carnis generatione curetur ; ſed tamen curandus , ne vulnus ne ve articuli nudi aeri frigido exponantur, quia imminet periculum extinctionis caloris , vnde gangrænæ oriuntur : aut ſi hoc non ſuccedat,nulla concoctio vnquam in vulnere apparet . Neq; propterea ſequitur nos concluſuros intus ſaniem per futuram, quoniam ita volumus eſſe conſuendum vulnus, vt ſanies poſſit expurgari .

Auctoris ſententia.

Contraria argumenta ſoluuntur.

Ex his diſcendum eſt,qua ratione labia vulneris per futuram ſint ad mutuum contactum adducenda,ita ſcilicet ſuẽda ſunt,vt in extremitate decliui foramen relinquatur,in quod turunda, mittatur,& ita ſanies expurgetur. Quo facto medicamentum eſt imponendum , aliud ſupra futuram , aliud ſupra turundam. Supra futuram glutinatorium , vel emplaſticum ponendum, vt eſt hoc: R. maſtiches,boli Armenæ,aloes,ana drach. j.miſce , & fiat pulus tenuiſsimus , & inſpergatur. Humidum medicamentum eſt,quod, R. maſtiches , aloes,ana drach. j. reſinæ abietinæ,vnc.j. olei hyperici vnc. ſemis. Miſceantur,atq; turundæ immittendæ imponantur.

Medicamẽta.

Quando vulnera contingunt corpus ligamenti, & articulum,valde ſiccum futurũ eſt medicamentum,multis de cauſis; tum quia ligamenta,& oſſa,quæ articulum componunt,ſua natura ſunt ſicciſsima,& proinde ſiccis gaudent;tũ quia ſenſu priuata ſunt , & tolerant robuſtiſsima, medicamenta; tertiò , quia copioſiſsima ſanies effluit ex vulnerib. articulorum , modò mucoſa modò tenuis,& neceſſe eſt medicamentũ non obrui, neq; facultates obtundi, ideò valde exſiccans debet eſſe medicamentũ: quare pleriq; volunt abſtinendum eſſe à relaxantib. emolliẽtib. humectantib. & omnino oleoſis medicamentis,niſi dolor vrgeat . Volunt præterea eſſe imponenda conſiſtentia ſicca. Ego verò, etſi libenter ab huiuſmodi oleoſis abſtineo, vtor tamen turunda vnguento de betonica imbuta, quam poſtea reuoluo ſuper puluerem tenuiſsimum, qui R. myrrhæ, rad. iridis,betonicæ,colophoniæ, ana drach , j. miſceãtur,& pulueriz. ſubtiliſsimè. Interdum adhibeo Theriacam cum trochiſcis Andronis,Paſionis,& Polyidæ. Similiter turundæ admoueo, aut cum turunda immitto aliquando ol. Hiſpanum, vel balſamum luteum , vel nigrum intus infundo, præſertim pueris, & natura humidiorib aliquãdo vſurpatur turunda cum hoc medicamento.R. terebinthinæ drac.vj.gum.Elemi, drach. iv. ol. hyperici drac. iij. bol.Armenæ,ſang.draconis ana drach.j.aquæ vitæ drach. ij. Liquefiant ſimul omnia lento igne; deinde adde pul. rad.iridis,aloes,maſtiches,myrrhæ,ana drach.j. miſce. Et hoc erit medicamentum opportuniſsimum ad abſumendam ſaniem vniuerſam,& carne replendam cauitatem. Extrinſecùs ſiccantia competunt, ut eſt ceratum de betonica. At ſi nulla adſit inflammatio, vel dolor, adhibenda quæ aliquo pacto trahunt ex alto,vt ceratum barbarum , cum dimidia parte ſacri. Hæc igitur ſunt medicamenta, ad vulnera articulorum ſananda.

Siccantia.

Auctoris ſententia.

FINIS.

DE ABVSV CVCVRBITVLARVM IN FEBRIBVS PVTRIDIS

Hieronymi Fabricii ab Aquapendente Dissertatio.

Deo inualuit Cucurbitularum supra dorsum in febribus putridis curandis abusus; ut omnibus ferè in animo impressum sit hoc quasi axioma, in febribus non putridis modo, sed pestilentibus, applicandas esse cucurbitulas dorso, non solum principio præterito, & tanquam remedium topicum, sed etiam in ipso principio nulla habita distinctione, nec euacuationis primorũ ductuum, nec sanguinis missionis, nec steteteritne fluxio, an non. Quod quidem me coegit hæc litteris mandare, nõ ut alios reprehendã. hoc enim non est institutum meum, sed solum, ut veritatem patefaciam, & in posterũ, quando liceat illas dorso affigere, & quando non, quid sit quod vicem suppleat sectionis venæ, & quæ mala ex illarum abusu euenire possint, omnibus innotescat. Cum igitur hepar sit officina humorum, ex Gal. 4. de usu partium cap. 12. & humores in venis resideant, tanquã in loco proprio, ex eodem 2. de Decret. Hipp. & Plat. cap. 8 & febres putridæ pendeant ab humorum putredine, ut idem 1. de arte curat. ad Glauc. cap. 4. & 11. method. cap. 10. fiatque hæc putredo a prohibita transpiratione, & prohibita transpiratio, ab obstructione, & obstructio à multitudine, hæcque febris putredo, prohibita transpiratio, & obstructio, sint partim in fieri, partim in facto esse, nec tolli possit id quod factum est, nisi tollatur prius quod est in fieri, ideo ab eo quod est in fieri, nempe ab euacuatione multitudinis fluentium humorũ exordiendam esse curationem, nemini dubiũ est. Omitto nunc cacochymiã, ut de his omnibus videre est Galenum lib. 11. method. cap. 4. quę euacuatio debet esse cum reuulsione, ne fluant humores ab epate, in quo generantur, & a toto venarum ambitu, in quo continentur, ad focũ putredinis, & ad cor, ad quæ loca feruntur in putridis febribus. Fit autem reuulsio ad longinquas partes, & contrarias ex Gal. lib. de Hirudinib⁹ cap. 2. Pro euacuanda igitur, & reuellenda hac multitudine, & toto inaniendo, quid agendum? Vena secanda est. Quo in casu dixit Gal. 11. method. cap. 15. saluberrimum esse in febribus putridis venam incidere, non solum continentibus, sed etiam alijs omnibus, quas humor putrescens concitat: ubi præsertim nec ætas, nec vires id prohibent. Leuata namque ea, quę corpus nostrum regit, natura, exonerataque ab ea qua veluti sarcina premebatur, haut ægre quod reliquum est vincet. Itaque proprij muneris haut oblita, & coquet quod concoqui est habile, & excernet quod potest excerni. Sed quænã vena erit idonea pro hoc munere obeundo? Basilica, ut Gal 4. de rat. Vict. in acut. Cõment. 24. Sed cum duo sint primi mittendi sanguinis scopi; scilicet morbi magnitudo, & laborantis robur, ex Gal. lib. de curat. per sanguin. miss. cap. 9. altero deficiente, viribus scilicet, quæ permittunt, quid agendum? Viribus existentibus omnino languidis desistendum, ne interficiatur æger, & vituperetur medicus, & remedium. Sed nec hæ possunt esse omnino languidæ cum humorum plenitudine, vel saltem non multâ imminutione, adstante solummodo aliquali imbecillitate. Quod sæpissime euenit, ita ut morbi quidem magnitudo suadeat venæ sectionẽ, at vires non sint ita validæ, quæ illam sustinere possint tutò. Confugiendum ad id quod dicit Aet. 1. Tetrab. Serm. 3. cap. 20. de mente Gal. scilicet, venam secare sæpe in anno nõ arbitror commodum esse. Simul enim cum sanguine multus vitalis spiritus excernitur, cũ hic frequentius consumatur, & tota animalis moles perfrigeretur, & omnia naturalia opera deteriora fiant. Probo igitur ut ab ignobilioribus partibus, veluti sunt crura, sanguinis extractio fiat. Optimũ autẽ est hoc auxilij ad cõseruationẽ sanitatis, & ad eandẽ recuperandã, si fuerit prę uaricata; prodest etiam scarificatio oculis diuturna fluxione tentatis, & alijs capitis affectionibus; thoracis item, & anginis, ex Gal 4. de Tuend. Valetud. cap. 4. qui ita habet: nam si cum sanguinis copia lassitudo infestat, aut vena incidenda est, aut aliquid, quod tantundem possit, agendum: sane tantundẽ possunt hæc, si quibus hæmorrhoides sunt retentæ, has aperueris, si mulieri menstrua cõsuetudo cessarit, hanc si prouoces: Si quibus horum nihil est, scalpello malleolos incidas. Oribas. 7.

Collect. cap. 20. sic scripsit: & sane dum vehemens illa pestilentia Asiam deprehendisset, multosq; perdidisset, neque etiam attigisset morbus, secunda morbi die remissione febris facta crus scarificauit, sanguinisque ferè libras duas detraxit: atque ita periculum vitauit: plerique etiam hoc præsidio vsi, superstites euasere. Anic. 4. prim. cap. 22. sic scripsit: Ventosæ scarificatæ cruribus applicitæ appropinquant minutioni. Multæ aliæ adessent authoritates, & loca, quæ id comprobarent, sed illas omitto breuitatis caussa. Satis igitur patet pro uniuersali illa euacuatione, & reuulsione molienda, de qua Gal. 11. Method. 10. dixit, Medicos de dorsi scarificatione ne verbum quidem facere. Redeo ad rem, cum tutum non sit secare venam; vel crurum scarificationem, vel si opus est hæmorrhoidum apertionem, vel menstruorũ prouocationem extollere, etsi dicat Gal. si quibus hæmorrhoides sunt retentæ, has aperueris; quasi velit innuere, quod si nõ sint retentæ, nõ sint aperiendæ; attamen, experientia comprobatum est, etiamsi nõ fluxerint prius hæmorrhoides loco sectionis venæ pro toto euacuando vtiliter posse vsurpari, & maxime, si cum hirudinibus aperiantur: immò hoc remedium nunc est in maximo vsu, & ęgrotantes illud libentius admittunt, quam malleolorũ scarificationem. Quod si cum hisce velit Medicus multum sanguinis extrahere, illis incisis adhibito fomẽto ex aqua calida, vori compos fiet. Patet igitur, an illarum vsus supra dorsum in qualibet febre putrida simpliciter pro toto inaniendo, rationalis sit, annon; & vsus ne, an abusus debeat nuncupari. Sed de his hactenus. Nam ut dixi in principio, non alios reprehendere, sed hominum vtilitati consulere in animo est.

Dubium est modo, an cucurbitulæ in febrepestilenti pro remedio locali dicto sint affigendæ? Pro parte affirmatiua multæ sunt rationes.

Prima, quæ est consuetudo. Iam enim inualuit vsus applicationis illarum in illis febribus.

Secunda est cõmune medicorum præceptum, omnes enim in febre pestilenti iubent ut attrahatur materia ad cutim.

Tertiá est ad materiam corruptã in corde detentã euacuandã, quę quãprimũ debet amoueri.

Quarta est, quia debet Medicus imitari naturam recte operantem, ex Gal. 10. Aphoris. 10. Natura autem quando recte operatur materiam propellit ad cutim in illis febribus, vnde apparent illa exanthemata, & sic sequitur ægris salus.

Pro hujus tamen dubij explicatione primo notandum est dixisse Gal. 1. de diff. feb. cap. 6. putredinem fieri in venis, eo modo, quo & in inflammationibus. Ex quo arguo ipse, quod & eodẽ modo debet curari. Et si non omnes febres fiant ab inflammatione; saltem in omnibus febribus in corde adest quasi inflammatio, cum febris non sit, nisi humores cordis ponantur in calefacto esse, ut concludunt omnes medici.

Secundo notandum quod Gal. 3. de Simpl. medicam. facult. c. 6. loquens de remedijs localibus externæ parti inflãmatæ applicandis sic dixit: Nam inter initia repellere, comprimere q; influxus oportet, in statu autẽ, ita per halitũ digerere, ut morsus absit; in incremẽtis vero partim repellere, & partim digerere. Medici igitur erit hoc seruare, & in curãda inflammatione, quæ fit in partibus interioribus. At dicet aliquis: quomodo potero ipse in principio repellere tantum, in augmento repellere, & digerere, in statu vero tantum digerere, idque citra morsum in curanda febre pestilenti? In principio regioni cordis ipsius vnguenta frigida, eaque cordialia applicare debemus. Illa enim vim habent illud roborandi, & quodammodo materiam fluentem repellẽdi: sique videtur Medico, quod illa repulsio, quæ fit cum vnguentis satis nõ sit pro morbo profligando, stet adhuc cũ reuellentibus extremis partibus adhibitis, ut venæ sectione, crurũ scarificatione, hęmorrhoidũ apertione, cum vesicatorijs, cĩ. frictionibus. Hæc enim vim habebunt tollendi materiam fluẽtem. Sed hæc non sunt localia, verum vniuersalia remedia. Tantum autem abest, ut usus cucurbitularum supra dorsum valeat ad repellendum à corde, in quo est focus putredinis, ut potius nulla per eas fiat repulsio, sed solummodo maior ad illud fiat attractio, quod est è directo contra Gal. 2. in. 6. Epid. Comm. 30: Illud nouisse satis sit, succos ad cutim vergentes per eam esse euacuandos. nam iterum per intima corporis reuulsio ipsis valde longinqua est, ut per aluum, & vomitum euacuentur. Sed forsan me dicere putatis, nunquam purgatione per aluum in talibus vtendum esse. Ego vero non id dico. Nam in lib. de Art. cur. in quibus corporibus per multa humorũ copia est, ijs vtiles esse purgationes didicistis. Priusquam enim ita redundantẽ materiam, aut venæ sectione, aut purgatione quis eduxerit, si fouẽs, hoc est calidis utens, ipsã discutere conetur, plus attrahet, quã per cutim euacuabit. Nonne dixit & Valesius 3. in 3. Epid. Cõment. 37: Sed neque in febri-

bus

bus peſtilẽtibus,niſi raro,ſpontaneæ alui fluxiones vtiles ſunt. Accommodatiores enim ſunt euacuationes, quæ ex alto corpore in cutim euocant, & tales etiam ſunt arte procurandæ,ut euocatio ad cutim,quę fit per fricti̇ones,cucurbitulæ ſcarificatæ adhibitę,& prouocatus ſudor. Nõ nego tamen ob hæc antecedere debere ſanguinis miſſionem,& ſi res exigat purgationẽ turgentiũ. Quare ergo prę miſſo minorãte pharmaco primos ductus euacuante,& ſanguinis miſſione uniuerſali in principio,non licebit ad materiam corruptam in corde detentam euacuandam, quæ quamprimum debet amoueri, dorſo cucurbitulas affigere. Multum quidẽ poſſunt hæc loca, ſed credo quod, quia male intelligantur, peſſime etiam obſeruetur præceptum,& per conſequens multis ægrotis ſint internecionis cauſa. Duab° igitur reſponſionibus allatis authoritatibus ſatisfacio. Et prima eſt,quod nõ quælibet euacuatio ſufficit ad totum euacuandũ,ne ab eo fluat materia ad focũ putredinis,ſed neceſsaria eſt exquiſita, quæ fit vel vſque ad animi deliquium, vel paulo minus. vnde non ſufficit dicere: ego ſecui venam, vel aperui hæmorrhoides, vel ſcarificaui malleolos: ſed oportet cognoſcere,an propter illã euacuationem, ſteterit fluxio, annon. Nam ſi nõ ſtetit fluxio. Euacuatio adhuc eſt repetenda, & per conſequens adhuc reuellendum ab ipſo foco. Quod ſi potius tunc ipſum focum euacuare tentaremus, res peſſime cederet. Plus enim erit quod attrahetur, quam quod euacuabitur.

Secunda reſponſio hæc eſt. Suppono factam eſse exquiſitam euacuationem, ita quod ratione inanitionis,etſi ſum in principio,nulla fluat materia ad focum ipſum. Attamẽ ſtante principio,ideo nec licebit cucurbitulas dorſo ad materiam intro latentem euocandam affigere. Nam dixit Hip. 1. aphor. 22. concocta mouere, & medicari, non cruda neque in principio &c. Quomodo igitur ſtante cruditate, quæ viget in principio,ex Gal. lib. de Tot. Morb. Temp. cap. 3. etiamſi dorſo cucurbitulas affixerimus, materiam ipſam educere poterimus. Illam certe exagitare, at non vero euacuare valebimus,imò potius partes vicinas,ſanaſque eliquabimus,ut optime annotauit Hipp. 4. de rat. Vict. in acutis Text. 22. cum dixit: Quicunque autẽ quæ inflãmantur ſtatim inter morborũ initia medicamento ſoluere conantur, hi non ſolum ab inflammata parte nihil adimunt, cum non cedat q̃uæ adhuc cruda eſt affectio: ſed etiã ea quæ ſana ſunt abſumunt,& colliquãt. vbi autẽ corpus imbecille fit, prævalet morbus, & remediũ non habet. Ex quo allatæ Gal. & Valeſ. auctoritates intelligendæ ſunt cum grano ſalis: ſcilicet ſi totum fuerit probe mundum, & principium præterierit,tunc reſoluentibus erit locus. Quod autẽ hæ auctoritates ita intelligantur,probo ex Act. Tetrab. 1. Serm. 30. c. 20. vbi de cucurbitulis tanquã de remedio locali ſic ait: Neque in corporibus repletis,nec in principijs morborũ cucurbitulis utemur,ſed quãdo euacuatũ fuerit totũ corpus,& non amplius influxerit parti, cui ſunt adhibendæ,& opus fuerit mouere,diſcutere, & attrahere relictam in parte inutilem fluxionem. Ecce ergo, an qualiſcunque euacuatio ſufficiat, an opus ſit pro illarũ recto vſu,quod exceſſerit principium. ubi probatum eſt,quod in principio non exquiſite euacuato toto corpore in febre peſtilenti, cucurbitulæ dorſo non debent adhiberi, & hoc contra aliquot recentiores,quibus nunc aliqua in parte morem gerere placet.

In augmento igitur, & ſtatu illas omnino nõ damno,ſed dorſo tantum affigendas eſse nõ conſentio. Nam cum in augmento partim repellendi, partim reſoluendi ſint indicationes, ut probatũ fuit,cum cucurbitulæ habeant vim reſoluẽdi tantum,in parte affecta tantũ illarũ nõ erit vſus rationalis, nec ſalubris. Quid igitur erit tunc agendum? Si Medico libeat illas dorſo applicare,ſimul & natibus,& coxis,& curibus applicet. Tunc enim cum repellendum quidem ſit non ratione fluentis materiæ, quæ iam fluxa eſt, ſed ſolũmodo præ timore,ne adhuc fluat: qui illas eodẽ tempore quo & dorſo,partibus quoq; inferioribus applicauerit, metu fluxionis ſoluetur. ſic enim à partibus illis ad partes ſupernas non concitabitur fluxio. In ſtatu pariter cenſeo illas eſse applicandas eodem modo,quo & in augmento. Sed in ſtatu præſtat quieſcere. Nam etſi tunc reſoluendi tantum adſit indicatio,id tamẽ citra morſum id eſt,leuiter eſt agendum. Et hoc ne de nouo irritetur fluxio, ſed cum cucurbitulæ valentius attrahant,experientia eorum quibus affiguntur,tutum non eſt illas ſoli dorſo affigere, ſed præſtat & partibus infernis id facere: quod & in augmento fit. Nec valet obiectio. Sunt cucurbitulæ remediũ imbecillum ex Celſo lib. 2. Cap. 11. Sunt enim remedium mittẽdo ſanguine reſpectu ſectionis venæ, cum alioquin fortiter attrahant materiam in alto recõditam. Sed etſi recentiorum opinionem de illarum uſu in illis partibus in huſce duobus temporibus nõ improbauerim,mihi tamẽ probatur magis uſus antiquorũ,& inter alios Act. qui Tetrab. 2. Serm 101. cap. 129. proponit unctionem ex oleo,nitro,& aqua,qua inungi iubet totum corpus,

quia

quia fit reuulsio à toto,& euacuatio à parte affecta,citra morsum & ægrotantis detrimẽtum,cum alioquin ex vsu cucurbitularum eo tempore supra dorsum multos ægros iugulatos viderim. Rasis pariter antiquus medicus Syrus Tract. de Peste probat, ut aqua calida tunc totum corpus foueatur. Sic q; in idem tendit, in quod & Aetius.

Vbi explicatũ est quando illis uti liceat dorso applicitis,& quando non:nunc propono damna, quæ ex illarum abusu contingunt. Aet. 1. Tetrab. Serm. 3. Cap. 20. Sic dixit: Illud porro sciendum,quod non solum localis venæ sectio detrimẽto est, antequam vniuersum corpus vacuatur,per affectas partes sanguinem detrahens,sed etiam cucurbita; & venæ quidem sectio minus quidẽ periculosa. Pro ratione enim attractionis materiæ etiã sanguinis excretionẽ facit. Cucurbita vero tũ impetu applicationis materiam violenter attrahens, tum multum loci occupans, nec vasis tamen sensibilem scissuram faciens, attrahit quidem notabilem materiam,non euacuat vero pro ratione attractæ. Et præcordijs quidem intempestiuè applicita, præsertim in continentibus febribus,& semitertianis,& maximè si mens ægri fuerit turbata,& sensus sit obtusus,strãgulatus & mortẽ eadẽ die inducit. Augen. 2. T. Epist. ad Hierony. Vitellesc. de scarificatione sic dixit: Illa certe quæ fit ad malleolos in febribus pestiferis lõge tutior est: quæ vero fit in dorso,lõge periculosior: tuta quidẽ est,quia dũ illas partes scarificamus, utique ob dolorẽ,& ob sitũ deorsum fit attractio sanguinis sursum fluentis, nec adest periculũ in transitu aliquod. at sanè periculum est in dorso scarificatione facta,ne maior fiat humorũ attractio, quam vacuatio, sanguisq; postea venenatus hærens in via grauiorẽ affectũ faciat. Adeo perspicuũ est, ut mirari liceat illos, qui in delirio febriũ pestil. ntiũ ob vapores biliosos à corde, in quo viget putredo,cerebrum petẽtes, dorso cucurbitulas affigunt,ducti hac ratione, ut cerebrũ exonerent, cum præter citatũ Aet. Textum, qui illos damnat dixerit & Gal 2.de loc.aff.c.9. Nã per solũ cõsensũ læso cerebro,si ea pars,quæ primitus affectu laborat,fuerit curata priusquã cerebro propria aliqua eueniat dispositio, nullum in ipso [illegible]oquitur accidẽs. Vt quid igitur tunc tẽporis,in quo maxima viget putredo in corde,& præcordijs, Cucurbitulas dorso affigere,& ęgrũ forsitã cõualiturũ iugulare. Tũc quidẽ reuellendũ est ab ipso corde omnib' quib' fieri potest auxilijs. nã corde exonerato statim liberabitur & cerebrũ.

Primis igitur tribus supra latis rationibus respondeo,hanc consuetudinem non esse bonam,imo si simpliciter intelligatur, esse præter rationem,& insalubrem, ideoq; è medio tollendam, nec à Medico nisi supradictis conditionibus & temporibus esse seruandam.

Ad quartã vero respõdeo:quod aliud est reuera imitari naturã recte operãtem,aliud hoc sibi falsẽ persuadere. Credit quidẽ,qui illas in febre pestilẽti in principio affigit dorso,se recte operari,at re ipsa pessime agit. Nam imitari naturã recte operãtem est facere eo modo,quo ipsa facit quando recte operatur. At natura in princ.pio nunquam quicquam recte,& salubriter excernit. ergo nec medicus id poterit. Et quod hoc verum sit, dixit Gal. 4. Aphoris. Comment. 22: Quando aliquis incipit morbus, tunc si quid excernitur,nihil naturæ ratione fit, sed sunt omnia casus earum, quæ sunt in corpore dispositionum. quo enim tempore à causis morbum faciẽtibus natura grauatur, adest autem humorum cruditas, tunc aliquid recte euacuari est impossibile: siquidem necesse est præire coctionem,subsequi discretionem,& postea euacuationem,ad hoc ut fiat bona crisis. Ecce igitur an tentare in principio mouere materiam infarctam in foco putredinis,sit imitari naturã recte operãtem,quin potius, cum tunc temporis quilibet motus sit symptomaticus, illique infestus, tenetur Medicus, ut naturæ opem ferat, cuique motui obuiam ire.

Verum obijciet aliquis: febris est pestilens cum multa materia crassa infarcta in foco putredinis. Tum æger sumsit pharmacum, iam facta fuit sanguinis missio habito virũ respectu, adhuc tamen urinæ sunt subiugales. Video ægrum in periculo versari, quo in casu melius est ex Celso anceps experiri auxilium,quam nullum. Numquid ergo licebit temeraria via incedere pro illius salute, & dorso cucurbitulas affigere.

Cui respondeo cum Hip. 2. Aphorism. 52. Omnia secundum rationem facienti si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad alia, stante eo quod à principio est. Et ratio est, quia si non iuuant ea, quæ cum ratione fiunt, minus iuuabunt ea, quæ præter rationem: & temerario uti auxilio,in quo tamen aliquid sit spei, non est omnino præter rationem: at omnino præter rationem est, tunc in hoc auxilio spem habere, cum, ut probatum fuit, nullam possit afferre utilitatem,imo potius ægrum forte sanandum in mortis periculum conijcere. Hæc sunt,quæ placuit ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, & utilitatem hominum afferre.

LAVS DEO.

Ferramentorum, quæ vario, prout casus tulit, ordine delineata, hæc series erit:

Litera Tabulam notat: Numerus Operis paginam.

1 Ὀπλομέχλιον, *quod membris distortis accommodatum. Ad Pentateuchi Lib. 5. Cap. 3. A.*
2 *Cauterium occultum. Operat. Chirurg. p. 122. B.*
3 *Cauteria roborandis & inurendis partibus. p. 134. E.*
4 *Cannula undique tecta. Ibid.*
5 *Cannula fenestrata. Ibid.*
6 *Ferramenta pro fonticulo in sutura coronali. p. 7. B.*
7 *Triploides eleuandis Cranii ossibus. p. 8. C.*
8 *Triploidis trochlea. Ibid.*
9 *Ferramenta rasoria. p. 10.*
10 *Scalpra acie recta*
11 *Scalpra acie curuata* } *Capitulo obuoluto. Ibid.*
12 *Malleus plumbeus*
13 *Serræ diuersæ. p. 11. D.*
14 *Trypanum mas*
femina. p. 9.
15 *Manubrium. Ibid.*
16 *Cucurbita ocularis. p. 22. B.*
17 *Annulus oculum apertum firmans. p. 27. D.*
18 *Scalpra ad fistulam lacrimalem. p. 28. D.*
19 *Ferramentum oliuare ad lacrimalem fistulam. p. 29. D.*
20 *Cingulum remedijs fistulæ lacrimalis dicatum. p. 28. B.*
21 *Polypo eximendo forceps. p. 182. B.*
22 *Speculum oris, siue linguæ Spatha. p. 34. F.*
23 *Ferramentum ad roborandam uvam. p. 27. D.*
24 *Ferramentum ad Gargareonem. p. 37. F.*
25 *Fistula cibandis ægris. p. 32. B.*
26 *Forceps Setacei. p. 15. F.*
27 *Acus Setacei ignita.*
sine igne. Ibid.
28 *Scolopomacherion aperiendo thoraci. p. 58. D.*
29 *Cannula cum acu ad fistulas sub costam repentes perforandas. p. 56 D.*
30 *Speculum ani. p. 103. E.*
31 *Syringotomi falcati ad ani fistulam. p. 104. D.*
32 *Catheter. p. 75. G.*
33 *Syringa. p. 79. G.*
34 *Scalpellum. Ibid.*
35 *Forceps Calculo extrahendo. Ibid.*
36 *Speculum uteri. p. 99. H.*
37 *Uncus. Ibid. Angeli Carleschi inuentum.*

Consulit iſte viris, dum conſulit exta virorum:
Conſilijs par eſt dexteritate manus.

Gio Georgi fec.


ΟΠΛΟΜΟΧΛΙΟΝ
Parte antica
Apud Franciscum Bolzettam Patauii. An. CIↃ IↃCXLVIII.
Superiorum permissu & priuileg
Angelus Carlescus Pordenonens inuentor Patauii.
Io. Georg. delin. et Stalpsit.


ΟΠΛΟΜΟΧΛΙΟΝ
Parte postica
Angelus Carlesius Pordenonensis inuent. Patauii.
Jo. Georg. delin. et Sculp.

Culter falcatus ad sinus aperiendos. P. 141.



Scalpra acie recta, et capitulo obvoluto.

Gio. Georgi fe


Speculum oris cui trochlea in fine manubrior apposita est ut facilius chirurgi linguam deprimere possit
Forceps pro setaceo in puerulis et cute delicatiorib; inurendo.
acus qua ignita setaceum paratur
Acus pro setaceo sine igne
Cañula cum suo ferramento
ferramentum quod in cannulam introducitur ignitum ad gargareonem aliasq; partes inurendas seu corroborandas
Manubriū foramine trochleari preditū pro ferramentis
Angelus Carlescus Pordenonensis Inventor

Ferramenta pro fonticulo in Sutura coronali. Pag. 7.



Polypo eximendo forpex.

Pag. 182.

Pyxis ferramentum occultans pro inurendo fonticulo P. 122.

Cucurbita ocularis.



ferramentū occultatum.

Pag. 22.

Cingulū pro re= medijs in lacrimali fistula.

Fistula pro cibo in palatum infundendo;

Pag. 32.

Geo. Georgi. f.

Serræ diuersæ. Pag. 11

manubrium. P. 9.

mas.

fœmina.

Ferramentum oliuare ad lacrimalem fistulam. P. 29.

Trypana. P. 9.

Scalpra pro lacrimali fistulæ. P. 28.

Annulus oculū apertū firmans. P. 27.

Syringotomi falcati ad ani fistulam. P. 104.

Cannula cum acu ad fistulas sub costam repentes perforandas.

Ferramentum ad uuam roborandam

Gio. Georgi fecit


forceps pro setaceo in adultis et quib, cutis est
Cannula undique tecta ad partes corroborandas
Cannula fenestrata uersatilis ut in Oēs partes uerti possit
Eadem minori foramine prędita
Cannula diuisa ut patet
Compositio
Speculum ani
Cauteria, seu ferramenta uaria tū pro corroboratione tum pro inustione


Forceps calculo extrahendo. P. 79.
Catheter. P. 75.
Idem apertus.
Idem calculum comprehendens.
Syringa.
Scalpellum. P. 79.
gelus Carlescus Pordenonensis Inventor. Patauij.
Gio. Georgi fecit.

Speculum uteri. Pag. 99.



HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE

EQVITIS, ET SVPRAORDINARII PROF.

DE CHIRVRGICIS OPERATIONIBVS

PRÆFATIO.

CHIRVRGICAS aggredimur operationes, quas χειρουργίας Græci dicunt, vulgus manuales, seu mauis manuarias operationes; quæ ita dicuntur, quòd a manibus fiant, & manuum opera absoluantur. Ideoque externæ sunt, & in externis fiunt corporum partibus, vel internis quoquo modo, ad quas Chirurgi manus peruenire potest. Quarum omnium intentio, ac finis est, affectarum partium curatio, & sanitas: quæ quidem non aliunde, quàm a Chirurgia proximè, ac maximè prouenit, ac pendet. Quo circa si quis Chirurgus medicamentum vlceri, aut tumori, seu vulneri manum adhibeat, id non erit Chirurgia curare, quia sanitas à medicamento, vt puta suppurante, proximè dimanat. At si quis abscessum ferro incidat, aut luxatum os reponat, nulli dubium est, sanitatem aut à manu Medici, aut ab incisione, quæ manu fit, & Chirurgia dicitur, quasi τῆς χειρὸς τὸ ἔργον, manus operatio, prouenire. Nam sicuti filum, & futura in vulnere est materia remedij adducentis labra ad mutuum contactum, & glutinantis; sic medicamentum ophthalmiæ est materia remedij digerentis eam, & curantis: Pariter quum abscessum ferro incidimus, manus primò operatur, tum sequitur incisio, & curatio per ferrum, quod proximè sanat. Nos de omnibus agemus, potissimum autem de ijs, quæ tum à sola Chirurgi manu dependent, tum etiam à manu, & Chirurgicis instrumentis. Igitur in his Operationibus quatuor potissimum addiscentur: nempe vitium, pars affecta, modus administrandi Chirurgiam, atque Instrumenta, quibus ea administratur. Quædam autem prænoscere oportet, antequam hæc omnia prosequamur.

Quid nominis Chirurgica operationis.

Vnde Chirurgica operatio nominetur, & in quib. partibus fiat.

Chirurgicæ operationis finis.

Auctoris intentio.

Operis vtilitas.

Quæ prænoscenda sint.

QVOD enim ad vitium attinet, seu affectum præter naturam, ipsius signa, causas, & prognosticum interdum afferemus, interdum vero hæc eadem tamquam nota præteribimus. At quod huic loco maximè competit, illud est, vt pateat, aliquando omnium malorum externorum ad Chirurgiam pertinentium picturas atque instrumentorum chirurgicorum delineationes edendas esse; nunc autem affectum præter naturam animo concipere oportet, ita enim fiet, vt omnes ferè Chirurgicæ operationes in corpore humano, velut in

Quid de affectu præter naturam dicetur.

Quid de affecta parte discetur. subiecto expleri possint. Ad partem verò affectam quod attinet, percipietis ex hoc tractatu singulares, & propios cuiusque partis affectus. Distinguetis praeterea, qui communes omnium sint, venireq. in quamlibet corporis partem possint, quiq. certas habeant sedes. Videbitis etiam Chirurgias expleri tum in partibus similaribus, tum dissimilaribus, vt exempli gratia, in capite, in quo aliae Chirurgiae in carne, veluti parte similari, aliae etiam in musculo, veluti dissimilari, adhiberi solent.

Quid circa ministrandi modum ad discetur. DE modo autem administrandi huiusmodi operationes Chirurgicas, cum agemus, duo addiscetis: videlicet in nonnullis operibus modos ab antiquis varios, varioſq. à recentioribus. quosdam etiam à me excogitatos, vel immutatos. Diuersas verò ab illo aeuo Chirurgias apud nos esse in vsu, cuilibet nostrum hunc tractatum versanti facilè apparebit. Praeterea antiquorum Chirurgias alias obsoletas haberi, alias ad vsum reuocari. Sed enim Chirurgicarum administrationum quaedam exiguae, faciles, ac mites sunt; quaedam arduae, ac periculosae: quaedam verò vehementissimae, atq. atroces. Rursus aliquae ad vitam simpliciter sunt necessariae: aliquae ad incolumitatem, vitaeq. commodam rationem conferunt. Mites & exiguae quaecunq, habentur, passim vsu veniunt, & à nobis exercentur: maiores, ac duriores quedam recipiuntur, quaedam verò reijciuntur. Reijciuntur enim, quaecunq. sunt factu difficiles; qualis est incisio, siue vstio venarum temporum & occipitij, venaeq. sub poplite: Item medicamentorum antiquorum intra oculum impositio, & aliae huiusmodi. Reijciuntur etiam maiores operationes, quae periculosae sunt, vt capitis cutem incidere ab vna ad alteram aurem in palpebrae affectione; ob vulneris enim magnitudinem periculum minatur, dicente Celso, vulnus periculum facit, quodcunque magnum est. Vehementissimae, atque crudeles nunquam admittuntur, nisi vitae magnum discrimen agatur, tunc enim satius est, vt inquit Celsus, anceps praesidium experiri, quam nullum. Ideoque quemadmodum glandem denudatam contegere, circumcidendo praeputium ipsum, atq. attollendo, operae pretium non est, cum vitae non inseruiat, ita e contra anum non perforatum perforandi ratio, quia statim vitam respicit, communi Medicorum omniũ assensu recipitur. Demum quod in hoc tractatu proponetur, erunt instrumenta Chirurgica, quibus Chirurgicae operationes absoluuntur. Qua in re primum addiscentur instrumentorum nomina, & species: immensus penè eorum numerus, & apparatus, tum ab antiquis, ac recentioribus, tum à me nuper excogitatorum. Quippe qui in hac Medicinae parte quinquaginta iam annos me exercens, mirum videri non debet, si omnium instrumentorum, quae Chirurgo necessaria sunt, pulcherrimam officinam mihi paraui. Hanc vobis, studioſi iuuenes, aperire est animus. Praesertim verò singulis operationibus singula & propria instrumenta descripta subijciemus, quorum numerum nolite admirari, quoniam vestri gratia bona pariter, & mala proferentur instrumenta, item meliora, & peiora. Antiquitus enim incommoda, minusque apta instrumenta vsurpabantur; aptiora, expeditioraque excogitauere posteri. Archetypum quale est instrumentum illud polypo exterendo idoneum, nuper inuentum. Quinimò quibusdam in regionib. & à quibusdam imperitis rudiora prae manibus habentur, & vsurpantur: ab alijs verò potiora, praeclarioraq. eliguntur, velut hic Patauij. Decebat enim in celeberrimo omnium scientiarum & litterarum emporio, vbi medica ars & ipsa inter caeteras efflorescit, celeberrima quoque instrumenta ad illam honorificè exercendam proponi. Quae omnia ita a nobis nunc breuiter describentur, sed delineata propediem (si vita superstes) exhibebuntur, vt bona instrumenta ad vsum comparentur, mala si quae sunt, reijciantur, & ab illis abstineatis.

Quid circa instrumenta chirurgica percipietur.

Chirurgicae operationes singularum partium. Haec breuiter de omnibus praefatus, protinus ad earum operationum recensum, quae in toto hoc Opere exponentur, transibo, atq. a capite exorsus ad imos vsque pedes per singula membra descendam.

Capitis. IN Capite itaque duodecim operationes Chirurgicae exerceri solent. 1. Quomodo fonticulus in futura coronali paretur. 2. Quomodo ossa depressa attollantur. 3. Cranium terebra perforetur. 4. Scalpro deradatur. 5. Foraminis facti ora instrumento lenticulari laeuigentur. 6. Ossa capitis carioſa curentur. 7. Os inter duo foramina forcipe excindatur.

8. Dura

8. Dura meninx inſtrumento decuſſorio deprimatur. 9. Os ſerrula ſecetur. 10. Oſſis fruſtula eximantur. 11. In ſincipite ſectiones ad oculorum defluxum fiant. 12. qua ratione Hydrocephalos incidatur (quæ vltima operatio in fine operis habetur.)

IN Occipite tres. 1. Quomodo venæ poſt aures incidantur. 2. Seto in occipio paretur. 3. Infantes, & pueruli in eodem adurantur. *Occipitis.*

IN Fronte duæ. 1. Quomodo frontis inciſio efficiatur. 2. Vaſa frontis & temporum, id eſt, venæ & arteriæ ſecentur, & adurantur. *Frontis.*

IN Palpebris nouem. 1. Quomodo curare conueniat Ancyloblepharon. 2. Verrucas palpebrarum. 3. Veſicas pingues. 4 Hordeolum. 5. Chalazion. 6. Palpebratum pilos oculos irritantes. 7. Palpebras laxatas, 8. Lagophthalmon. 9. Ectropion. *Palpebrarū*

IN Oculis octo. 1. Quomodo ſuffuſio, vulgo cataracta dicta, curetur. 2. Modus facile à me inuentus medicamina oculis imponendi. 3. Qua ratione curetur Staphyloma. 4. Vnguis oculi. 5. Encanthis. 6. Oculi hypopyi. 7. Fiſtula lacrymalis. 8. Quomodo oculus arte factus in eruti locum ſubſtituatur. (hanc operationem quere in calce operis.) *Oculorum.*

IN Naſo tres, 1. Quomodo polypus extrahatur. 2. Ozæna curetur. 3. De ſuffumigio Anglico ex Tabaco. (quas omnes in fine operis inuenies.) *Naſi.*

IN Labijs quattuor. 1 Qua ratione profundæ fiſſuræ iuuentur. 2. Curta labia reficiantur. 3. Altius inciſa mutuò applicentur adglutinenturque. 4. Quomodo labij carcinoma tollatur. *Labiorum.*

IN Gingiuis duæ. 1. Quomodo gingiuæ laxatæ, intumeſcentes, putridæq. conſumantur. 2. Eroſæ nutriantur. *Gingiuarū.*

IN Dentibus ſeptem. 1. Quomodo dentes conſtricti quacumq. de cauſa aperiantur. 2. Oſtracodermata dentium tollantur. 3. Carioſi curentur. 4. Eruti auro impoſito præſeruentur. 5. Incommodi, & aliena ſede geniti tollantur. 6. Irritantes buccas, & linguam pungentes læuigentur & retundantur. 7. Inutiles eximantur. *Dentium.*

IN Palato duæ. 1. Quomodo foramen ex vlcere contractum obſtruatur, reficiæturq. 2. Os detectum carioſum aduratur. *Palati.*

IN Lingua quattuor. 1. Quomodo lingua deprimatur, vt oris vitia inſpici poſſint. 2. A craſſo excremento eodem adhærente detergatur. 3. Subiectum linguæ vinculum præcidatur. 4. Batrachion ſeu ranula incidatur. *Lingua.*

IN Vua vna. Quomodo vuæ prolixitas corruptioq. tollatur. *Vua.*

IN Tonſillis vna. Quomodo tonſillæ ſuppuratæ incidendæ ſint. *Tonſillarū.*

IN Faucibus ſeu gutture vna. Quomodo ſpina, aut officulum, aut quid ſimile in faucibus hærens eximatur. *Faucium.*

IN partibus oris duæ. 1. Quomodo cibandi ſint febricitantes, quibus oris partes exſiccatæ ſunt. 2. Qua ratione cibandi ſint ægri, qui caput nequeunt attollere. *Oris.*

IN Mēto vna. Qūo maxillæ portio, abſceſſu oborto, vel dēte eruto putreſcēs extrahatur. *Menti.*

IN Auribus quattuor. 1. Quomodo auris curta reficiatur. 2. Obſtructa aut à caruncula aut à membrana aperiatur. 3. Externæ res intus illapſæ eximantur. 4. Eadem geſtandæ rei cuiuſdam gratiæ ex Celſo perforetur. *Aurium.*

IN Collo quattuor. 1. Quomodo Bronchocele curetur. 2. Strumæ. 3. Ceruix ex catarrho diſtorta reponatur. 4. Aſpera arteria in angina perforetur. *Colli.*

IN Thorace tres. 1. Quomodo thorax in empyemate perforetur. 2. Fiſtula thoracis curetur. 3. Gibboſitas corrigatur. (quam vide in fine operis.) *Thoracis.*

IN Mammis quattuor. 1. Quomodo papillæ intus occultatæ extrahātur. 2. Lac concretū euocetur. 3. Cancer mammarum excindatur. 4. Mammæ in viris protuberantes caſtigētur. *Mammarū*

IN Abdomine nouem. 1. Quomodo ventriculi intemperies frigida per aduſtionem curetur. 2. Iecoris vomica aduſtione aperiatur. 3. Lienis aduſtio fiat in ſcirrho. 4. Prominentia vmbilici corrigatur. 5. Ruptum peritonæum cute integra, ope Chirurgiæ iuuetur. 6. Aqua hydropicis emittatur. 8. Abdominis vulnera tractanda & conſuenda ſint. 8. Varices ventris curentur. 9. Abſceſſus & fiſtulæ imi ventris ſanentur. *Abdominis*

Vesica. IN Vesica duæ. Quomodo vrina suppressa per syringam euocetur. 2. Calculus ex vesica extrahatur.

Colis. IN Cole decem. 1. Quomodo glans nuda tegatur. 2. Contecta denudetur. 3. Modus infibulandi adolescentes. 4. modus circumcisionis præputij. 5. qua ratione calculus canali vrinario insidens foras educatur. 6. Vrinæ ardor ex gonorrhæa deuitetur. 7. Caruncula, vel vlcus in canali vrinario curentur. 8. Præputium glandi adnatum separetur. 9. Glans non perforata aperiatur. 10. Excrescentię in glande, porifichi dictæ, curentur.

Inguinum. IN inguinibus vna. Quomodo bubones secentur absq. vasorum periculo.

Testium. IN testibus sex. 1. Quomodo herniæ intestinales curentur cum extractione, vel sine extractione testium. 2. Epiplocele curetur. 3. Hernia aquosa. 4. Sarcocele. 5. Hernia carnosa eademq. aquosa. 6. Ramex.

Naturaliũ feminarũ. IN feminarum naturalibus octo. 1. Hermaphroditorum chirurgia. 2. quomodo mulieres ob vitia partium genitalium, concubitum non admittentes iuuentur. 3. Hymen imperforatum perforetur. 4. Vuluæ labia coalita disiungantur, 5. Excrescentiæ aut abscessus in sinu vuluæ curentur. 6. Vteri prolapsus reducatur. 7. Fetus emortuus ex vtero extrahatur, 8. Secundæ relictæ extrahantur.

Ani. IN ano septem. 1. Quomodo non perforatus anus perforetur. 2. Ani procidentia curetur. 3. Condylomata. 4. Caro adnata, vulgo creste. 5. Ani vlcus. 6. Ani fistulæ. 7. De hæmorrhoidibus.

Supersunt artuum chirurgiæ, quarum quædam sunt propriæ, & peculiares ipsis, quatenus crura & brachia sunt, nempè instrumenta totum corpus integrantia; quædam cum toto corpore communes, vt ex partibus similaribus & dissimilaribus composita sunt; quibus scilicet partibus totum corpus constat.

Articulorũ propriæ. Propriæ autem brachiorum & crurum chirurgiæ sunt duodecim. 1. Quomodo fonticuli in ijs parentur. 2. Quomodo gangræna aut sphacelo emortua amputentur. 3. Digiti cohærentes per chirurgiam à se inuicem separentur. 4. Digitus curuus ex vlcere aut cicatrice relictus distendatur. 5. Articuli rigidi relicti emendentur. 6. Vari curentur. 7. Valgi corrigantur. 8. Vnguium cura habenda. 9. Pterygion seu panaritium vnguium curetur. 10. Vnguis pollicis pedis interius intrusus eximatur. 11. Varices in cruribus extrahantur. 12. Articuli inurantur.

Communes. At quatenus artus constant carne & ossibus, partibus nimirum cum toto corpore communibus, varias quoq. requirunt chirurgias, prout hæ partes variè afficiuntur. Nam ratione carnis triplicis generis exurgunt chirurgiæ, quatenus videlicet caro triplici genere morborum affligitur, tumore, vulnere, & vlcere. In tumore fiunt incisiones, & abscessuum purgationes, & nonnumquam folliculi, in quo materia abscessus continetur, extractio. Vulnerum chirurgiæ sunt deligatura, sutura, fibulæ, & glutinum; Item quomodo tela, sagittæ, & globuli plumbei è corpore extrahantur, & vulnera scolpetorum curentur. Ratione vlcerum fiunt vstiones ex ferramentis candentibus, præsertim in malignis, putridis, gangrænaq. affectis vlceribus, & fistulis.

Ratione morborum in carni.

Ratione morborũ in osse. Ratione ossium variæ quoq. resultant operationes chirurgicæ: Etenim ossa maximè afficiuntur continui solutione, quæ si procedat ex causa interna, fit caries; si ab externa, fractura, modo cum vulnere, modo sine vulnere: ratione articulationis ossa patiuntur luxationes: Prima fiet in fracturis primò sine vulnere, deinde cum vulnere, quæ administratur per deligaturas, fascias, ferulas, & capsulas. Secunda erit in fractura male coaptata. Tertia in luxatione. Quarta de gummatibus. Quinta & vltima in ossis carie.

Chirurgiæ præstantia. Ex quibus omnibus luculentissimè patebit, chirurgiam amplissimam, immensam, & inter omnes Medicinæ partes potiorem, imò potissimam, & nobilissimam esse, quam Hippocrates, Galenus, Celsus, & alij vetustissimi, nobilissimiq. Auctores excoluerũt, & manib. proprijs perpetuò exercuerunt. Hanc diuinam quoque fateri par est, cum Iesus Christus Dominus noster eam adhibuerit, dum apposito luto cæcum liberauit, loculo contacto iuue-

neu,

nem ab orco reuocauit, ſublato grabato paralyticum reſtituit.

CAETERVM inter omnes medicinæ partes Chirurgiam vtiliſſimam eſſe, Hipp. teſtatus eſt, cum dixerit, quæ medicamentum non ſanat, ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, inſanabilia ſunt, quod eſt perinde ac ſi dixiſſet, quæ medicamentum non ſanat Chirurgia ſanat. Potior igitur hæc pars eſt, quam ea, quæ medicamentis pugnat, & meritò quidem, cum in medicamentaria parte multum fortuna conferat, vt ait Cel. in Chirurgia omnis profectus hinc pendeat, ſitq. eius effectus inter omnes medicinæ partes euidentiſſimus. *Chirurgiæ vtilitas.*

DE FONTICVLO IN SVTVRA CORONALI.

SI HAEC igitur manent, exordiendum à capitis Chirurgijs, inter quas primò ſeſe offert futuræ coronalis Fonticulus, qui in capite efficitur ad coronalem futuram, vbi ſagittali committitur iungiturque, quod maximè confert ad eliciendos, reuellendos, euacuandoſque humores, qui intus in capite ſunt, ne detenti aut deorſum deſcendentes, varias corporis partes afficiant; nam detenti plures pariunt morbos, vnde Meſue, & Albucaſis lib. 1. cap. 2. voluerunt, in primis conferre ad capitis morbos frigidos, & humidos, vt puta ſodam, ſcotomiam, vertiginem, capitis dolorem, ſomni grauitatē, paralyſim, & quoſque morbos, qui ex detentis in capite humoribus oriuntur; ſed & ad defluxum ad oculos, nares, aures, columellam, fauces, dolorem dentium, gingiuarum, gutturis; & ad defluxum ad ſtomachum conferunt, ex eodem Meſue, & Albucaſi. In primis autem ad eos reuellendos conferre apertum eſt, qui ad thoracem deſcendunt, & membra ſpiritalia offendunt, vnde & ad phthiſim, aſthma, empyema, & omnino omnem ſpirandi difficultatem prodeſſe conſtat, vt experientia ſæpius à me comprobatum eſt: vltimò artuum dolores potiſſimum iuuare ſi materia quandoque, ex Fernelio, inter cutem, craniumque conſiſtat, & feratur. Itaque hic fonticulus in capite factus, pluribus eſt valde neceſſarius, quatenus multis, pluribuſque morbis ſuccurrit; quos ſanè tollere recta via eſſet capitis intemperiem frigidam, & humidam auferre, & corrigere, ſic enim humorum prouentum impediremus, at cum intemperies vehemens eſt & valenter impreſſa, habitumque contraxit, tunc difficulter corrigitur; quo in caſu ad Fonticulum recurrimus, qui ſenſim humores euacuando morbis propoſitis ſubuenit. *Fonticuli in ſutura coronali ſumma vtilitas.* *Recta via tollendi morbos quibus. Fonticulum futura coronali ſuccurrit.*

LOCVS autem aptus ex communi omnium conſenſu eſt futurarum locus, vbi coronalis futura ſagittali iungitur, & futuræ duæ ſimul concurrunt. Cur verò primo locus futurarum opportunus ſit, ea ratio eſt: nam ſi humores ex interioribus capitis partibus exterius reuellere, & foras trahere conſilium eſt, dubio procul ea in parte Fonticulus parandus eſt, vbi abunde datur exitus intus lædentibus, qui nullus alius in cranio alioquin duro, denſo, & craſſiſſimo reperitur quam futurarum locus: propterea in ſenibus minori cum fructu Fonticulus fit, quia in ipſis futuræ obliterantur, & obcæcantur, vt cuilibet in ſenum caluaria palam eſſe poteſt. *Locus Fonticuli in futura coronali expenditur.*

CVM verò futuræ in pleriſque cranij partibus conſiſtant, certè aptior locus erit, ex quo copioſior humorum euacuatio fieri poterit, qui in capite iſeſt, vbi plurium futurarum concurſus fit, qui duplex eſt: vel vbi coronalis futura ſagittali, vel vbi ſagitalis lambdoidi iungitur. Eligitur autem prior locus, quinque de cauſis: primò hoc in loco facilius detinentur, geſtanturque Fonticuli, & à patiente ipſo gubernantur, propter planitiem loci, quam ſecundus propter loci decliuitatem. Secundò, quia anterior capitis pars poſteriore humidior eſt, & humores ſuperuacui indigent euacuatione magis, quam qui in poſteriore continentur. Tertiò quia hic locus tardius, & poſterius cæteris oſſeus fit, vt proinde ſit etiam minus durus, & ad humorum exhalationem, & euacuationem magis opportunus; propter quam cauſam infantibus, quibus os deeſt, Fonticulus in

futura

futurą coronali non fit. Quarto, pars dicta laxior, tenuior, & rarior quàm cæteræ corporis partes eſt. Quinto, quia vena ibi adeſt interius per futuras penetrans in nonnullis per caluariam inſculpto in ea foraminulo, qua caluaria combuſta, & aperta humores multi è penitioribus partibus proſiliunt, cuius venę meminerunt Celſus, & Arabes, Rhaſis enim primù Continentis c. 8. eo loci adeſſe venam Ieſue nomine loci appellatam dixit; Celſus autem eam inſinuare videtur, dum inquit, tum vbi lineæ committebantur, ſcalpello inciderunt, & poſt, ſanguine fuſo, os ibidem adusſerunt.

Veri loci inueniendi neceſſitas Fonticuli futuræ coronali inurendo. Fonticuli vtilitas.

CVM verò hic locus ex ſe apertus ſit, & cutim habeat ſuperpoſitam, ideo multum intereſt ipſum adamuſſim inuenire, alioqui Fonticulus abſque vlla vtilitate impedimento eſſet, qui alias ſemper maximam affert vtilitatem; & ego liberè, & ex animo teſtor, me in praxi vidiſſe empyematicum, ſeu empyemate affectum, quotidiè pituitæ catinum extuſſientem, fuiſſe per huiuſmodi Fonticulum ſanitati redditum; tanta enim erat humoris copia, quæ ex Fonticulo effluens ab hac vena ſubminiſtrabatur, qua in re auctores vario modo ſumma vſi fuere diligentia, inque varias proceſſere opiniones, vt ſex reperiantur inter ſe variæ ſententiæ.

Circa Fonticulum futuræ coronali inurendum variæ opiniones. Prima opinio.

PRIMO Meſue cap. 2. de Catarrho, & Albucaſis lib. 1. cap. 2. vnanimes voluerunt, carpum ad radicem naſi inter vtrumque oculum ponendum eſſe, tum extendendam manum, & digitos ſuper frontem, & capillos, & vbi deſijt extremitas digiti medij, ibi locum futuræ eſſe ſtatuunt, atramentoque ſcriptorio ſignandum eſſe decernunt.

Secunda opinio, Tertia opinio.

SECVNDO Auic. 3 primi vult, carpum ſimiliter ad extremum naſi ponendum eſſe; ita tamen, vt aptum locum indicet, non vbi medius, ſed vbi index, aut anularis deſijt, qua in re à Meſue, & Albucaſi differt.

TERTIO ex Auicenna loco citato habetur, quod ſumatur filum, & extendatur ab vna ad alteram aurem, ducendo ipſum ſuper naſum; deinde filum duplicetur, & poſita altera eius extremitate ſupra alteram aurem, altera autem ducatur ſuper caput reliquum aurem verſus, & vbi in capite fili duplicati extremitas deſijt, ibi Fonticulo locum aptum eſſe cenſet.

Quarta opinio.

QVARTO Rhaſis primo continentis capite octauo cenſet, infirmum porrigere debere extremum volæ manus ad extremi naſum, & extenſa manu, vbi pertingit os maioris digiti, ibi vult eſſe locum, in quo differt à Meſue, & Albucaſi, qui locum aptum ad apicem digiti medij poſuere; differt quoque ab Auicenna, qui conſtituit locum ad apicem digiti, aut anularis, aut indicis.

Quinta opinio.

QVINTO Celſus lib. 7. cap. 6. de Fluxu pituitæ ad oculos, inquit: Quidam enim atramento duas duxere lineas à media aure ad mediam alteram aurem; deinde à natibus ad verticem; tum vbi lineæ committebantur, ſcalpello inciderunt, & poſt ſanguine effuſo os ibidem adusſerunt.

Sexta opin.

SEXTO hic Patauij vbi litteræ, cunctæque diſciplinæ potiſſimum vigent, ita Fonticulus iſte paratur. ponitur carpus ad naſi globulum: inde extenduntur ſupra naſum, frontem & caput, manus, & digiti; & quò apex medij digiti pertingit, ibi eſt locus, vbi futuræ committuntur, Fonticuluſq. eſt inurendus; dicere autem ibi eſſe locum futuræ, vbi cutis capitis difficulter mouetur, vt dicit Fallopius, hoc non eſt certum adducere ſignum.

Fallopij opinio reycitur. Quo nonulli dicti opiniones cõciliare tentarint.

INTER tot, tamque varias ſententias quidam has ita conciliare tentarunt, quòd diſcordia propoſita potuerit prouenire ex varietate figuræ capitis, non ſolum in eadem regione, ſed maximè in diuerſa; inſuper ex varia manuum, naſique magnitudine; atque ita oportere Medicum eſſe prudentem, & perpendere variam capitum figuram, manuum, naſique magnitudinem; nam in capite curtis figura eſt oblonga, vt magna ex parte Genuenſium capita ſunt; & præterea cuius naſus eſt breuis, & manus itidem breuis, inuenietur locus aptus replicatione nodi digiti medij, vt dixit Rhaſis. In capite verò, cuius figura eſt magis rotunda, naſus magnus, & manus longa, inuenitur cum extremitate indicis, aut anularis, vt dixit Auic. Cum verò dicta membra mediocriter ſe habebunt, tum inuenietur cum extremitate digiti medij, quidquid Meſue, & Albucaſis protulerint. Hæc autem omnia,

nia, vt mihi videtur, potius obſcurare, quam hunc locum patefacere videntur; ex his enim potius caſu, quam arte id omne inueniri ſignificatur, & reuera ego in praxi locum hunc incertum ſemper reperi, quoniam animaduerti, interdum modum prædictum, quo ego ſum vſus, poſſe verum eſſe, interdum non poſſe, cum quandoque vix ſupra frontem ad capillorum initia digitus medius pertingeret, vt verbi gratia, in naſo longo, manu breui, & capite oblongo donato; quare cum alicubi apud Galenum legerim, in inueniendo huiuſmodi loco oportere nos ægrotanti præcipere, vt dentes ſimul, valideque percuteret, atque tunc tangentes locum ſupernum capitis, vbi obſcurus quidam motus perſentitur, ibi eſſe locum aptum aſſeuerare, hoc primùm ſigno adinueni, quod tamen neque etiam certum eſt. Secundò aliud adhuc ſignum prædicto certius obſeruo, quod in caluis, in conſiſtente ætate, ac declinante, maximeque in ſenibus apparet, & eſt; quòd vbi futuræ adſunt, ibi cutis magis depreſſa videtur, propter quam cauſam in caluis hominibus futurarum locus euidentiſſimè etiam exteriùs apparet. Vltimò in horum ſignorum obſcuritate, vbi nullum habeo certitudinis loci ſignum, id molior, eligo enim locum magis ſuperum, ita vt ſi fortè fortuna me futuræ coronalis cum ſagittali concurſus aufugiat, ſagittalis tamen futura non aufugiat. Hoc autem veriſſimum eſſe, nempè carpum ad pinnam narium ponendum', pluries in theatro monſtratum eſt.

Dicta conciliatio expõ dicur.

Galeni ſen.

Obſeruationes quadã.

INSTRVMENTA autem, quibus hanc præſtamus operationem, in genere adurentia ſunt, in ſpecie duplicia; alia adurentia potentia, vt veſiccantia: alia actu, vt ferramentum candens. Vtraque probantur, ſed hæc perpetuò tutiora ſunt: & quod ad actu adurentia, ideſt, ferramenta candentia pertinet, licèt plura ab auctoribus proponantur, videlicet Anicen. Ala. Rhaſi, & alijs, cuiuſmodi ſunt ferramenta oliuaria, ideſt, ad formam nuclei oliuæ maioris coaptata; oportet nihilominus inſtrumenta hæc non eſſe ſolida, & vniformia, ſicuti cætera, quibus Fonticuli parantur: quia cum oporteat peruenire ad os, & etiam aliquid oſſis inurere, vt omnes præcipiunt, quo attenuetur certè nimis tarda eſſet operatio cum ſolido ferramento, quia cutis capitis denſa, dura, & craſſa eſt, & eam non patiuntur ægrotantes; & ideo oportet inſtrumenta eſſe, quæ fonticulum, ſeu foramen faciant, non quidem ſimpliciter adurendo, ſed incidendo quoque, quod facit ferramentum duplicis generis, aliud cauum, dentatum; aliud cauum ſimpliciter, non autem ſtellatum, laudo magis ſecundum, quod vbi ad os venit circumuoluendum eſt. Primum enim non ita promptè incidit. Arabes, vt Albucaſis, Meſue, Rhaſis, ſumendum ferramentum oliuare eſſe volunt, quod præſtantiſſimum eſt, & præſtantius foret, ſi in cannulam immitteretur, quia partes propinquæ tutiores ab igne redderentur, & minus dolerent: ſed multò præſtantius noſtrum eſt, quia plena inſtrumenta tarde operantur, & ſerius ad os perueniunt; operationes autem non exigui momenti, quæ candente ferramento adminiſtrantur, ictu oculi perfici deberent vniuerſæ.

Inſtrumentorũ, quibus Fonticulus in futura coronali peragitur recenſus.

Qualia debeat eſſe hæc Inſtrumẽta.

Auctoris ſententia circa inſtrumẽta.

DE CHIRVRGICIS OPERATIONIBVS in Capitis Vulneribus.

SI FRACTVRA cranij tanta eſt, vt os deprimatur, ſiue vna, ſiue multiplex exiſtat, quoniam ex Hipp. deprimi, & in profundum cedere os non poteſt, ni totum findatur; in hoc caſu vel rima lata, vel anguſta eſt, & rurſus, vel modicè, vel multum os depreſſum. In fractura lata, & oſſe non admodum depreſſo vtimur ad attollendum, & ſubleuandũ os primò vecte (vulgo lieua) inſerto, ſeu ſub oſſe immiſſo, cuius tres ſunt ordines, qui differũt, quòd alius maior, & robuſtior altero eſt, quib. pro opportunitate vtẽdum eſt. Quòd ſi hoc non ſufficit, vtimur altero, quod robuſtius eſt inſtrumentũ, & valentiore eleuat robore, quia firmitatem non in manu tantùm, ſed in capite habet. Quod ſi hoc quoque parum valet, quòd depreſſio maior ſit, vtimur triploide appellato inſtrumento, quod

Quando os capitis deprimitur Rima in oſſe depreſſo varietas. Fractura lata oſſis non admodum depreſſi quo ad tollatur. Vectis tres ordines.

Maiori ossis capitis depressioni quod instrumentũ conueniat. Alia affertur distinctio.

quod in vectis genere est; sed triploides particulatim dicitur, quòd triplici firmetur basi, & si spatium adest, vectem triploidis submittimus; si non est, os perforamus cum altero vecte triploidis acuto. Alia distinctio est; si ex vna tantum parte depressio est, vtimur primo, & secundo instrumento; si vndequaque, triploide, quamuis triploide omnibus modis commodet, & cum vecte, si ex vna parte depressio est, & vectis inseri potest; & cum perforante instrumento, cum ex omni parte depressio est, & locus vectis non adest.

Quid agendum in fractura vniuersi cranij absque ossis depressione.

QVOD si cranij fractura vniuersum cranium duntaxat penetrauerit, os tamen non depresserit, tunc ob timorem descensus virulentiæ ad interiora, vt prodit Auicen. & vt abundè detur exitus saniei, & intus lædentibus, vt Celsus tradit, os excidendum, seu perforandum est ferramento, quod Græcè τρυπανον dicitur, vulgo trapano; quod duum generum ex Celso est, aliud nempe terebra, & aliud modiolus dictum. Terebra est similis communi terebræ, qua Fabri lignarij vtuntur; modiolus, Græcè κοινικιον, est Ferramentum cauum, teres, imis oris serratum, vt dicit Celsus; quod si clauum in medio habet, masculus est: si caret, fœmina. Vtroque cranium perforatur, quod triplici firmatur basi. Sed aduertendum, in cranij perforatione duo subesse pericula; alterum pertinet ad locum, alterum ad instrumentum, ambo tamen duræ matris læsionem respiciunt. Ad locum spectat, vt perforatio non fiat supra pericranium, sed nudato osse, propterea quod Celsus dicit inflammationes mouere graues: mouet autem graues inflammationes, quòd neruosum pericranium sit, aut in loco suturarum, quoniam communicatur inflammatio duræ matri subiectę. Insuper quoniam sub suturis ad sunt duræ matris sinus sanguine copiosissimo referti, aut à lateribus, ad tempora, & sinciput, propterea quod ea parte per internam caluariam vasa discurrunt, & in osse cannaliculos efformant, quorum causa fieri non potest ossis perforatio, quia rumpuntur vasa, & sanguis inter cranium, & duram Matrem cum periculo mortis spargitur. Alterum periculum pertinet ad instrumentum, seu ferramentum, quòd in ossis perforatione vix fieri possit, ne dura mater violetur; id autem duplici ratione, & quia instrumentum secto ferè osse præ pondere præcipitet deorsum, sicque non modo in duram matrem, sed etiam piam, & cerebrum descendat, & irruat; & quia extremitate sua acuta duram matrem pungat, & continuum soluat, aut vtrumque; quorum alterum incommodum potius spectat ad superius instrumentum, vertibulum appellatum, alterum ad inferius, videlicet ad quod vertitur, seu ad modiolum. Quæ duo tum prisci, tum recentiores Chirurgi prospicientes, vario modo vtrumque periculum corrigere, & euitare studuerunt, quamuis difficulter admodum vtrumque deuitari possit; nam cum sit necessarium, superius instrumentum deorsum premere, vt os durum, crassum, & densum perforetur, facilè penitus præcipitare potest. Similiter quoque cum dura membrana ferè vbique os contingat, fieri fermè non potest, vt à ferramentis non pungatur acutis, id primò, & potissimum omnes affectantes, vt nullum horum ferramentorum mergi, & cadere intus posset, ideoque Hipp primus eiusmodi instrumenta αβάπτιστα, idest, abaptista, mergi non potentia nominauit. Vt autem summatim dicam, hæc ferramenta futura sunt, vt citò, tutò, & iucundè perforent. Citò quidem, quod mora in eiusmodi opere fatiget, & vulnus frigore afficiatur: inflammatioque inducatur. Tutò, ob mortale læsionis duræ matris periculum. Iucundè, idest, sine strepitu, & horrore; quod vtrumque ægrotantem, & alios deterrere, & exanimare potest: quo fit, vt ferramenta, quæ tria proposita non respiciunt, minùs idonea ad caluariæ perforationem censeantur. Itaque cum plura Trypana sint tum ab Antiquis, tum a modernis excogitata, certè terebra, & modiolus, quę obstaculo omni carent, quod promptè, facilèque demergantur, aliena omnino sunt, quòd abaptista non sint, vt terebræ vsuales sunt: pariter quæ facile pungere, & vellicare duram matrem possunt, aliena sunt, vt quæ vnica, & ea quidem acutissima cuspide donantur, quo nomine terebra fortasse obsoleta est, & quæcunque huiusmodi sunt, vt lancinata terebra est, & modioli illi, qui dentes magnos, idest, longos, crassioresque, & rariores habent; perpetuò enim quò in omnibus dimensionibus minora sunt instrumenta, eo exi-

In cranij perforatione duplex subesse periculũ, & Instrumenti, & loci ratione. Periculum ratione Instrumenti.

Circa dicta Instrumenta Hippocratis senten.

Qualia dicta Instrumenta futura sint. De dictis Instrumentis Auctoris sententia.

stunt

stunt oportuniora tanquam tutiora,& minus patientibus verenda dummodo tanta sint, vt vsum expleant. Hanc igitur tum demersionem, tum punctionem auctores vario modo instrumentis varijs vitare excogitarunt. Alij enim obstaculum firmum in orbem quasi nodum apponunt, vt in terebra; in modiolo verò, in quo nodus eiusmodi non reperitur, obstaculum aliud, aliudque excogitatum est: etenim alij paulò supra serratas oras, eminentiam in circuitu modioli parant, & eam firmam quidem & sunt sex. Alij mobile obstaculum parant, quò subinde pauxillum quid mergatur in osse modiolus, & est duplex. Alij serratas imas oras duplices faciunt inferiorem nempe, & superiorem, & est vnus. Alij latum, seu alatum modiolum vsurpant, qui acutiem habet, & incidit, quòd sua latitudine extrema, membranam pungere nequeat, & sunt octo, quibus vicissim vtuntur à maiore incipientes, & subinde minorem minimumque vsurpantes. Alij Limatum modiolum ita vsurpant, qui nullo modo membranam pungere potest, tum quòd aciem non habeat, tum quòd lata eius extremitas sit. Alij alas exiguas, spiras, & anfractus referentes cochleæ modo circumducuntur, & sunt, tria instrumenta. Alij præterea alas quatuor per longitudinem modioli positas habent, quæ sanè alæ demersionem, & sic pungendi periculum impediunt, cum ad imas serratas oras angustiores, subindeque sursum latiores alæ fiant, quorum modiolorum iudicium hinc patet. Primus modiolus nota non caret, quòd stabile obstaculum non valeat cranium tenuius, & crassius, in puero, & sene, & vbi caluaria tenuior est, & vbi crassior, tutò perforare. Mobile verò obstaculum magis satisfacit, sed quadam tenus cum mora operatur, quæ in ipso coaptando, & producendo ex necessitate venit, qui verò duas habet serratas oras, superiorem, & inferiorem, cum dupliciter perforare vno tempore caluariam debeat, & laboriosa, ac difficilis ab his operatio succedit. Qui verò modioli alati sunt, adhuc propter eorum latitudinem tardior ipsos perforatio consequitur, quo etiam nomine, & qui limati, & cochleæ modo tortuosi modioli sunt reijciuntur, cæteris autem meliores quatuor alis alati censentur, quòd obstaculum habeant assiduum, & firmum; cum tamen latius sit superius, angustius inferius, ideo obstaculum omnibus accommodatur caluarijs, neque vlla mora his iuncta est.

Qua ratione dicta periculum quidem euitare tentarint.

Dictorum modiolorũ iudicium.

DIXIMVS de Trypanorum extremitate, quæ iuxta os circumfertur circumuoluitur, & operatur; nunc de altera eorum superiore parte, quæ agit, & circumuoluit, dicendum, vertibulumque appellatur, in quo similiter varietas non est exigua; alij enim triangulum instrumentum parant ex ligno, aut ferro, tum recto, tum transuerso, & corda tranuerso ligno appensa quo circumuoluunt, vt perforent artificum lebetum more (quos vulgo conzalauezi dicimus.) Alij rectum lignum, aut ferrum cum pila, & habena circa lignum, ferrumque seu hastam conuoluta vsurpant, quòd instrumentum à Celso describitur. Alij arcu, & chorda circumuoluunt, vt illi qui coronas faciunt, archetto vulgo. Alij rursus manubrium vt terebra habent, quo circumuoluunt. alij vsurpant cannulatam, seu fusum, quem exporrectis ambabus palmis circumuoluunt, vt Venetijs, & sunt duo instrumenta, alijs, prout in communi est vsu hæc vsurpantur, quæ duum sunt generum, in vno enim Trypano superior pila voluitur, in altero premitur, vt apud Andream à Cruce videre est. Iudicium autem horum omnium hinc patet. In his vertibulis tria vitanda sunt grauitas, vastitas, & strepitus, potissimum autem illud ne instrumentum ex se ipso. suopte videlicet pondere quicquam agere possit, sed perpetuò ã chirurgi manu gubernetur, ac regatur. contra tria exoptanda sunt; Leuitas, paruitas, & quies, ita tamen hæc omnia propositis compensanda sunt, vt imum ferramentum agere faciat, itaque omnia, quæ chordam admittunt tanquam strepentia, & quæ sua magnitudine horrorem incutiant, & parum tuta sint, quòd mergi suo pondere nocere possint, & à Chirurgo ex toto non regantur tanquam obsoleta remanserunt. cannulata, vt fusum, veluti nimis, tarda, & moram trahentia similiter aliena sunt, quæ verò admodum grauia sunt, & supra comprimunt, tanquam quæ mergi in membranam incautè possint tuta non sunt quod pondus ex se operetur; neque à Chirurgi manu opus magna ex parte dependeat, vt sunt, quæ passim vsurpantur. Propterea ego adinueni ferramentum, ac trypanum ex modiolo, & terebra compositum; cuius ima pars quæ os perforat, est modiolus alatus quatuor alis, altera pars, quæ vertit, est terebræ manubriolum,

De Trypanorum superiore parte vertibulo scil.

Vertibulo diuersas.

Vertibulo inducunt.

Quæ in dictis instrumentis optanda sint.

Quæ vertibulo reijciẽda sint.

Auctoris Trypanum.

Jum, seu superior portio, quæ neq. ita grauis est, vt mergatur; neque ita leuis, ne absoluatur opus, neque vasta est, & nullo modo strepens, & manus perpetuò ipsam gubernat, ac regit, nequaquam naturali pondere deorsum comprimente, propter quas causas celerrimè, tutissimè, & iucundissimè, idest sine vllo strepitu, & horrore, subindeq. felicissimè operatur.

Trypani administrādi modus.

DICTVM est de Trypanis eorumq. differentijs; superest, vt modum administrandi persequamur; & hæc est Chirurgia, qua docebimus, quomodo cranium trypano excidatur, & perforetur. Nudato osse à pericranio, ne à terebra, si tangatur, doleat, & inflammetur, & vulnere si opus est, dilatato, qnò modiolus colloeari, & verti commodè sine labiorum læsione possit: Insuper munitis vndique labijs per linteola aut sicca, aut vino nigro expressa, ne à frigore, aut ferramenti contactu afficiantur; iam modiolus eius magnitudinis, prout fractura maior, aut minor exigit, sic maior, aut minor est eligendus. nam detegere, & aeri frigido membranam magis, quam par sit, exponere, error est; tum masculus modiolus, in cuius medio clauus cernitur, figendus ad rimæ seu fracturæ latera est, tam distans a rima, vt ipsam non attingat, comprehendatq. modioli ora, quo æquè fiat omni ex parte perforatio. Quod si rima nulla apparet, sed vulnus acutissimo telo, quòd stylum vocant, inflictum est, in medio eius, & centro perforandum, tum manu sinistra superiùs comprimere dextera vero circumagere instrumentum oportet, quousq· imprimatur vestigium modioli in osse, tunc enim remoto masculo, fœmina inserenda est, & similiter comprimendum, conuoluendumq· instrumentum est; dum verò conuoluitur pro scobis copia Trypanum attollendum est; dumque attollitur modò in oleum rosacem infundendum, quò magis lubrico circumagatur, & scobs à ferramento decidat; modò imam ferramenti partem in aqua rosacea madefacimus, vt ferramentum supercalefactum ex circumrotatione deferueat. vbi verò ad meditullium ventum est, quod ex sanguine dignoscemus apparente, tunc cautiùs agendum mitiusq. comprimendum est, ne incautè suopte pondere mergatur, ad quod ex anatome crassitiei ipsius cranij notitia non parum confert. vbi autem parum abest, quin totum excisum os sit, quòd quia vacillat cognoscemus, & præterea in osse idem incircumrotando renixus non sentitur; tunc vecte exiguo inter labia excisi ossis immisso, & aliquantulum osse dimoto, sic ossis frustulum volsella arreptum auferimus. atque hæc de Trypani Chirurgia dicta sint. Hic ā modus perforandi cranium communi expletur instrumento Modiolo appellato: sed tutius est eo vti, quod diximus ex modiolo, & terebra compositum, quoniam sub hoc ferè exactè sentitur quod os totum perforatum sit, quod pertinet ad membranæ subiectæ tutelam.

De scalpro. Quando scalprum adhibendum. Scalpri differentia. A quo scalprum incipiendum. Qua in parte est adigēdus. Scalpri ministrādi modus. De Chirurgijs eandem sequentibus

HIS habitis, de scalpro dicendum est, circa quod, multiplex cum sit. Hæc præsertim veniunt consideranda, primò, quod potissimum in sciſsura Cranij adhibetur: secundo quòd aliud latius, aliud minus latum est, tertio quod à latiore semper est incipiendum, subindeque ad minus latum deueniendum; quarto quòd, ne quis error intercidat, sciſsura atramento scriptorio notanda est, & eo scalprum adigendum, ex quibus modus administrandi talis elicietur sciſsura atramento scriptorio notatur, tum scalprum latius pro sciſsuræ ratione adigitur, indeque minùs latum, quousq. sciſsura ex toto abrasa fuerit. Dum verò hæc fiunt, vt iam dictum est, & muniendæ sunt partes, & scalprum in oleum rosaceum mergendum, semperque scobs extrahenda.

Instrumentum. Lenticulare cui rei inseruiat.

PRAETER dictas operationes, quæ vecte, scalpro, & Trypano absoluuntur sex adhuc supersunt, quæ tamen non sunt diuersi generis à propositis, immò ad ea reducuntur, quatenus vel ijs ministrant, vel ad ea perficienda instituuntur; etenim vel foramini facto vsui sunt, vel scalpros adiuuant, & vectes. vna autem est, quod perforato Cranio in interna facie potuit remanere aut os asperū, aut exigua squāmula, a cuius contactu læditur: idcirco læuanda est interna ora foraminis, & id præstamus instrumento, quod habet lenticulam in extremitate, qua membranam contingit, vnde lenticulare appellatum est, quod oras suas acie læuat, & membranam non offendit. Altera operatio est, quæ fit ad membranæ custodiam, quando. s. ad os in capite carioſum factum eximendum vſq. ad duram matrem ne dura mater, aut à scalpris, aut aliter offendatur, submittimus inter cranium, & durā matrem laminam modicè simam, vt membranā tueatur, & custodiat, vnde a Celso lib. 8. cap. 3. membranæ custos fuit instrumētum hoc appellatū Græce μηνιγγόφυλαξ quod ex æneā lamina

parandum,

parandum esse Celsus monuit, non autem ex ferro, quod vt puto ferri contactus duræ matri sua frigiditate noxius sit,& instrumenta hæc tria sunt,quæ modicè resima sunt,qua membranam attingunt respiciuntque. Tertia operatio est,vt cum casus,& ratio vulneris exigit in magnis,& multis ossium fracturis vno in loco,eoq; ampliore factis,vt sint necessariæ duæ nimirum cranij perforationes, altera ab altera non admodum distante; & necessarium sit congruum ad ossa fracta auferenda interstitium,quod præstamus forcipe,quod apprehendit portionem ossis iniermediam incidit atque rumpit. Quarta operatio,ea est quam peragimus ad exitum præbendum copiæ sanici,quæ inter duram matrem,& cranium colligitur,& detinetur,qua dura mater cranio exactè applicatur; quo in casu opus est, vt subinde dura mater modicè deprimatur, vt sanies exeat, quod absoluimus instrumento decussorio appellato. Quinta operatio est, quæ serulis peragitur cum sanitus ossis,aut carioſi,aut fracti is est,vt ad ipsum auferendum commodior sit serrula alio instrumento, & ideo quinque paraui serrulas diuersarum formarum,& magnitudinis,ad huiusmodi vsum explendum. Sexta, & vltima operatio versatur circa ossis aliquod frustulum auferendum,quod diuisum à reliquo osse insertum inter ossa sit,quod auferimus partim rumpendo partim abscindendo forcipibus, vulgo mordenti octo,qui inuicem differunt magnitudine, vt minores in minoribus, maiores in maioribus ossibus rumpendis vsurpentur; differunt præterea forma, quæ varia est, vt varietati ossis rumpendi,auferendique respondeat.

Forceps Instrumentum cui prosit.

Instrumentum decussorium quid sit.

Serrulæ quæ in re inueniant.

Forcipum varietas.

DE CAPITIS CHIRVRGIIS, QVÆ fiunt in fronte, Syncipite, Temporibus, occipitio, post aures, ad cutim, venas, & Arterias pertinentes, de Setaceo, vstioneq; occipitij in puerilis.

AGGREDIMVR nunc Chirurgicas operationes,quæ fiunt in frõte Syncipite, temporibus, occipitio, & post Aures,quæ ad duas spectant partes, ad vasa, idest, venas, & arterias,& ad cutem. vtræque partes tum inciduntur, tum aduruntur; sed priùs de ijs, quæ ad vasa pertinent dicetur; quæ itidem modò inciduntur, modò aduruntur; & incisio vasorum vel simplex est pro sanguine mittendo tantùm, vel transuersè fit vasa incidendo, vt inhibeatur humorum cursus ad oculos,subiectasque partes, vnde Paulus lib.6.cap.5.6.& 7.in temporibus aduſtiones,&incisiones conferre hemicranicis,& oculorum fluxionibus,& doloribus ex calida fluxione voluit. Frontis verò incisiones prodesse voluit, similiter calidis oculorum fluxionibus,vbi facies rubescit,& in fronte sensus quidam,& discursus veluti vermium,aut formicarum oboritur. Syncipitis autem sectionem idem Paulus ad copiosum ad oculos ex altis venis fluxum valere dixit. Post aures autem venarum incisiones valere compertum est, tum ad oculos,tum ad caput,tum ad delirium,tum ad soporem,& alias id genus Capitis affectiones,quæ ex repletione veniunt,

Temporũ aduſtiones, & incisiones quibus conferant ex Paulo.

Frontis incisiones ex Paulo quibus prosint.

Syncipitis sectiones ex Paulo quibus conferant.

venarũ post aures incisiones quãdo iuuent.

SED vnum in his peragendis ante omnia scire licet,videlicet alias ex his operationibus hac nostra ætate obsoletas esse,& ab vsu recessisse; alias fieri quidem,sed propter earum difficultatem parum abesse,quin obsoluerint,vt ideo rarò administrentur. Sunt præterea quæ eò non fiunt,quia vel prorsus non sunt necessariæ,vel parum.

Animaduersio ad tres dictas operationis.

OBSOLETAE prorsus hac nostra ætate me iudice sunt, quæ magnæ dolorem inferentes, horribiles, & crudeles visuntur de quibus idoneo loco, nunc difficiles exequamur. Inciduntur Venæ frontis, Temporum, syncipitis, post aures, in occipitio, & naso ad inhibendum humorum cursum validum, aut ad oculos,aut alio, quæ tamen omnes operationes difficulter peraguntur, etenim vt sanguis ex ijs euacuetur, & incidi possint,appare-

Obsoleta operationes recensentur.

Quæ difficiles sint operationes.

re debent, cum tamen interdum nullo modo oculis pateant venæ Frontis, venæ syncipitis, atque eæ occipitis. Temporum venarum non nihil interdum manifestatur, sicuti venæ post aures, & in naso exiguæ admodum sunt, vt vix conspiciantur. Quam difficultatem auctores considerantes antequam ad earum incisionem deuenerint. primò modum edocuerunt, quo huiusmodi venæ in omnibus hisce locis vtcumque manifestentur, vnde Celsus lib. 7. cap. 7. de pituita oculorum, de adustione venarum, temporum loquens, vt inflentur, magisque se venæ ostendant, præcipit, ceruicem ante modicè dilegandam esse, & paulò post air, eodem modo ceruice deligata, retentoque ab ipso spiritu quo magis venæ prodeant &c. Paulus verò lib. 6. cap. 5. vult, vt fomenta præcedant, tum ceruix detigetur, vt venæ temporum appareant deraso prius capite. Itaque fomenta præmittere, spiritum retinere, & ceruicem deligare faciunt Frontis, temporum, syncipitis, occipitis, & post aures venas apparere; quibus ego adderem decliuem capitis situm nisi oculorum affectus, aut aliud obstaret, vnde experientia comprobauimus, quòd hominibus stillicidio ad futuram coronalem subiectis, tum propter decliuem capitis situm, tum propter pilei astrictionem supra frontem venæ quam maximè inflantur; sed pilei vice deligatura vtendum est, quæ ni executioni mandetur, nunquam è vena frontis, & alijs propositis sanguis mitti poterit. Sed quod ad deligaturam pertinet, notare oportet, Celsum, & Paulum præcipere, ceruicem deligandam esse, hoc est magis posteriorem capitis partem, non dixerunt collum, quod anterius est, & asperam arteriam, ideſt, spiritus viam comprehendit, & offendit. propter quam causam in vsu est à posterioribus partibus anterius versus ambabus manibus linteum conuolutum, & contortum, vulgò fazzolo stringere ceruicem satis valide posterius, anterius autem modicè; immò Paulus lib. 6. cap. 40. dicit, digitis super guttur interpositis, ne suffocatione ægri intercant: sic enim inflantur, omnes propositæ venæ absque eo quod spiritus occludatur, & ita potest in ijs Chirurgia proposita ministrari.

Quomodo difficiles chirurgicas operationes aliqui sæpe sint exequuti.

Auctoris cautio.

Ceruicis liganda excelso & Paulo modus

Alia Pauli cautio.

Quando diuisio non succedat.

Quæ in Fronte quidem succedit, & interdum temporibus, post aures, in syncipite, occipite, & in naso, vt plurimum non succedit, quamuis meminerim apud Galenum legisse 5. Aphor. 59. secandas esse venas, quæ in occipitio sunt; nisi fortè dicamus, non esse secandas venas Phlebotomo, sed quouis modo, ideſt, sacrificatione, & cucurbitulis, nam vtcumque exeat sanguis è vena siue secta, siue aperta, siue per sacrificationem, siue hyrudinum appositionem; semper quid adiumenti fit. Propterea nos in his solemus, aut cucurbitulas sacrificatas affigere, vt in occipite, quod efficax esse remedium ad oculorum fluxiones Galenus prodidit. 13. Methodi cap. 19. & secundo de medicamentis per loca cap. 2. immo hic ex auctoritate Archigenis dixit, secandas esse venas in fronte, & naso, & de occipitio loquens præcipit, esse in eo cucurbitulas affigendas, aut hyrudines admouendas vt in syncipite, post aures, in temporibus, atque etiam naso, atque ita analogon venæ sectioni proponere, absoluereque. Proponit igitur Gal. ex Archigene, secandas esse venas nasi, & occipitis, si fortè in aliquo apparent, quamuis communiter non appareant; alioquin, sacrificationes, cucurbitulas, & hyrudines proponit, & ita soluitur difficultas.

Quæ chirurgia dicitur loco ministrent.

Ex Celso venas temporum secundi modus.

At Celsus loco citato in temporibus docet modum secandi venas hoc modo ceruice deligata, retentoque spiritu, quò magis venæ prodeant, atramento notare eas contra tempora, & inter verticem, ac frontem oportet; deinde ceruice resoluta, qua notæ sunt, venas incidere, & sanguinem mittere. Hæ sunt in propositis venis Chirurgiæ, quæ fiunt quidem, sed propter earum difficultatem interdum expleri nequeunt, sed, vt dixi, fiunt si non phlebotomo, saltem scarificatione cucurbitulis, hyrudinibusque, ideo Gal. 2. de medicamentis per loca dixit aperta vena ex naribus, &c.

De Venis transuersè secandis.

De venis trãsuersè secandis Pauli opinio.

SECVNDA Chirurgia, quam omnes Medici probarunt in hemicranicis, & oculorum affectibus circa venarum incisiouem est, quæ venas quidem non incidit, vt mittatur tantum sanguis, sed vt etiam ex toto inhibeatur humorum cursus ad oculos. Atque hæc Chirurgia fit transuersis disectis venis. Quomodo autem transuersè ex toto incidantur venæ proponitur à Paulo lib. 6. cap. 5. de rasis igitur primum in temporibus pilis, & apparentibus vasis per fomenta, & ceruicis deligaturam, atramento per longitudinem vasa

notantur;

notanturtum cutis ſiniſtra Medici manu, & miniſtri altera per longitudinem attollitur, & qua notata eſt ſecatur ita, vt vena conſpiciatur: tum hamulo cæco vena ſuſpenditur, & à membrana liberatur manubirolo ſcalpelli, ſi vas tenue fuerit, & perrumpitur. At ſi magnum eſt vas, eo eleuato, & inciſo, & ſanguine ſat fuſo, acu, filum trahente ligatur vtrinque funiculo, & tranſuersè ſecatur, quod facit in magno vaſe, non in exiguo, ob ſanguinis timorem, qui à magno, non à paruo plus iuſto effluere poteſt. Hoc modo inciduntur propoſitæ venæ, tum ſimpliciter ad mittendum ſanguinem, tum tranſuersè ad curſum humorum ad oculos inhibendum.

AT Celſus venas Temporum non ſolum ſecat, ſed vbi ſatis ſanguinis fluxit, etiam comburit; dicitque, frequentem eſſe curationem venas Temporum adurere incurſu pituitæ oculos infeſtante, donec in oculos pituitæ curſus conquieſcat, quas venas in huiuſmodi malo tumidas eſſe ait. Comburit autem eiuſmodi venas tenuibus, & rectis, ferramentis, quod proſequitur, non ſolum in venis temporum, ſed etiam in ijs, quæ ſunt inter verticem, & frontem. Quam ſanè Chirurgiam per aduſtionem Paulus quoque proponit his verbis: Nonnulli (inquit) candentibus ferramentis citra ſectionem vaſa adurunt plagis ſatis altis. Qua in re variat Paulus à Celſo, quòd hic primò ſecat indè comburit; ille abſque ſectione præcedente comburit. Verumtamen Paulus adhuc difficiliorem proponit de ſecandis Arterijs poſt aures, quam etiam lib. 6. cap. 4. ad longas oculorum fluxiones, & vertiginoſum affectum laudat; primò enim præcipit, deraſo capite eius partis, & digitis ex pulſu, arteria percepta, & atramento notata per duorum, trium ue digitorum longitudinem vſq; ad os diuidere oportet, donec Arteria conſpiciatur, tum tranuersè incidatur, & ſanguis arterioſus ſat. fluere ſinatur. Poſtea pericraneo inciſo, ne inflammationem inſignem moneat, raſoque eſſe, medicamentis congruis vulnus curabitur.

Celſus Venas temporum non tã ſecat, ſed etiam ſint.

Qua ratione venæ cõburantur.

Venarum vſtiones Paulus minuit.

Differentia circa venas vrendas inter Celſum, & Paulum.

Pauli modus circa ſecandas arterias.

QVANQVAM autem Celſus dicat, frequentem eſſe curationem venas temporum adurere, & Paulus inciſionem arteriarum poſt aures proponat; neutra tam chirurgica operatio in vſu eſt, puto ego tum quia difficulter ad modum fieri poſſunt, quod profundiſſima, & exigua vaſa ſint; tum quia periculoſa exiſtat operatio; arteriæ quidem, quòd magna ſit operatio; vènarum verò temporum, quod propter muſculos temporales ſubiectos periculoſa ſit.

Quare dicat chirurgica operationes obſoletæ ſint.

QVOD reſpiciens Celſus dicebat verticem vehementer, & ad os vſque ſed tempora timidè adurere oportet, ne ſubiecti muſculi, qui maxillam tenent, ſentiant.

Quod ſi hæ ſunt obſoletæ chirurgicæ operationes, multò profectò magis erunt quæ longè maiores, crudeliores, & magis horribiles in eiuſdem partibus proponuntur; vt non poſſim non mirari, atque ex animo aſſeuerare iſtiuſmodi tantum barbaris conſuetas, & peculiares eſſe; etenim audio Turcarum morem eſſe (quæ eſt barbarorum conſuetudo) ſibi foramina in frontis cute, vt decoris gratia penam geſtent, parare; alios amoris indicij ergo ſeſe vltro magnis efficere vulneribus.

Turcarum mos.

VIDI aliquando quatuor pulcherrimos equos ſub curru à Scytha vulgò Tartaro cicatricibus longis omnes affectos à capite ad caudam, & à dorſo ad crura, & inordinate paſſim; quæ vt à Scytha pulchritudinis gratia factæ ſunt, ità noſtris oculis turpiſſimæ apparuere. At nos haſcè obſoletas chirurgias, quæ crudeles ſunt, & horrorem, doloremque inferunt, recenſeamus, quæ tametſi à Celſò proponantur, potius ex aliorum, quam ſui ſententia id facit.

Scytharum mos.

DE CHIRVRGIIS CAPITIS OBSOLETIS.

ELSVS libr.7. Capit. de pituita oculorum ad inhibendum pituitæ cursum ad oculos dicit, in Græcia repertos esse: (notate modum loquendi Celsi,) qui dicit in Græcia, non Romæ repertos esse quasi dicat, visos esse homines, ita audaces, crudeles, ac truces, & aliquos tantum, qui nouem lineis cutem Capitis inciderent hoc videlicet modo; duabus in occipitio rectis; vna super eas transuersa; dein duabus super aures, vna inter eas item transuersa, tribus inter verticem, & frontem rectis. Subiungit adhuc Celsus reperti sunt, qui à Capite recta eas lineas ad tempora deducerent vsq. ad maxillarum musculos, cognitisq. ex motu maxillarum musculorum initijs leuiter super eos cutem inciderent. Notetis quæso quam longissimæ sint huiusmodi incisiones.

Cutis capitis incisio ex Celsi relatione.

Cutis capitis & tęporum ex Celsi relatione incisio.

PAVLVS similiter lib.6. Cap. 7. ad fluxiones ex capite ad oculos proponit Chirurgiã perisyphismum dictam, qua fit sectio ab vno ad aliud tempus coronæ modo paulò superius, quam frons est, & triplex sit. Transuersa sectio, in qua coronalis futura vitatur, quæ sanè operatio atrox est, vt patet; sicuti pariter illa, quam idem Paulus ex Leonide proponit, qui præcepit, per mediam frontem lineam deducendam vsque ad os esse, sed non minus horribilis, & crudelis est, quam idem Paulus in fronte proponit lib. 6. Cap. 6. Hyprosopathismum dicta n ad oculorum fluxiones, vbi vult, tres lineas, seu sectiones rectas pari distantes spatio in fronte efficiendas esse latas quidem singulas duos digitos, altas ad os vsque trium digitorum interuallo inuicem discretas. Deraſis igitur in fronte pillis, per quæ verba significatur tres futuras esse incisiones, longas paulo minus ad verticem vsque; id quod confirmatur, si futuræ sunt duos digitos latæ. Quòd si trium digitorum interuallo inuicem discretæ futuræ sunt, omnino Venæ incisiones prope temporales musculos, scilicet vtrinque vna media in medio frontis facienda est notate incisionum magnitudinem; sed hoc minimum est, illud sæuius; nam his factis sectionibus debet spatha ab extrema sectione ad mediam subijci, & totum, quod interiacet excoriare vna cum pericranio: Postea à media incisione spatha ad reliquam demitti omnia à capite ad oculos descendentia vasa præcidendo.

Temporũ sectio ex Paulo, quæ tripliciter fit. Frontis incisio ex Paulo.

PLVRES adhuc legere est apud auctores huiusmodi atroces, doloremque inferentes operationes, tum in capite, tum alibi, quas obsoletas esse ideo asseuero, quòd ægri malint oculorum, palpebrarumque affectiones toto vitæ suæ tempore gestare, quam sæuis his operationibus se submittere: at in nostris regionibus modestiores, & magis misericordes medici sunt, nam ad oculorum fluxiones, & caput vniuersum à superuacuis purgandum excrementis perpetuò ego setaceum probo tanquam experientia, & vsu efficacissimum exploratum remedium, & minimè dolorem inferens, factuque expeditissimum, quod bis in vita mea gestaui semper cum oculorum salute.

Quare dicat operationes obsoletas sint. Quid cutis morbis conferat.

DE SETTACEO.

SETACEVM tribus instrumentis peragitur forcipe, acu, & setone, quæ interse aliquatenus differunt: nam forceps quatuor habet differentias, interdum. n. subiectam habet alam, ea interdum destituitur, ponitur ala, ne acus ignita partes subiectas lædat. Quod tamen sub experto Chirurgo non fit, qui dum perforat, leuiter forcipem ad se trahit, & ita cutem attollit, & vicinam cutem distantem ab acu reddit: rursus forcipes alij habent propè foramen superius circularem cauitatem amplam, alij recti sunt; habent cauitatem, vbi occiput perfo-

Quibus Instrumentis setaceũ peragatur. Forcipis differentia.

randum

randum eſt valde carnoſum,& pingue,quò cutis apprehenſa, cum craſſa ſit, intra circulum ingrediatur,& non elabatur. Vbi autem cutis tenuis perforanda eſt,circulo non eſt opus,quia apprehenſa detinetur,amplius foramina forcipis,neq. nimis lata neq. nimis anguſta eſſe debent. Nam nimis anguſta interdum perforationem fallunt; nimis verò lata foramina rectè,& ritè non faciunt niſi cutis obeſi corporis,ſit & valde craſſa,tunc enim foramen requiritur amplum. Prætereà forceps alius ſtringit cutem ex ſe,alius a Chirurgo ſtringitur:ſatius eſt,à Chirurgo ſtringi,& gubernari,qui quantum opus eſt ſtringit,niſi forte Chirurgus ſolus ſit,neque miniſtrum habeat adiutorem,qui ferrum candens porrigat; nam in eo caſu habere forcipem exiguum, & leuem, qui ex ſe locum teneat arctè, commodum eſt, vt eſt exiguus forceps,& leuis. Inſuper acus bene rubens, & candens futura eſt, ſic enim quam citiſſimè pertranſit, & ſine ferè dolore; neque admodum longa,ne cuſpis foramen fallat,ſed palmam æquet. item neque nimis tenuis,neque nimis plena, ſed foramini paulò minus reſpondeat; quin etiam acus tantùm perforare debet, nequaquam, & perforare, & altera extremitate ſetonem trahere vt nonnulli imperiti faciunt, quia candens apprehendi non poteſt propter multa incommoda. aliàs vbi ſetonem imponebam, ipſum acum alligabam filo; ſed potior, & expeditior modus eſt,vt ſetonem cum puntali longo, & anguſto, vt vulgo dicitur adſtrictum habeatis paratum,& ita imponatis.

Qualis acus pro ſeta ceo futura ſit.

Quomodo ſeto imponẽdus.

LOCVS aptus eſt in occipitio,non quidem ita ſuperius,vbi os caluariæ tangitur; neq. adeò inferius, vt extra Capillos,& in ceruice potius ſit, hoc enim dolet propter aſperum ſetacei contactum,illud autem parum proficit,quod interius contentos humores ſupernacuos non expurget,qua Capilli quaſi per duos digitos terminantur,vbi cauitas tangitur,ſimul atque ſpinalis medulla deorſum fertur,vbi tum via ampliſſima in cerebrum habetur, tum venæ ea diſcurrunt. Igitur digito indice hac percepta cauitate, quæ ſanè capillis tegitur, qui propterea ante deradendi ſunt ſtatim attramento ſcriptorio locus per longitudinem notandus ita vt linea in media cauitate fiat; & ne medius locus aufugiat æger rectam ceruicem medio offerat; mox chirurgus ambo foramina, tum a dextris, tum à ſiniſtris ſimiliter attramento ſignet ſic, vt vtriuſque foraminis interſtitium ſit vnius tranſuerſi digiti cum dimidio alterius plus minuſue prout corpus vaſtum eſt; tum digitis primo forcipe cutis apprehendenda,ad ſeque trahenda ac ſtringenda eſt ad bonam patientis tolerantiam potiuſque cum aliquo doloris ſenſu ſtringere oportet, ſic enim obſtupeſcente perforanda parte nil ferè doloris ſenſu ſtringere oportet, ſic enim obſtupeſcente perforanda parte nil ferè doloris ægri perſentiunt eaq. ratione apprehẽdẽda cutis eſt, vt anterius linea per longitudinẽ facta, tum vero vtrinq. foraminum notæ perforcipis foramina oculis obijciantur: tum acus ignita momento ferè temporis traijcienda eſt: deinde puntalis vulgo,aut filum, vel altera acus ſetonem trahens immitenda,ſetoq. reliquendus, ſetonem appellamus chordam ſeticam, quam relinquimus, quæ ſeto ab auctoribus paſſim appellatur, quod, vt puto,ex ſetis equinis iam fieret,ſed cum nimis aſpera in parte ſentiente cuntactus ratione facilè inflammationem moueret,mutata materia retentum nomen eſt, ſeto autem per foramen tranſit, aut per acum magnam filum trahentem ſetonis extremo adnexam,aut in vltero ſetonis extremo coaptato rotundo ſpecillo,puntale vulgo,longiore tamen,quam in ligulis ſit.

Locus in occipitio ſetaceo aptus.

Quomodo ſetacei loci ſignandus ſit Seta cei inuẽdi modus.

Vnde ſeto appelletur.

Quomodo ſeto traijciatur.

SVNT; qui volunt ſetaceum fieri per colli longitudinem, ita vt foramina recta ſint, vt vnum directè ſupra aliud ſit,ſed falluntur. Primò quia non poteſt apprehendi, & perforari cutis trãſuersè: ſecundò quoniam alterum foramen, vtputa ſuperius eſſet ſuperuacuum, vt ideo præſtaret ex aliquorum ſententia fonticulum parare.

Nonnullorum de ſetaceo opinio, qua reijcitur.

QVI tamen haud probatur tum quia fonticulus difficulter ea geſtatur in parte. pilaq. ægrè detinetur propter loci, & partis decliuem ſitum; tum quia ſi vtilitas ex euacuatione materiæ ſperanda, expectandaque eſt, magis vtique ex duobus, quam ex vnico foramine expectanda,ſperandaque venit.

Fõticuli in occipitio vſus refellitur.

DE EXVSTIONE OCCIPITII IN infantibus, & Puerulis.

Quare iuuetur occipitium puerulis.

SOLET quoque occipitium ferramento candente comburi, idque potissimùm in infantibus nuper natis, & puerulis, cum aliquod Epilepsiæ, Apoplexiæ, vertiginis, signum apparet, seu dispositio hæreditaria adest, sopor inuadit, idque cum manifesta, & præsentissima sæpenumero vtilitate, estque tam frequens huiusmodi Chirurgia in quibusdam regionibus, vt Florentiæ fortè propter Aeris humidam frigidamque constitutionem, vel nulli, vel certè pauci sint pueri, qui hanc chirurgiam euadant, quæ vti tutissima est, ita strenuè, humores pituitosos superuacuos in cerebro consistentes reuellit, & expurgat. Ergo ferramento occipitis cauitati accommodato, nunc rotundo, nunc ouali, & oblongo, pro loci varietate; & in tenella ætate leniter attingitur pars, & in exiguo periculo semel, in maiori bis, terue adigitur, sic vt vbi multos dies seruare apertum locum oportet, altius, vbi pauciores leniùs adigere ferramentum conueniat. Postea butiro prosequimur, & Diapalma, aut triapharmaco, vt crusta decidat, & pars excoriata multos dies aperta, & fluens detineatur. In adultis quoque eadem ministratur Chirurgia, vbi aut epilepsia, aut apoplexia, aut sopor, similisue affectus inuadit.

Vbi dicta chirurgia in frequentissimo est vsu. Dicta inuste humores à Cerebro auertit, & expurgat. Quibus ferramentis ab soluuntur. Ministrandi modus. Adultis est occipitium aduredi, & quibus in casibus.

DE PALPEBRARVM OCVLOS irritantium vitio.

ACAPITE ad oculos descendentibus Palpebræ primò occurrunt; quarum Chirurgiæ licèt multæ absente Morbo expleri nequeant; magna tamen ipsarum pars administrabitur ab Ancyloblepharo exordiendo.

DE ANCYLOBLEPHARO.

ANCYLOBLEPHARON Græcis ἀγκυλοβλέφαρον vitium est, in quo Palpebræ inter se coalescunt, oculusque aperiri nequit: interdumquo etiam Palpebræ cum Oculi albo cohærescunt, quod euenit, cum vlcus negligenter in vtroque curatum fuit: vbi enim vlcus ad sanitatem vergit, vt Palpebræ inuicem diducantur, neque inuicem glutinentur, lineamenta, aliaque huiusmodi corpora interponenda sunt.

Vnde ancyloblepharum veniat.

NEQVE solum id palpebris accidit, sed etiam digitis, qua se constringunt, exulceratis. Accidit etiam fœminæ cui vuluæ labia ita coaluere, vt secum vir coire nequierit donec scalpello coalitus incisus fuerit: Paulus non solùmmodo albo oculi, verùm etiam cum cornea palpebras coalescere dixit. Diducuntur Palpebræ inter se cohærentes non difficulter ex Celso, sed rursus facilè glutinentur. & duplex est modus sperandi, vt dicit Celsus ad Palpebras inuicem commissas sperandas. Alter auersum specillum inserendum, diducendæque eo palpebræ sunt: deinde exigua pennicilla interponenda, donec exulceratio eius loci finiatur. Altera ad palpebram cum subiecto oculo cohærentem administratur, & Heraclidis Tarentini modus est, qui voluit, aduerso scalpello subsecandum esse inter vtrunque oculum, scilicet, & palpebram magna cum moderatione, vt neque ex oculo, neque ex palpebra quicquam abscindatur; at si necesse est, ex palpebra potiùs,

Triplex ex Celso palpebras deducendi modus.

potiùs, quem modum ex ſententia mentis ferunt parum profuiſſe, quia rurſus palpebra oculo agglutinatur, hæ ex Celſo Chirurgiæ ſunt. Paulus verò alias duas proponit, vna eſt, vt auriſcalpium ſub palpebra ſubijciatur, & ſuper ea diſſecetur: altera, vt palpebra primùm per hamulum delata ſcalpello ad Pterigia excidenda idoneo diſſoluatur. Circa huiuſmodi operandi modos, & inſtrumenta, quibus palpebræ communiæ ſeparantur, primò ſeſe offert Celſi maximè proprius latine loquendi modus, quem ego inter cæteros admiror, dicit auerſum ſpecillum inſerendum, & rurſus ſubdit aduerſo ſcalpello ſubſecandum. pro horum intelligentia nunc ſcire ſit latis, ſpecillum eſſe inſtrumentum oblongum, & teres, aut æneum, aut argentum, aut plumbeum, quo fiſtularum ductus pertentantur, cuius alterum extremum latius, alterum anguſtius eſt, vulgò ſtilo. De latiore loquitur Galen. 13. Method. capit. 5. cum dicit lato ſpecilli mucrone pulueres ſupra vlcus volutare, tenuius extremum interdum acutum eſt mucronis modo, interdum habet extremum globulum rotundum, & politum. plura de ſpecillis in fiſtularum tractatione, ſed quod ad propoſitum locum attinet, dupliciter curat Celſus palpebrarum coalitum; nam vel inſerit ſpecillum auerſum, vel ſubſecat ſcalpello aduerſo, per ſpecillum auerſum intelligit latiorem ſpecilli partem, per anguſtam, quæ inciſoriæ facultatis non eſt expers; propterea dicit auerſum, quaſi dicat dorſo ſpecilli. ideſt, latioris partis dorſo, aut rurſus auerſum ſpecillum inſerendum, ideſt, recuruatum, vt gibba pars palpebram reſpiciat; quo inſerto, diducendæ palpebræ ſunt: quod fiet eam attollendo ſpecilli partem, quæ manu comprehenſa eſt: hanc expoſitionem veram eſſe ex eo patet, quòd auerſus participium ab auerto, ſignificat, qui terga oſtendit, cui opponitur aduerſus, vt apud Ciceronem 2. de Orat. quod totum conſentit Celſi dictis, qui dum dicit, auerſum ſpecillum inſerendum, intelligit tergus ſpecilli, quòd ſcilicet tergus oſtendat, hoc eſt, recuruam, ſeu gibbam ipſius partem inſerendam eſſe, quæ reſpiciat glutinatas palpebras. In quo etiam conuenit Paulus, dum auriſcalpium inſerit, ideſt, curuam auriſcalpij partem. Quæ veritas ex eo tandem manifeſtatur, quod dicit Celſus lib. 7. cap. 7. de vngue oculorum, vel aduerſus in ſedili contra medicum homo collocandus, vel ſic auerſus, vt in gremium eius caput reſupinus affundat. Rurſus in altera operatione dicit aduerſo ſcalpello ſubſecare, ideſt, ſcalpello, quod habeat aciem palpebris oppoſitam ſubſecare, ideſt, ſubterſecare oportet, ex quo conijcere eſt, vtendum eſſe ſcalpello recuruo, ſeu falcato, vulgò gamaut, aut altero ex his conſimili, quod ex vna tantum parte aciem habeat, ex altera retuſus ſit; nam ſi rectus ſcalpellus vſurpetur, qui ex vtraque parte aciem habeat, vt eſt phlebotomum inſtrumentum Chirurgicum vulgo lancetta, poterit oculus ſubiectus altera acie offendi, quod etiam Celſus vitat, & quia eſt periculum offendendi & oculum, & palpebram; ideo Celſus monet, potius offendendam eſſe palpebram, vbi aliter fieri non poteſt. Ideo ego, vt neutrum offendatur, laudo, vt non ſolùm ſcalpellum falcatum vſurpetur, & ex altera parte incidens ad oculi tutelam; ſed etiam, ne palpebra alibi quam non eſt opus incidatur, & dum taxat in mutua ſecetur commiſſione. Laudo, vt ſcalpelli mucroni annectatur puſilla pila oblonga, & acuta ex cera alba, vt immiſſo ſcalpello inter oculum & palpebram exterius digito pertẽtetur locus incidemus antequam ſecetur, quo percepto tum demum perforetur, & incidatur, quæ omnia locum expoſtulant ita apertum, vt inſtrumentum immitti poſſit, & reuera nunquam in hoc affectu vniuerſa palpebra ferè ex toto coaleſcit. Ex his patent quoque Chirurgiæ in ancyloblepharo.

Dupliciter Celſus palpebrarum coalitũ curat.

Celſi expoſitio.

Dicta expoſitionis veritas patefit.

Dicit Paulus aſſeritur.

Eadem veritas ex eo probatur.

Quibus inſtrumentis vtendum ſit ex veterum ſententia.

Circa dicta inſtrumẽta auctoris ſẽtentia.

DE VERRVCIS PALPEBRARVM.

Pro verrucis deturbandis Auctoris medicamentum.

PAVLVS lib.6.cap. 17. Palpebrarum verrucas volsella prehendit,& scalpello amputat. Ego autem dimissa Chirurgia, quæ omnino dimittenda est,quando medicamentum sanare potest, tusam portulacam, vel sabinam puluerizatam subinde suppono, & verrucas extermino tum ex palpebris, tum ex omni alia corporis parte.

De Vesicis pinguibus, grauibusq;in superiori palpebra obortis.

Palpebrarũ vesicæ ex genere abscessuum sunt, qui tunica includũtur

CELSVS lib.7.Cap.7.ait, quòd in superioribus palpebris vesicæ nasci solent pingues,grauesque, quæ vix attollere oculos sinunt, & palpebram aperire. Eas experientia doctus testor ex genere abscessuum esse, qui tunica includuntur, in qua duplex continetur materia, seu substantia; altera pinguis grauisque, vt dicit Celsus, atque etiam Paulus lib.6.cap. 14.qui hydatida affectum hunc nominat: altera pulticulæ similis atheroma nominandus abscessus est, quem ego vidi ex extractione,seu incisione curacium, qui erat vt nus iuglandis magnus, & palpebræ omnem motum adimebat. Ambo (vt dixi)abscessus sunt & vesicæ.in pueris nasci Celsus voluit,at atheroma in adulto vidi. Ambo tunicam habent, quæ materiam continent: propterea Celsus vult,incidendam esse vesicam, suspensa leniter manu, ne vesica ipsa vulneretur, tunc enim molestius est propter humoris in folliculo contenti exitum, quem amplius colligere non est, vt folliculus integer cum eo extrahatur. Oportet igitur compresso digitis duobus oculo atque ita cute intenta scalpello transuersa linea incidere. Transuersa Celsus secat linea, vt sequatur fibras musculi transuersas, ne incidantur; vbi autem locus patefactus est,vesica prorumpit,& digitis eam apprehendere,&euellere licet,facilè enim in pueris sequitur. Sed in adulto, & maiori turmoe fundamentum atheromatis non digitis euellere,sed præcidere oportet, quia vena subiecta est, à qua & alimentum,& augmentum tumor assumit. Si igitur integer extrahitur tumor,idest cum integro folliculo,tum labia è vestigio glutinare oportet,quod si inciditur, vt vesica sub Chirurgia vulnerata sit, puri mouendo studendum est,quo tum materia vniuersa exeat,tum vesica putrescat.

In pueris potissimum dictas vesic. nascuntur. De Atheromate Auctoris sententia. Dictas vesicas incidendi modus.

DE HORDEOLO.

EIVSDEM generis exiguum tuberculum est, quod Latinis passim hordeolum, κριθὴ Græcis dicitur ab hordei similitudine ita appellatum, nam & ipsum quoque in tunica includi Celsus testatur, continerique in ea quiddam, quod difficulter maturescat, vnde ipsis vesicis, atheromateque crassiorem, densioremque materiam continere par est, cui plerumque sanguis admiscetur. Hoc tuberculum super pilorum locum oboritur, & propter eius paruitatem modò discutitur, modò concoquitur. discutitur si calido pane,vel cera subinde calefacta fouetur, vbi autem concoquitur, & pus se ostendit, scalpello discindi debet,& quicquid intus humoris est exprimi.

DE CHALAZIO.

RITVR insuper & in palpebris prope pilos tuberculum similiter exiguum, quod figura tamen varium à prædictis est, sed & mobile, ac lubricum, digitoque huc atque illuc impellitur, vt grando, præterque sui lubricitatem etiam mobilitatem obtinet, ideoque χαλάζιον vocatur Græcè, quam quoque substantiam æmulatur quod vt grando album ac diaphanum quodammodo visitur. Incidere ipsum oportet, si sub cute est, ab exteriore parte; si subcartilagine, ab interiore; de in scalpelli manubriolo diducendum ab integris partibus est, & extrahendum. *Chalazij ratio.*

De Pilis Palpebrarum oculos irritantibus.

ELSVS lib. 7. Cap. 7. de Palpebrarum pilis agens, qui oculum irritant, & Chirurgia indigent, dicit, pilos, qui in palpebris sunt, duabus de causis oculum irritare; nam modò palpebræ superioris summa cutis relaxatur, & procidit; quò fit, vt eius pili ad oculum ipsum conuertantur, quia non simul quoque cartilago se remisit relaxataque est; modò sub ordine naturali pilorum alius succrescit ordo, qui protinus intus ad oculum tendit. Curat Celsus hoc modo: tenuis acus ferrea ad hastæ similitudinem lata in ignem conijcienda est, puto ego, hanc acum futuram esse. vt est ea, qua vtuntur qui calceamenta ex corio facta consuunt: deinde candens, sublata palpebra sic, vt eius noxij pili in conspectum veniant, sub ipsis pilorum radicibus ab angulo inurenda est, vt ea tertiam palpebræ partem transeat, deinde iterum, tertiòque vsque ad alterum angulum, quo fit, vt omnes pilorum radices adustæ emoriantur. Proponit deinde Celsus alium modum nonnullorum, qui hanc Chirurgiam cum capillo muliebri administrant, quem etiam recenset Paulus lib. 6. capit 13. sed Paulus distinguit num pilus, qui irritat sit vnus, aut duo, aut ad summum tres; in quo casu Chirurgiam administrat, hoc modo per acus tenuissimæ auriculam capillus muliebris, aut simplicissima byssina linea transmittitur, duobus simul extremis commissis, vt quod intenditur duplicem habeat ansulam, alterumque huiusmodi pilum, aut capillus ansulæ inquam, traductaque acu per cilium, vbi pili enati apparent, pilum, pilosue ansulæ impositos auriscalpio detrahemus, & siquidem palpebræ pilus prehensus est, ansulam attrahamus; sin verò vnus, aut plures exciderint per iniectum principium rursus ansulam deorsum trahemus, itemque pilo seu pilis in eam positis attrahemus. at si vnus duntaxat pilus gracilis oculum pungat, etiam alterum ex naturalibus pilis palpebræ simul euellemus inunctam pinùs gummi, aut alio quodam glutinante, deligabimusque donec pilus coalescat. *Quibus de causis palpebræ oculos irritent.* *Ex Celso curandi modus.* *Ex Paulo curãdi modus.*

TERTIAM adhuc Chirurgiam proponit Paulus, fortè cæteris potiorem, quæ est, vt inuersa palpebra, & extracto volsella pilo, aut pilis pungentibus candens aut specillum, quod vtroque in extremo cuspidem habeat; aut auriscalpium, aut eiusmodi aliquod tenue instrumentum in loco euulsi pili adigatur, sic enim cute densata nullus pilus postea enascitur.

DE PALPEBRIS LAXATIS ITA, VT CVTIS corrugetur, compliceturq; supra oculum, & ipsum operiat.

Palpebras asperior pilus potissimum offendit.

INTERDVM ex nimia ad palpebras humiditate influente, ac descendente cutis palpebrarum ita laxatur, vt circumplicata oculum operiat, idque facit magis superior palpebra propter pondus: interdum non simpliciter oculum operit, sed etiam pili ad oculum conuertuntur, & oculum irritant: vnde duplex Chirurgia requiritur, vna pilos curat, altera oculum aperit. De prima Celsus lib. 7. cap. ait pilis verò, qui in palpebris sũt, &c.

Duplex in palpebra laxata Chirurgia requiritur.

De secunda verò ita absoluitur, primò atramento scriptorio per duas lineas signamus, quantum cutis detrahendum sit, vt naturaliter se habeat, quod fit, eleuando primum palpebram, deinde notando: postea scalpello falcato pluribus vicibus incidimus totum interstitium cutis atramento notatæ, incipientes in sinistro oculo ab eo angulo, qui tempori in dextro ab eo, qui naribus propior est, & id quod inter duas lineas interponitur incidẽdum est, tum oræ vulneris inter se simplici sutura committendæ, operiendusque oculus est, & si parum palpebra descendat, laxanda vtique, si nimium aut astringenda, aut rursus tenuis habenula apponenda aut cutis segmentum oblongum, ab vlteriore ora excidendum vbi sectum est, aliæ futuræ adijciendæ, quæ supra tres esse non debent. Hæc operatio præter quam quod per quam difficilis est etiam videtur atrox esse, & crudelis, & ideo tanquam obsoleta dimittenda. Ego autem, quando oculum superior palpebra operit, pono glutinum vnum cum duabus tenuibus habenulis supra totam palpebram: alterum vero simile supra supercilium in fronte, tum ambas habenulas superiores attractas inferioribus alligo, & ita aperitur oculus fit quoque vt spacio temporis congruo curetur palpebra beneficio glutini astringentis exsiccantis, & palpebram contrahentis.

DE LAGOPHTHALMO.

Lagophthalmi causa quæ

VICIVM proposito contrarium accidit, quod est quando oculus non contegitur a palpebris, quod si ex vitio superioris palpebræ accidit λαγόφθαλμον, Græci dicunt, prouenit, vel quia nimium excisa cutis est in superiori curatione vel vt Paulus ait ex impositio supra in palpebras causticio medicamento, ex immodica, scilicet, vstione vel alia de causa. Si igitur plurimum palpebræ deest, multa id restituere curatio potest; sin exiguum mederi licet. Paulum infra supercilium cutis incidenda est lunata figura cornibus eius deorsum spectantibus, altitudo plagæ esse debet ad cartilaginem vsque, ideſt, vsque ad substantiam palpebræ membranearn, quam Celsus vt video Cartilaginem nominat. Ego autem addo esse potius vitandum subiectum palpebræ musculum orbicularem, qui cuti proximè subiectus est, qui lædi non debet, alioqui palpebra concideret, neque amplius attolli posset. Tamen diducenda incisio est & linimentum conijciendum vt apertum vulnus, ita carne repleatur, vt palpebra oculum operiat. Quæ Chirurgia, vt videtis, primum obsoleta est, quia magna, incidere enim ab vno ad alterum angulum non est exiguum inferre vulnus: quod si magnum est vulnus ex Celso periculum facit. Deinde alterum inconueniens sua proposita Chirurgia illud est, quod refert Celsus lib. 7. capite de pilis palpebrarum oculum irritantibus. inquit, igitur siquidem sub hac Chirurgia duo circumstant pericula, si nimium fuerit excisum, ne contegi oculus possit, si parum, ne nihil actum sit, & frustra sectus aliquid sit. Ideoque ego, huius Chirurgiæ vice, mitiorem immo mitissimam excogitaui, quæ glutino perficitur: applicetur igitur vnum glutinum, quod duas aut tres habenullas appensas habeat, ad superiorem palpebram, & aliud proposito, & ex aduerso respondens ad gerram: & ad al-

Celsi cura in lagophthalmo.

Authoris nouus modus curãdi lagophthalmum.

ligentur

ligentur habenulæ ſibi inuicem aduerſæ & ſubinde valentius adſtringantur, trahanturque, ita enim diſtendi, & inferior ad ſuperiorem palpebram perduci, & oculum tegi, tandem neceſſe erit. Quod ſi etiam aliud glutinum ſtatim ſupra ſupercilium applicetur cum ſuis habenullis & deorſum propoſito inferius aliud illi reſpondens agglutinetur trahanturque & alligentur inuicem habenulæ; erit & hoc aliud præſidium diſtenſionem ſuperioris palpebræ adiuuans per ſupercilij, & frontis cutem deorſum protenſam, quæ Chirurgia, vti mittiſſima, ita tutiſſima, & feliciſſima eſt.

DE ECTROPIO.

INFERIOR quoque palpebra interdum parum ſurſum attollitur, & ita huius rei cauſa palpebra inferior cum ſuperiore non committitur, nec contegitur oculus, idque euenit vel propoſito curationis vitio, vel ſenectute, ἐκτρόπιον Græci vocant. Curatur Chirurgia, quæ plagæ tantum cornua ad maxillas, non ad oculum, conuertat. Deinde eadem ratione, quæ ſuperiùs propoſita eſt; ſed & hoc quoque loco ommiſſa magna ſectione, & truci glutinium vſurpandum quod rurſum trahat, & palpebram diſtendat inferiorem, ideoque tum inferiori palpebræ tum fronti aduerſum applicandum, & habenulæ trahendæ, alligandæque inuicem ſunt, ita enim congruo temporis ſpatio inferior palpebra diſtenta, & ſurſum tracta oculum operit: quod ſi fomenta præcedant, ex decocto malùe, & chamæmeli, non modicè ad palpebræ productionem proficient, tum in ſuperiori ad logophthalmum, tum in inferiore ad ectropium.

Curatio ectropij.

Fomenta in curatione præmittenda.

DE SVFFVSIONE.

SVFFVSIO Latinis, ὑπόχυμα, Græcis, Arabibus vel aqua vt Albucaſi libro 2. capit. 23. vel Auicennæ libro 3. fen. 3. tract. 4. capit. 18. vulgo cataracta dicitur ſumpta vti opinor denominatione ab illis portis, quæ in Oppidis & Caſtris ſuperne deorſum cadunt, & omnem prohibent tranſitum. Cataracta enim cadens ſuperne à capite in oculos tranſitum lucis & viſioni adimit, vnde ægroti cæci poſtea fiunt. Fit hoc impedimentum ab humore pituitoſo concreſcente intra oculum ad modum tunicæ, ſeu maculæ, ſeu guttæ, ſeu panniculi, ſeu pelliculæ, ſiue aquæ, proinde albam veluti pelliculam intus præſefert intuentibus, & hoc euenit cum iam confirmata eſt, nam initio dum concreſcit, non tunicam redolet, ſed quaſi fumum, aut vaporem, aut nebulam; quò fit vt pro humoris varia denſitate ſic viſio offendatur dum alij, veluti per craſſum aerem, & fumum; alij veluti per nebulam vident: ſimiliter quoque per variam poſitionem variat, etenim humor, etſi perpetuo pupillæ opponitur, id tamen magis, ac minus pro partis, & loci differentia contingit, interdum enim in medio pupillæ exactè humor inſedit, relicto reliquo ſpatio libero, tuncque obiecta in medio occultantur, in circuitu cuncta apparent, in ſumma pro vt pupillæ pars hoc, vel illo occupatur humore, ita viſionem variam contingere patet eſt. Concreſcit autem hic humor in oculo propter oculi potiſſimùm imbecillitatem, quam excitauit, aut caſus, aut percuſſio, aut alia cauſa, à qua imbecillus redditur oculus, qui cum ſua natura frigidus ſit, frigidor ex imbecillitate adhuc redditur, quare non eſt mirum, frigiditatis ſigna poſtea in eo apparere, crudi ſcilicet humoris generationem, eiuſdemque concretionem, denſitatem, & obdurationem, materiæ inquam pituitoſæ, quæ perinde induratur in parte oculi imbecilliore, cuiuſmodi eſt humor aqueus, quem oculi veluti excrementum ex Galeno in Anatome conſtituimus, vt iam ex prædictis pateat, cur concreſcat in oculo pituita, & cur in humore aqueo, quamuis in quo oculi loco exactè concreſcat variæ ſint opiniones, Celſ. lib. 7. cap. 7. inter duas tunicas, corneam ſcilicet, & vueam concreſcere vult, in qua parte locum eſſe

Cataracta vnde dicta.

Cauſa ſuffuſionis.

Quomodo fiat cataracta.

Celſi opinio de loco cataractæ.

Pauli opinio. esse vacuum perhibet, quod non vsque adeò veritati consentire reor. Paulus lib. 6. cap. 21. in Cornea membrana, vt eius verba sonant, suffusio inquit otiosi humoris in cornea membrana iuxta pupillam concretio est, quod falsum puto, quamuis aliter Paulus lib. 3. cap. proprio dicat, nimirum hypochyma affusionem humorum qui inter tunicam ceratoidem, & crystalloidem concrescit, esse. *Galeni sententia.* Gal. 10. de vsu partium cap. 1. & 4. inter corneam, & crystallinum concrescere humorem prodidit, quod Gal. dictum adeò generale est, vt locum hunc veluti prius ignoremus. Ego vero, qui bis, aut ter propria manu hanc fui molitus operationem, plures etiam alios operantes vidi, cum viderem acum immissam retro post vueam tunicam ante tamen suffusionem apparere; in eam veni sententiam, vt vel ad foramen tunicæ vueæ, ideſt, circa eius circumferentiam concrescat humor, vel paulo post ipsum in humore aqueo; verumtamen cum dilatetur vueæ foramen; probabilius est dictu statim post vueæ foramen concretum humorem consistere, quia si in ipsius circũferentia concresceret, non dilataretur, quam tamen instantiam ex Paulo soluimus, qui vult premi oculum suffusum digito, & post compressionem, & motum, si dilatetur pupilla indicio est, suffusionem non confirmatam, si non dilatetur confirmatam esse, quod nouisse maxime ad curationem confert.

Curatio suffusionis. CVRATVR igitur vbi fieri potest medicamentis, hæc enim regia via est, abstinendo quò magis fieri potest, à Chirurgia, quod succedit quando non perfectè concreuerit, & recens sit: ad quam curandam innumera ferè proponuntur medicamenta quæ collyria appellantur ab auctoribus, quæ tamen, quo numerosiora, eò inutiliora, & minus vsurpanda sunt, quia siue pulueres sint, siue liquores, siue modo vnguentorum mollia omnino oculus ita ab his expauescit, vt imponi nullo permittat modo, quod patientis voluntas contra nitatur, vel si coactus permittat, ne momento quidem temporis persistant, sed ex templo vna oculi conuolutione extra abijciantur, quia nullo modo oculi motus inhiberi, & firmari potest. Quæ omnia cum aliquando cum excellentissimis Medicis experiremur atque simul veterum admiraremur opinionem, qui medicamenta quidem propemodum infinita proponerent, quæ tamen vsurpari non possent, & nullum fructum secum propter oculi motum afferrent; annulum plumbeum, quo oculus firmaretur proprio Marte parandum iussimus, qui neque oculum quietum reddere potẽs fuit, ita vt medicamenta ex templo non elaberentur. Tandem cum viderem, possibile non esse oculum firmare, modum *Authoris inuentum nouum pro remedijs oculis applicãdis.* inueni, quo Medicamenta in oculo persistant etiamsi oculus moueatur, qui completur vitreo vasculo, seu cucurbitula vitrea, cuius os respondeat orbitæ, seu cauo, ac subcauo ipsius oculi, in qua cucurbitula imponi possunt liquores, & aquæ, & vna cum liquoribus etiã pulueres misceri possunt; & appositа ad oculum cucurbitula, & sursum elata primum palpebris clausis inde sensim, & sensim, adapertis facilè hac ratione expertum est ægrotantes tolerasse medicamenta, eaque diutius in oculis constitisse, & vim eorum cum fructu percepisse, & est modus generalis; quo etiam curari possunt omnes oculorum affectiones medicamentis siue externæ, siue internæ sint. Sed quod ad cucurbitulas attinet, primo tempore quæ à nobis excogitatæ sunt, vsi sumus communibus cucurbitulis, quæ adamussim responderent cauo & subcauo oculi ne humores incircumferentia affluerent, & manu supra oculum detinebantur quod cum incommodum esset ideo commodiores postea factæ sunt cum manubriolo ex vtraque parte efformatæ, per quod habenulæ transmissæ ad occipitium alligarentur. Quia verò è cucurbitula aqua facilè fluebat cum rotunda sit oculi verò domicilium oblongum vltimò paratum est vitreum vasculum oblongum ex crystallino vitro confectum exactè oculi orbitæ respõdens, quod circa caput arctè alligatum exacte aquam tenet neque diffluere finit. Quia verò aqua quæ in vasculum immittitur, tepida futura est, quò non solum frigore non offendat, verum etiam oculum rarefaciat & medicamento penetrationem inducat tepida autem aqua euaporat vapor autem exitum non habens circumpositas oculi partes comprehendere, & foras oculum ad se trahere, simulque trahere aliunde ad oculum humores poterat, tandem turba, seu tubulum perforatum superius per quod vapor expiraret vasculo adiunctum est, atque ita confectum, & efformatum vasculum

ſculum eſt propoſito vſui aptiſſimum, & accommodatiſſimum ad continendum videlicet in oculo medicamentum tenue & aqueum, cuius contactum facilè oculus ſuſtinet, quod etiam vtile eſt, vt per infundibulum foramini admotum liquores immittantur, & hoc ſa piſſimè incipientes ſuffuſiones ex toto diſcuſſæ fuere. Inter cætera autem medicamenta, quæ, vt dixi, ad ſuffuſiones infinita propemodum ab antiquis proponuntur, vnum habeo expertum ad incipientes ſuffuſiones optimum, ſi modò prædicta vſurpetur ratione, & eſt aqua eufragiæ, chelidoniæ, & roſarum cum modico aquæ vitæ primæ deſtillationis cui diſſoluendi, attenuandi, & penetrandi vis ineſt, quæ ſunt intentiones in propoſito caſu potiſſimæ. Sed hæc ſcopum noſtrum excedere videntur; agamus modo de manuaria operatione. Cum ſuffuſio perfecta eſt, tunc omnes volunt ipſam Chirurgia curari debere, quod Medicamenta oculum quidem irritent, nihil autem iuuent ob nimiam concretionem, & duritiem ipſius ſuffuſionis, & quod etiam in profundo ſit, quæ abſoluitur ſi acu deponatur deorſumque deducatur. Antequam dico ſciendum medicamentis ſuffuſionis curationem eſſe tentandam cum patientes adhuc aliquem viſionis ſenſum habent, qui aut veluti per fumum, aut veluti per velum, aut denique veluti per nebulam vident; nam ſi vlteriùs viſus deperdatur, conſummata eſt ſuffuſio, in qua propter concretionem humorum membranularque denſitatem penitus viſoria acies impedita eſt, quæ Chirurgia tantùm ſuperatur, quæ alioqui enixè vitanda eſt, vt ideo Celſus libr. 7. capit. proprio iure dixerit ſuffuſionis Chirurgicam curationem inter ſubtiliſſimas haberi, quaſi dixerit inter ingenioſiſſimas difficillimaſque numerandam eſſe propter quam cauſam antequam ſuffuſionis Chirurgiam proponat, vult oculi conſtitutionem, & fabricam Chirurgo perſpectam, & cognitam eſſe, ideoque eam proponit. Habetur igitur inter ſubtiliſſimas ſuffuſionis Chirurgia quia non ſolum oculi naturam perſpectam ſupponit, ſed etiam multas alias difficultates, & conditiones ſecum habet coniunctas & à Celſo relatas. Ideoque ipſum legatis, quia non eſt, quod qui piam exactius elegantius, aut doctius rem hanc explicare tentet, omnia enim tum quæ ad ſuffuſionis differentias, prognoſticum, ſigna ad oculos, & homines huic chirurgiæ magis minuſque apros ad locum pungendum, ad modum operandi Celſus luculentiſſimè proponit, vt propterea nil reliqui huic loco ſit, niſi Celſi verba percurrere. Inquit Celſus vitij eius plures ſunt ſpecies &c.

Medicamentum pro ſuffuſione Authoris.

Chirurgia in ſuffuſione.

Hic eſt modus, qui ab omnibus auctoribus deſcribitur Celſo, Paulo, Albucaſi, & cæteris, in quo nullo pacto difficultates quæ occurrunt reticere volo. Primum igitur vidi Chirurgos huiuſmodi operationem priuatim profitentes, quos merito ocularios appellamus interdum bene, & feliciter operatos fuiſſe, ſæpenumero etiam infeliciter, quia interdum ab ipſis vuea tunica nimium diducebatur interdum rumpebatur, ex quò vel admodum amplificatum, vel diſtortum etiam pupillæ foramen poſtea redditum eſt, cum viſus læſione interdum ſub operatione oculus vniuerſus intus conturbabatur cum cæcitate eiuſdem oculi non rarò ſuccedebant poſtea magnæ inflammationes ſimiliter cum ipſius viſus ablatione, nonnunquam ſi nihil apparebat in oculo, tamen malè omnino homines videbant, neque cauſa vlla patebat. Propter hos omnes euentus credidi Chirurgos propoſitos potius caſu, quam arte operari, & fortuito euentus prouenire, vnde volui ego quoque huiuſmodi tentare operationes, quas bis aut ter molitus ſum à quibus poſtea deſtiti. tum quia iſti me odio habebant, tum deinde, quia in huiuſmodi operatione attentiſſime diutiùs oporteret oculis intueri ſentiebam ex hoc etiam dignam in meis oculis læſionem, ne forte dum aliorum oculos iuuare cuperem, meos amitterem, tum denique quia opinatus ſum modum adminiſtrandi ab his aliquam inſignem partem neceſſario offendere, quam præcauere difficillimum omnino erat, vt non immeritò Celſus inter ſubtiliſſimas operationes habeat ſuffuſionis curationem, quamuis ij, quos ego curaui, vel adiuti fuerint, vel ſaltem non læſi, ita vt melius, quàm priùs poſtea viderint. Credidi igitur hanc operationem ab iſtis fieri non poſſe abſque cryſtallini perforatione, & ratio primum hoc perſuaſit, deinde experientia, ſiquidem facta punctione in oculi albo diſtante, notabili ſpatio à cornea tunica, & ab iride verſus angulum externum, neceſſariò cryſtallinus læditur quia vt anatome indicat, circulus, qui cryſtallinum diuidit anteriorem, à poſteriore vbi omnes

Authoris auſus.

oculi

oculi tunicæ ipſi cryſtallino in orbem nectuntur eſt ad corneam,& prope corneam propter quam cauſam in albo oculi fieri non poteſt punctio, niſi per cryſtallinum tranſeat, & ſit neceſſarium vt omnes hæ oculi partes pungantur,ac perforentur,muſculorum neruoſæ partes, ſclerotica,choroides retina tunica,humor vitreus, & cryſtallinus, vltimò aqueus humor, & fortè vuea ita vt nulla ſit pars oculi quæ ſub hac operatione non patiatur, non perforetur, rumpatur, aut dilatetur, idque duplici modo vel punctione,vel motu ipſius acus. Oportet modò cogitare, quare omnes hæ patiantur partes, potiſſimumque illæ, quæ magis patibiles ſunt dum acus ſurſum,deorſumque mouetur ad deponendam ſuffuſionem aut vt rectius dicamus : quæ ſuccedunt ad paſſiones propoſitas amplificationem certè id quod experientia quotidie confirmat,& indicat,ſcilicet,conturbationem totius oculi ex perruptis propter acus motionem venis in choroide, aut foraminis pupillæ impenſam dilatationem,diſtorſionem, & confuſionem,ex vuea dilatata aut perrupta,aut ex vaſis etiam ipſius læſis,inſuper inflammationem inſignem ex omnium oculi partium perforatione,diſtenſione,& attritione ex motu excitatis, denique quod peius eſt, diminutam viſionem aut omnino cæcitatem, ac non rarò etiam ex ipſius cryſtallini in duas partes diuiſione ab acu facta propter motum,ſurſum, deorſumque ſæpe repetitum, & quod ſumma eſt inflammationem alterius oculi ſani per conſenſum, vt ex his non ſit mirandum infeliciter vt plurimum hanc operationem propoſitis Chirurgis ſuccedere, Quod ſi velimus his omnibus occurrere vtique poterimus,ſi fiat aut in cornea punctio, aut in albo, ita propè corneam vt non longe à propoſito circulo vbi tunicæ omnes cryſtallino adhæreſcunt acus tranſmittatur,ſic enim cryſtallinus fortè,aut non offendetur,aut quam minimum ad eius videlicet tantummodo circumferentiam intacta atque incolumi remanente pupilla, vtcumque etiam læſa quam minima cryſtallini parte ipſum corrugari propter aranceæ punctionem aliquod immineat periculum. Sed detur propter ligamenta circumpoſita hoc incommodum non ſuccedere, illa tamen neceſſariò eueniunt,quia ſi cornea perforabitur humor aqueus exibit,cum oculi omnino vitiata læſione: ſi prope corneam tam pauca copia acus ingredietur, vt prorſus ad motum ſurſum, deorſumque ad ſuffuſionis depoſitionem reddetur inepta, vnde eſſe vndique anguſtias compertum eſt. Igitur ſi aliqua datur in ſuffuſione opera tuta,ea fortè erit, vt vel acus propè corneam immittatur,vel ſi aliquanto longius à cornea,non tamen tantum quantum illi faciunt. Locus hic ab Albucaſi libro ſecundo capite 23. his verbis notatur, pone extremitatem acus prope corneam per groſſitudinem radij in ipſa albedine oculi, quæ reſpicit minorem angulum. Paulus autem lib. 6. cap. 21. hunc locum ita notat, & diductis palpebris recedemus ab iride appellata quantum ſpecilli cuſpis ſpatij continet, quod dictum Albucaſi conſentit, qui ſpecillum radium nominat, quod fortè ex latiore parte tendat in anguſtum, vt quilis luminis radius. Celſus autem locum hunc vult eſſe medium inter nigrum oculi & angulum tempori propiorem è regione mediæ ſuffuſionis. Aduertendum eſt,vt tranſactis tunicis & acus cuſpide ad cauum perueniente ſtatim obliquè ſecundum tunicas internas aut prope eas acus ſenſim tranſmittatur,quoad cryſtallini terminos,& propè concurſum tunicarum a poſterioribus ad anteriora progrediatur.

Quare omnes oculi partes patiantur.

Qua operatio chirurgica detur in ſuffuſione.

Cautio.

DE STAPHYLOMATE.

Staphyloma Græcis σταφύλωμα ex Paulo lib. 3. cap. proprio, tunicæ vueæ procidentia eſt, πρόπτωσις Græcè, quæ eroſa ruptauè tunica cornea accidit. Quam ſanè procidentiam Celſus lib. 7. c. proprio ait fieri aut ruptis intus, aut laxatis membranis quibuſdã, quæ proculdubio non alia, quàm vuea tunica eſt, Vnde Paulus lib. 6. cap. 19. dixit, eſſe vitium rhagoidis debilitatę, aut vitio defluxionis, aut exulcerationis. Celſus autem non expreſsè dixit tunicam corneam ruptã eſſe, aut eroſam, ſed ſublatam tantum, ideoque dixit nonnunquam ſumma attollitur tunica cornea, quod ſimiliter Paulus non negat lib. 6. cap. 19 facilè tamen dignoſcitur, cum attollitur, aut rumpitur, ex ſuperficiei corneæ aſpectu, & continuitate; quamuis ego multò ſæpiùs procidentiam ex eroſa, aut rupta tunica cornea, quam ex relaxata aut protuberante vidiſſe meminerim. Quia verò per magis, & minus non modicè variat vueæ procidentia, propterea Paulus etiam diſtinguens dicit, quod cum nondum creuit, muſcæ capitis ſimilis ſit, Myocephalon nominatur. Cum verò amplius, & couſque ſuccreuerit, vt acinum vuæ repræſentet, Staphyloma dicitur. Vbi tandem plurimum factum eſt procidentiæ augmentum, ita vt palpebras tranſiliat, Melon, hoc eſt, malum appellatur. Quod ſi occaluerit, Clauus tunc dicitur. In omnibus penè viſus deperditur, ſed decoris gratia cura adhibetur, & exoptatur, à pleriſque autem negligitur, quòd viſione amiſſa decorem non amplius curent, cum præterea timeant ne ſub Chirurgia totus oculus euacuetur, & ita aut eadem, aut maior ſequatur deformitas, qui tamen non rectè ſentiunt, quia maior deformitas quam in ſtaphylomate ferè contingere non poteſt, quod niger, aut liuidus tumor ſit, vt plurimum inæqualis, læuigatam corneæ ſuperficiem corrũpens, & aſpectu horridus ſit, ac turpis, præterquam quod corrigi poteſt deformitas cortice Smalti vulgo dicti, ad alterius oculi ſimilitudinem depicti, de quo infra.

Staphyloma quid ſit.

Myocephalõ quid ſit

MYOCEPHALON Græcis μυοκέφαλον medicamentis aſtringẽtibus curatur, quorum Paulus multa proponit. Sed ego laudo, vt ligni Sancti fructus immaturi contuſi apponantur, qui etiam ſtaphylomati conueniunt. Sed ſi ſub his ſtaphyloma non curatur, quod ſæpè euenit, aut quia incurabile euaſerit, quod callum contraxerit, & album factum fuerit, in eo caſu ad Chirurgiam recurrendum eſt.

Curatio Myocephali

QVAE ex Celſo duplex eſt, ex Paulo ſimplex, qui tamen parum à Celſo variat. Prima cura perficitur tranſmiſſa acu duo lina ducente ad ipſas radices ſeu baſim per medium ſtaphyloma; deinde alterius lini duo capita ex ſuperiore parte, alterius ex inferriore aſtringere inter ſe oportet, quæ paulatim ſecando id excidunt.

Curatio Staphylomatis.

NOTETIS, Celſum, qui ad amuſſim ſemper loquitur, tres vſurpare voces, filum, linum, & aciam: filum videtur eſſe genus ſub ſe continens linum, & aciam; linum autem poteſt duplex eſſe, vel fibra ex lino pexo aſſumpta, vel ſimplex filum, quod nendo primum fit, quod puto Celſum, & alios per linum ſignificare & intelligere; quod adhuc duplex eſſe poteſt, vel crudum, vel coctum, ex quo tela conficitur; crudum eſt, quod primum nendo fit: In ſumma linum eſt filum tenue ſimplex, & non tortum. Contra acia, vulgo hic azza, alibi reffe, eſt filum ex duplicato lino compoſitum, & intortum, vnde craſſius eſt & robuſtius. Vſus vtriuſque eſt ad alligandum quidpiam & ſtringendum, ſed tamen ſcopus eſt vtriuſque diuerſus: Nam linum ſtringitur, vt ſecet, acia verò vt contineat, vnde Celſus lib. 5. cap. 26. acia vtitur ad conſuenda vulnera, vt labia ad mutuum contactum adducta conſeruet, quæ nè incidat, nos eam ſolemus cera etiam candida oblinire, & glutino quoque iuuare. At linum vſurpamus, vt ſtringat quidem, ſed ſtringendo aſtrictum corpus poſtea ſecet, vt patet hic in ſtaphylomate, & paulò poſt in oculi vngue, quod vſurpat ad vtrumque excidendum.

Differentia inter filum linum, & aciam. Linũ quid ſit.

Acia quid ſit.

Vſus lini & acia.

NOS autem vbi excidere, & ſecare quidpiam oportet, vtimur ſerico filo ſimplici, & non

Author ſerico vtitur.

Paulus seta aquina.

& non torto, atque etiam rubeo, quòd tinctura etiam sectionem adiuuet; & Paulus ad secandum modò quidem linum vsurpat, modò verò pilum equinum, aut ex cauda, aut iuba, seu collo sumptũ, vt in sequenti Chirurgia de pterygio patebit, in qua pilum equinum eligit tanquam ad secandum lino validior sit: sed cæteris adhuc validius est filum sericum simplex, tenue, & non tortum. Ad rem igitur redeundo, huic curationi Paulus subscribit, nisi quod acum addit sine filo, quæ priore loco ab inferiore parte sursum per basim staphylomatis traijcitur, quam manere vult, quousque fila alterius acus inter se supra infraque astringantur: quod facit, vt puto, vt fila tutò propè radicem staphylomatis ad corneam astringantur. Nam staphyloma interdum basim habet angustiorem, quàm sit eius reliquum corpus, in quo casu sufficit sola acus filum trahens, vt alligetur tutò ad basim staphyloma: interdum basis staphylomatis est latior reliquo, in quo casu requiritur etiam acus Pauli, quæ facit, vt circa basim prope corneam staphyloma astringatur, neque astrictum linum elabatur. Quo facto detrahitur acus, & lana oui liquore imbuta imponitur ad inflammationem arcendam, postea oculum lenire oportet, donec fila simul cum staphylomate decidant.

Curatio Staphylomatis secundum Paulum.

Secundum Celsum.

ALTERA Celsi cura est, vt in summa parte eius ad lenticulę magnitudinem excidatur, vt portio eius auferatur & exulceretur, deinde spodium aut cadmia infricetur, vt scilicet reliquum exiccetur. Vtrolibet autem facto, album oui lana excipiatur, & imponatur, postea vapore aquæ calidæ foueatur oculus, & lenibus medicamentis inungatur.

De Vngue Oculorum.

Vnguis descriptio.

TSI vnguis Oculi, πτερύγιον à Græcis vocatus, non sic facilè describi possi, tamen si membranam neruosam fibrosamque mente concipimus in magno potissimum oculi angulo obortam, & supra oculi album vsque ad corneam productam, nonnunquam etiam ad pupillam vsque extensam, & his partibus validè copulatam & inhærentem iam oculi vnguem descriptum ad vnguem habebimus, qui nascitur, & augetur per venulas in membranulam discurrente. Sæpius, ait Celsus, à narium, interdum etiam a temporum parte nascitur, & vbi pupillam tegit, ei officit, qui si recens sit, & tenuis, & albicans, addit Paulus, non difficulter medicamentis discutitur, quibus cicatrices in oculis extenuantur, vt est accetum album, & vinum album simul mista; & aqua eufragiæ cum saccharo; aqua chelidonij melli admista; & aqua fæniculi cum nitro, aut sale liquato. Quod si vnguis, seu membrana inueterauit, iamque ei crassitudo quoque accessit, excidi debet ait Celsus, firmato prius oculo anulo plumbeo, vt supra, inde ægro in sedili aduerso contra medicum collocato, vel sic auerso, vt in gremium eius caput resupinus effundat. Quidam si in sinistro oculo vitium est, aduersum; si in dextro resupinum collocari volunt. Alteram autem palpebram a ministro diduci oportet, alteram à medico; sed ab hoc si ille aduersus est, inferiorem: si supinus superiorem. Tum idem medicus hamulum acutum, paulum mucrone intus recuruato, seu modicè inflexo subijcere extremo vngui debet, eumque infigere, atque eam quoque palpebram tradere alteri, ipsæ hamulo apprehenso leuare vnguem, eumque acu modicè inflexa traijcere linum trahente. Paulus pilum etiam equinum vsurpat, quod aut ex collo, aut cauda sumitur, & lino vnguem alligat & attollit, equino autem pilo eundem vnguem secat. At Celsus aliter, vt infra. Sed hoc loco prius vnum adnotandum est, quod ad omnia ea loca pertinet, quæ angusta sunt interea verò multò indigent apparatu, quodque scitu est maximè necessarium, neque obseruari potest, nisi ab eo, qui in artis operibus sit exercitatus, & experientissimus, videlicet difficile admodum esse tot manus ac digitos in angustissimo loco, & re minima apprehendenda, ac tractanda capi, & operari posse, nam vnus minister vnam tenet palpebram, alius aliam, Medicus hamulum

Recens vnguis medicamentis curari potest. Modus excidendi pterygion.

Modus Pauli.

Obseruatio in chirurgijs locorũ angustorũ.

mulum vna manu, altera acum linum trahente, adde quod alium firmare oculum oportet. Itaque impossibile, vt videtis, est, quinque manus circa vnum tantùm oculum consistere & agere; propterea ego duplex excogitaui præsidium. Alterum est anulus plũbeus quo totum firmatur oculus, quod opus ante omnia est maximè necessarium, tum etiam palpebræ, inferior scilicet, & superior diducuntur, & quod summa est, ab hoc plumbeo anulo locus non angustatur, quia manus eum tenens locum exteriorem occupat, & longè distat ab interno angulo, vbi Chirurgia administratur. Alterum præsidium est, vt palpebræ tum inferiori tum superiori glutinum longam habenulam trahentes applicetis, sic enim ministri apprehensis habenulis longius sua manu distare ab oculo poterunt, & Medicus Chirurgiam non incommodè moliri. Postea Medicus duobus lini capitibus apprehensis, & eleuatis manubriolo scalpelli, si qua parte vnguis oculo inhæret, diducendus, donec ad angulum veniat: Tandem lini duobus capitibus hinc inde apprehensis, modo remittere, modo attrahere medicus debet, donec vnguis in subiecto oculo, videlicet Cornea & albo sit separatus, magna cura adhibita, nè vbi ad angulum ventum est, ipsius caruncula, quæ custos foraminis est, humorem & lachrymas effundentis, lino abscindatur, & affectum excitet ῥύαδα Græcis dictum, ex quo humor semper effluit. Itaque excidere vnguem ab angulo medicus ita accurratè debet, vt neque ex eo aliquid relinquatur, quod exulceratum, vix vllam recipiat curationem; neque ex angulo aliquid detrahatur, quod ῥύαδα affectum excitet. Vltimo in hac Chirurgia proximis diebus quotidie oculum diducere opus est, nè ad angulum palpebræ inuicem cicatrice agglutinentur. Qua expleta Chirurgia Paulus momentum salis in læuorem detriti inspergit, & lanam ouo exceptam desuper apponit, nos tutiùs cadmiam aut pompholigem tæuigatam ad exsiccandum & detergendum, & ouum totum lana exceptum superdamus, tum ad leniendum, tum ad inflammationem arcendam.

Authoris duplex præsidium in excisione vnguis.

Primum.

Alterum.

Cautio adhibenda in excisione vnguis.

Medicamẽta post Chirurgiã adhiberi solita.

Pauli.

Authoris Celsi.

CELSVS ex melle linamentum imponebat. Sed in vniuersum medicamenta exiccantia sint & detersoria, ita tamen, vt neque mordeant, & partem irritent, & omnino inflammationem arceant. Atque hæc de vngue oculorum dicta sint, nunc de Enchantide agendum.

DE ENCANTHIDE.

ENcanthis Græcè Ἐγκανθὶς in Oculi angulo (vnde etiam nomen accepit) exiguum tuberculum est, vel ex fluxione obortum, vel ex vngue parum exciso, inde se ipsum cõtracto, conglobato, & in tuberculum conuerso. Conueniunt Celsus & Paulus in Chirurgia, quod excipi hamulo & circumcidi debet. Paulus volsellam ad apprehendendum vsurpat. Sed hic quoque diligenter temperata manu vtendum, ne quid ex angulo abscindatur, tum exiguum linamentum aut Cadmia, aut atramento sutorio respergendum est. Paulus Chalcitidem læuigatam vsurpat, sed mitiora, quæ non irritant, tutiora sunt, vt est thutia præparata, aut pompholix, aut sief album, sine opio.

Encanthidis causa.

Modus eam curandi.

DE HYPOPYIS, SEV PVRVLENTIS OCVLIS.

PAVLVS lib. 6. cap. 20. ex Galeno Chirurgiam proponit ad ὑποπύους, hoc est hypopyos vel purulentos oculòs, qui vndiq; intus pus continent idq; potissimũ intus sub cornea apparet. Chirurgia aut relata à Galeno, erat cuiusdam medici ocularij cognomento Iusti, qui in sedili ægro collocato, & capite eius vtrinque a lateribus apprehenso, mox quatiebat adeò, vt pus deorsum descendere infra Corneam videretur: quæ tamen Chirurgia medicamentis digerentibus postea indigebat, propterea Galenus 14. meth. cap. vltimo, tursus proponit suam ad hy-

Chirurgia ad hypopyos.

Vnde pus euacuetur. popyos Chirurgiam, dicitque quod frequenter multum simul puris euacuatum est, tunica Cornea diuisa, paulò supra locum, quo vniuersæ inter se tunicæ committuntur, quem Coronam, & Iridem vocant.

De Aegilope oculorum fistula lachrymali vulgo dicta.

Aegilopis principium & progressus.

SOLET non rarò in interno oculorum angulo oboriri fistulosus affectus, Græcis ἄγιλοψ qui quamuis oculi fistula appelletur, tamen a principio videtur potius palpebrarum esse quam oculi; Nam per pusillum vtriusque, videlicet inferioris, superiorisque palpebræ foramen, quod eminet in oculi interno angulo, & lachrymæ naturaliter ex eo effluunt, solet primum lachryma faciliter frequentiusque prodire, quam soleat, inde sensim, sensimque facilitas adaugetur, donec assiduus fiat lachrymarum effluxus; interdum effluxus continuus non est, sed lachryma ita in spatio, & sinu facto, meatuque dilatato colligitur, vt perpetuò ad digiti compressionem effluat. Effluit quoque ex vtriusque palpebræ foraminibus vbi nares vehementius emunguntur, cum quadam spiritus detentione, qui affectus si non sanetur, solet subinde maior, subsequi loci ampliatio, & cauitas, quæ ad oculi etiam angulum iam spectat, & sicuti a principio vlcus non adest, ita dum diutius collecta serosa, fallaque lachryma permanet; nec putredinem contrahit, & cauitatem meatumque senum erodit, & dilatat; quo tempore non amplius solius palpebræ meatus afficitur, sed sinus angulum quoque comprehendit & occupat, quò fit, vt lachryma saniei admista primum erumpat, deinde temporis progressu sola sanies: & locus affectus duritiem contrahit, quæ ad tactum persentitur: in quo statu affectus cum est, Anchilops dicitur à Paulo lib. 3. capit. 22. quæ non inepte à posterioribus lachrymalis fistula appellatur; quod in lachrymarum loco, & ductu oboriatur. Anchilops autem a Paulo dicitur priusquam abscessus extra in vlcus erumpat, etenim vbi affectus inueterascit, solet etiam exterius inflammatio oboriri, quæ in abscessum versa foras expurgatur, facto nimirum exterius in cute foramine, quod sæpè cicatrice obducitur, & rursus aliquo temporis interuallo interposito renouatur: interdum autem diutius apertum permanet. Ex diuturnitate temporis tandem succedit vt ad nasi os fistula pertingat, & materiam saniosam per nares nonnunquam expurget, per illud scilicet foramen, quod in interno angulo in nares pertunditur.

Anchilops quid sit Paulo.

INTERDVM ita procedit affectus, præsertim cum per internas nares non expurgatur, sed colligitur in sinu materia, vt narium quoque os vstret, & corrumpat. Cæterum in quocunque statu affectus consistat, Chirurgiam expostulat, non tamen eandem: nam in principio & vsque quo ad os non pertingit affectio, solet curari tum solis medicamentis, tum medicamentis Chirurgia adiutis; etenim in principio Oxeleum ceratum lachrymam copiosam exsiccauit, aut aqua aluminosa, aut spongia in eadem aqua imbibita, aut pulpa fructus ligni Indici immaturi contusa, & applicita. At in progresso affectu, vbi quoque sanies lachrymæ admista ex vtroque angulo effluit, ego sui instrumentum imaginatus, quod ad angulos fistulosum sinum comprimens solet ipsum glutinare, vt spongia ex vino nigro aluminoso expressa plumbeis corporibus subijciatur. Vltimo loco, videlicet vbi ad os pertingit, siue vitiatum, siue nudatum tantum sit os subiectum, adurentibus ferramentis succurritur. Celsus ita Chirurgiam hanc administrat: hamulo summo fistulæ foramen excepto, deinde vsque ad os exciso, oculoque & cæteris iunctis partibus bene obtectis & munitis, os ferramento adurendum est vehementius; quod si iam carie vexatum os est, quo crassior squama abscedit, eo melius. Paulus & ipse similiter excidit vsque ad os; quod si os carie nondum sit affectum, nudatum tamen sit; ipsum eradit, sed quia in hac parte ossis derasio difficillima est, ideo opinor Celsum statim ad ferramenta adurentia deuenisse, dimisso scalpro. Ego autem ad eradendum os cum Paulo derasoria quædam instrumen-

Curatio agilopis in principio.

Curatio in progressu.

Curatio, quando malum ad os pertingit.

Authoris chirurgi in agilope.

ſtrumenta mihi paraui ad hunc vſum facientia, quæ tria ſunt, & differunt per magis, & minus, quod ſi caries os occupauit ferramentis candentibus vtendum ſtatim eſt, quæ Paulus acuta, aut in cuſpidem abeuntia vſurpat, & adeò ipſe quoque combuſſit, vt ſqualma abſcedat. Poſtea monet quoque fuiſſe nonnullos, qui poſt caruncularum & loci exciſionem terebra vſi, humorem, aut pus in nares deriuarint, quod mea ſententia efficiendum eſt, vbi alijs expertis non curetur fiſtula; ſatius enim eſt ipſam percolari interius quam exterius per genam: Terebra autem futura eſt exigua, ac tenuis, quæ exitum tantum paret, cuiuſmodi eſt, quæ è veſtigio perforat propter naſi oſſis eo loci tenuitatem. hæ igitur ſunt Pauli, & Celſi Chirurgiæ ad ægilopem. Ego autem, vbi ſubeſt, enudatum, aut vitiatum, & vetuſta fiſtula abſque alia cutis aut fiſtulæ exciſione, quæ dolens admodum eſt, ſtatim canula ſupra foramen poſita, vt oculum tueatur, & compreſſione cutis ſenſum obtundat, ferramento candente per canulam immiſſo ad os vſque combuſſi, alias vſurpaui ferramentum latum, ſed cum tardè penetret, & Chirurgiæ omnes celeres futuræ ſint, ideo laudo potius oliuare inſtrumentum, quod cuſpidem habet inſtar nuclei oliuæ. Vltimo Celſus præter propoſitam Chirurgiam, proponit quoque adurentia medicamenta, quæ ego vſurpo, cum ægrotantes timidi ſunt, & ferramentum candens expaueſcunt, & cauſtico appoſito ita comburo, donec ad cauitatem ipſius ſinus digito pertentatam & cognitam ventum ſit: nè verò ſpargatur cauſticum ciuſmodi, argentea exigua opercula cauſtico ſuperpono & comprimo. Hoc modo curatur lachrymalis fiſtula, in quocunque ſtatu ſe ſe curanda obtulerit: Nam canceroſam fiſtulam non eſſe attingendam Chirurgia à Celſo ſumus admoniti, quod mortem curatio hæc maturet.

Authoris noua ratio curandi fiſtulam lachrymalem

DE ORIS CHIRVRGIIS,

DLVRIMAE in ore adminiſtrantur Chirurgiæ, cum enim oris partes plurimæ ſint, nulla eſt vel minima, quæ manuum curationem non deſideret, proinde inſtrumentorum ſupellectilem non requirat: etenim in labris quatuor fiunt Chirurgiæ, in gingiuis duæ, in oris partibus duæ, in dentibus octo, in palato duæ, in lingua quinque, in vua vna, in tonſillis vna, quæ, omnes interdum inciſione, ſed vt plurimùm per ferramenta adurentia explentur, quòd hæ oris partes, vt humidiſſimæ ſunt, ita multis puttidis morbis patent, qui adurentibus, impenſeque exiccantibus maximè iuuantur. Adminiſtrabimus igitur Chirurgias in ore, prout ſeſe eius partes offerunt, orſi à labijs, inde ad gingiuas, dentes, palatum, linguam, vuam, & tonſillas deuenientes.

Oris partes ob humiditatem multis ſunt obnoxia morbis.

LABIA igitur quadruplicem requirunt Chirurgiam: prima labiorum fiſſuras curat: ſecunda curta labia reſarciuntur: tertia inciſa vſque in profundum mutuò applicantur, & glutinantur: quarta labium cancro affectum adimit.

In oris Chirurgijs progrediendi ordo.

AD primam quod attinet, Celſus lib. 7. capit. 12. vnam adminiſtrat Chirurgiam in labiorum profundioribus fiſſuris, dolentibus, & ſanguinem fundentibus, potiſſimùm inter loquendum, & comedendum, quas actiones etiam prohibent cum alij ferè oris offi cijs, quas Celſus præcipit inurendas ferramento tenui, quod ſpathæ ſimile quaſi tranſcurrat, non autem imprimatur: puto, hanc ſpatham futuram eſſe acutam quidem, ſed retuſa acie præditam, quò fiſſuræ profunditatem attingat, nequaquam autem ſimul comburat, & incidat, vt eſt ferramentum, quod ex altiſſima parte aciem acutam, ex altera [illegible]uſam habet.

De labiorũ chirurgijs Chirurgia in labiorũ fiſſuris.

QVOMODO CVRTA LABIA RESARCIANTR.

De quibus labijs curtis Author agat.

AD secundam autem Chirurgiam quod attinet, ad curtum labium reficiendum, vel nasum, vbi, materia aliunde, & longius desumenda est, vt in naso, ex brachio desumitur; de hoc autem vos remitto ad huiuscè rei scriptores, cum eam curationem nos experti adhuc non fuerimus. At vbi materia resarcienda aliunde petenda non est, tanquam à me administratam Chirurgiam vos docere instituo. Igitur vbi in labijs aliquid deest, vel illud sit a natiuitate; vnde non paucos videmus, quibus ex anteriore oris parte in superno potissimum labio ad incisores dentes deest labium in medio, & reliquum hinc inde interius ad gingiuas adglutinatum est. Vel sit labij defectus ex vulnere, soleo ego non aliunde quam ex ipsomet labio materiam comparare, quod totum euenit, quia labia præterquam quod mollissima, & humidissima sunt, multum extendi etiam non difficulter possunt; ideoque ego in primo casu si exigua labij portio deficit, sacrificato prius labio, & eo in primis a gingiuis omnino separato, iam sutura vtramque eius partem ad mutuum contactum aduco, statimque glutino ex vtraque parte posito, contrarijsque simul attractis habenulis adstringo, atque ita suturæ ne erodant prohibeo. Intereà verò labium ad mutuum contactum adductum glutinatur. Quod vt quam citissimè succedat, pulueres inspergimus adstringentes ex bolo Armena Orientali, thure, & aloe. Sed maximè omnium ad glutinandum præstat oleum Hispanum, cuius descriptionem habetis in libro Chirurgico edito.

Modus curandi labia curta Authoris.

Si parua labij portio desit, quomodo curetur.

Si portio magna deficiat quomodo reficiatur

QVOD si labij portio multa desit, & sub futura, & glutino difficulter labium adducatur, & adductum conseruetur, in eo casu facta labij à gingiuis separatione, non statim frontem labij sacrifico, neque suturas impono, sed linteo prius inter gingiuas & labium interposito, ne rursus glutinetur, glutinum hinc inde appono; idque duplex, hoc est, alterum anterius, alterum posterius, quo valentius trahat, tunc suas habenulas ita ad inuicem traho, vt ducentem sequantur, atque ita labium ad extensionem sequax reddo: vbi autem satis distentum labium ex vtraque parte est, ita vt iam ad contractum veniat, tunc sacrifico, consuo, & glutinio renouato habenulas ad vnguem traho, & ita prosperè succedit curatio.

Chirurgia labij incisi.

TERTIA labiorum Chirurgia, quæ glutinat labium incisum vsque in profundum, sutura & glutino similiter curatur, vt nuper in curto labio dictum est, neq; enim glutinum solum sufficit, vt in alijs faciei vulneribus, quia glutinum non comprehendit totam vulneris profunditatem, sed tantum vulneris superficiem trahit; sutura autem frontes labiorum per omnem profunditatem comprehendit.

Chirurgia cancri labiorum.

QVARTA labiorum Chirurgia illa est, quæ cancrum à labio euellit: cancer enim solet non rarò labrum arripere, qui quando mendicamentis non cedit, & adaugetur, & exulceratur, intorelabiles cruciatus excitat, tunc amputatur vnà cum toto labio cancro affecto. Ad quam Chirurgiam antequam deueniamus, omnia alia prius tentanda sunt, quia est Chirurgia molestissima, periculosa, magna, atque turpissima. Primùm igitur de causa oportet esse sollicitos, quæ respiciat victus rationem, quæ sit contraria generationi atræ bilis, itemque sanguinem atrum, & feruentem euacuet per frequenter iteratam sanguinis missionem, modo ex venis, modo ex hæmorrhoidibus: Item per fonticulos in crure, per potum lactis, aut seri caprini: Vltimo imposito in parte affecta medicamento, quod fiat ex succo sonchi, succo solatri hortensis, virgæ aureæ, & vbi validiore opus est refrigeratione ex succo etiam hyosciami cum farina milij, oleo rosaceo, & sapa, quod refrigerat, exiccat, & dolorem lenit. Quòd si sub his cancer non curetur immò increscat, & impensius cruciet, & ad curam Chirurgicam deuenire coacti sumus, amputare ipsum oportet, nonnulli vtuntur ferramentis, quæ eodem tempore incidunt, & comburunt, vt sanguinis

Quæ tentanda priusquã ad sectione cancri deueniatur.

Quæ medicamenta apponenda.

Modus exscindenda cancrum.

guinis profusionem auertant, vt est nouacula (vulgo rasoio.) Ego autem, qui dolorem etiam plurimi facio, & vtrique prospiciendum esse consulo, vbi aliqua corporis pars amputatur, laudo vt acuta moneta ex argento, aut ligno duro, vel cornu attenuato, & acuto similiter facto, fiat, sic vt aciem habeat, & incidere vtcumque possit, iam aut monetam, aut lignum subinde, vel quicquid aliud in aquam illam fortem appellatam madefacimus, qua Aurifices aurum separant ab argento, & ita labium totum cancro affectum mitiore Chirurgia incidimus, postea totum ouum corticibus abiectis, & quod & dolorem lenit, & inflammationem arcet, subactum ex stuppa imponimus: inde pus mouentibus, purgantibus, sarcoticis, cicatricemque obducentibus prosequimur.

Authoris modus.

De Gingiuarum Chirurgia.

GINGIVAE similiter madescentes, tumefactæ, putridæ, & nigricantes, quarum causa dentes dimouentur, ex Celso lib. 7. cap. 12 de Dentibus, Chirurgiam omninò exposcunt, quæ est vt ferramento similiter inurantur, sed leuiter, vt non insidat, quia mollem gingiuarum substantiam auferret, nedum laxantem humiditatem. Quæ si ita intumescant, vt dentium vallum ferè superent, hoc prius adurere oportet leuiter, quotidie semel, quod fit tenuibus ferramentis, quibus ego non semel tumentes, liuidas, putridasque gingiuas curaui: adustæ gingiuæ melle illisiendæ. & mulso eluendæ sunt, putridisque vlceribus factis arida medicamenta infricanda sunt, reprimentia, & astringentia, vt puta rosarum, & verbenæ puluis: valentiora sunt malicorium, & galla.

Quæ gingiuæ Chirurgiam desiderent

In magno tumore gingiuarū quæ cura conueniat.

QVOD si gingiuæ tantum tuberculo, aut exiguo abscessu afficiantur, prima affectio Epulis, secunda Parulis a Paulo lib. 6. cap. 27 dicitur. Epulis quidem volsella, aut hamulo eleuata præcidetur: Parulidi in orbem exectæ linamenta inserimus ex Paulo. Quod si præter gingiuarum tumorem accedat retro magis ad molares dentes caro crassa & putrida maximè extuberans, in eo casu ferramenta adurentia difficulter imponuntur, tùm quia propter carnis crassitiem & densitatem, cum multa mora non satis comburunt, tùm propter loci angustiam, & partes circumstantes, quæ non sustinent candentia ferramenta: ideoque necessarium est prius, quantum fieri potest, excidere ferramentis excidentibus, scalpris similibus, sed longè maioribus, postea reliquias inurere, & os quoque maxillæ, quod labem contraxit. Quod si scalpra sanguinis profluuium mouent, ijsdem aut certè alijs eadem forma præditis, sed candentibus vtendum est: vt his, qui in reliquo recti in extremo recuruati sunt, prout vsus, & locus requirit; postremò ad reliquias putridæ carnis, & os subiectum, quod ex contactu putridæ, glanduloseque & pinguis carnis vitium contraxit, inurenda commoda alia ferramenta sunt, quæ per cannulam immittuntur, & obstacula secundum eorum longitudinem habent, sanarum partium contactum prohibentia, quæ sanè putridæ, & intumescentes carnes, & si ab alijs non proponuntur, mihi tamen sunt perspectæ, & experientia comprobatæ, & certa & determinata ferramenta ad id fabrefacta.

Epulidis & Parulidis Chirurgia.

Caro crassa & putrida circa molares quomodo auferenda.

Sanguinis profluuium scalpris quo modo sistendū.

De Chirurgia, qua gingiuæ erosæ nutriuntur,

PRIMVM quidem solliciti esse debemus de causa quæ erodit, per medicamenta aluum subducentia: sed hoc tempore quod ad affectam partem attinet, confert vinum album, subdulce, in quo radices tithymali omnium generum ebulierint, in ore bis die detentum. Quæ quidem operatio propriè Chirurgica non videtur dici posse.

DE

DE DENTIVM CHIRVRGIIS.

IN dentibus autem ſeptem ferè Chirurgicæ operationes adminiſtrari ſolent. Prima dentes conſtrictos validèque commiſſos aperit, ne æger fame pereat. Secunda immunditiam, & oris fœtorem tollit. Tertia dentes carioſos, ac perforatos ad cariem inhibendam iuuat. Quarta foramina dentium auro implet, ad præſeruationem eorumdem. Quinta dentes in alieno loco genitos, intra linguam, extra vero buccas offendentes eximit. Sexta dentes in alieno loco obortos, eademque incommoda afferentes retundit. Septima, dentes mobiles, dolentes, carioſos extrahit.

Prima operatio in dentibus eſt reſeratio dentium.

VT ergo primam explicemus, ſcire oportet bifariam poſſe dentes conſtringi, validèque committi, conſultò videlicet, vel coactè. Vbi conſultò fit, vt in pueris, & melancholicis, tunc cauſa ſymptomatis non pertinet ad partem affectam: ſi coactè, tunc cauſa morbi eſt in partibus motui ſurſum maxillæ deſeruientibus, quæ vel primariò afficiuntur (vt ſit tumor occupet muſculos) vel per conſenſum à cerebro, (vt in conuulſione.) Si igitur cõſtrictio dentium non habet cauſam in muſculis ſurſum maxillam mouentibus, ſed accidentalem, (vt in pueris propter obſtinationem, & melancholicis) interdum non eſt difficile os aperire cum vali lis inſtrumentis, quorum vnum eſt pro pueris, alterum pro natu maioribus: interdum neque etiam eſt ita facile dentes, & os reſerare. Non eſt, inquam, ita facile, potiſſimùm in melancholicis, qui immenſo conatu, & validiſſimo motu aſtringunt, & ſurſum trahunt maxillam: validiſſimum autem eſſe maxillæ motum ſurſum illi facile concedent, qui viderunt dentibus & ſua inferiore maxilla trabem geſtari ductorum, & quinquaginta librarum pondo, ſed & plures, & robuſtiſſimi muſculi maxillæ validum eorum motum quoque atteſtantur. Si cauſa à muſculis dependet, aut ex tumore, vel conuulſione, in eo caſu, ſi ſine dolore affectio eſt, licet: ſi verò cum dolore dentium valida commiſſio eſt, non licet vi, & ferramentis propoſitis aperire, ne forte maius ſubſequatur malum, quod cerebrum affligat cum mortis periculo, niſi fortè præmiſſis lenientibus ad muſculos. Sed ſi hæc parum valent, omninò abſtinere oportet à ferramentis, & alia via, ne ægri fame pereant, prouidere.

Motus maxillæ ſurſũ eſt validiſſimus.

Qua ratione cibandi ægri dentibus conſtricti ſunt.

TRIPLEX eſt modus in hoc caſu cibum exhibendi: fuere qui cibum liquidum porrexere veluti per infundibulum poſita fiſtulæ extremitate intra os per locum vbi aliquis dens deficit: alij vnum, atque alterum dentem dedita opera excuſſere: vel fortè etiã ægro ſuccurri poteſt liquido cibo per cannulam recuruam intra gingiuas extremas poſitam immiſſo. Sed ſi id fieri non poteſt, dupliciter miſeris ſuccurritur, vel ægrum alendo per clyſteres in anum immiſſos ex contuſo pulli, aut iuſculis pinguibus, & conſummatis vulgò dictis, qui modus omnino ægrè nutrit, quod per venas pauciſſimas, & minimas, & forte non plene coctus cibus attrahatur. Vel tandem ſuccuritur modo à me nuperrimè excogitato, & eſt, vt per fiſtulam argenteam paulò recuruatam per nares in palatum liquidum cibum immittamus, & probus (vti opinor) eſt modus, præcipuè ſi cannula agnino inteſtinulo obuoluatur niſi fortè eam ſecum afferat difficultatem, ne cibo è naribus cadente epiglottis in laryngem recuruetur, quamobrem ſuffocationis periculum immineret: quem modum (vt liberè, & ex animo dicam) non fui expertus, nam ſi ſuffocationis periculum aliquod imminere exploratum fuerit, hic modus abigendus erit; ſin ſecus, recipiendus, quod in ſano homine experiri licebit.

Modus cibandi ab authore inuentus, ſed ambiguus.

CVM autem hac vſq; locuti fuerimus de aſtrictione, & valida dentium commiſſione; quæ conſultò fit, vt in pueris, & melancholicis, & Chirurgia corrigitur ſuperius narrata; ſupereſt vt ad alteram dentium commiſſionem, quę non conſultò, ſed coactè fit, vt propter conuulſionem, aut fluxum, aut tumorem, aut alia de cauſa Chirurgiæ adhibeamus operã. Hæc verò erit, vt dentes diducantur, & os aperiatur, vt ægrotantes cibum capiant, & ne

Chirurgia dentiũ coactè clauſorum.

fame

fame pereant: quod inſtrumentis duobus abſoluitur, quæ quidem robuſtiſſima ſunt, propterea quod robuſtiſſimum motum ſunt ſuperatura, qualis eſt maxillæ motum ſurſum puto aliquos veſtrum vidiſſe quēdam, qui ſuſtulit ſcabellum nuceum dentibus apprehenſum cuius pondus quinquaginta libras excedebat, & alium ſaccum tritico plenum.

SECVNDA Chirurgia dentium immunditiam, & oris fœtorem tollit, dum rubiginem ſeu corticem quaſi oſtreum adnatum adimit, oſtracoderma dictum: quod præſtant inſtrumenta tenuia ex lato ſpecilli mucrone, & pro magnatibus argentea. *Chirurgia oſtraco dermatis,*

TERTIA Chirurgia eſt, qua dentes carioſi, & perforati ad carię ſiſtendam aduruntur, quod primo infundibulo argenteo ad foramen impoſito, deinde oleo de ſulphure, aut vitriolo, aut alio liquore aliquo inſtillato: poſtea verò ferramentis candentibus in foramen adactis abſoluitur. Quo facto. *Curatio dētium carioſorum.*

QVARTA ſequitur Chirurgia, quæ eſt foramen auro foliato implere ad præſeruationem. *Chirurgia dentium in alieno loco natorum.*

QVINTA Chirurgia eſt, quomodo dentes in alieno loco geniti intus linguam offendentes, extra verò buccas, eximantur: id quod exciſione fit, videlicet ferramento, quod naturam, formamq; mordenris vulgò appellati habet, pro externis. Pro internis autem aliud diuerſa forma præditum.

SEXTA dentium Chirurgia, vt dentes in alieno loco oborti, & exciſi, aut linguam, aut buccas adhuc ſua aſperitate irritantes, pungenteſq; retundantur, quod fit lima, ſeu ferramento limæ aſſimillimo. *Dentium extractio.*

SEPTIMA dentium Chirurgia eſt, quomodo dentes, qui aut vacillant ac dimouētur, vel dolent, vel carie pertuſi ſunt, vel oris fœtorem inducunt, eximantur. Extractio expletur inſtrumentis, de quibus antequam dico, operæ prætium eſt vos admonere, nullo modo dentes extrahendos eſſe ſine multa cautione, & præparatione, quæ faciliorem extractionem exhibeat, propterea quod qui ſine hac preparatione dentes vi extraxerunt nonnunquam etiam totam maxillam ex putredine amiſerunt, propterea dicebat Celſus: Dens hærens cum ſummo periculo euellitur. Mirabilis Celſus in omnibus, quem nocturna verſare manu, verſare diurna conſulo. Ego pluries aut dimidiam maxillam in fruſtula extraxi, aut etiam totam putrefactam ex vnius dentis extractione: maxilla enim, vbi eam arripuit pus, facillimè putrida tota euadit, propterea quod præter externam laminam denſiſſimam, eamq; tenuiſſimam, qua incruſtatur, tota reliqua porоſa, ſpungoſaq; eſt, proindeq; putredini contrahendæ idonea redditur, Præparatio autem eſt, vt aptis inſtrumentis circumradatur dens, vt gingiua ab eo reſoluatur, vt dicit Celſus; denteſq; ſuperiores maius periculum faciunt, quod tempora, & oculi concuti poſſunt in ſuis alueolis. Præſtant autem id tenuia, acuta, oblonga q; ferramenta dentiſcalpia appellata. Ad extrahendos autem dentes plurima Chirurgi vſurpant ferramenta, quorum alia ſunt dentiſcalpia, alia vectes trifidi, alia forcipes varij, de quibus infra. *Dentes non temere extrahendi, & quare.* *Dens extrahendus quo modo præparetur.*

DE INSTRVMENTIS extrahendis dentibus idoneis.

QVOD ſpectat ad ferramenta, ad eximendos dentes idonea, ſcire licet nouem proponi ferramenta, quæ nomina ſumpſerunt partim ab ore, partim à roſtris animalium, hoc eſt eorum figura: quamuis pleraque ſub nomine forcipis comprehendantur: quorum alia ad molares dentes euellendos apta ſunt, quæ pellicani vulgò appellantur, quod pellicano volatili roſtro interius ſpectanti ſimilia ſint, & firmantur vna baſi ad alios dentes, alia verò roſtrum animalis imitantia dentem euellunt. Duo autem ſunt pellicani, prout duplex eſt ordo dentium extrahendorum, dexter, & ſiniſter: ſuperior & inferior. *Varia inſtrumentorum nomina vnde deſumantur.*

Pellicani duo. SVCCEDIT ad inciſores dentes euellendos alterum inſtrumentum, quod videtur imitari roſtrum.

Roſtrum coruinum. QVARTVM ferramentum videtur imitari roſtrum coruinum, atq; eo vtuntur ad radices dentium euellendas.

Quinti & ſexti inſtrumẽti vſus. QVINTVM & ſextum appellantur vulgò cagnoli, quod firmum canis morſum imitentur: valentq; ad eos dentes euellendos, ad quos pellicanorum priorum opera non pertingit, aut melius aptantur, quam pellicani.

Terebra vſus. SEPTIMVM ferramentum dicitur terebra, vulgò triuellino, & vectis vicem ſupplet, quia ad diducendos inuicem dentes ſubſtituatur, qui arcte inuicem ſunt aſtricti, & compaginati, vt ſine difficultatè euellantur.

Denti ſcalpiorum vſus. OCTAVVM ferramentum vectis trifidus appellatur, quod tres cuſpides habeat.

Dentium reſtitutio. NONVM ferramentum ſunt dentiſcalpia, quæ primo loco vſurpantur, ſeparantque dentes à gingiuis vt promptius euellantur, & ſine periculo euulſionis maxillæ.

OCTAVA & vltima dentium Chirurgia, & operatio eſt, reficere erutos dentes, & dentium defectum per æquiuocos, dentes corrigere, nimirum ex ebore, aut oſſe quopiam, vt tibia bouina, efformatos, & filo aureo ligatos, vt conſiſtant. Quo præſidio plurimi tum turpitudinem corrigunt, tum locutionis vſum ſatis commodè explent, primoribus præcipuè dentibus ſubſtitutis.

PALATI CHIRVRGIAE.

Palati eroſi correctio. Oſſis in palato defecti inuſtio. IN PALATO fit Chirurgia, cum palatum deficit, quia eroditur quod contingit vel à prima natali die, cum infantes ſine palato oriuntur, qui lac ſugere non valentes, tandem moriuntur, vt ego vidi: aut deeſt palati portio poſt ortum, quia præter eroſionem os quoque ſubiectum corripitur, quæ affectio loquelam deformat, & cibum potumque per nares magna ex parte patientes regerunt: eſtque affectio, quæ non rarò morbo Gallico adiungitur, ipſumque ſequitur. Corrigitur ſpongia, vel goſſipio, vel lamina argentea, quæ palato appendatur, vt foramen obſtruatur.

ALTERA palati Chirurgia eſt, cum os defectum, ne vlterius caries procedat, tenuibus ferramentis inurimus.

LINGVAE CHIRVRGIAE.

Depreſſio linguæ quomodo fiat. LINGVAE vna Chirurgia eſt, vt lingua deprimatur, quo vitium aliquod aut in ore, aut in faucibus conſpiciatur, & medicamenta etiam imponantur: quod fit inſtrumento, quod à Paulo lib. 6. cap. 30. linguæ ſpatha appellatur, gloſſocathocon. Sed ſi id parum valeat, quod in faucibus affectio ſit, alijs duobus inſtrumentis altero maiore pro adultis, altero minore pro pueris, ſuccurritur.

Linguæ deterſio à craſſo excremento. Inciſio vinculi linguæ ſubiecti. ALTERA linguæ Chirurgia eſt eiuſdem deterſio à craſſo excremento ei adhærente, vt in febribus, quod fit primum ſpongia in globuli ſpeciem contorta, & extremo ſpecillo alligata, & vino albo, aut aqua hordei, aut aceto, aut omphacio permiſto expreſſa. Vtuntur quoque arundinis corticis portione acutie prædita, & in oualem figuram efformata. Ad eandem etiam ſimilitudinem parantur inſtrumenta argentea ac ferrea, acutie prædita.

Obſtetricũ temeritas. TERTIA linguæ Chirurgia eſt, vt adminiſtretur quando ſubiectum linguæ vinculũ inciditur, de qua antequam dico vos admonitos velim de obſtetricũ temeritate, quæ paſ-

ſim

ſim in quocumq; naſcente infante vngue, quem paratum, & accutum ad id perpetuò geſtant, incidunt ſub eorum lingua ligamentum, quod opus niſi præſtarent, poſſe loqui infantem nequaquam credere poſſunt: quaſi verò natura (ò admirabilem inſcitiam) non poſſe loqui hominem qui locutionem tanquam hominis propriam actionem obtinet, ſine vnius fatuæ mulierculæ opera, quæ ipſi auxilietur, & præſidio ſit. Et ego vidi infantem nuper natum, qui diutius ita detinebatur, vt expectarent ſecundas, qui neque plorabat, neque quicquam forte moleſtum perſentiebat, cum verò obſtetrix vinculum abſcidit vngue ſub lingua, ſtatim ex dolore plorauit. Sed hoc minimum eſt, illud certe longe maioris momenti eſt, videlicet propter eam vnguium Chirurgiam, inflammatione oborta, ſæpenumero infantes papillam apprehendere nequeunt, neque lac ſugere, propter quam cauſam ſæpenumero emoriuntur: quodque adhuc longe peſſimum eſt, omnem mortis cauſam, vel in partum, vel ſimpliciter in impotentiam papillam apprehendendi, vel in quodcunque aliud quam in veram obſtetricis culpam reijciunt. Et creditur, quia vera profero, miror valde quod lege ſancitum, cautumque non ſit, vt prohibeantur infantum neces. Vos igitur moneo, vt præcipiatis ne obſtetrices filios, prolemque veſtram, aut aliorum attingant. Quid ſi vinculum in lingua maius fuerit, quam par ſit, poterit quocumque tempore excindi, quod ratò tamen, imò rariſſime accidit, quia natura non hominem condere ad loquendum idoneum, niſi etiam inſtrumenta ad id aptiſſima conſtrueret, cõderetque. Quod ſi ex centum milibus vix vnus naſcitur cum hoc ligamento, quod Chirurgiam expoſtulet, nihil intereſt. Quod ſi eueniat, ſolemus primò præcipere, vt æger linguam extra dentes exerat, deinde eam Celſus vellella, ſed nos forcipibus apprehendimus: Interdum neque his apprehendere poſſumus, vt in pueris, qui linguam exerere, aut neſciunt, aut certè nolunt; ſed apprehendimus, ſi primò faciamus vt plorent, deinde poſito inter duos digitos, pollice, & indice ſiniſtræ manus, linteo tenui aſpero, quo detineatur lingua, foras trahatur, & ſurſum reuellatur, ac recuruetur, quo vinculum appareat. tandem dextra manu vinculum incidimus. Sumptoque ſcalpello incidente modice ad cuſpidem recuruatum, ad modum exigui cultri vniuſtantum oblongioris acici factum, vinculum tranſuersè ſecamus ſemel, bis, iterumque donec vniuerſum ſit diſſecatum, tum verò à lateribus poſitas vinculi partes, magna cura adhibita, ne ſubiecta vaſa violentur, quod ſub Chirurgo Anatomes perito euenire non poteſt, qui vaſa ſub lingua nouit. Poſtea vino nigro os abluitur, interdum diamorone admixto, & ita ex ſe ſanatur locus. Et plerique quidem vbi conualuerunt, expedite loquuntur; quod euenit, cum impedimentum à ſolo vinculo pendet: At ſi interius recondita, abſtruſaque cauſa concurrat, non ſequitur effectus.

Natura hominis ad loquendum apta inſtrumẽta minſtrat.

Modus incidendi vinculi ſub lingua.

Pueris quomodo incidatur.

Effectus huius inciſionis.

QVARTA linguæ Chirurgia eſt inciſio tumoris ſub lingua, qui batrachium (vulgo ranula) dicitur, & à Celſo proponitur libro 7. capit. de abſceſſu ſub lingua. Vidi aliquando adeò ingentem, vt omnes ferme oris actiones labefactarit, ſub genere abſceſſuum reponit Celſus: ergo materia in tunica, ſeu folliculo continetur, & cum mollis ſit tumor, ad meliceridis naturam accedit, quo præciſo mellea veluti materia exit. Et quamuis meliceris medicamentis ſanari ſoleat, in ore tamen non ſanatur propter copioſiſſimam humiditatem perpetuò ſub lingua tanquam è puteo quodam ſcaturientem. Celſus curationem ex manu docet, quæ folliculum extrahit. Sed cum exiguus eſt abſceſſus, vnica ſectione eſt contentus: Cum amplior, præcipit ſummam cutim ad tunicam vſque excidendam eſſe: deinde vtrinque oras hamulis excipiendas, & tunicam vndique circundatam liberandam eſſe magna diligentia per omnem curationem adhibita, ne qua maior vena incidatur. Ego verò, qui locum ſub lingua incommodum eſſe ad folliculum extrahendum, & ad ſectiones multas efficiendas expertus ſum, dimiſſo folliculo, vnam tantum ſectionem molitus ſum, & eam quidem, quo fieri potuit per ſummum tumorem longiſſimam. Sic enim & tota ſtatim expurgata materia eſt, & folliculus ſenſim putrefactus exiuit, & locus tandem ſanatus eſt medicamentis, in principio quidem lenientibus, vt decocto maluæ. inde verò deterſorijs, vt vino albo cum melle roſaceo, aut diamorone: demum

Ranulæ curatio.

Modus inciſionis Celſi.

Alius modus.

Medicamenta adhibenda poſt ſectionem ranulæ.

cum oxymelite, vsque dum purum appareat vlcus, & folliculo prorsus liberum: tertio loco ad cicatricem inducendam vinum nigrum alumini admistum in ore detentum.

DE VVAE CHIRVRGIA.

Vua affectus quãdo medicamẽtis curẽtur.

VA cum recedit à sua naturali magnitudine, siue crassefacta, siue inferiùs producta sit, quæ voci, & deglutitioni officiat, curanda est. Curatur autem, si ex inflammatione talis euaserit, medicamentis refrigerantibus, & astringentibus, vt est aqua hordei cum omphacio. Quod si ex relaxatione à pituitę influxu accidat, similiter medicamentis pugnandum est, medicamentis inquam valide astringentibus, & digerentibus, cuiusmodi aut decocta sunt, aut puluercs ex corticibus granatorum cum exiguo pipere per paruum cochleare ad id factum admoti, & hucusque vuæ affectiones Chirurgia non indigent.

Quãdo Chirurgiam desiderent.

AT SI vua vel ex inflammatione obnigruerit, aut ex pituitæ defluxu albida facta fuerit, mollis, hebes, sensuque carens, aut putrida tandem facta, vti non rarò accidit lue Gallica affectis; in eo casu tanquam mortua præcidenda vua est, antequam corruptione vicina pars vitietur. Quam Chirurgiam Celsus molitur ita, vt volsella vua apprehensa, sub ea quicquid volumus, excidamus. Ego autem in praxi difficile admodum esse expertus sum, in angustissimo, & profundissimo oris loco, & obscuro volsella vuam apprehendere

Authoris modus excidendi vuã.

vna manu, altera vero excidere, præsertim cum linguæ quoque depressio à tertia manu requiratur. Ideoque omissa volsella, & depressa lingua, forsicula statim vuam præcidi, & à præcisione facta exiguum ferramentum in cochlearis formam ad vuæ Chirurgiam [illegible]ctũ, bene calefactum, nequaquam ignitum, admoui, quo calor nativus vuæ ferè extinctus roboretur, & reuiuiscat, vt vita partis euanescens à calore roborata reuocetur. Ignitum autem cochleare admouere veritus sum, ne caruncula tenuis & pendula sub ignito ferri cõtactu magis quam par est, absumatur: Nam ea nimis decurtata, refrigeratos esse pulmones, & difficilem obortam fuisse respirationem, & asthma experti sumus.

DE TONSILLIS.

Tõsilla quæ dicantur.

ONSILLAE à Celso appellantur glandulæ, quæ initio faucium mutuò opponuntur, ideoque à Græcis ἀντιάδες dictæ sunt, quasi inter se contrarias dixeris, in quarum medio columella est, quamuis columella potius in fine palati, tonsillæ verò in principio faucium à lateribus hinc inde sint. Proponitur tum à Celso, tum à Paulo Chirurgia, vbi ex inflammatione obduruere, & deglutitioni, respirationique negotium faciunt. Ego qui nequaquam ex leui causa extrahendas esse duco, quod Chirurgiam difficillimam, ne dixerim periculosissimam existimen, tum propter earum excisionem ex loci angustia, & longitudine arduam; tum propter sanguinis profusionem glandulis ferè coniunctam, & familiarem, cum ad vasorum diuisiones veluti cunei incumbant; quam formidat etiam Paulus intra: omitto inflammationem, quæ in faucibus periculosissima est, & cum ijs glandulis coniungitur, abstinendum à Chirurgia ex Paulo censeo, quibus de causis fit, vt multi perpetuò huiusmodi glandulas tum tumidas, tum etiam pertulas gestent, ita vt neque patientes, neque Medici Chirurgiam hanc administrent. Quo magis admiror auctores, qui rem hanc valde facilem proponunt, ita vt solis digitis ipsam auferri posse existiment. Vnde Celsus dixit oportere digito circumradere, & euellere. Sine sic quidem resoluuntur, hamulo excipere, & scalpello excidere, quod etiam quam difficillimum esse, vnusquisque videt. Vtcunque dicat Paulus manum esse admouendam glandulis, præsertim albis, contractis, & angusta

** Quando Chirurgiã requirant. Chirurgia tonsillarum difficilis ob varias causas.*

basi

basi firmatis: sed si putrefactæ interdum glandulæ sint, hamulis apprehensæ, extrahendæ sunt. Idque non difficulter euenit, si vndique paulò minus separatæ, aut parum appensæ sint. Ad quod opus præstandum Paulus primò iubet, vt minister spatha ad comprimendam linguam facta, & Glossocatocon appellata, linguam deprimat: postea Chirurgus hamulo acuto per tonsillam tracto, ipsam, quantum licet, ad se trahat, ita tamen vt membranæ non euelantur. Postea monet Paulus, vt totam tonsillam ex basi amputemus scalpro (nos potius dicamus scalpello, quia infra non scalprum sed scalpellum nominat) scalpello igitur amputabimus ad ligandum apto; quod Græci ἀγκυλότομον nuncupant: & describens quid sit ἀγκυλότομος, ait esse duo instrumenta aduersos acie inflexos habentia. Etenim ἀγκυλότομος est vox deducta ab ἄγκη quod significat laqueo stringo, & τόμος quod significat incisionem, quasi sit instrumentum, quod stringendo vt laqueus, etiam incidit. Succisa igitur tonsilla ex vna parte, alia quoque ex altera incidenda est: post monet Paulus esse aqua frigida, aut posca gargarizandum; & in metu profusionis sanguinis nunc diluto rubi, & rosarum rubearum, & myrti vtendum, nunc plantaginis, & symphiti succo, aut pastillo ex electro, & alia pleraque Paulus proponit, & docet. *Curatio tõsilarum secundũ Paulum.* *Authoris, &c.*

EX quibus licet colligere, quod à principio dicebamus, neque facilem, neque omnino tutam hanc Chirurgiam esse. Ideoque nos, qui omnem in hoc opere vitandam esse violentiam volumus, tentauimus primò vecte ipsam à subiectis partibus diducere, & resoluere, & vbi resoluta est, volsella tenuissima, ac longissima apprehensam ita foras trahere, vt dexterè trahentem quasi sua sponte tonsilla subsequatur.

Quomodo spina, aut osiculum, aut quiduis aliud inter comedendum in faucibus firmatum, eximatur.

ALIA operatio, quæ statim tonsillis succedit, & ad internas magis oris partes, fauces nimirum pertinere videtur, ea est, qua corpora nonnulla, vt piscis spina, aut osiculum angulatum, aut aliud id genus, inter deglutiẽdum faucibus hærẽs, neq; deorsum in ventriculum descendẽs, extrahuntur: quę corpora præter quamquod deglutitionem cibi impediunt, dolore etiam excruciant, inflammationemq; in faucibus, ex acuto ipsorum contactu mouent, non rarò etiam pungendo continuum soluunt, & exulcerant. Eximuntur extranea hæc corpora multis modis: si sint in conspectu, volsella, quæ ab extrahenda spina Græcis, & Paulo ἀκανθάβολον dicitur, extrahemus. Quo loco id scire conuenit, quod ex Celso passim volsella, & vulsella dicitur ferramentum ad quidpiam apprehendendum aptum; cuius generis duo sunt etiam alia ferramenta, forfex nimirum, & forceps, quæ tamen à volsella eo distinguuntur, quòd forfex incidat, quod non facit volsella, & forceps maius, validiusq; ferramentum ad rumpendum etiam idoneum sit, quod volsellæ non competit. Est igitur volsella ferramentum ad quidpiam apprehendendum, foraſque euellendum, extrahendumque idoneũ: vnde volsella fortè a vellendo dicta est, eò quod euellat, & est ferramentũ quod vulgò (molletta) dicitur, & est illud, quo mulieres ad pilos ex cilijs, & alijs corporis partibus euellendos, vtuntur, vt est apud Martialem de vetula loquentem: *Purgentq; sua cana labra volsella.* Cuius propterea nõ vnam esse formam ex Paulo lib. 6. capit. 32 elicitur, vbi loquens de spina in gutture ait, quæ igitur in conspectum veniunt, volsella, quam Græci appellant ἀκανθάβολον, eximemus: quamuis in Codice Græco non habeatur volsella, sed tantùm ἀκανθαβολος, quod ego opinor esse instrumentum longissimum, & tenue admodum. Forfex, & forceps fortè distinguuntur, quod prior apprehendendo incidit, & est vulgo (la forfetta) posterior verò apprehendendo stringit, & rumpit, cuiusmodi sunt fabrorum ferrariorum forcipes, vulgò (tanaglie) vnde apud Grammaticos, *Quomodo corpora in faucibus hærentia eximantur, si sint conspicua.* *Differentia inter forficẽ forcipẽ, & volsellam.* *Volsella quid.* *Vnde sic dicta.* *Differentia inter forficẽ & forcipẽ.*

Forfex incidit, constringit forcipe ferrum. & Virgilium.

Versantq. tenaci forcipe massam.

Instru-

Iustrumentum autem illud oblongum duplex est, alterum rectum, alterum recuruum, vtrumque autem volsella dici potest, quorum alterutro pro opportunitate vtendum est.

QVOD si spina, aut ossiculum hiante ore, & lingua inferius depressa, oculis non pateant, quod imis faucibus insideant ad gulam, multipliciter spinam Paulus extrahit ex aliorum sententia, dum ait: Sunt qui dicant maiores esse deuorandas moles, vt caulem lactucarum, & panis buccellam: alij vero spongiam puram, mollemq; exiguæ magnitudinis, lino alligatam deglutire iubent, linoque apprehenso retrahi, idque frequenter effici, vt spina spongiæ impacta educatur: alij verò à cibo ventriculum ad vomitum aut digitis, aut pennis in os demissis ciendum volunt, ita enim vnà cum cibo spina, aut ossiculum exit.

Author cādela in hac chirurgia vtitur. Vel naturæ negotium committit.

EGO autem, qui neque etiam hisce remedijs spinam, aut ossiculum è faucibus exijsse vidi, sumpta candela ex alba cera facta, & crassa quanta est digiti minimi crassities, & recuruata iussi vt à patiente ab ore in fauces demitteretur, donec impulsu corpus extraneum in ventrem descenderet. Sed aliquando neque etiam hoc iuuit præsidium, in quo casu necessitate coacti negotium totum tempori, & naturæ commisimus: mulier enim cum ossiculum bifurcatum ex summa columbi ala deglutisset, & in itinere remansisset, nullisque remedijs extrahi potuisset, ita multos dies mansit, postea tussi ossiculum reiectum est, non quidem integrum, sed multas in partes comminutum quoquo modo, seu diuisum, atque in suis angulis retusum. Progressu enim temporis calor naturalis concoquendo, & alterando corporis externi substantiam immutat, & imminuit. Paulus dicit modo concoqui, modo in pus verti spinam, vtraque lectio veritati congruit: nam cum calor naturalis alicuius partis in aliquam agit materiam, eò actionem dirigit, vt materiam in substantiam propriam partis vertat, quod fit alteratione, & concoctione: vbi vero materia immutanda non est apta in substantiam agentis mutari, tunc natura, & naturalis calor partis ipsam in pus vertit, vti fortè euenit spinæ, aut ossiculo faucibus insidenti. Nos igitur à natura edocti in hoc casu id moliri debemus, quod Paulus ex Leonide præcipit, naturæ operam, id est, concoctionem adiuuandam esse aliquo cocoquente medicamento ceruici apposito ex hordei farina confecto: nos autem imponimus Cataplasma ex radicibus althææ cum farina sem. lini, & fænugræci, sapa, & oleo amygdalino, expectantes donec corpusculum aliqua ex parte imminutum, concoctumque exeat.

Author quibus in hoc casu vtatu medicamētis.

Quomodo cibandi febricitantes quibus oris partes exiccata

SVPERSVNT vltimo loco duæ Chirurgiæ, quæ pertinent ad os, & oris partes, & docent quomodo nutriri debent febricitantes valida febre correpti, & imbecilles redditi; plerique enim sunt, qui propter continuam, & ardentem febrem adeò exiccatas, ac duras partes oris habent, & faucium, atque in summa omnium, quæ faciunt ad cibum deglutiendum, vt tametsi cibus omnino liquidus sit, impelli tamen retrò ad fauces, & deuorari seu diglutiri nequeat: interdum verò ægri non diglutiunt cibum: quia mens ægrotat, & labat. Quare nos opem ferimus instrumentis, quæ cibum ad postremas oris partes deducunt, & comportant, ad quas vbi peruenit, descendit, ingeriturque, & sunt duo alterum è stanno, alterum ex aurichalco, quæ suo tempore maximè necessaria sunt. Altera Chirurgia habet vsum in ijs febricitantibus, & ægris, qui ob virum imbecillitatem caput attolere a puluinari non possunt, ideoque coguntur iacentes cibum & potum sumere, & ego multos vidi ad vomitum fuisse incitatos, & cibum iamiam assumptum regessisse, non ob aliam causam, nisi quia cum vellent ad cibum sumendum statim caput imbecillum à lecto attollere, consentit stomachus, & ita cibum reiecerunt: cui ego occurri, atque præcepi vt ægri aliquantisper sic sederent in lecto, postea cibum sumerent, ita enim capit parumper firmatum stare didicit, & ventriculus cibum complexus est: Sed redeamus ad eos, qui propter virium imbecillitatem caput à puluinari nullo modo attollere possunt, quod nō rarò vertiginosis etiam, & apoplecticis contingit; ideò ars excogitauit Chirurgiam, quæ expletur per duo vasa vitrea, quorum alterum ad cibum liquidum sorbendum, alterum ad bibendū confert, absque eo, quod caput ægri à puluinari attollatur. Et hæc de oris Chirurgijs.

Qua ratione cibandi egri, qui caput attollere nequeūt.

DE

De Menti Chirurgia.

IAM ſupra ſæpe dictum fuit, ex violentia dentibus erutis ſæpenumero maxillam non difficulter conſentire, ac putreſcere: putreſcit autem propterea quod os maxillæ tenuiſſima lamina obducitur, in reliquo autem foraminulenta in totum eſt, in qua ſi incipit putredo, facilè vitiatur & ſerpit ita vt ſi non occurratur, tota ferè maxilla putreſcat, & neceſſariò extrahi debeat. In quo caſu putredinem ſiſtere ſcopus eſt, quod medicamentis primò tentandum, vtputa puluere iridis, ariſtolochiæ, peucedani, mannathuris, & potiſſimum aloes. Sed hæc vt plurimum mitiora ſunt, ideoque ad valentiora aſcendere oportet, vt ad inſtillandum oleum de ſulphure, aut vitriolo. Quod ſi hæc adhuc parum valent, ferramenta candentia, & plura, minora, maioraue, prout vſus poſtulat, admouēda, quibus ſanè putredini obſiſtitur. Sed ſi maxilla fere tota putrefacta, curanda offerarur, tunc volſella, & forcipibus extrahenda vniuerſa oſſa putrefacta ſunt, inde verò ſarcoticis potiſſimum actu ſiccis, & in pollinem redactis procedendum.

Maxilla os pronum ad putredinem

Scopus in hoc caſu putredinem ſiſtere quod fit vel medicamentis. Vel ferramentis candentibus.

Quid agendum putrefacta in tota maxilla

De Aurium Chirurgia.

TRES potiſſimum Chirurgiæ in auribus fiunt; nam curta auricula ex vulnere, ſeu vlcere reficitur, & corrigitur, qua de re ſupra in naſi Chirurgia diximus. Secunda operatio eſt quomodo meatus auditorius obſtructus, aut non perforatus Chirurgia curetur. Tertia quomodo extrahantur ea, quæ in meatum auditorium inciderunt. Addit Celſus quartam, quæ ad eos dirigitur, quorum aures perforandæ perforatæque ſunt, cuiuſpiam rei ad decorem geſtandæ gratia.

Aurium Chirurgia quot ſint.

AD primam quod attinet, iam vobis ſupra dixi, me libenter, vbi materia aliunde quærenda eſt, vos remittere ad eius rei profeſſores, tum antiquos, tum modernos, qui ſcripſerunt quomodo curta reſarciri debent.

De prima Authoris mens.

VENIO ad ſecundam Chirurgiam, quæ pertinet ad meatum auditorium obſtructū, vnde ſurdi fiunt patientes: quod ſi à natiuitate id vitium inceperit, etiam muti. Igitur obſtruitur meatus auditorius, qui longus eſt ductus incipiens ab auriculæ concha, & obliquè deorſum procedens vſque ad membranam tenuiſſimam; tympanum appellatam. Qui meatus vel obſtruitur à natiuitate, vel poſtea: ſi à natiuitate, ex Paulo lib. 6. cap. 23. duplex eſt membrana, quæ obſtruit, exterior, & interior, hoc eſt, vel in ſuperficie eſt oculis patens, vel profunda eſt, & oculis non obuia. Membranam in alto obſtruentem bis ego in toto meæ vitæ curriculo ex Anatome obſeruaui in puerulis, qui membranam ſupra tympanum habebant craſſiſſimam, & robuſtiſſimam, & quodammodo cutaceam, quos ob id exiſtimaui ſurdos, & mutos: immo ſurdos, & mutos à natiuitate non puto aliunde prouenire, quam à propoſita membrana.

Secūda Chirurgia aurium quæ. Meatus auditorius. Duplex mēbrana in obſtructione a natiuitate.

PRO qua eximenda Paulus proponit Chirurgiam ſe duobus verbis expediens: dicit primo difficilem huius futuram eſſe adminiſtrationem: poſtea ſubdit, tentandum tamē eſt tenui quodam inſtrumento ipſam incidere. Satius, vt puto, erat dicere fruſtrà tentandū ipſam incidere, quoniam vt ſupra dixi, membrana hæc tum craſſa, tum denſa, tum robuſtiſſima eſt, & tympano ſuperpoſita, & in circuitu adhærens, vt nullo modo cōſpici poſſit, ne dicam attingi, propter quam cauſam credo ego (vti dixi) ſurdos, & mutos a natiuitate perpetuò ita eſſe, & incurabilem eſſe caſum. Ideò Celſus lib. 7. cap. 9. longè melius quam Paulus. etiamſi non videatur huiuſce membranæ notitiam habuiſſe, tamen quod dicit,

Chirurgia Pauli.

Ab Authore reijcitur

Chirurgia Celſi.

dicit, idem videtur significare; videlicet si altè est quod meatum replet, & obstruit, tunc vt ait Celsus, illud attingi non oportet, ne sine effectus spe distensio oriatur neruorum, & ex ea mortis periculum fit. Propterea ego (vt ingenue fatear) internam hanc membranam nunquam, curaui neque curare aggressus sum. Dicam tamen vobis quid in hoc casu tentarem, si surdum, & mutum a natiuitate rogatus aut coactus exciperem curandum. Cum omne ferramentum aut incidens, aut adurens in proposito casu alienum sit, tentarem per liquores instillatos prius membranam attenuare, inde erodere. Instillarem igitur primo aut acetum simplex, aut squilliticum, tum succum cæpe, aut aquam vitæ, postea rosaceam aquam cum gutta vna olei de sulphure, aut de vitriolo mixtam; & procedēte prosperè curatione, ita vt patiēs obtuse audire se fateatur, olea proposita in minore quātitate alijs permixta infunderem, quæ omnia instillanda sunt per fistulam argētem recuruatam, foramine perquam exiguo in fine peruiam, ita vt fistulæ extremitas membranam attingat, ne medicamentum in aliud, quam in membranam agat, subest autem periculum ne tympanum vna cum membrana erodatur, quod tamen euitabitur, quia vbi erodenda membrana sub medicamento maiori ex parte attenuata, & erosa est, iam aliquod signum, licet obtusum, sensus audiendi percipitur, quod vbi obseruatur, iam spes salutis supereſt, & mitiora erodentia, & attenuantia tunc vsurpanda erunt.

Authoris de hac curatione sententia.

Quomodo tympani erosio vitanda

HAEC igitur pro membrana interna curanda succurrunt: si verò membrana meatum obstruens auditorium exterior sit, longè facilior manuum curatio succedit ex Celso. Scalpro ait Paulus, quod Græci σκολοπομαχαίριον appellant, hanc diuisam etiam vbi vsus exiget, auteremus. Ignoro quis vsus scalpri sit hoc loco, præcipuè si prius membrana fuerit diuisa: propterea ego scalpri vice scalpellum legi debere puto, quia σκολοπομαχαίριον significat instrumentum pungens & incidens, cuiusmodi est quod vulgò (gammaut) dicitur. Celsus autem longè exactius rem hanc prosequitur, & docet: comprehendit Celsus obstructionem, seu repletionem meatus auditorij, siue fiat ab ipsa natali die, siue postea, ex exulceratione carne primum superflua genita, inde cicatrice inducta, vult qua cauum esse debet vel medicamentum aliquod imponendum esse ex adurentibus, vel candente ferro aperiendum, vel etiam scalpello incidendum. Ponit tres modos Celsus aperiendi, seu perforandi meatum, & omnes sunt congrui: subdit Celsus quod cum locus patefactus est, & iam vlcus purum est, ne rursus coaleſcat, injcienda eò pinna est illita medicamento cicatricem inducente, circaque idem medicamentum, dandum & vt cutis circa pinnam saneſcat, quo fiat vt ea remota postea facultas audiendi sit. Paulus autem vice pinnæ sumit tortile linamentum ex viliore panniculo factum, hoc est, turundam, quod spacioso meatus sinui aptatum aqua imbuemus, inuolutumq; chalcitide læuigata, seu volutatum, in meatum demittemus, ne caro rursus enaſcatur.

Curatio membranæ exterius auertentis.

Loco patefactio quid agendum ex mente Celsi.

Ex mente Pauli.

TERTIA Chirurgia aurium est, quæ ab aure extrahit lapillum, aut vitrum, aut fabæ granum, aut ceraſi osſiculum, aut siliquarum semen; aliaque id genus extranea corpora: vt plurimum autem solet pueris incidere in aurem semen ceraſi, aut siliquæ temere sibi ipsis intrudentibus. Cæterum lappillus, & vitrum vbi intra aurem inciderunt, sua seruant magnitudinem, at dicta semina, seu grana naturali eius loci humiditate madefacta, eaque intus absorpta, & combibita inflantur & intumeſcunt, maximoſque cruciatus, vt dicit Paulus, mouent: nonnunquam dirtius detenta humiditate, & calore operante eo vſque creſcunt, vt naſcantur, & germina expullulent cum maiori cruciatu, quem postea sequitur inflammatio, conuulſio, & omnino vitæ periculum; cui malo propterea quam citiſſimè succurrendum. Paulus multis modis, variſq; instrumentis eximit, quæ ex varia dependent magnitudine, forma, & situ, quatenus videlicet cauſæ, aut valentibus hærent, ſedemque sibi penè immobilem faciunt, aut leuiter insident.

Tertia aurium Chirurgia quæ.

Pauli cura in hoc casu

Quid agendum si corpus exiguū & rotundū incederit.

SI igitur lapillus exiguus, rotundus, & læuigatus inciderit, aut etiam culex, neque ad imum vſque meatum deſcenderit, tunc capite in aurem tantum inclinato exit, aut in aurem ſaliua, vel tepente oleo amygdalarum dulcium instillato, mox capite inclinato exibit.

Quid si corpus angulare.

Quod si corpus extrahendum sit angulare, & maius, magiſq. insideat, robustior operatio

Chirur-

Chirurgica requiritur, vt eſt capitis concuſſio, aure interea ſuper circulum quendam declinata; qua ex concuſſione ſi extraneum non exit corpus, præcipit Paulus extrahendum eſſe ſpecillo lana, aut goſſipio inuoluto, (Addo ego, aut ſpongia alligata) & in reſinam terebinthinam, aut aliud quoddam glutinans demiſſo, eoque leniter in meatum auditorium iniecto. Sin minus hæc profecerint, medicamento, quod ſternutamentum moueat, naribus indito, ore, & naribus obturatis. Conuenit poſt hęc vel auriculario ſpecillo, vel hamulo, vel volſella hæc extrahere, hamulum verò cœcum fore arbitror. Quod ſi nullo horum eximatur, ad ferramenta, atque inciſionem recurrendum eſſe Paulus monet. Sed quæſo notetis Chirurgiam Pauli, & eam iudicetis. Figurabitur itaque ægrotus, vt auris auerſa ſit ad baſim ipſius poſt appellatam fibram, & lunata vtemur diuiſione exigua, auerſaque ſpecilli parte corpuſculum, quod inſidet, eximemus. Hoc ablato vulnus futuris committemus, & medicaminibus ad cruenta inſcriptis vtemur. Hæc Paulus. Ex quibus verbis primum difficulter quo loco efficienda ſectio ſit, intelligimus: credo ego ægrum eſſe figurandum ita, vt poſterior auris dorſum ſcilicet auris Chirurgo oſtendat (nam auerſus ſignificat qui dorſum oſtendit) tunc incidatur lunata inciſione auris ad baſim poſt appellatam fibram, donec ad foramen meatus in confinio pinnæ ventum ſit. vbi ſcilicet deſinit fibra, & incipit pinna, vbi ſi fiat ſectio, in meatum itur, inde per eam diuiſionem ſpecillo immiſſo ad extrahēdum corpuſculum accommodato, hoc eſt, ex vno extremo latum mucronem habente rem noxiam eximemus. Non video quid lucremur ex lunata inciſione ad corpuſculum extrahendum, niſi fortè meatus directionem, & breuitatem, quæ ſi comparetur cum vulnere, certè vulnus maioris momenti eſt, & vitandum ſi fieri poteſt; ex vulnere enim ſanguis profluit, qui illico operationem obſcurat, poſtera die inflammatio, quæ vulneri ſuperuenit, adminiſtrationem ſimiliter impedit, ideoque Pauli inciſio omnino vitanda: eſt: præterquam quod Paulus videtur ſtatim corpus extrahere tam facile, vt mirum ſit. Ego autem, ad quem plurimi huiuſmodi pueri ex Italia, & alijs Prouincijs delati fuere; enixè cauens, quò minùs tympanum membrana violaretur, & ex conſequutione ſurditas inſequeretur, ſanitati reddidi non alijs inſtrumentis quam volſella, & ſpecillo duplici, quorum alterum in vno extremo cauitatem, vt commune auriſcalpium habet, alterum verò ſpecilli mucronem recuruatum obtinet. Puero igitur iacente ad oppoſitum latus figurato, vt auris Cirurgo aduerſa ſit, & à miniſtro capite eius firmato, & toto quoque corpore, ſi opus ſit, opus autem frequentiſſimè eſt propter puerorum impatientiam, ante omnia verò ductus meatus auditorij dirigendus eſt, & quam maxime diducendus: vt verò dirigatur canalis, ſeu meatus auditorius, & dilatetur, cuius cauſa fortè Paulus ſectionem præcipit lunatam: ego dimiſſa omni ſectione, tanquam multis nominibus noxia, traho, & attollo auris pinnam ſiniſtra manu, dextra verò primò ſpecillum ad alterum extremum latius, & recuruatum in aurem immitto, quouſque corpuſculum noxium attingatur, quod non difficulter dignoſcitur ex duro, aſperoque ſpecilli contactu, tum ſubter corpuſculum ſubijcitur, & ita ſurſum impulſum extrahitur. Interdum opus eſt ſpecillo, quod cauitatem habeat, aut auriſcalpium ſit, quo corpuſculum cauitati inſideat, & ſurſum feratur. Quod ſi his corpus extrahi nequit, tandem volſella vtor, quæ ſuo extremo forcipis inſtar facto, & eo ſerrato ſolet validè corpuſculum, aut ſemen extraneum apprehendere, & foras trahere, perpetuò tamen antequam apprehendo inſtrumenti cuſpide extraneum corpus tango, vt ſciam quid apprehendendum ſit, Hæc eſt Chirurgia, quam plurimis pueris fæliciter adminiſtraui. De quarta aurium Chirurgia nil dico, quia in Celſo ipſum legere quilibet poterit.

In caſu difficiliori Chirurgia Pauli.

Ab Authore examinatur.

Authoris experientia

Modus Authoris extrahendi corpuſculū exanue.

DE CERVICIS SEV COLLI CHIRVRGIIS,

De Bronchocele, & de tuberoso tumore, (Gossio vulgo dicto.)

Bronchocele quid.

QVATVOR iu collo manu curantur affections; angina, bronchocele, strumæ, & ceruicis ex catarrho distorsio. De omnibus agemus, à bronchocele exorsi. Qui tumor, vt ait Celsus, in collo inter cutem, & asperam arteriam increscit, Βρογχοκήλυν Græci vocant, de quo antequam dico, scire licet, in collo quatuor oboriri tumores iam dictos: Angina est laryngis proprius tumor, strumæ glandularum colli, bronchocele asperæ arteriæ, cuius etiam peculiaris, est tumor, qui vulgò (gozzo, seu gossio) appellari solet: sed ea est inter vtrumque differentia, quòd bronchocele non est tumor in glandula, sed supra arteriam asperam obortus, alius verò est tumor in glandula aliqua ex ijs, quæ asperæ arteriæ adiacent, potissimum in ijs, quæ sub larynge statim hinc inde ad asperæ arteriæ latera ponuntur. Qui tumores passim grassari solent in quadam Bergomensis agri parte, vbi tùm viri, tùm mulieres anterius in collo tumores gestant magnos, ferè omnes, sed tamen mobiles, molles, & pendulos, qui cum non doleant, neque vllam pennè offendant actionem, ideo toto vitæ tempore gestantur; dicuntque ex eius regionis aquis prouenire, quasi verò aqua ebibita inibi proprietatem aduersam his glandulis obtineat, vti cantharides vesicæ, & renibus. Quos Chirurgia curare non est opus, quia de eo nil curat patiens, quos si curarem, eadem progrederer cura, de qua infra.

Quatuor tumores in collo oriri solent.

Differentia inter strumam, & bronchocele.

Locus in agro Bergomensi multos habet strumosos.

BRONCHOCELE verò composita vox est ἀπὸ τοῦ βρόγχου, quod significat asperam arteriam, & κήλη, id est, tumor, in qua significatione antiquius vsurpabatur: Ideoque Celsus ait, quod est tumor inter cutem, & asperam obortus arteriam; & est de genere abscessuum ex Celso, cuius materia in folliculo, seu tunica, seu inuolucro conditur, quæ modo est caro hebes, ait Celsus, modo humor aliquis melli, aquæuè similis, interdum minutis ossibus, veluti immisti sunt pilli. Huius Celsus duplicem ponit curam, per aduerentia medicamenta, & scalpellum: per adurentia quidem medicamenta, quæ & cutem, & folliculum adurant, sic vt exeat materia ex se, aut digitis eximatur. Quæ curatio non ita prompta est, quia relinquit folliculum, progressu temporis putrescit, tandemque ejicitur: propterea Celsus laudat potius curam per scalpellum, tanquam breuiorem, hoc modo; Medio tumore vna linea inciditur ad tunicam vsque, tunc vitiosus sinus ab integro corpore digito separatur, totusque cum velamento suo eximitur, deinde acceto, cui vel salem, vel nitrum aliquis adiecit, eluitur, oraque vna sutura iunguntur. Si quando autem tunica eximi non poterit, adurentia inspergenda sunt. Hæc Celsus: Et optimè quidem; sed ego experientia ductus illud addo, me nunquam post abscessuum extractionem sutura vsum fuisse, sed glutino potius, quia suturam, quæ cum dolore fit, semper aliqua sequitur inflammatio, quæ curationem moratur. Illud insuper addo, quod cum in abscessu totus folliculus non extrahitur, si vena subiecta, illa, inquam, vnde folliculus & abscessus alimentum, & incrementum suscipit, transuersè incidatur, solet folliculus facilè putrescere, & exire: at si relinquatur, difficulter putrescit, quinimmò vt plurimum reuertitur abscessus: Omnis enim abscessus vnam saltem habet venam à sana parte ad folliculum propagatam, cuius merito abscessus, & folliculus sanæ parti hæret appensus, in reliquo autem liber est, atque hæc vena ferè semper in fundo ipsius abscessus est, quæ omni studio secanda venit. Et hæc sanè curatio omnium abscessuum communis est.

Bronchocele vnde dicta.

Bronchocele quid Celso.

Duplex Celsi cura in bronchocele.

Per medicamenta adurentia.

Per scalpellum.

Author glutino potius quam sutura vtitur & cur.

Omnis abscessus habet venam à sana parte.

DE STRVMA.

STRVMA verò, quæ eſt glandula in collo indurata, & ipſa Chirurgia euellitur tota. Quæ curatio à Paulo proponitur lib. 6. ca. 35. ſimilique modo curatur ac alij abſceſſus, qui cum ſua tunica eximuntur. Sed ſumma hoc loco cura adhibenda eſt, ne aut aliquod vas violetur, aut neruus recurrens, quorum alterum periculum facit ob ſanguinis profuſionem, alterum quod vocē adimat. Ideoque Paulus in tota hac cura perpetuò ſanguinis profuſioni proſpicit, tum primò admonet, ne arteriæ caorides, aut nerui violenturi deinde dicit, quod ſi vas aliquod diuiſum opus obſcuret, funiculo excipietur, vel per medium amputabitur, niſi magnum fuerit. Rurſus ad idem propoſitum ait, quod ſi magnum aliquod vas, aut etiam plura iuxta ſtrumæ fundum eſſe ſuſpicemur, non ex baſi ipſa exſcindere, ſed funiculo excipere conuenit, vt ſine periculo ſponte excidat. Itaque videtis Paulum perpetuò proſpicere vaſis, & ſanguinis profuſioni. Ideoque Albucaſis recenſet caſum cuiuſdam Medici, qui ſecans apoſtema ſcrophuloſum in collo mulieris, incidit quaſdam arterias, ex quibus tanta ſanguinis effuſio venit, vt ægra in manu Medici perierit, neque id præter rationem accidit, glandulæ enim etſi nonnullis in locis alium quempiam vſum præſtant, vbique tamen illū adipiſcuntur, vt vaſorum diuiſionibus, veluti cunei quidam incubantes præſint. Propter quas cauſas conſulo, vt à ſtrumis, & glandulis in collo extirpandis abſtineatis, niſi quando ita putridæ euaſerint, vt ex ſe ipſis à ſubiectis partibus non difficulter ſeparentur, & quaſi ducentem ſua ſponte glandulæ ſubſequantur; tunc enim quod Paulus præcipit efficiendum eſt, videlicet ſuperficiarias ſimplici linea diuiſas ab incumbentibus diſſoluendas eſſe, maioris autem hamis transfixas primò ſuſpendendas eſſe, inde à corporibus adiacentibus liberandas, & extrahendas, tum verò futuris oras coniungendas: canceroſas autem ſtrumas non eſſe attingendas Paulus ex ratione ſcripſit. Hæc autem omnia, quæ dicta ſunt, facile conſpicies, ſi cutem colli anteriorem a ſiniſtris ad dextras excories, videbis enim oculata fide primum aſperam arteriam, vbi bronchocele oritur, inde ſupra ipſam glandulas magnas ſub larynge poſitas, quæ faciunt tumores illos extuberoſos (vulgò gozzo) poſtea ad latera magis tibi apparebunt tres, quatuorue glandulæ exiguæ quidem, vbi naturaliter ſe habent, at cum intumeſcunt, fiunt ſtrumæ, quæ conſiſtunt ſupra venam, & arteriam iugularem internam, & recurrentem neruum, quas partes ſibi inuicem vicinas parua ſeparatione cōſpicies, ita vt nullo modo errare potueris, vt diſtinguas bronchocelem ab extuberoſo tumore, & à ſtrumis, & vltimo animaduertas, periculum in extrahendis ſtrumis, a violandis venis, arterijs, & recurrente neruo imminens, vt prodit Paulus.

Duo pericula in ſectione ſtrumæ cauenda.

Struma nō facile ſecā da niſi cum omnino cō putruerint.

Bronchocele & ſtrumæ ſitus, & conſtitutio.

TERTIA colli Chirurgia reſtituit collum ex catarrho diſtortum in qua oportet primò catarrhum reſpicere, qui prout gignitur, eius prohibenda generatio eſt, quod fit ſi intēperies frigida, & humida capitis, vnde catarrhus gignitur, corrigatur; in quo caſu abluatur quotidiè caput lixiuio confecto ex folijs betonicæ, ſtœchadis, ſcabioſæ, bacharis, & roſarum, item ex radicibus iridis, & cucumeris aſinini.

Curatio colli ex catarrho diſtorti.

Primus ſcopus.

SECVNDO loco catarrhus conſiderandus vt genitus eſt, qui primò ex ventriculo, & toto corpore euacuandus eſt, in puero quidem pilulis de aloe cum ſucco roſarum, tertio, aut quarto quoque die ante cœnam ad ſcrupulum exhibitis; in natu grandioribus pilulis cochijs, aut de agarico Meſue; & in affectu valido etiam de hermodactylis maioribus: purgandum præterea priuatim caput maſticatorijs, vt maſtiche, & pyrethro, inſuper errhinis, vt maiorana, manna, cepæ ſucco ſurſum attracto, aurantij, ſeu mali aurei fruſtulo in nares immiſſo.

Secundus ſcopus in hac cura obſeruādus.

TERTIO reſpiciendus eſt catarrhus quatenus mouetur, & ad collum fertur, quo in caſu reuellendus ad alias partes eſt, aut fonticulo in brachio, vel in ſutura coronali, qui ſurſum ab internis ad externa humores reuellat; aut vomitu, aut pilulis propoſitis, reliquiſque præſidijs reuellentibus.

Tertius ſcopus.

Quartus scopus.

QVARTO respiciendus est catarrhus, quatenus iam fluxit, & in parte affecta, hoc est, ad spinam impactus est, & induratus, ideòque vertebras è propria sede deturbat, & ceruicis distorsionem facit: in quo casu medicamentis opus habemus, quæ fluxam pituitam emolliant, ac digerant, vt sunt fomenta quotidie facta ex decocto maluarum, radicis althææ, & cucumeris asinini, inde loco inuncto ex oleo de lumbricis, vulpino, & de castoreo; tertio loco appositio cerato meo citrino. Quibus satis loco affecto emollito, fluxaque materia dissipata, iam tempus est colli distorsionem tollere, quod facimus instrumento ferreo, quod impellat, & vertebras ad contrariam sedem deducat: ideòque ego paraui loricam ferream cum instrumentis quibusdam in spiram ductis (vulgò vide) appellatis, quæ impellendo vertebras dimotas sensim ad situm proprium reducant.

Chirurgia in colli distorsione.

Authoris instrumentum.

De perforatione asperæ arteriæ in Angina.

Perforationis asperæ arteriæ vtilitas.

INTER omnes Chirurgicas operationes, quæ in homine salutis gratia à Medico administrantur, vnam eam ac præcipuam semper existimaui, in qua homines à subita morte in subitam salutem reuocantur: quæ Medicum Aesculapio quam simillimum facit. hæc autem est asperæ arteriæ perforatio, in qua patientes ex prohibita respiratione ferè suffocati subito respiscunt, & vitalem auram, videlicet aerem adeò vitæ necessarium, in pulmones & cor attrahunt, & deperditam penè vitam resumunt.

Duæ difficultates in hac operatione occurrentes.

Prima difficultas.

ET quanquam hæc operatio ab omnibus ferè auctoribus, & Græcis & Arabibus proponatur, in ea tamen statim duas reperio difficultates. Prima est, quia video scriptores inter se dissentientes, in quo morbo incidi debeat aspera, arteria, & quando: Nam Galenus in lib. qui Introductorius inscribitur, cap. 13. ex sententia Asclepiadis hanc perforationem tanquam vltimum auxilium fieri in angina voluit. Rhasis 3. cont. ex sententia Andrusij Medici idem dixit, in angina s. debere fieri. Et eandem opinionen habuere Mesue, Haliabbas, Auenzoar, & tandem Auicenna. Paulus tamen lib. 6. cap. 33. vbi ex professo de hac operatione agit, ex auctoritate Antylli Chirurgi præstantissimi dixit: In synanchicis quidem Chirurgiam improbamus, cum inutilis sit præcisio. Idem postea asseuerat Albucasis lib. 2. cap. 43. Quin immo quod Aretæus auctor vetustissimus idem senserit, eius verba manifestant, qui omnino talem Chirurgiam tollit & damnat. Quæ tamen difficultas ita soluitur; Oportere .s. fieri hanc operationem cum frugi futura est, nequaquam sine fructu. Et cum generaliter hæc operatio requiratur in omni spiritus cohibitione, vbi alia remedia irrita sunt, & ægrotantes suffocantur, attamen non in omni postea difficili respiratione fructuosa operatio est: Nam quando aspera arteria vniuersa, & pulmones sunt affecti, & materia repleti, tunc inutilis est operatio. Et hoc dixit Paulus loco citato, quod inutilis est operatio, & improbanda, in qua omnes arteriæ & pulmo affectus est. Quoniam verò in Angina suppurata sæpenumero materia descendit, & asperam arteriam, & pulmones replet, quod ex Hipp. etiam confirmatur, qui 5. Aphor. 10. malum ex angina ad pulmonem transire proditi hinc sequitur, vt in hoc casu non sit incidendum.

Authoris hanc actionem improbantes.

Pauli sententia explicatur.

Quando hæc operatio sit inutilis.

EX quibus elicitur, in quibus affectibus sit secãda, & quando, & vbi abstinendum sit. Breuiter in omni difficultate respirationis secanda est, vbi suffocationis periculum imminet, & alia remedia non conferunt, si modo tota aspera arteria, & pulmo colluuie non sint repleta, cuius causa necessario suffocetur patiens. Ergo à sectione abstinendum est in Empyemate, in Pleuritide, in Peripneumonia, & in ea angina, in qua omnes subiectæ respirationis viæ sunt repletæ. Contra secandum est quando aut in ore, aut sub mento, aut tonsillis, aut columella, aut in faucibus, aut in larynge inflammatio oboritur tam magna, vt viam asperæ arteriæ perfecte obstruat, in qua tamen bronchia omnia materia repleta non sint: & hanc anginam intellexerunt Rhasis, Auicenna, Auenzoar, & Haliabbas. In sum-

Quando aspera arteria secãda, & quando non.

ma

ma vbi affectio & materia est tantum à larynge supra, incidendum; vbi verò à larynge infra, abstinendum.

ALTERA difficultas est, quia video nonnullos auctores valde pertimescere huiusmodi operationem; alios verò tanquam tutissimam & facilem habere. Mam Mesue dicebat: Cura hæc difficilis est apud me. Albucasis autem dixit, non vidisse aliquem in terra sua, qui huiusmodi sectionem administrarit propter infamiæ timorem, & inexperientiam. Qui porrò timor adaugetur ex eo, quod omnes volunt tunc esse ad hanc operationem deueniendum, cum pene deplorata res est, videlicet cum patientes alia incassum experti, penè suffocantur: & ideò Galenus ex Asclepiade tunc secari prodidit, cum summus metus est ne strangulentur. Auicenna similiter tunc secandum dixit, cum angina vehementior est, & non valent medicinæ, & creditur quod perditio ægri sit futura. Rhasis autem dicebat huiusmodi incisione non esse vtendum, nisi cum mors fuerit indicata. Quibus auctoritatibus perterrefacti Chirurgi nostrorum temporum, non audent hãc moliri Chirurgiam: & ego quoque eorum vestigia secutus nunquam administraui. Sed adhuc nostris Chirurgis adaugetur pauor, quòd timent aut venas, aut arterias iugulares, aut neruos, aut musculos violare, aut ne in posterum gluti ietur vulnus, aut tandem formidant spiritus exitum cum stertore, aut aliud tale, quod non est ex incisione timendum. Sed maximè omnium Chirurgos perterret infamia, quia etiam si operatio fiat tutissima, & fæliciſſima, sequatur autem postea mors patientis, qui suffocetur, quia repleta sit vniuersa aspera arteria, omnem culpam reijciunt non in veram mortis causam, sed in incisionem. Tandem perterrefacit Chirurgos nomen huic operationi à nonnullis impositum; Etenim subscanatio hęc Chirurgia nuncupatur.

Quando tuto secari possit aspera arteria.

ERGO cum subita inflammatio cum maxima spirandi difficultate & suffocationis periculo oborta est in larynge, & superioribus laryngis partibus, eaque magna sit, & nondum suppurata, neque ægro thorax, & aspera arteria, aut etiam caput naturaliter fluxionibus sit frequenter obnoxium, ex quo suspicari possimus asperam arteriam repletam esse, secare audacter oportet: immo verò etiamsi asperæ arteriæ repletionis aliquot signa adsint, nihilominus secarem, cum sectio sit tutissima, vt videbitis propterea quod ex sectione non exiguum emolumentum succedere potest, indicato tamen prius necessarijs ægrotantis in difficili spem esse, ne si ars victa malo fuerit, vel ignorasse, vel fefelliſſe videatur, vt dicit Celsus. Nam plures sunt auctores, qui sectionem probarunt, tum antiqui, tum recentiores: etenim Albucasis lib. 2. cap. 43. in fine expresse dixit, quod in sectione asperæ arteriæ non est timor, idque comprobat exemplo ancillæ, quæ cum aliquando sibi ipsi cultello asperam arteriam præcidisset, ipsam sanauit facilè, & sine vllo periculo: sed & recentiores multi, vt Brasauolus, & alij id ipsum atteſtantur. Cui opinioni ego libenter subscribo, dum modo qui secat sit anatomes peritus, quia sub hoc Medico & artifice omnia tutissimè & fæliciſſimè peraguntur. Primo enim ab hoc non poterunt lædi venæ & arteriæ iugulares, quæ longius ab hoc loco distant, vt dicit Paulus, & anatome commonstrat: neque nerui, cum ea anterior colli pars neruorum expers sit: neque musculi, quod in medio loco, vbi fit sectio, musculorum interstitium sit; & cum, vt dicit Paulus, hic locus excarnis sit, neque etiam alia pars alicuius momenti lædi aut violari potest,

Auctores approbãtes sectionem asperæ arteriæ.

Anatomia peritus sit, qui secare vult asperam arteriam.

PRIVSQVAM autem ad sectionem deueniant Chirurgi, multa ante experiuntur, inter quæ, vt medicamenta omittantur, & Chirurgiæ tantũmodo recensеantur ac proponantur, sunt ea instrumenta, quæ per os immittuntur ad asperam arteriam & laryngem, quod faciunt ad rumpendum apostema in larynge, aut tonsillis, aut faucibus. Vnde Hip. 2. de morbis, cap. de Angina, in fine, præcipit, loco sub tonsillis suppurato, ad ipsum rumpendum, vbi per digitum loci mollities fuerit pertentata, acutum ferramentum ad digitũ alligandum esse, & ita perforandum. At nos habemus gladiolum longissimum ad id aptũ, cum locus conspicitur; at vbi non apparet, melior est modus Hippocratis, quo possumus digito prius pertentare, deinde incidere. Debet autem esse instrumentum digito alligatum breue, cuiusmodi est vel Gammaut vulgo dictum, vel paruus culter falcatus. Mesue

Multa tentanda ante quam ad sectionem procedatur.

Quomodo apostema in angina rũpendum.

dixit

dixit nonnullos miſiſſe digitos in guttur, & apoſtema rupiſſe; ſed hi futuri ſunt qui habẽt digitos longos, & vngues longos & robuſtos. Auicenna autem vbi maturatio longius progreditur, præcipit eſſe rumpendum apoſtema, vel intromittendo inſtrumentum ligneum bene pollitum, vel ferreum, vel corneum. Noſtris temporibus vtũtur obliquata ſeu recuruata ex alba cera candela. Cæterum hæc omnia minùs difficulter ab ægrotantibus peraguntur, præcipuè cum ſe ſuffocari perſentiunt. Sed vnum ſciatis, videlicet hoc omnia fauces, & partem affectam irritando fluxiones ad eam mouere, & inflammationẽ adaugere, quòd pars etiam ſana hæc non toleret: deinde ſi inflammatio ſit in larynge interius, parum proficit vſus inſtrumentorum, & ratio hæc curandi.

Cautio.

VBI autem his factis adhuc præceps imminet periculum ſuffocationis, tum demum ad perforationem deueniendum eſt, quæ hoc modo adminiſtratur à Paulo ex Antillo, & ab Albucaſi. Inclinato ægroti capite retrorſum, vt arteria reddatur conſpicua, (addo ego) & arteria diſtendatur & longior fiat, & membranoſa intermedia ſeu interſtitia magis appareant; tranſuerſa linea incidemus cutim, quæ exterius in collo eſt inter duos circulos, ita vt membranam ſecemus, quæ inter cartilaginem interponitur, non cartilaginem: quæ ſectio facienda eſt infra caput aſperæ arteriæ ſpatio trium ipſius quatuoruè circulorum. Quod ſi Chirurgus in opere expaueſcit, hamulo prius cutem eleuatam diuidet, deinde arteriam ſubiectam ſecabit, inquit Paulus.

Modus ſecãdi aſperã arteriam, ex Paulo.

Propoſitam ſectionem ex antiquorum ſententia ob oculos ponam, vt videatis, & quam imperfecta ſit, & ſubinde quæ partes offendantur. Primum enim tranſuerſa cutis ſectio eius aliquam venam violare poteſt, quæ rãtum ſanguinis ſpargat, vt aliqua ex parte operationem abſcondat. Deinde muſculi per longitudinem aſperæ arteriæ progredientes, qui in medio ipſius ſe contingunt, quadamtenus tranſuersè ſecantur, & præterquã quod ſanguinem ſpargunt, etiam inflammatio communicari à fibris ſectis ad non ſectas poteſt, vnde etiam conuulſio non rarò ex Galeno ſuperuenit. Tertiò, circuli, ſeu anuli aſperæ arteriæ tres, aut quatuor, cum cutis eſt ſuperpoſita, haudquaquam diſcernuntur, tum vero facile inciſio poteſt contingere ſupra cartilaginem, non ſupramembranam. Quarto, hamus, quo attollitur cutis, niſi inſideat, non attollet; vbi inſidet, dolorem infert. Quare ego ita rite efficiendum eſſe autumo: crudeles operationes. ego ſemper abhorrui, præcipuè quando neceſſariæ non ſunt, neceſſarias verò abhorrere prorſus non oportet: nam neceſſariæ, & quæ ſubitam portendunt mortem, ſi non fiant, quantumuis difficiles, crudeles, & periculoſæ adminiſtrandæ omnino ſunt, non quòd certa in eis fiducia ſit, ſed quòd dubia ſpes certa deſperatione ſit potior (vt ait Celſus) & vbi ægrotantes iam ſuffocantur, ſatius eſt anceps auxilium experiri, quam nullum. Scio vnum Aretæum, auctorem probatiſſimum, & vetuſtiſſimum lib. 6. cap. 7 prorſus damnare arteriæ inciſionem his verbis: At quicunque ſtrangulationem ab angina verentes, quò laxius ſpiritus duceretur, arteriam ſecuerunt, non ſanè experimento rem comprobaſſe videntur, quippe caliditas inflammationis maior ex vulnere efficitur, ſtrangulatum adauget, tuſſimque commouet; quin etiam ſi alioqui periculum id euaſerit, vulneris oræ in vnũ coaleſcere nequeunt, ambę enim cartilagineæ, atq; inter ſe inglutinabiles ſunt. hæc Aretæus contra hanc Chirurgiam. Sed ego repeto, in ſuffocationis imminente periculo ſatius eſſe anceps auxilium experiri, quam nullum, cum dubia ſpes certa deſperatione ſit potior: Potiſſimùm cum Aretæi rationibus reſpondere arduum non ſit, nam caliditas inflammationis maior ex inciſione efficeretur, ſi ſupra laryngem, vbi morbus eſt, ſectio expleretur, at infra efficitur ad tres, quatuoruè cartilagines à loco affecto diſtantes; propter quam cauſam cum materiæ deriuatio potius fiat, ſtrangulatum non adaugere, imò verò ſedare poteſt, neque etiam tuſſim commouere, cum nihil intus in aſperia arteria tangatur, valet Tandem vulneris oras in vnũ coaleſcere nihil vetat, cum mẽbranæ vnio efficienda ſit, hęc enim diuiſa eſt nõ cartilago; quod ſi concedatur cartilaginẽ non vniri, nonne hæc quoque ſi non per primã, ſaltem per ſecundam intentionem vnitur, hoc eſt, callo ſupernato? Sed detur nullo modo vniri aſperæ arteriæ poſſe vulnus, ſatis mihi eſt, muſculos ſuperpoſitos & cutem poſſe inui-

Reprehenditur antiquorum modus.

Quid ſentiat Author de hac operatione.

Aretæus hanc Chirurgiã improbat.

Reſpondetur Aretæi rationibus.

cem

cem vniri. Igitur prius ęgro collocato, vti dictum eſt, calamo, & atramento ſignanda eſt linea recta per mediam, & anteriorem colli longitudinem vſque ferè ad iuguli cauitatem, deinde digitis tangendum eſt caput aſperæ arteriæ, poſtea ex anteriori parte exactè digitis finis laryngis pertentandus, tum deſcendere oportet vſque quò tres, aut quatuor aſperæ arteriæ annuli deorſum præteriti ſint, tres quidem, vt puto, in breui, quatuor in collo longo præditis, quem terminum cognoſcemus vel ſenſu, vel ratione: ſenſu in collo excarni: ratione verò imaginantes, conijcientesq; latitudinem trium circulorum, quo in caſu contulerit alteram aſperam arteriam videre.

Cur ſectio non ſtatim ſub laryngę fiat.

QVOD ſi quæratur, cur ſectio precipiatur poſt tres, aut quatuor aſperæ arteriæ cartilagineos, circulos, non autem ſub larynge ſtatim? Reſpondetur, vt diſtans à parte affecta ſectio ſit, & potius deriuationis vicem ſuppleat: nam ſi proxima laryngi ſectio fieret, inflammatio à ſectione proueniens facilè communicaretur laryngi. Qui locus atramento ſcriptorio tranſuersè ſignandus eſt, vt nobis indicet locum ſectionis, & quantitatem: ferè autem à termino laryngis inferno ad tertium circulum tanta eſt, quanta digiti pollicis tranſuerſi latitudo.

Locus ſectionis atramẽto ſignãdus eſt.

INVENTO loco membraneo inter circulum & circulum medio, ipſum ſignabimus atramento per latitudinem cutis: poſtea cute prius hinc inde digitis à miniſtro, non hamo, apprehenſa, ipſam per longitudinem prioris lineæ factæ ſecamus, ſic enim nullum periculum eſt, vt vaſa, neruus, aut muſculi lędantur; ſecus ſi tranſuersè incideremus, & vulnus etiam poſtea facilius conſuitur, & ad mutuum contactum adducitur. Quantitas autem ſectionis ſit, verbi gratia, quanta pollicis tranſuerſi latitudo eſt. Præterea ſectio futura eſt, quæ in medio ſpatio ſeruet lineam tranſuerſam; & tam longa ſit, vt diductis labijs ſcalpellus, quo vtimur in miſſione ſangui nis, latiore mucrone ingrediatur; poſtea diducimus hinc inde digitis, aut lato ſpecilli mucrone, aut retuſo hamo cutem, adeò vt muſculus aſperæ arteriæ ſuperpoſitus nudus appareat, qui liquidò apparebit, ſi venas vitemus, aut goſſipio vſto, & oui albumine ſtatim eas occludamus, & ſanguinem effluere omnino prohibeamus. Quo facto muſculi duo attendendi, obſeruandique ſunt, qui aſperæ arteriæ ſuperſtant, incumbuntque; & linea quædam albicans, qua in medio inuicem dirimuntur, conſpicienda. Tum verò vnus ab altero muſculo per longitudinem ſectione diducendus, & retuſo hinc inde hamulo ſpatium latum ſeruandum, ita enim aſperæ arteriæ corpus ſtatim apparebit; quo apparente tum demum ſectio inter annulum, & annulum efficienda eſt tranſuersè, & ita altè demittendum eſt inſtrumentum, vt ad cauitatem valdè propinquam perueniat; cuius rei indicium erit, quia vt dicit Antillus, ſpiritus per vulnus cum murmure exibit.

Quantitas ſectionis quæ eſſe debeat.

Muſculi aſperæ arteriæ incumbentes vt ſecandi.

Profunditas ſectionis quæ requiratur.

INSTRVMENTA autem apta duo ſunt, vel rectus, vel falcatus ſcalpellus: rectus ille eſt, quo vtimur in vena ſecanda (vulgò lancetta) nimirum is, qui non anguſtum, ſed latum habet mucronem, ne fortè oppoſitam partem lædat, à quo incommodo fortè falcatus eſt immunis, ſed lanceola expeditior. Quo facto cannula immittenda exigua, quæ tamen foramini reſpondeat, & alas habeat, vt intus trahi à ſpiritu prohibeatur, & breuis ſit, ne interna latera arteriæ attingat, alioqui tuſſis, & dolor excitabitur: quam præterea non tã ſpatioſam futuram quis forte exiſtimabit, vt reſpirationi naturali ſufficere poſſit; ſed tamen hoc verum non eſt, quoniam ſic vt eſt aſperæ arteriæ amplitudo futura eſſet, attamen exigua ſufficit propter eam rationem, quoniam aer per inciſionem infrà factam integris ſuis viribus peruenit ſtatim ad pulumones, & cor; ergo multò frigidior eſt, quam ſi per nares, fauces, laryngem, & aſperam arteriam pertranſiret, in quo itinere flexuoſo, & longo aer alteratur, amittitque magna ex parte frigiditatem. Præterea tam longa futura eſt, vt aſperæ arteriæ parietes, aut oppoſitam partem non contingat: inſuper propter eandem cauſam rectã figuram recurua ei commodiorem eſſe apparet; recurua enim ex motu aeris tranſeuntis moueri & ipſa poteſt. Itaque fiſtula exigua, quæ non ſuperat intus ipſam arteriam, hoc eſt, interiorem eius faciem, & alata eſt, commoda exiſtit. Quæ eò vſque ſeruanda, quò timor ſuffocationis prætereat, quod ſolet

Inſtrumẽta ſectionis accommoda.

Cannula foramini incidenda.

Cãnula amplitudo quæ debeat eſſe.

Cãnulæ longitudo & figura quæ deſideretur.

Quomodo vulnus conglutinandū.

solet intra triduum, aut quatridum esse: postea renouato cutis vulnere per scaurificationem, si sit opus, cutis perfecte crebris futuris mutuò applicanda, conseruandaque est, forteque si duplex fiat futura, vna musculorum mutuò, altera cutis superpositæ, fiet exacta vnio, & non succedet vox rauca, vt Paulus innuit. In summa tres tantùm partes concurrūt ad huiusmodi Chirurgiam, cutis, musculus, & aspera arteria: cutis facile inciditur, musculi non inciduntur, sed manubriolo scalpelli inuicem diducuntur, & separantur, vt arteria appareat, qua apparente sine vllo negotio inciditur; in qua neque sanguis obstaculo esse potest, quod cutis cum exiguo sanguine inciditur, arteria verò cum nullo.

DE THORACIS CHIRVRGIIS.

Thoracis Chirurgia septem.



QVINQVE potissimùm ministrantur in thorace Chirurgiæ: Vna perforat thoracem in empyemate, secunda perforat thoracem in hydrope thoracis, tertia abscindit cārum in mammilla mulieris, quarta thoracis fistulā curat, quinta gibbositatem tum anteriorem, tùm posteriorem corrigit, & emendat. Addit rursus Paulus duas, ad purulentos adustionem, quæ cum prima ferè coincidit, & ad mammas in viris modo fœminarum adauctas diminuendas, ita vt septem in totum thoracis Chirurgiæ dinumerentur. De omnibus agemus, ab ea exorsi, quæ maioris est momenti, & thoracem perforat, quæque secum duas alias Chirurgias adiunctas habet, ita vt vno capite tres comprehendantur Chirurgiæ: quomodo incidatur thorax in empyemate quomodo perforetur thorax in hydrope, & quomodo aduratur in purulentis, seu empyicis.

Duæ aliæ Chirurgiæ cum prima coniunctæ.

DE THORACIS SECTIONE IN EMPYEMATE.

Empyema quid sit.

EMPYEMA est collectio materiæ purulentæ in cauitate thoracis, quæ non sinit thoracem attolli, & ita respirationis expleri munus: qui morbus Chirurgia interdum curatur, ad quam non peruenimus, nisi cum materia per alias partes non euacuatur, & suffocationis periculum imminet, & præ materiæ copia pulmones ac diaphragma dilatari pro respiratione non possunt. Materia verò, quæ cauitatem thoracis replet, & suffocat, triplex est, vel pituitosa, vel aquosa, vel purulenta, vel si quarta addatur, colluuies ex omnium miscella: omitto nunc sanguineam aut ex erosione, aut ex vulnere, tanquam ad huiusmodi locum minus spectantem: Qualiscunque sit materia vel in ipsomet thorace colligitur vel aliunde decumbit, & transmittitur, nimirum à capite pituitosa: ab hepate, ac toto corpore aquosa: ab ipso thorace purulenta: quæ etiam aliunde defluere interdum solet, vt ex angina suppurata à faucibus; sed si a thorace proueniat, omnino ex abscessu prouentus, & repletio fit, qui vel in pleura ex pleuritide, tùm exquisita, tùm spuria in varijs thoracis partibus facto abscessu, vel in pulmonibus ex peripneumonia, vel in pericardio propter cordis affectum conseruatur. Nam aliquando ex anatome inueni pericardion purulenta materia repletum, & cordis vniuersam superficiem scabiosam, seu vlceros am redditam.

Materia empyematis.

Vnde ortū ducat empyema.

In quibus casibus sectio tentanda.

EX HIS colligitur in quibus casibus efficienda sectio est: fit enim in pleuritide, & in peripneumonia suppurata, ex Hippoc. 2. de Morbis. fit in omni abscessu intus oborto vel ex vulnere, vel tuberculo, vel alia causa: fit in hydrope thoracis: fit demùm in quauis purulentæ, ac pituitosæ materiæ collectione. Quæcumque sit materia, quæ replet, omnino tùm quantitate, tùm qualitate offendit, & suffocat, extinguens natiuum nempè calorem, & non nisi euacuatione tollitur affectus, quæ vtrunque vitium emendat, scilicet tùm quātitatem,

titatem, tum qualitatem; quæ sane euacuatio nequaquam insensibilis, tùm propter præsens suffocationis periculum, semper enim morbus non dabit inducias, tùm propter dissipandæ materiæ difficultatem, sed sensibilis tentanda est, alioqui suffocatur homo, non solùm quia thorax, pulmo, & cor quantitate materiæ obruta attolli, & moueri prohibentur, sed etiam quia ab eiusdem qualitate, prauitateq. offenditur, & strangulatur. Quare, vt diximus, necessaria omnino est materiæ sensibilior euacuatio.

Materia per quas vias euacuetur.

MATERIAE autem, quæ in thoracis cauitate continetur, vel euacuatur per tussim, (quod vt plurimùm accidit transumpta scilicet, ac transmissa in bronchia pulmonis, & tussi per os eiecta) vel euacuatur per viam vrinæ, de qua via meminit etiam Gal. 6. de locis affectis, quãuis ipse ignorauerit viam veram, rectam, regiam, & breuissimam, qua vtitur natura ad thoracis materias egerendas; quæ est per venam sine pari, quæ rectà deorsũ fertur, & in emulgentes pertunditur, aut in cauam venam prope emulgentes sitam. Vel tertiò euacuatur materia, quæ in thorace est per aluum, quemadmodum prodit Gal. quæ tamen via non ita patet, vt cæteræ propositæ, sed fit per medias quasque regiones, & corporis porositates, cum totum corpus conspirabile sit, & peruium, & ad aluum, tanquam ad aptam cloacam, vel sentinam excrementa transmittat. Hippocrates tamen hanc alui viam frequentiorem existimauit, dum secundò de Morbis, in suppurato ex peripneumonia dixit; Sæpe enim prorumpit ad aluum, & statim melius habere sibi videtur, vbi ex angusto, & concluso, ad ampliorem regionem, & apertam deuenerit.

Quando tãdẽ ad Chirurgiam deueniẽdum

IGITVR cum nec per tussim cum vocatis lambitiuis, neque per vrinas cum vrinam cientibus, neque per aluum cum purgatorijs exhibitis, neque tandem per ea, quæ Hippocrates plurima proponit secundò de Morbis, cap. de suppurato ex peripneumonia, thoracis collectio euacuari possit, tunc accedimus ad manuariam operationem, hoc est, Chirurgiam, quæ est thoracis perforatio, vt ægrum ex præcipiti leuemus. Quæ sicuti antiquitus frequentius, & tutius vsurpabatur, ita his nostris temporibus videtur obsoleta, sicuti fermè omnes aliæ Chirurgicæ operationes effatu dignæ. Puto ego quia non reperiantur eximij Chirurgi, sicuti deceret, qui calleant anatomen, & tutò nouerint perforare, & id genus omnes operationes tutò moliri, sed formidolosi sint. Secunda causa est, quia antiqui fortè plurima audebant, & tentabant in robustioribus corporibus. Tertia, quia temporibus nostris adeò timidi patientes sunt, & delicati, vt non admittant egregia istiusmodi opera. Vltima est periculum, quod incurrimus offendendi alicuius momenti partes. Quò magis in præsentia cupio vos tutissimè hanc operationem perforandi thoracem docere: prius autem antiquorum modos recenseamus.

Cur multæ operationes Chirurgicæ veterum hodie obsoletæ sint.

Secunda causa.

Tertia causa.

Vltima causa.

HIPPOCRATES secundò de Morbis, capit. de suppurato ex peripneumonia, antequam secet thoracem, multa proponit medicamenta, quæ per os pus euacuant, sed eis non conferentibus tandem deuenit ad sectionem: prius autem proponit signa loci abscessus, in quo efficienda sectio est, quæ vbi non adsunt, primò considerat, quodnam latus magis sit tumidum, & magis doleat, & inibi præcipit secandum, quod si neque hoc appareat, sed vtrumque latus indifferenter & doleat, & tumeat, tunc eligit sinistrum potius quã dextrum latus, quia minus lethalis operatio est, inquit Hipp. Puto ego hoc præcipere propter iecur, quod sua gibba parte sursum diaphragma premit, & thoracem versus incuruat, seseq. in thoracem adigit, & insinuat. Monet igitur Hipp. esse partem affectam infimè secandam magis post tumorem, quam ante, vt materia exitum faciliorem habeat. Secat autem Hippocrates inter costas cutem priùs nouacula, deinde scalpello acuto. Notare hic oportet Hipp. non proponere duplex instrumentum, vt verba, & versio sonat, videlicet nouaculam, & scalpellum acutum, sed idem instrumentum, quod ipse μαχαιρίδας αθοειδην nominat, vult esse obligandum ad cuspidem tam longè a mucrone, quanta est magni digiti latitudo, ita vt summa ipsius pars ad vnguis magni digiti mensuram expedita restet, quam intromittas.

Methodus secãdi Hippocratis.

Hippoc. explicatur.

Quod agendum emisso pure.

POST HAEC emisso pure, quantum visum fuerit, vulnus linamento

ex lino crudo obligato, foras propendente filo concludito, & quotidiè semel pus educito, Postquam autem decimus affuerit dies, omni pure emisso linamentum ex linteo indito: deinde vinum, & oleum tepefactum per fistulam infundito, ne pulmo à pure humectari solitus de repente exsiccetur. Emittendum autem est, quod mane infuderis, ad vesperam, quod vesperi, manè. Vbi verò pus tenue velut aqua fuerit, & ad digiti contactum viscosum, & modicum, penicillum stanneum cauum indito. Primò ponit turundam ex lino crudo, quæ mollior est, dura enim inflammationem decimo die, quo tempore inflammationis timor præterijt, moueret. tum turunda fit, & ideo quæ ex linteo quod durior sit, vt apertus seruetur locus, reijcitur. Tertio loco fistula ex stanno sumitur, ne remaneat materia intus, & ad cicatricem duci possit incisio: ideoque ait minuendum esse linamentũ paulatim, donec vlcus coalescat. Postquam autem omnino exsiccatum fuerit, paulatim linamentum præsectum minuito, donec vlcus coalescat, & ipsum penitus eximat: hæc Hippocrates de modo secandi thoracem.

Rationes cur res proposita adhibeantur.

Alius modus secãdi Hippocr.

RVRSVS alium modum secandi affert Hippocrates in libro de internis affectionibus, his verbis: Intellecto vbi abscessus est, costam tertiam ab vltima vsque ad os secato, deinde cum terebra caua vltra perforato, & vbi perforata fuerit, aquæ parum emittito, & vbi emiseris linamentum ex crudo lino indito, & spongiam mollem superimponito, deinde ne linamentum excidat, deligato: emittere autem duodecim dies aquam oportet, semel in die, post duodecimum autem diem sequenti decima tertia totam emittere aquam, & reliquo tempore. si subnascatur aqua, emittere, & ventrem cibis resiccare, & bis in die aquam euacuare, post sectionem autem hæc exhibere oportet.

Dubium.

Solutio.

QVO loco quæritur, cur Hippocrates in hydrope thoracis, secat supra quartam costam omnia superposita, ita vt costa denudetur? Respondetur, quod etsi reuera thoracis sectio inter quintam, & sextam fieri debet, ita vt supra sextam costam fiat, tamen ex Hippocrate supra octauam fieri debet, quia Hippocrates retro magis sectionem præcipit, quo loci diaphragma habet ortum multò inferius, quàm ante, & ideo ibi non attingitur diaphragma. Atsi fit sectio anterius, magis omnino efficienda est ad sextam costam, quoniam diaphragma anterius pertingit ad quintam costam, & ad sextam terminatur, vbi rursum incuruatur, etenim diaphragma posterius originem suam habet inferius, anterius verò longè superius habet. Costa igitur denudata, dicta omnia, peragenda sunt.

Aliud dubium.

Solutio.

QVAERITVR secundò, cur Hippocrates in hydrope thoracis costam perforet, non autem spatium intercostale, vt in altera sectione, in peripneumonia videlicet suppurata? Respondetur, vt facilius foramen turunda obturetur, ne aqua tota confestim exeat, quod non contingeret, si in spatio intercostali sectio fieret, exiret enim breui spatio tota aqua.

Dubium tertium.

Solutio.

QVAERITVR tertiò cur terebra caua vtatur Hippocrates, & præterea quid intelligat per cauam terebram? Dicendum, terebras duplices esse, alias rectas cum quatuor acutis angulis, alias cochleæ modo cauas. Vult Hippocrates eligendas esse terebras cauas, quæ mucronem habent quoquo modo inflexum, & ideò minus periculosæ sunt, ne aliquid intus pungant. Alia ratio est, vt in terebræ cauitate scobs colligatur, ne in cauum thoracis decidat: quamquam autem hæc est in verbis Hippocratis expositio, attamen nonnulla propositam Hippocratis Chirurgiam infirmare videntur, propterea quod terebra perforare costam nil aliud est, quam facillimè internas violare partes, cum costa intus magis emineat, quam intercostale spatium, & præterea fistulam in costa excitare, quòd interius spongiosa costa sit. Quare satius erit intercostale spatium incidere, inde fistulam argenteam ad amussim incisioni respondentem demittere, vt infra patebit, vt aqua non nisi ad libitum exeat,

An materia in thorace contenta per vstionẽ euacuari possit.

MATERIA in thorace contenta non modò sectione, verùm etiam vstione euacuatur, cum Hippocr. Aphor. 6. dicat: Quicumque empyici aut hydropici vruntur, aut secantur, in

quodam

quodam enim codice Græco vruntur tantùm legitur, in alio autem, vruntur ac secantur, cui postremæ lectioni Galenus assentitur.) Sed quomodo ab Hipp. fiat vstio in empyemate, Galenus remittit Lectorem ad librum de internis affectionibus, vbi ait Hippocratē hoc executum fuisse, sed in hoc libro vel non meminit Hippocrates modi vrendi, vt vidimus duobus in locis, tum secundo libro de morbis, tùm libro de internis affectionibus, pro quibus duntaxat secandi, nequaquam vrendi modum docet, vel si de vstione mentionem facit, vstionis tantummodo meminit, non autem sectionis, vel modi vrendi, & libro tertio de morbis dicit, secato aut vrito, ita vt ex Hippocrate incertum sit, quomodo in thoracis collectione vstio fiat, immò lib. 3. de morbis, diaphragmatis meminit, quod cauendum esse in sectione dicit. Hi sunt Hippoc. loci, in quibus loquitur de modo secandi tantùm thoracem, non autem docet modum vrendi, & vti opinor iure Hipp: dimisit modum vrendi thoracem, quod tutior sit sectio, quam vstio: nam vstio penetrans potest facile pulmones, & internas partes offendere, quod sectio non potest, cum nimis vires se ostendant. Insuper instrumentum aptum ad secandum, quod, vti infra dicetur ad cuspidem recuruatum futurum est, & ex altera parte acutum; & ex altera retusum, non potest offendere intus aliquid per sectionem, per vstionem, autem potest. Paulus tamen duobus in locis vrendi modum proponit, sed primus non est ad mentem Hippoc. quia Paulus non vrit ita vt vstio penetret vsque in cauitatem, & totam euacuare purulentiam, confestim possit, vt Hippoc. docet: sed Pauli vstio euacuat quidem sensibiliter, sed potius transumptiuè, ita vt materia per meatus ab internis exterius transumatur, & per vstiones exeat. Nam combusta cute tanquam densiore, non difficulter euacuari, ac transumi materia potest ab internis ad externa per carnis poros. Et quia est modus, per quem materia nimis tardè euacuaretur, propterea multis supplet vstionibus, & euacuationibus. Itaque vnam facit iuxtà clauiculam, duas exiguas iuxta mentum, duas sub mammillis ampliores inter tertiā quartamque costam, alias duas inter quintam, & sextam, paulò posterius aliam per mediū pectus, aliam supra os ventriculi, tres posterius, videlicet supra dorsum vnam, in vnoquoque spinæ latere duas, ita vt in totum duodecim faciat vstiones, vel ferramento candente, vel radice aristolochiæ longæ oleo intincta & accensa. Hic est modus vrendi Pauli, qui sicuti sæuus est, ne crudelis, & immanis dicam, vt iam dixi, non est ad mentem Hipp. Aliū Paulus proponit ex Leonide, & alijs antiquioribus modum vrendi thoracem vstione penetrante, & perforante, hoc modo. Ferro mucronato candente per medium costæ spatium, vbi abscessus est, adacto vsque ad pus vstionem moliti sunt. Vbi per ferrum mucronatum intelligere possumus, vel ferrum acutum incidens, vel mucronatum, id est, non incidens, cuiusmodi sunt, quæ passim punctualia ferramenta vocant. Proponit postea Paulus modum secandi thoracem ex quorundam sententia dicens: Nonnulli etiam hos curare ausi sunt transuersa linea inter quintam, & sextam costam ducta, & cute paululum oblique diuisa. deinde sic scalpello membrana, quæ costas succingit, perforata pus excreuerunt. Quas tamen postremas Chirurgias Paulus tutas non habet, vt patet ex verbis, quę ita subiungit: Atque hi qui secant, cum illis, qui ferro vsque ad imum adurunt, aut statim mortem inferunt, vitali spiritu confestim vnà cum pure euacuato, aut fistulas reddunt insanabiles. Hippocrates suprà dixit, si sectio fiat in sinistra parte, minus lethalis est; nunc verò Paulus inquit: Atque ij qui secant, cum illis, qui ferro vsque ad imum adurunt aut statim mortem inferunt, vitali spiritu confertim vnà cum pure euacuato, aut fistulas reddunt insanabiles, quæ verba aliquem non perterrefaciant, & ab huiusmodi Chirurgia deterreant, nobis enim enitendum est modum excogitare, quo tuta hæc Chirurgia & sectio fiat, posteaquam iam visum est, quomodo ab antiquis, Leonide nimirum, Hippocrate, & Paulo hæc fuerit administrata Chirurgia.

Ex Hippocrate nihil certū colligitur quōdo vstio fiat.

Cur Hippocrates non doceat modum vrēdi.

Pauli vrendi modus qualis.

Alius Pauli modus vrēdi thoracem.

TVTA autem, ni fallor, erit chirurgica operatio, si primò studeamus, ne qua pars in thorace effatu digna in perforando violetur, cuius causa periculosa reddatur operatio, quod nil aliud est quam locum opportunum ad secandum inuenire. Possunt igitur primò offendi interna membra, pericardium scilicet, pulmones, & diaphragma, tùm verò exter-

Quomodo tuta fiat hæc operatio.

Locus perforandus. na, vena ſcilicet, arteria, neruus, & denique muſculi. Itaque primò eligimus locum aptum pro tutela pericardij, non perforantes in anteriori, neque in poſteriori parte thoracis, ſed ad latus, vt ita vitemus ipſum ſternum, & in lateribus perforemus; poſtea vitamus pulmones, & diaphragma, efficientes ſectionem in cofinio vtriuſque, quod eſt inter quintam, & ſextam coſtam, quod etiam ex Leonide & Paulo cõfirmatur: ratio, quia neque diaphragma ſuperius aſcendit, dum incurvatur, & concidit in expiratione libera, neque pulmones deorſum deſcendunt, dum ſimiliter concidunt, quod pluries pleno theatro ipſo viſu comprobaui, gladiolo ſcilicet inter quintam, ſextamque coſtam infixo: vidimus enim neque diaphragma, neque pulmones læſos fuiſſe, ſed ad vtriuſque terminum gladiolum deuenſſe.

Status patientis in ſectione qualis eſſe debeat. EX QVIBVS elicitur, in quo ſtatu, ſeu poſitu debeat eſſe patiens, & conſiſtere, dum inciditur, quatenus ad reſpirationem ſpectat, debet enim eſſe in ſtatu expirationis, ſi tamen fieri per difficilem reſpirationem poteſt, ita vt debeamus præcipere ægrotanti ipsũ ſpiritum totum nunc emittere, cum perforamus, ſic enim pulmones ſpiritu prius turgentes concidunt, & ita thoracis cauitas paratur, neque vllo modo offendi poſſunt. Diaphragma autem etſi in hoc ſtatu ſurſum incurvatur, offendi tamen non poteſt, quia cum à lateribus, vbi perforandum non eſt, ad coſtas terminetur ſpurias, quæ ſunt à ſeptima coſta infra, ideò non poteſt adeò ſurſum incurvari diaphragma, vt offendi poſſit, cum fiat ſectio inter quintam, & ſextam coſtam, vt ex Leonide quoque Paulus præcepit, lib. 6. cap. 44. ex quo

Locus Hipp. explicatur. eliciatur, male Chirurgos illos præcipere, vt fiat inter tertiam, & quartam coſtam ſectio, propter cauſas dictas, & Pauli authoritatem ex Leonide. At Hipp. locis ante citatis coſtam tertiam ab vltima ſecari iuſſit. Quod ſi intelligamus coſtam tertiam non enumerata vltima, erit paulò inferius ac ſupra à nobis dictum eſt, hoc eſt quarta coſta ſpuria. Quod ſi rurſus mittamus primam, ſeu vltimam, quæ adeò parua eſt vt enumerari, neque exterius tangi poſſit, procul dubio ex Hipp. erit ferè locus idem, qui à nobis propoſitus fuit, qui diaphragma tuetur, maximè propter ſui originem obliquam: nam vbi incurvat diaphragma, id in medio ipſius diaphragmatis potiſſimum contingit, non à lateribus, neque in ſuis terminis, vbi coſtis adhæreſcit. Præterea in viuo animali veriſimile eſt diaphragmatis curuitatem non ita altè aſcendere, vt in mortuo, in quo omnia penitus decidunt, & denſantur. Vnde nunquam ad ſextam coſtam diaphragma peruenire vllo modo poteſt cum ſuis terminis etſi in in medio poteſt. Hoc igitur modo fit perforatio thoracis abſque læſione internorum membrorum, pericardij ſcilicet pulmonis, & diaphragmatis.

Læſio partiũ externarũ quomodo euitetur. VITAMVS denique partium externarum læſionem, venarum ſcilicet, arteriarum, neruorum, & muſculorum, quæ ſi læderentur, omnino operationem minus tutam redderent, ſi incidamus in ſuperiore ipſius coſtæ parte, nequaquam in inferiore. Cumque inter quintam, ſextamque coſtam perforatio facienda ſit, adſitque in hoc ſpatio & pars inferior quintæ, & ſuperior ſextæ, ideòque omnino vitanda ſit inferior coſtæ pars, ſeu terminus; ad ſuperiorem ſextæ coſtæ partem efficienda ſectio eſt, quia per inferiorem quintæ coſtæ partem, vt Anatome cõmonſtrat, & Gal. 8. de Anat. adm. monet, excurrunt vena, arteria, & neruus, ita enim non modò has partes vitamus, ſed etiam harum partium propagines, quod vtique non accideret, ſi alibi, quam prope ſextam coſtam perforaretur. Nam in inferiore parte quintæ adſunt hæ partes, in intercoſtali vero ſpatio medio harum partium propagines, horum autem neutrum adeſt in ſuperiori ſextæ coſtæ parte, in qua tuta fit

Hipp ſententia reijcitur perforatio, ſi modo coſta inciſione non attingatur, aut denudetur. Quo loco ſententiæ Hipp. aſſentiri nequeo, qui terebra coſtam perforat, vt inde colluuies euacuetur, propter fiſtulæ periculum, & partium internarum læſionem, quæ facilius in coſta perforata ſuccedere poteſt, cum in cauitate thoracis magis eminens ſit, quam ſpatium intercoſtale. Sed

Hipp. ſententia ſaluatur. Hippocrates operationem illam potius moliri videtur in thoracis hydrope, quàm in puris collectione, cum ſemper aquam nominet, non pus, aut quiduis aliud: in perforatione autem vbi aqua continetur, periculum magis imminet de exitu totius aquæ confertim facto, qui fortè facilius euitatur ſi coſta perforetur, quæ facilius obturatur, quam alia pars.

Si

Si verò Hippocrates ideò thoracem terebra perforat, vt facilius foramen obturetur, ne aqua tota confertim exeat, hæc perforatio huic vſui quidem ſatisfacit, ſed dictam habet difficultatem, quia cum interiùs coſta magis emineat, quàm intercoſtale ſpatium ideò facilius à terebra pulmo offendi poteſt, quàm ſi intercoſtale ſpatium perforaretur: inſuper fiſtulæ incurabilis periculum imminet. Sed ſi nos intercoſtale incidamus ſpatium, & præſertim id in expiratione moliamur, inde verò ſtatim cannulam paratam habeamus foramini ad vnguem reſpondentem, qua obſtructa, ne quidem aquæ gutta effluat, facile me iudice omnis tolletur difficultas. *Difficultas hæc quomodo tollatur.*

VLTIMO efficienda ſectio eſt ad latus. Quæritur modò, qua in lateris parte? Hippocrates in ſuppuratis duo proſpiciebat, & partem affectam, & ſitum decliuem; ideòque aliquando præcepit, poſterius potiùs ſectionem efficiendam eſſe: at in collectione, aut pituitoſa, aut aquea, quæ cauſam à thorace non habet, ſectionem anteriùs moliri ſatius eſt, quia muſculi pauciores ſunt; & terminantur, nec non pulmo finitur, quàm poſterius, vbi muſculi ſuperpoſiti, & plures, & craſſiores, & magis neruoſi, ſpinæque propinquiores ſũt. Regio enim anterius ſpectans, exempli gratia, quatuor aut quinque digitos longè à pectoris oſſe diſtans, paruos habet muſculos, & paucos ſuperpoſitos, ferèque non niſi vnum, qui brachium ad pectus adducit, qui etiam ibi tenuiorem habet terminum, ideòque potiùs anteriora, quàm poſteriora verſus fieri debet ſectio. Alia ratio eſt, quia poſteriùs pulmones ſua baſi conſiſtunt, tum verò muſculi multi, & neruoſi, vtputa ſpinales, adſunt. *In qua parte lateris facienda ſit ſectio. Cur in parte anteriore facienda ſectio. Alia ratio.*

ITAQVE ſectionis locus, qui differt ſecundum anterius, & poſterius ſit, vbi muſculis eſt vacuus, & deſtitutus, ideſt, vbi omnium muſculorum termini ſunt, videlicet adducentis brachium ad pectus, obliqui deſcendentis abdominis, & in ſimis ſcapularum ſiti thoracem attollentis. Exactiſſimè autem locum inuenies, ſi filo metiens ſpatium vnam fili partem à medio pectore ad coſtam ſextam, & ſeſquialteram, hoc eſt, vnam cum dimidia ab illo ſextæ coſtæ termino ad ſpinam dimetiaris. In ſumma, quò pertingit tertia pers fili totius ſextæ coſtæ longitudinis. *Locus ſectionis quis ſit. Quo inuenendus.*

ANTEQVAM ſectio fiat, inſtrumentum parandum eſt. Hippocrati appellatur inſtrumentum, quo thorax perforatur, μαχαιρὶς σηθοειδὴς id eſt, gladiolus pectoris formam, ſeu ſimilitudinem referens: quæ dictio interpretari poteſt, vno modo, quod gladiolus ſit exterius curuus, interius cauus, ſicuti eſt pectus; alio modo, vt hic gladiolus, quo thorax perforatur, ſit ſicuti eſt os pectoris, quod ξιφοειδὲς appellatur, id eſt, enſiformis, quia ſcalpellus hic ſit ſimilis oſſi pectoris, vna cum mucronata cartilagine, quæ eſt acuta, vt cuſpis enſis, ita vt ſicut os pectoris ad iugulum, & alterum extremum eſt latum, in fine verò, & altero extremo acutum, & tenue, ſcilicet ad mucronatam cartilaginem, ſic μαχαιρὶς σηθοειδὴς ſit eiuſdem figuræ, quæ eſt quodammodo triangularis. Paulus lib. 6. cap. 44. ferrum ad incidendum thoracem aptum σκολοπομαχαίριον vocat: quod Galen. deſcribens 8. de anat. adm. cap. 6. dixit, à ſe fuiſſe excogitatum inſtrumentum ſcolopomachærio ſimile, quod oblongum eſt, & latera duo habet acuta in extremo ad vnum verticem coeuntia: quod videtur eſſe illud, quod vulgò lanceola appellatur. Vnde à ſagittæ ſimilitudine à nonnullis dicitur ſagittella. Ego autem libenter ſcolopomachærion deducerem à roſtro illius auis, quæ vulgò appellatur gallinazza, Latinè gallinago, Græcè σκελόπαξ, à qua ſcolopomachærion ſignificat gladiolum longum, & ad cuſpidem paulum recuruatum, vt eſt roſtrum auis ſcolopacis dictæ: nam σκολιόω intorqueo, ſeu obliquum, & tortuoſum reddo, ſignificat, qui ex vno latere, interno ſcilicet, habet aciem, anteriùs vero retuſus eſt, qui ſane gladiolus tutior eſt ad perforandum thoracem, quam alius, qui duas habet acies, neque recuruus eſt, hoc enim offendi pulmones poſſunt. *Hippocratis inſtrumentũ ad ſectiones thoracis. Paulli inſtrumẽtum. Etymon ſcolopomachærij ſecũdum Authorem.*

NVNC docendum eſt quomodo eſt facienda perforatio, ſed priùs adnotandũ quòd Hipp. 2. de humor. cap. de ſuppurato ex peripneumonia, dum ſecat, optat ſectionem fieri magis in ſiniſtro, quam dextro latere, quia (inquit) minus lethalis eſt. Puto ego id dicere propter iecur, quod ſua parte gibba ſurſum fertur, diaphragmaque magis incuruat, & thoracem verſus magis protenditur, vti quoque ante dictum eſt. Quod autem ad ſectionem attinet, *Sect. fiat in ſiniſtro latere. Sectio fiat obliqua.*

attinet, opinor debere fieri perforationem quoquo modo obliquam, ita vt secundū fibras musculorum exteriorum intercostalium progrediatur, nam cum sit necessarium præcidere aut externos, aut internos intercostales musculos propter contrariam positionem, quam habent, minor læsio succedet ex incisione internorum, quàm externorum cum externi maiores sint, & potiori vsui destinati, nimirum inspirationi, interni contra minores, tenuioresque sint, & expirationi conducant.

Modus incidendi. ITAQVE facta priùs linea ex atramento incisionis efficiendæ, inde sumpto instrumento ex altera parte retuso, ne subiecti pulmones lædantur, ex altera aciem habente, & eo quidem modice ad cuspidem recuruato, vt pulmones vitentur, vti dictum est. Altera pars, qua retusum est instrumentum, ad sextam poni costam, & inniti debet, priusquè cutem ipsam, vt monet Hipp. 2. de morbis, & Paulus, incidere oportet, paululum oblique diuisa. *Cur primò incidenda cutis.* Primò volunt, esse incidendam cutem, quoniam propter sui duritiem, & densitatem ferro resistit, & difficulter perforatur, & propter resistētiam exactè intercostales musculos, vt par est, secare non permittit. *Cur obliquè incidenda.* Secundò volunt obliquè esse secandam cutem, eum iam dictam sit, secundum rectitudinem fibrarum musculorum intercostalium externorum fieri debere sectionem, obliquè igitur posteriora, superioraque versus axillam incidendū progredi, & eò vsque obliquè intra adigere, donec ad cauitatem ventum sit, quæ incisio lentè fieri debet, quò prius pulmones delidant vix facto foramine, quam turgidi offendantur. *Quomodo cognoscatur ad cauitatem esse peruentum* Quæ noxa omnino deuitabitur, si in statu expirationis æger consistat, dum fit incisio. Cognoscemus autem ad cauitatem ventum esse vel ex exitu saniei, vel ex iuxtà positione instrumenti immissi; vnde si, vt tutiores simus, instrumenti congruā partem immittendā tantùm denudemus, aliquid alligantes, quod notat Hipp. 2. de morbis, cap. de peripneu. suppurata, vbi dicit, scalpello acuto, quod panniculo sit obligatum, ita vt summa ipsius pars ad vnguis magni digiti mēsuram expedita restet, quam intromittas, probè faciemus. Tertio dignoscitur penetratio à perito Chirurgo, quia non sentit amplius ad cuspidem instrumenti resistentiam, sed potius vacuitatem. Vltimò, quia exit aer aliquis.

Duplex instrumentorum vsus. HVIVSMODI instrumentis duplici modo vti possumus, vel candentibus, vel non candentibus. Auctores magis eligunt, ac probant candentia: puto ego, quia fortè timeant gangrænam, propter exitum colluuiei: nam Galenus 5. Meth. dicit, in hoc casu in plurimis putrefieri & pleuram, & etiam costam. At Hip. 2. lib. de morb. cap. de suppur. ex peripneu. vtitur scalpello acuto non candente, & iam suprà causam audiuistis. Quod si vna pars thoracis repleta sit, ex ea parte tantùm, si ambæ, ex vtraque parte perforandum.

Sectio facienda parua & cur. FACIENDA est sectio parua propter tres causas: Prima, quia minor est inflammationis timor ex minori incisione facta. Secunda, quia minùs offenduntur, & refrigerantur internæ partes ex aere ingrediente per exiguum foramen. Tertia, quia ita prohibemus facilè exitum totum ipsius materiæ vnica vice quod periculosum est, vt infra patebit.

Sectio quā, & facienda. SED tamen tam magna est efficienda, vt colluuies collecta possit exire. In quo casu perpendenda est crassities materiæ: Vnde minor incisio facienda est in hydrope thoracis, maior in suppuratis, & adhuc maior in pituitosa materia collecta; ita tamen, vt generaliter potiùs parua sit incisio, quàm magna, propter periculum propositum. Quod si interdum decipiamur, ita vt materia sit crassior, foramen verò angustius, quò minus exire possit, in eo casu vtimur instrumento dilatante vlcera cauernosa in carne, quod pulmones propter obstaculum in eius extremo positum offendere non potest. *Foramē an angustius quomodo dilatandum.*

MAXIMVM autem in hac operatione imminet periculum, ne tota materia collecta nobis inuitis vnica vice confertim exeat, cum qua exeunt etiam spiritus viriumque debilitas tanta succedit, vt Hipp. 6. Aph. 27. dixerit, quicumque empyi, aut hydropici vruntur, aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, omnino moriuntur. Ob quam causam ego imaginatus sum cannulam argenteam, quæ adeò magna sit, vt exactè incidenti instrumento, & foramini respondeat, ita vt quantum nobis libeat aquæ euacuetur, non plus. Sic enim periculosum huiusmodi prædictum scopulum vitamus. Cannulam quoque præcipit Hipp. 2. de morbo vbi dixit; penicillum stanneum cauum indito.

FACTA

FACTA perforatione; & immiſſa cannula, quæ habeat alas, aut filum appenſum, ita vt intra thoracem inſpirando non ingrediatur, & ſit plurimis foraminibus perforata, vt poſſit ex omnibus, prout opus eſt, exire colluuies. Eius ſit longitudinis, vt ad opus perueniat, non tamen pulmones tangat; curua ſit, vel obliquè intus incedat pone coſtam propter eandem cauſam, immittaturq; deorſum inſtrumenti curuitas diaphragma verſus, ne pulmones ab extremitate eius tangantur. Permittendum deinde eſt quotidiè exire aliquid puris, vtputa ſcilibra, aut plus, minuſuè, dum tutum ſit, quod pulſus indicabit; & inde per cannullam colluuiem exire permittendum, quæ liberè, ac facilè exeat, hoc modo eſt euacuanda: ſin minus, iubere oportet (vt Galen. præcipit Meth. 5. cap. 8.) vt in laborantem, & inciſam partem inclinati tuſſiant, aut molliter corpus concutiant, agitentque aut ſi collectio craſſior ſit, vt facile exire non poſſit, nam craſſiſſima ſolet interdum exire, vt in vulnere thoracis aliquando accidit, ex quo barbitonſor dixit exire cerebra, mitabatur enim veluti ſubſtantiam cerebri, tanta erat eius craſſities: In quo caſu præcipit Galenus, mulſa prius infuſa, quæ fluxibiliorem, liquidioremq; materiam reddat, iubere vt ægrotans tuſſi, & concutiendo eijciat.

Cannula, qualis conueniat.

Quomodo ſuſcuanuãdum.

VLTIMO loco, non exeunte materia, præcipit eſſe attrahendam, & foras euocandam colluuiem inſtrumento puris tractorio, quod proinde πύελκος à Græcis nominatur, de quo pyulco fit à Galeno mentio etiã ſecundo ad Glauc. cap. 8. & eſt quod à nobis vulgò ſchizzo dicitur; quod etſi à Galeno non deſcribitur, tale tamen eſſe teſtatur etiam Hiero in tractatu ſuo de ſpiritibus, quo vi vacui ſaniem ex thorace foras vi trahit, & educit. De quo pyulco illud eſt animaduertendum, plerumque pyulcum effectui non reſpondere, quod nihil puris, aut humoris trahit: ratio eſt, quia pyulci cauitas debet proportionem habere cum cauitate, ex qua quippiam trahitur: Nam ſi pyulcus ſit exiguus, vt eſſe ſolet qui immittitur, & in thorace cauitas magna exiſtat, tantum à pyulco trahetur quanta eius cauitas capere poteſt. Quod ſi rurſus in thorace adſit cauitas (vti adeſt) quæ partim aere plena ſit, partim humore, & pure, nihil omnino ſaniei trahet pyulcus, ſed tantum aer replebitur, quia quod vi vacui trahitur, omninò prius quod tenuius eſt, ſequitur: aqua enim, & ſabulo vaſe pleno, ſi ſiphonem longiſſimum immiſeris, priùs omnino ſequetur aqua, quàm ſabulum, dicebat Galenus. Sic exiguus pyulcus à thorace priùs attrahet aerẽ quàm ſaniem: quo aere repleto aliud attrahi nõ poteſt; & hæc eſt cauſa cur à pyulco nihil trahitur. Quod ſi pyulcus ſit latiſſimus, vt præter aerem, materiam quoque recipere poſſit, tunc trahetur pus, præcipuè ſi ſipho ad pus pertingat, & ſpiritus per expirationem ſit antea euacuatus, patienſque à reſpiratione abſtineat.

Si materia non exeat, quid agendum.

Cur pyulcus non attrahat pus.

De Thoracis fiſtulis.

MVLTIS nominibus thoracis fiſtulæ incurabiles cenſentur: Primò enim perpetuus thoracis motus, quo dilatatur, & contrahitur, impedit ſanationem. Secundò, ſi fiſtula in cauitatem penetret, non amplius glutinatur pleura ſubiecta, non ſolum quia adduci nequeunt labia eius ad mutuum contactum, ſed etiam quia neruoſa, tenuis, exanguis, & membranoſa eſt, vti quoque Galenus de veſica dixit in Aphoriſmis. Vnde qui vulnus thoracis penetrans acceperunt, ſolent vt plurimum, toto ſuæ vitæ tempore argenteam geſtare fiſtulam: & ego nõnullos noui, qui viginti quinque, & triginta annos geſtarunt, & vitam ſatis commodam traxerunt. Tertia cauſa eſt, quia ſi fiſtula intus in coſtam penetret, ac terminetur, cum coſta cauernoſa ſit, ſolet facile in ea pus colligi, & ſerpere perpetuo læſæ corruptio coſtæ, cuius cauſa non ſanatur. Vltima cauſa eſt obliquus flexuoſuſque fiſtulæ ſinus, & præterea finis fiſtulæ decliuis. cuius cauſa expurgari fiſtulæ excrementa non poſſunt. Addo ego aliam cauſam, fiſtulæ conditionem, quam obſeruaui, & eſt, cum fiſtula non ſolum decliuis eſt; & terminum habet inferius, ſed etiam à ſpatio intercoſtali ſuperiore ſubtus coſtam ſeſe inſinuat vi-

Fiſtulæ thoracis cur incurabiles. Prima cauſa. Secunda cauſa. Tertia cauſa. Vltima cauſa. Alia cauſa

delicet

delicet inter pleuram & coſtam, donec in alterum intercoſtale ſpatium ſubiectum terminetur.

Cauſa prima quomodo ſuccurrẽdum.

QVAS porrò fiſtulas curabiles euadere nemo dubitabit, ſi cauſæ abſcindantur, cauſæ (inquam) à loco affecto deſumptæ, alijs nunc dimiſſis. Prima cauſa eſt thoracis motus, cui occurritur, ſi intercoſtales muſculos moueri, & intercoſtale ſpatium, coſtaſque tolli, ac deprimi prohibeamus, quod ſanè fiet, ſi reſpiratio tantùm libera, in qua ſolùm diaphragma mouetur, ab ægrotante efficiatur: quod eueniet, ſi vt vno verbo dicam, in totũ violenta vitetur reſpiratio. Vnde in lecto quieſcere æger debet, & à voce, & locutione omni, ab ira, & quacumque cohibita reſpiratione abſtinere. Secundæ cauſæ occurritur, propterea quod etſi pleura non glutinatur, caro tamen muſculorum intercoſtalium, & ſuperpoſita cutis glutinari, & cicatricem inducere poteſt, ſi modò priùs callus fiſtulæ auferatur, aut molliente, aut erodente, aut adurente, ſiue medicamento, ſiue ferramento. Præterquam quod nihil obſtat pleuram cicatrice obduci poſſe, tametſi glutinari non poteſt. Sed cur eſt, quòd multi in thoracis vulneribus geſtant argenteas cannulas tot annos? Dicendum, id eſſe neceſſarium, cum per fiſtulam copioſus materiæ fluxus eſt, qui occludi ſine noxa non poteſt, ſed ſi exſiccetur, poteſt. Tertia cauſa amputatur non difficulter, ſi candens, exiguumque ferramentum aut ex ſe, aut per cannulam in coſtam inferatur, putrilagoq. omnis exſiccetur, & abſumatur, parſq. corrupta roboretur, ita enim cicatrice obducetur. Quarta cauſa abſcindetur, ſi flexuoſus, decliuiſq. ſinus vniuerſus ſcalpello abſcindatur: ſolemus autem vti aut ſcalpello, quod vulgus Gammaut nominat, aut paruo cultro vnam aciem habente, eamque in extremitate paulò intus recuruatam: ſed ſiue hoc, ſiue illo vtamur, perpetuò tamen ceræ albæ exiguum globulum cuſpidibus ſcalpelli annectere oportet, ne ſcalpelli cuſpis fiſtulæ ductum offendat, neu finem eiuſdem aſſequatur, & pertingat. Ad vltimam cauſam tollendam, quæ fiſtulam incurabilem reddebat, propterea quod à ſuperiori parte ſeſe ſubtus coſtam inſinuabat, & ipſam præteribat, donec in ſpatium intercoſtale inferius finiret. Celſus, vt videre eſt lib. 7. cap. 4. vult præcidendam eſſe, & eximendam ex vtraque parte coſtam, cuius verba ita habet; Solent autem inter coſtas fiſtulæ ſubter ire, quod vbi accidit, eo loco coſta ab vtraq; parte præcidenda, & eximenda eſt, ne quid intus corruptum relinquatur. Quæ operatio quàm difficilis ſit, quamque periculoſa, non eſt quod longioribus proponam, imaginatione enim facile quiſque aſſequitur. Sed ad factum veniamus. Præcidenda ex vtraque parte coſta eſt. Quomodo coſta oſſea, & dura præcidatur, neſcio, niſi fortè hoc inſtrumento, quod vno tempore præcidit, & rumpit: deinde quomodo eximetur coſta ſine pleuræ diſtractione, & tandem morte ipſius ægrotantis, pariter ignoro. Ego autem libenti animo vobis communico, quod in tali caſu excogitarim, commentuſq. fuerim ad Chirurgiam mitiorem, tutamquæ reddendam. Dimiſſa enim coſtæ tum amputatione, tum extractione, tamquam periculoſa, & atroci operatione, paraui mihi fiſtulam argenteam recuruatam, quæ ſequeretur totum fiſtulæ ductum à principio ad finem vſque, ita tamen vt cannulæ argenteæ extremitas, quæ ad fundum fiſtulæ pertingit, ſurſum, ſeu exterius ſpectet, immiſſaq. intus per totum cannulæ ductum recuruata, & longa acu non longe a cuſpide perforata, & filum trahente, inde acu impulſa perforaui fiſtulæ decliuem extremitatem, ita vt acus cum filo ex ea ſuperius, exteriuſq; exiret, poſtea exempta acu filum remanſit, & alligatis fili vtriuſque extremitatibus, ita ſeruatus apertus locus eſt, vt excrementa vlceris commode, & decliui loco effluerent, ſic enim vlcus, ſinuſque purus redditus, ſolet poſtea aut carne impleri aut glutinari.

Secunda cauſa qua ratione occuratur.

Tertia cauſa ablatio.

Quarta cauſa quo modo occurratur.

Vltima cauſa quomodo occurratur.

Celſi Chirurgia.

Authoris Chirurgia mitior.

Alia fiſtularum thoracis differentia.

CÆTERVM Celſus adhuc proponit alteram thoracis fiſtularum differentiam adhuc cœteris magis incurabilem, hoc modo: Solent quoque fiſtulæ, vbi coſtas tranſierunt, ſeptum id, quod tranſuerſum à ſuperioribus viſceribus inteſtina diſcernit, violare, quod intelligi & ex loco, & ex magnitudine doloris poteſt. Et quia nonnunquam ſpiritus eò cum humore quaſi bullante prorumpit, maximèq; ſi hunc æger ore continuit: in eo medicinæ locus nullus eſt: in cæteris verò, quæ circa coſtas ſanabilia ſunt. Hæc Celſus. Re-

uera

uera autem omnes thoracis fiſtulæ difficillimam recipiunt curationem, ita vt interdum tũ Medici, tum ægrotantes defeſſi, & ſpe deſtituti, curam ipſi naturæ relinquant. Ad quem caſum vbi ego deueni, quid egerim, vobis manifeſtabo: Non ſemel, ſed iterum ac ſæpius impoſui ipſi fiſtulæ orificio pilam ex cera alba appenſum filum habentem, præcepique vt quotidiè eam mundarent, ac tractarent veluti ſi eſſet fonticulus, curantes ipſam in poſterum vt fonticulum. non vt fiſtulam: tandem progreſſu temporis factum eſt, vt ſenſim genita caro ſit per totum fiſtulæ ductum, & ita fiſtula alioqui incurabilis, curata eſt. Quod ſi tunc videamus corpus aliquo prauo humore redundare, & ad fiſtulam influere, eamque vexare, ſolemus pilam propoſitam ex flaua cera conformare, & illi admiſcere medicamenta in pollinem redacta, quæ peculiarem humorem trahant, & expurgent; vt ſi acris ſit humor, rhabarbarum puluerizatum prius, inde ſcammoneum; ſi pituitoſus, agaricus, vt mitior, inde colocynthis: ſi melancholicus, ſena, & epythymum, aut polypodium, vt mitiora, inde helleborus niger, vt valentius medicamentum vſurpandum, cauendo tamen ne ſua manifeſta acti qualitate corrodat.

Authoris Chirurgia. in fiſtulis.

Curatio fiſtulæ thoracis in corpore cacochymico.

De Papilla mammillæ exterius non apparente, ſed intus occultata, & concluſa; ac de lacte concreto, & coagulato.

SOLET in mulieribus effætis duplex affectus in mammis oboriri: alter ad papillam, alter ad mammam pertinet. Et ad mammam dupliciter, vel ad euocandum lac in mammam conglobatum, & ad abſceſſum ex coagulato lacte obortum, iuuandum. Ad papillam ſpectat cum intra mammam remanet, neque poteſt infans ipſam ore apprehendere, & lac ſugere. In quo caſu vt foras trahatur, nonnullæ ætate grandiores, factis prius ex malua fomentis, ſolent papillam labijs validè apprehenſam, necnon dentibus leniter foras trahere. Quod ſi id parum valet, à parua cucurbitula ſicca loco papillæ admota foras nonnunquam extracta papilla eſt, aut etiam corniculis applicitis. Vltimò vitrum vacuum, longum, & anguſtum, ex altera extremitate os habens, magnitudini papillæ reſpõdens, ex altera vero foramen paruum, per quòd quædam natu grãdior ſuctu trahat, dupliciter iuuat: etenim & lac euocat, & attrahit, & papilam foras trahit, quòd inſtrumentum Italorum, vulgus appellat. Latterolum, in quo caſu præmittere fomenta oportet. Amatus Luſitanus in Centurijs profitetur, ſe Venetijs hoc etiam modo vitium curaſſe: ſumit vitream phialam anguſtioris oris, quam feruenti aqua implet, & ea impenſius calefacta euacuatur aqua, ſtatimq. os phialæ papillæ admouetur, extemplò enim cuti adhæret, & validè trahit, ita vt ſæpe numero & papilla, & lac euocetur.

Duplex affectus mammarum.

Modi quib. extrahitur papilla.

Amati Luſitani modus.

COETERVM ad lac priuatim euocandum, etiam in ijs, quibus lac præmaturè aut exſiccatum eſt, aut euanuit, & (vt dicitur) lac amiſerunt, ex quacunque cauſa id factum ſit, ſolet lac iterum reuerti ex vinca peruinca, vel in acetarijs comeſta, vel decocta, & iuſculo eius propinato, vel denique in ferculis aſſumpta. Quòd ſi concreto nimis in mammilla lacte, iam ex prohibita perſpiratione computruit, & abſceſſus contractus eſt, vel ſit ex poſita cauſa factus, vel quia effeta propter rimas in papilla obortas, & dolentes lac exhibere infanti abſtinuerit; chirurgia eſt ſimplex per ſcalpellum inciſio, & putrefacti lactis extractio: qui affectus etſi diutius durat propter lactis affluentiam, ſanatur tamen. Neque vnquam vidi tumorem, & abſceſſum in mammillis tempore lactis obortum non fuiſſe ſanatum: ſic alio tempore rarò vidi tumorem in mammis obortum, qui cancri naturam non fuerit æmulatus, de quo nunc dicemus.

Lac quomodo à mammis euocetur.

Si lac cõcretum computruit, quid agendum.

DE MAMMILLA MVLIERIS CANCRO AFFECTA.

Cur mulieres potius quam viri cancro vexentur.

SOLENT mulierum mammę frequentiſſimè cancro apprehendi, virorum verò rariſſimè, ita vt in mea vita vnum tãtum viderim habitu melãcholico, cui in internis partibus cancer obortus externus tranſmiſſus eſt. Puto ego eam eſſe cauſam, quod mulierum mammę grandes ſunt, ſolentq; glandoſa, & ſpongioſa earum corpora facile nigrum, & exuſtũ ſanguinem tùm attrahere, tùm ſuſcipere ab vtero per eas venas, quæ ex vtero ſurſum per rectos abdominis muſculos feruntur, & per anaſtomoſim venis, quæ deorſum à mammis deſcendunt, vniuntur: vnde ex Hippocrat. maximus oritur conſenſus mammarum cum vtero, & è contra, ita vt fluentibus menſibus lac deficiat, nonnullis è contra lacte in mammillis exiſtente menſes deficiunt, quò fit, vt cancri eas potiſſimum mulieres infeſtent, quæ menſes, aut ſuppreſſos, aut diminutos habent: quas curare alio modo, quam Chirurgia, non eſt quod tentes. Chirurgia, inquam, & cura heteroclita, vt ſic dixerim, quæ vnà cum morbo partem etiam affectam tollit, hoc eſt, cancrum, & mammam: tametſi (vt verum vobis fatear) bis aut ter ego cancrum mamillæ curauerim patiente ſeruata: & quæ curatæ non ſunt, melius tamen ſe habuerunt: Idque factum à me fuit hoc medicamento, quod recipit ſolatri hortenſis, virgæ aureæ, ſonchi, ana m. duos: coctis in aqua, & contuſis adde farinæ milij lib. vnam, olei roſati ducti in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo donec contrahat colorem plumbi vnc. 5. ſapæ & decocti prædicti quantum ſufficit, miſce, & fiat emplaſtrum, quod ſanè emplaſtrum ad ceroti quoque formam confici poteſt. Sed vna hirundo non facit Ver: etſi duas curaui, mille tamen non ſunt curatæ, & Albucaſis ſe nullam curaſſe profitetur. Curatum tamen cancrum vnum vidi Chirurgia ab alio Chirurgo, non à me facta, decet enim ingenuum virum ita fari. Ille abſcidit circumcirca totam mammillam cancro affectam, ipſam à ſubiecta parte ſeparando, poſtea ferramentis candentibus combuſſit, & proſpere ſucceſſit curatio. Ego autem etſi nil tale facere molitus ſum, ſi eſſem facturus, vt dolorem primò vitarem, & ſanuinis profuſionem, ſi cancer ſit mobilis, ipſum forcipe hoc apprehenſo, ſtatim cultro vno eodemque tempore candente, & incidente opus peragerem, vt forcipe validè conſtringente ſenſus partis hebetetur, cultro incidente amputetur cancer, & eodẽ candente ſanguis ſupprimatur. Quod ſi cancer mammillæ adhærens, & firmus ſit, neque ſtringi poſſit, excidendus omnino eſt, atque ad vitandum & dolorem, & profuſionem, exciderem cum ligno, aut cornu aciem habente, intincto tamen ſubinde in aqua illa, qua aurifices ab argento aurum ſeparant, quam fortem vulgus nominat; quo tota cutis in circuitu mammillæ incidenda eſt, poſtea digitis potiſſimum, & vnguibus mammillæ glanduloſa ſubſtantia à ſubiecta parte ſeparanda.

Cancer per ſolam Chirurgiam curandus.

Medicamẽtũ quo Author vſus eſt in cãcro.

Authoris modus ex ſentendi cancri.

Sanguini profuſio quo modo impediẽda.

QVOD ſi ſanguinis profuſio opus obſcuret, tunc bombyce exuſto venæ obcæcandæ ſunt, inde verò ferramentis candentibus, ſi opus ſit, tutius ſanguis ſupprimendus: quæ quidem tametſi profuſio non adſit, admouenda nihilominus ſunt, quò pars robur acquirat, ne rurſus cancer reuertatur. Poſtea cum pus mouentibus, purgantibus, ſarcoticis, & epuloticis proſequendum eſt vſque ad perfectam ſanitatem. De qua ſanitate Celſus valdè dubitat, libro 5. capite 28. quia cancer eſt affectus, qui curatione irritatur: ideòque ait Celſus, quidam vſi ſunt medicamentis adurentibus, quidam ferro aduſſerunt, quidam ſcalpello exciderunt, neque vlla vnquam medicina profuit, ſed aduſta protinus concitata ſunt, & increuerunt, donec occiderent, exciſa etiam poſt inductam cicatricem tamen reuerterunt,

Celſi de ſanatione cãcri ſententia

reuerterunt, & cauſam mortis attulerunt: alijs autem ſanato in mammilla cancro oculis obuio, non multò poſt obortus in vtero latens eſt, qui miſerrimè patientes vſque ad interitum excruciauit. Propter quam cauſam Celſus potiùs eos laudat, qui nullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent, ſed lenia tantùm medicamenta imponendo, quæ quaſi blandiantur, & quo minus ad vltimam' ſenectutem perueniant, patientes non prohibeantur. Quod tamen vt plurimum propter cancri ferociam, ac moleſtiam non admittunt, ſed curare cogunt: & ideò vbi ad cancri eſtirpationem ventum eſt, ne peiora ſuccedant, quæ Celſus expectanda eſſe dixit, perpetuò totius corporis habere rationem oportet per Chirurgiam, Medicamenta, & Diætam, videlicet ſanguinem frequenter aut ex vna, aut ex hæmorrhoidibus euacuando, ſonticuloſq; parando, tum purgantia medicamenta frequenter exhibendo, lactis vſum frequentando, & alia pleraque efficiendo, quæ ad hunc locum non pertinent, qui ſolum Chirurgias tractat.

In curatione cancri totius corporis habenda ratio.

De virorum mammis naturaliter muliebrium in morem prominentibus.

SOLENT interdum nonnullis viris mammę ita augeri, vt ſimiles muliebribus fiant, quę tamen cum neque actionem vllam offendat. ſed indecorè tantùm promineat, atque hoc decoris vitium pānis, & veſtitu corrigi facile in maribus queat, propterea ſuperuacuū mihi videbatur de ijs verba facere; præſertim cum eiuſmodi in quibuſdā maribus auctas māmas nō temere à natura fuiſſe factas, immò verò vſum habere nō vulgarē exiſtimauerim. nam cum viderim viros omnes eiuſmodi māmis affectos depili quoque pectore fuiſſe donatos, & qui ita ſunt, cor intus potius frigidum obtinent, ideò opinatus ſum mammarum magnitudinem à natura ad cordis calorem fouendum ijs de induſtria datam eſſe; nam & inter mulieres, quæ mammas naturaliter grandes habent, nulla vnquam hirto pectore viſa eſt; & eumdē quoq; vſum cordi præbere quis negabit? Quò magis hoc loco Paulum admiror, qui eiuſmodi Chirurgiam de minuendis mammis adauctis propoſuerit, quæ fortè ad eos dirigitur, qui obſtinate id efflagitant.

Tumida virorum māma veſtib. corrigi poſſunt.

Quæ vſum habeāt māma tumida in viris.

Pauli in hoc caſu ſæua chirurgia.

SED ſuperat omnem admirationem, dum Pauli Chirurgiam conſidero, adeò ſæuam, & trucem, vt de ea vos ipſos iudices conſtituam. Paulus lib. 6. cap. 46. ait: Quemadmodū fęminis, ita maſculis quoque pubertatis tēpore mammillæ modicè inflantur, ſed pleriſq; rurſus ſubſidunt, in nonnullis ſumpto initio creſcunt pinguedine ſubnaſcente. Cum itaq; indecora hæc corporis figura muliebris habitudinis notam repræſentat, digna eſt, cui manus admoueatur. Lunata per imam mammillæ partem linea ducitur, vt detracta. ademptaq. pinguedine ſuturis committatur. Si hæc Chirurgia tam facile, & expeditè fieret, quam breui oratione expoſita eſt, concedi vtcumque poſſet: At non eſt hic finis, ſed rurſus Paulus ait; At ſi fortè mammilla partibus ipſius ob magnitudinem ad ima, vt in mulieribus inclinauerit, hoc eſt, ſi longior producta ſit mammilla, ita vt inferiùs propēdeat, lunatas duas plagas in extremis inuicem coeuntes inferemus, vt minor à maiore comprehendatur, cute, quæ intercedit, cum pinguedine adempta, ſimiliter ſuturis vtemur. Rurſus tertiò ait Paulus: At ſi aberrantes minùs exciderimus, tunc eo, quod ſupereſt, rurſus adempto ſuturas inijciemus, & medicamentum cruentis idoneum accommodabimus. Hæc Paulus. Et iure digni ſunt, qui ita de ſuis mammis ſunt ſolliciti, vt tertiò repetatur Chirurgia.

Auctoris medicamentum pro auctis virorū māmilis.

EGO autem non poſſum me hoc loco continere, quin medicamentum proponam ad huiuſmodi mammillas auctas exſiccādas opportuniſſimum, truci propoſita Pauli Chirurgia prorſus euitata. Hoc autem eſt ſpongia noua in aqua thermali ſeu lixiuio cum calce viua expreſſa mammæ appoſita, ac ſtrictim faſcia obuolura.

CHIRVRGIAE ABDOMINIS.

BDOMEN procurationemorborum sibi accidentium nouem desiderat Chirurgias, quę explicandę, & administrandæ sunt, prout locus, seu sedes, aut superior, aut inferior exigit: propter quam causam prima, secunda, ac tertia erunt iecoris, lienis, & ventriculi adustiones: quarta ad prominentem vmbilicum pertinebit; quinta de rupto peritonæo, tum in maribus, tum in fœminis aget; sexta quomodo aqua hydropicis emittatur docebit; septima quomodo suantur vulnera abdominis inquiret; octaua de ventris varicibus; nona de abscessibus, & fistulis imi ventris aget.

De vstionibus iecoris, lienis, & ventriculi.

VOD ad primum attinet, Paulus lib. 6. cap. 47. 48. & 49. & cum eo Albucasis lib. 1. c. 28, 29, 30. & 32. proponunt in abdomine vstiones ad iecur, lienem, & ventriculum ex ferramento candente, quæ hac nostra ætate obsoletæ in totum sunt: puto ego propter multas causas. Prima, quòd doleant nimis, & difficulter tolerabiles sint operationes; præcipiunt enim nequaquam esse adurendam cutis superficiem, sed interdum dimidiam cutem, interdum totam. Secunda, quia parum omnino, aut ferè nihil proficiant eiusmodi adustiones affectionibus horum viscerum: vt ratio multiplex est. Nam si cum his adustionibus duo præstanda sunt, vt dicunt, videlicet intemperiem frigidam; & humidam subiectorum viscerum tollere: inde verò ab ijsdem visceribus superflua oppressis materia, eandem per exustum locum euacuare, vt dicunt. Neutrum vstiones præstare possunt: non primũ, quia intemperies sensim contracta, & impressa, sensim quoque recedit, non autem violenter vnico ictu, & ferramenti adactu corrigitur, neque aufertur, præsertim cum amotis ferramẽtis iam paulò post cesset omnis calor: sed neque etiam vniuersum viscus intemperie affectum angusta ferramenta, nisi exiguam visceris portionem calefacere & siccare poterunt; Si verò latissima, & amplissima vsurparentur, ea sustinere esset impossibile. Sed neq. etiã exustio exterius in cute facta, quantumuis aut totam, aut dimidiam cutem comburat, potest effatu dignum in viscera præstare, cum musculos superpositos penetrare, & comburere prius oporteat: & propterea inter viscus, & abdomen spatium, & interuallum interdum sit spatiosissimum. Vltimò ferramenta candentia, quæ momento temporis maximè, & violenter agunt, nunquam vidi vsurpata, nisi in præcipiti affectu, qui mortis periculum portendat, vt in epilepsia, apoplexia, sphacelo, in larga sanguinis profusione, in putrilagine insigni, & similibus, nequaquam in diuturna alicuius partis intemperie. Quod si de secundo loquamur, quia iecur, lien, & ventriculus, quæ viscera leuari volunt ab expurgatione materiæ, quæ ex adusta parte prouenit, neque appensa sunt abdomini, nedum cõtinua, vt propter continuitatem materia ex vstionibus effluens, possit per partem post partẽ à visceribus noxios humores expurgare, & ita ijs benefacere: immo verò neq. etiam contigua sunt viscera peritonęo, cum sæpenumero notabili spatio distantia abipso sint. Tertia causa est, quia inter auctores, qui ipsam proponunt, Albucasis consulit propter periculum abstinendum esse ab vstione iecoris, dum dixit: At verò dimittere ipsam operationem, apud me est melius. Vltima causa est, quia nos & posteriores Medici succurrere horum viscerum affectionibus mitioribus remedijs didicimus. Quæ omnia patebunt veriſſima, si Pauli, & Albucasis vstiones recenseamus.

Cur vstiones hæ nostra ætate obsoletæ. Prima causa.

Secunda causa.

Duo præstare deberent adustiones.

Primũ non præstant, & quare.

Secundum præstare nõ possunt, & cur.

Modus adurendi vẽtriculum secũdum Albucasim.

ALBVCASIS primò proponit modum vrendi ventriculum ad frigidam, & humidam ventriculi intemperiem corrigendam, atque in summa ad calefaciendum, & siccandum ipsum

ipſum ventriculum: admouet ferramenta ſub mucronata cartilagine, vbi cauitas adeſt, quæ vulgo dicitur la pozza del ſtomaco, & ab Albucaſi dicitur cochleare pectoris, & interdum tria admouet ferramenta, treſque facit vſtiones ad trianguli formam, ita vt inter vnam & aliam diſtantia ſit digiti tranſuerſi, & profundæ ſint, vt vrant duas cutis partes: interdum vno ferramento magno circulari comburit: & tertio interdum in timidis per puncta frequentia punctualibus ferramentis adurit. At nos breuiter frigidam, & humidam ventriculi intemperiem ſtillicidio aut ex aqua thermali, aut ex oleo ſpicato, aut caryophyllorum, aut abſinthij, aut menthæ fomentamus, & corrigimus, cerata, & inunctiones calidas ventriculo applicantes: quæ etſi longiore tempore operantur, ſunt etiam tolerabiliora, tutiora, & efficaciora penè remedia, quàm vſtiones, quæ momento ferè temporis inſignem calorem imprimunt, reliquo tempore ijs remotis ceſſat calor: at ſtillicidia, cerata, & inunctiones perpetuò calefaciunt, & calorem imprimunt, & ad intimas partes diffundunt.

Neotericorum modus corrigendi frigidam ventriculi intemperiē.

PROPONIT ſecundo Albucaſis modum adurendi iecur in intemperie frigida, & humida iecoris corrigenda, & præcipit ferramentis candentibus adurendam eſſe dimidiã tantùm cutem ſupra iecur poſitam, quia inibi cutis tenuis eſt, & inteſtina habet ſubiecta, quæ non ſine periculo poſſunt vim ignis experiri, ac perſentire: & exponens Albucaſis, vbi efficienda vſtio eſt, ait ſub hypochondrio, quo pertingit cubitus dexter patientis, eſſe adurendum. At ego in frigida, & humida iecoris intemperie, vbi periculum hydropis imminet, aut adeſt, dimiſſa vſtione, ſoleo ſpongiam ſuperponere expreſſam in aqua calcis viuæ ex laxo factæ, quæ calefaciendo, & exiccando intemperiem corrigit; & eſt remedium, quo plures hydropicos ſanaui.

Modus Albucaſis in aduſtione iecoris obſeruatus.

Author quo modo corrigat iecoris intemperiē frigidam.

RVRSVS Albucaſis & Paulus proponunt aduſtionem ſimiliter iecoris ad abſceſſum, ſeu apoſtema, ſiue vomicam iecoris curandam, hoc modo: Ferrum candens mucrone tenui, quod ex Albucaſi ſimile ſit radio, paulò ſupra inguen, vbi iecur deſinit, injicitur (nã iecur apoſtemate affectum deorſum fertur) ita vt tota cutis aduratur ſubiecti muſculi, itẽ peritonæum, & denique tunica abſceſſui, ſeu vomicæ ſuperpoſita. Paulus, & Albucaſis prætereunt muſculorum aduſtionem, quæ omnino neceſſaria eſt, ſi ad iecoris vomicam peruenire ferramentum oportet, donec pus exeat. Poſtea Paulus vtitur lenticula cum melleritemque multa cum ſarcoticis, & epuloticis. De qua cura nihil vobis dico, niſi quod Albucaſis admonet, oportere ſcilicet Medicum, qui hanc Chirurgiam adminiſtrat, eſſe in artis operibus maximè exercitatum, & prouectum. & qui aliàs eiuſmodi Chirurgiam exercuerit: ſed his non obſtantibus, concludit tandem, & dicit, quod dimittere ipſam apud ſe eſt melius. Et certè ferramento candente acuto inurere cutem, & ſubiectos muſculos, & peritonæum, & penetrare vſq; ad iecoris vomicam, & ipſã quoque adurere, nil aliud mihi videtur eſſe, quàm hominem penè mortuum occidere. Audiui autem ego aliquando a Nicolao Nouocomenſi, Medico optimo, & viro religioſiſſimo, & inter Venetiarum Medicos facilè principe, & præceptore meo amantiſſimo, eum in caſibus deſperatis dicere ſolitum eſſe ſatius eſſe ſinere patientes mori, quàm occidere.

Modus veterum adurẽdi iecoris in abſceſſu.

Authoris de hoc aduren di modo ſententia.

VLTIMA aduſtio in abdomine propoſita, eſt aduſtio lienis, quam in affectionibus lienis, vt in ſcirrho, & cæteris remedijs non conferentibus, proponunt. Inquit Paulus: Cutis, quæ lieni incumbit, hamo eleuata, oblongo ferro candente, & duplicatam extremitatem habente per totum aduretur, vt vnico impreſſu duæ fiant cruſtæ ſecundum lienis longitudinem, & altera ab altera remota per digiti diſtantiam: idque faciemus ter, ita vt ſex numero cruſtæ fiant dicitque Paulus, quòd Marcellus vtebatur ferramento tridenti ſimili, quam Τριαινον Græci dicunt, & vno adactu cruſtas excitauit. Albucaſis locum vrendum deſignabat cum cubito ſiniſtro patientis, vti in iecore dictum eſt. Hoc modo aduritur lien ex Pauli, Albucaſis, & Marcelli ſententia, cum tribus, quatuor, & ſex aduſtionibus. quæ totam adurant cutem.

Modus veteram adurẽdi lienis.

Modus Marcelli

Modus Albucaſis.

HAEC Chirugia adeo crudelis eſt, vti videtis, vt in memoriam mihi reuocarit aliam lienis Chirurgiam, quam vir alicuius nominis. cui multi credebant, hic Patauij olim profitebatur

Abſurda tamen iuſdã lienis Chirurgia.

fitebatur in ſcirrho lienis, & nominabat hanc Chirurgiam ſplenem excidere, aut ſplenis exciſionem: Hic cartha ſupra lienem obduratum, & ſupra cartham acie ſecuris impoſita, tum malleo ſecurim percutiebat validè, & ita dimittebat patientes, ceu curatos: & erat ita hic curādi modus diuulgatus, vt D. Cęſar Guagnius Placentinus, tunc meus auditor amātiſſimus, qui lienem obduratum habebat, veneritad me, dixeritque ſe velle ire ad hominem, qui lienem ſuum præcideret, & ego vix multis verbis, & rationibus ipſum à ſua opinione abducere potui. Tandem ſemel accidit, vt ſecuris acies ſub valentiore percuſſione, & cartham, & abdomen, & lienem vno ictu pręciderit, cum morte ipſius patientis. Et ſcio fuiſſe hic Patauij Medicum, qui conabatur hanc Chirurgiam de excidendo liene probabilem reddere, quam ego tanquam abſurdam nunquam volui audire, quia ex Ariſtotele, ſtultas opiniones diſquirere, ſtultum eſt; præſertim cum in lienis ſcirrho remediū habeam probatum, quod eſt ceratum meum pro ſplene factum: quod conficitur ex duabus partibus ammoniaci ex aceto diſſoluti, vna ſucci herbæ reginæ, quam Tabacum vocitant, dimidia reſinæ pini, & terebinthinæ, & ſucci ebuli, vna olei de capparibus, & ceræ nouæ q.ſ. ad emplaſtri, ſeu cerati formam adipiſcendam, quod emolliente, & digerente ſua facultate plurimos obduratos lienes ſanauit.

Ab Auctore reiecta.

Authoris medicamentum in ſcirrho lienis.

Authoris experientia.

DICAM vobis & aliud, videlicet, quid oſtendit aliquando experientia. Ego aliquādo curabam quendam Nobilem, cuius cuſtos domus erat hydrope affectus ex ſcirrho lienis, quem habebat permagnum, cui ego ordinaui ſpongiam ex aqua calcis viuæ expreſsā. Sanato domino non amplius acceſſi, neque ille me adiuit, ſed expertus in dies magis ſpongiarum earum vtilitatem, perpetuò vſus eſt ſpongijs iam propoſitis, quouſque tum ex hydrope, tum ex ſcirrho lienis fuerit curatus. Ego autem fortè credens ipſum obiiſſe, in eum incidi, qui mihi retulit ſe fuiſſe curatum à ſpongijs in aqua calcis viuæ expreſſis, quibus perpetuò vſus fuerat: quod remedium ego veritus eſſem tamdiu vſurpare, ne forſitan propter nimiam medicamenti ſiccitatem lien magis indureſceret: tamen ex ratione totum proſperè ſucceſſit, quia materia tum pituitoſa, tum melancholica ex frigida lienis intemperie coacta, & indurata, ex aqua calcis viuæ primo calefacta, inde attenuata, & fuſa, atq; hac ratione emollita, tandem illius medicamenti vſu aſſiduo diſſipata eſt, & tumor ablatus, frigidaque tandem intemperies tum iecoris, tum lienis ſublata eſt ſine vlla ſiccitatis noxa, propterea quod multum intereſt medicamentum nudæ parti affectæ admouere: aut per interpoſita corpora, cuiuſmodi eſt tota muſculoſa abdominis ſubſtantia, applicare.

De Vmbilici prominentia,

Prominentia vmbilici incommoda.

PROMINET interdum, vmbilicus indecore, vt plurimum fœminis, Græcè ἐξόμφαλον dicitur; atque hæc prominentia etiam lædit actiones partium internarum, præſertim inteſtinorum & ventriculi, quæ flatibus apprehenduntur ex diminuta coctione à frigida intemperie, quæ prouenit ab externo aere eis occurrente. Etenim vmbilici prominentia, & tumor, ferè ſemper prouenit ob eius dilatationem; quo fit, vt tam pateat exitus internis corporibus, videlicet inteſtinis, & omento, tum aditus ipſi aeri, & vtroque nomine lædit vt proba concoctio. Quam læſionem non paruifecerunt antiqui, vt patet ex nominibus vitijs impoſitis. Nam quando auctores ſuis nominibus res decorant, ſignum eſt eas ab ipſis magnifieri non floccipendi. Itaque ſi ex vmbilico, qui Græcè ὄμφαλος, dicitur, exeant inteſtina, vitium ἐντερόμφαλος appellatur: quod ſi omentum exeat, ἐπιπλόμφαλος: ſi verò humor, ſeu aqua, ὑδρόμφαλος: ſi ſpiritus, πνευματομφαλος. Solet quoque, vt ait Celſus, interdum caro in vmbilico increſcere ex præcedente vmbilici vlcere, quæ poterit σαρκόμφαλος appellari: atque hæc interdum integra eſt, & naturalis, interdum vitioſa, carcinomati ſimilis. Nonnunquam miſcentur corpora, & ita componuntur tumores, & etiam nomina. Vnde ſi aqua & inteſtina exeant, ὑδρεντερόμφαλος tumor dicitur: ſi inteſtina, omentum ſimul, ἐντεροεπιπόμφαλος affectus nuncupatur. Signa

Prominentia vmbilici varie differētia.

omnium

omnium afferuntur a Celſ
modi corpora exeant, vel
ximè ſit, vtputa ab ictu. Di
tem vt plurimum fœminis:
membrana, Græcis περιτόναι
tia propter exitum alicuius

HVIVS mali tum Celſ
ſingulis tumoris differentij
biles ſunt, cuiuſmodi eſt c
periculo tractatur, ait Ce
ter Celſus & Paulus, medi
tenuitatem ſubinde influa
more tumor proueniat, in
vidi, hydrope affectis ex v
mine aquam contentam fu
ſa, ſed dumtaxat ſuperflua
poſitis curatur. At vmbilic
tibus excitata, non modo
tiplicem. Sed ante omnia C
inteſtinum, ſiue omentum, t
tur. Vbi autem vmbilici lo
bus regulis excipitur, veh
mus etiam vice regularum
Alius modus à Celſo propo
ſa trajcitur, deinde vtriuſc
quoque in vua ſeu ſtaphyloi
ritur. Cui Chirurgiæ nonn
tumorem vua linea incidere
rent, tum deinde vincirent
propoſitis non admodum v
recondantur ea, quæ excide
ſupra vinculum eſt; tertio lo
Celſus ait: Sed abunde eſt
poteſt, ſe oſtendat, tum im
tumorem eum premere, vt l
attrahere, & vbi nota attram
rem aut medicamentis, aut
recondantur ea, quæ excide
ſupra vinculum eſt; tertio lo
Celſus ait: Sed abunde eſt
poteſt, ſe oſtendat, tum im
tumorem eum premere, vt l
attrahere, & vbi nota attram
rem aut medicamentis, aut

o lib. 7. cap. 14. & à Paulo lib. 6. cap. 51. Cauſæ autem tur ciuſ
eſt dilatatio vmbilici, vel ruptio. Ruptio ab externa cauſa ma-
latatio autem ab interna, vtputa vel flatu, vel pituita. Solet au-
iccidere vmbilici dilatatio, quia dum vtero gerunt, diſtenditur
ιον nobis peritonæum dicta, & ita ſuccedit vmbilici prominen-
memorati corporis.

us, tum Paulus curationem per Chirurgiam proponunt, atque
s proprium curandi modum aptant, ijs dimiſſis, quæ incura-
aro carcinomati ſimilis, quæ per curationem irritatur, & cum
lſus. Eſt etiam vbi ſpiritus prominentiam facit: quem ſimili-
cinam non admittere, dixerunt: puto ego, quia propter ſuam
t, & recurrat ſpiritus, & pars inflетur. Quod ſi ex aquoſo hu-
ciſo ſummo tumore, vt ait Celſus, humor effunditur. Et ego
mbilici prominentia ex ſe abrupta, vniuerſam ſenſim in abdo-
iſſe euacuatam cum ſalute ægrotantis. Caro autem non vitio-
, prominentiam faciens, exciditur à Celſo, mox linamentis im-
i prominentia aut ab omento, aut inteſtinis foras irrumpen-
artificioſam, & priuatam requirit Chirurgiam, ſed etiam mul-
elſus præcipit reſupinandum eſſe corpus, vt in ventrem, ſiue
iue vtrumque ſit, quod prolapſum eſt, delabatur, & recondа-
cus & ſinus vacuus factus eſt, à quibuſdam, ait Celſus, dua-
ementerque earum capitibus deligatis, emoritur. Nos poſſe-
vti ferramento ſeu forcipe, quod fortè regulis æquipollet.
nitur. Sumpta acu duo lina ducente, per imum tumorem ip
jue lini duobus capitibus diuerſæ partes aſtringuntur, ſicuti
nate oculi factum eſt; nam ſic, quod ſupra vinculum eſt, emo-
illi addunt, inquit Celſus, vt antequam vincirent, ſummum
nt, quò facilius digito demiſſo, quod illuc irrupiſſet, depelle-
. Rurſus videtur Celſus & tertium modum proponere, qui à
ariat, omnes enim vnum habent communem ſcopum, vt priùs
runt, & prominentiam faciunt; inde ſtrictura emoriatur, quod
oco vt glutinetur qua parte vinculo aſtrictum eſt, propterea
iubere ſpiritum continere, vt tumor, quantus maximus eſſe
im baſim eius atramento notare, reſupinatoq. homine digitis
iquid delapſum non eſt, manu cogatur: poſthæc vmbilicum
enti eſt, lino vehementer aſtringere; deinde partem ſuperio-
ferro adurere, donec emoriatur, atque vt cætera vſta vlcus nu-
trire. Quam curam Celſus voluit perficere etiam vbi aqua aut humor prominentiam fa-
cit. Hæ ſunt Celſi, & alio um Chirurgiæ in ſingulis vmbilici prominentijs curandis: à
qua tam modicè Paulus vari at, vt ſuperfluum ſit verba eius recenſere.

EGO verò quid habeam, quod vobis in vmbilici prominentia proponam, dicere non
recuſabo. Vmbilicus cum prominet, vel multum, vel parum prominet, vnde tumor vel
exiguus, vel magnus eſt, vel maximus, [illegible]im omnium magnitudinum genus vidi & cu-
raui: præcipuè autem curatio vmbilici prominentiam ex inteſtino aut omento prolapſo
reſpicit. Quando itaque exigua eſt prominentia, & recens, propoſitæ Celſi, & Pauli
Chirurgiæ non ſunt neceſſariæ, & abſtinendum ab ijs eſt, tum quia illæ non omnino tutæ
ſunt, quod expreſsè Celſus dixit in vltima capitis parte his verbis: Sed ante Chirurgiam
quædam viſenda ſunt, ne quod ex vinculo periculum ſit. Nam curationi neque infans,
neque debilis annis, aut ſenex aptus eſt, ſed à ſeptimo ferè anno ad quartumdecimum;
deinde ei corpus idoneum eſt id, quod integrum [illegible]t. At quod mali habitus eſt, quodque
papulas impetigines, ſimiliaque habet, idoneum non eſt. Leuibus quoque tumoribus fa-
cilè

Cauſa prominentiarum bilicis.

Cura vmbilici prominentis ex Celſo, & Paulo.

Vmbilici prominētia quæ incuranda.

Cura hydromphali.

Chirurgia epiplōphali

Alius modus à Celſo propoſitus.

Tertius Celſi modus.

Authoris de curatione prominētis vmbilicalis ſententia.

Cur Celſi Chirurgia omittenda in exiguis prominētijs

cilè ſubuenitur. At in eorum, qui nimis magni ſunt, curatione, p ericulum eſt. Tempus autem anni, & autumnale, & hybernum vitandum eſt: Veridone um maximè eſt, ac pri- ma æſtas non aliena eſt. Præter hæc abſtinere pridie à cibo debet. Neque id ſatis eſt, ſed aluus quoque ei ducenda eſt, quò faciliùs omnia, quæ exceſſerunt intra aluum conſidant. *Alia cauſa* Has difficultates & pericula adducit Celſus ſubeſſe in primis Chir urgijs, propter quas in exiguis prominentijs abſtinendum eſſe cenſui. Altera cauſa eſt, quia in exiguis tumori- bus, & prominentijs tum inteſtinum, tum omentum exiguum ex cidit, quod etiam facilè compreſſu reconditur, & in aluum delabitur, & ita reconditum ſe uatur, vt interdum dila- *Cingulus in umbilici prominentia.* tatio quoque glutinetur; & ſanetur, aut ſi non glutinatur, cert è in peiorem ſtatum non adducitur: vnde longè mitiori Chirurgia opus eſt, quam ego adh iniſtro inſtrumento, & medicamento. Inſtrumentum eſt cingulus ex linteo, qui abdo men cingit, ſtringitque, ea parte, qua vmbilicus eſt, circulum veluti placentam ſeu duriu culum puluinar obtinet. in cuius centro globulus ex aſtricto linteo ſit, qui in vmbilici dila lationem ſeſe inſinuet, & intret, ita examuſsim, vt inteſtinum, aut omentum rurſus exire & erumpere prohibeat; ſed prius ceratum aſtringens ad dilatationem ponendum eſt, quo di latatio conſtringatur, vn- de conſtrictiuum ceratum vulgò dicitur: quod ſic preſcribo.

Ceratum ex ſtrictiuum.

R. Bol. Armeni
Sanguinis draconis
Maſtiches } *an drach. 1.*
Sarcocollæ

Bislinguæ
Tegulæ pul. } *an drach. 3.*

Reſinæ pini vnc. 1. ſem.
Oui albuminis, & ceræ an. q. ſ. m. & f. ceratum.

De rupto peritonæo, tum in viris, tum in faminis.

NON eſt admodum diuerſa à propoſita de vmbilici ex inteſtinis pro- minentia, & Chirurgia, quæ adhibetur, cum peritonæum in aliqua abdominis parte, cuiuſmodi in viris par s ilium eſſe ſolet, abrumpi- tur, ſuperiore cute integra; & in mulieri bus paulùm verſus inguina dilatatur, qua parte ligamenta vteri perfi orant peritonæum, & a late- ribus alligantur: quoniam ſicuti in vmbi lico prominentia fit ab inte- ſtino foras erumpente ita in his efficitur , quam ego mulierum her- niam ſoleo appellare, quòd fœminæ non aliam patiantur herniam, quàm prædictam: Vnde & tumor apparet mollis, & compreſſ us digitis facilè cedit, & in- tus etiam recurrit inteſtinum. Cuius tumoris cauſæ vel eſt ictu s, vel contuſio, vel quomo- *Mulierum hernia qua.* dolibet membranæ diſtractio in viris. Celſus dicit quoque fi eri ex retento diutius ſpiri- tu, vel etiam ſub graui faſce. In mulieribus verò ligamentor um vteri ad latera dimotio, *Peritonæi rupti, cauſa in viris & faminis.* aut diductio: cauſa eſt, quæ in vtero gerente, vt ſit flatibus int us impetum facientibus, aut vtero ſcirrho, cancroque, aut vterinis affectibus laborante, vno verbo, in quacunque vteri effatu digna motione fit.

Curatio peritonæi rupti. CVRATVR peritonæi ruptio, ſi rupta eius labia glutinentur, quod effici non poteſt, niſi ad mutuum contactum adducantur, & adducta conſeruentur: id quod ſimiliter fieri non poteſt, quia cutis ſuperpoſita integra eſt, quæ impedimento eſt quo minus labia ru- pta inuicem adducantur, niſi ruptio patefiat cute prius diuiſa, patefactaque. At non eſt *Ruptio vetus renouãda.* hoc ſatis, ſed ruptio vetus peritonæi non coit, niſi renouetur. Ideoque Celſus multiplicem proponit curationem, quæ partim cutis ſuperpoſitæ continuitatem tollit, & ipſam patefa- cit, partim peritonæi ruptionem, diuulſionemque renouat: in qua cura perpetuò intelli-

gere,

gere, ſupponereque oportet, inteſtinum extra prolapſum ante omnia opera reconditum intus eſſe.

DICIT igitur Celſus, quod quidam per acum duobus linis ad imam baſim immiſſis, ſic vtrinque deuinciunt, quemadmodum & in vmbilico, & in vua poſitum eſt, vt quid quid ſupra vinculum eſt, emoriatur. Hæc Celſus de prima Chirurgia: cui ſubiungatis vos, quod ita emortua, cute ſuperpoſita, & aſtricta peritonæi ruptura, cum cutis labis recens exulceratis glutinatur, & coit. Rurſus Celſus, & alium proponit modum: Quidam medium tumorem excidunt ad ſimilitudinem myrtacei folij, & tum oras futura iungunt. Qui tamen modus inſufficiens eſſe videtur, vt ponitur, & verba ſonant, quòd tantum cutis rationem habeat, poſthabita peritonæi ruptura. Ideoque Celſus tertium adhuc proponit modum his verbis: Commodiſſima eſt autem, reſupinato corpore experiri manu, qua parte is tumor maximè cedat, quia neceſſe eſt ea parte rupta membrana ſit, quæque integra eſt, ea magis obnitatur: tum vbi rupta videbitur, incidendæ ſcalpello duæ lineæ ſunt, vt exciſo medio, interior membrana vtrinque recentem plagam habeat: quia quod vetus eſt, futura non coit. Hæc Celſus. Et quia in rupto peritonæo multum intereſt in omni parte nouam eſſe plagam, & nihil veteris relinqui, alioqui ex parte non vniretur, propterea Celſus addit: Loco patefacto ſi qua parte membrana non nouam plagam, ſed veterem habet, tenuis excidenda habena eſt, quæ tantum ora eius exulceret, hoc eſt, portiuncula veteris rupturæ quaſi habena tenuis amputanda eſt, vt fiat in omni ora recens plaga, quo glutinetur: poſtea conſuenda labia recentia facta inuicem ſunt. Hæc Celſus. Neque miremini, me diutius in verbis Celſi explicandis immorari, quoniam præter alios ſcopos mihi propoſitos, hic vnus eſt, me huius auctoris profiteri expoſitorem.

Prima Celſi Chirurgia.

Altera Celſi Chirurgia.

Tertia Celſi Chirurgia.

Autor Celſi expoſitor.

QVAE tamen Chirurgiæ, vti videtis, difficiles admodum ſunt, & inter ſubtiliſſimas haberi poſſunt: quò fit, vt plerique patientes potius affectus perpetuò geſtare, quàm his Chirurgijs ſe ſubmittere velint. In quo caſu ego & viris, & mulieribus impoſito prius cerato, conſtrictiuo appellato, cinguloque deſuper alligato, ne tumor adaugeatur, vt patientes vtcumque ſua ſorte contenti vitam traducerent, procuraui.

Authoris induſtria.

De perforatione abdominis in hydropicis; ſeu quomodo aqua hydropicis emittatur.

SOLET hydropicis aqua euacuari vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter: de inſenſibili euacuatione, quæ medicamentis perficitur, in præſentia non agimus, ſed dumtaxat de ſenſibili, quæ Chirurgia, id eſt, opera manuũ in multis corporis partibus adminiſtratur; potiſſimæ autem ſex ſunt, malleoli, femora, ſcrotum pudendum, ſupra manuum iuncturas & abdomen. De omnibus agemus maximè autem de abdominis perforatione tamquam celebriori; vetuſtiſſima enim hæc operatio eſt, cũ Hippocrates in libro de internis affectionibus, & Ariſtoteles quinto, de Generatione anim. capite vltimo, in fine, eius meminerit.

Euacuatio aquæ in hydropicis duplex.

QVAE ſanè operatio, vt teſtatur Paulus libro 6. capite 50. & Albucaſis libro 2. capite 54. non omnibus competit hydropis ſpeciebus, ſed tantummodo Aſciti, ſeu aquoſæ: quamuis ego putem, poſſe quodammodo alijs quoque competere, cum omnes hydropis ſpecies vt plurimum miſceãtur, ita vt quæ aquoſa eſt flatum etiam contineat, & humorem pituitoſum, & contra. Attamen in aquoſis huiuſmodi operationem efficere potiſſimum cõſueuerũt. Quę ſanè operatio ab omnibus penè authorib. proponitur, vno excepto; & ſi Eraſiſtrato probata non eſt, non laboro, vt Celſus lib. 3. c. 25. refert, quòd hunc iecinoris morbum eſſe putauerit, fruſtraq. aqua emittatur, quę vitiato illo ſubinde naſcatur. Celſus tamen huic rationi occurrens dixit, nõ ſolũ ppter iecur vitiatũ, ſed etiã lienem, & in malo corporis habitu hydropem prouenire. Neq; neceſſariũ aquã prius emittere, poſtea viſcerũ vitijs occurrere.

Cui hydropi hæc operatio competat.

Eraſiſtrato nõ probatur hæc operatio.

currere. Nam aqua intus contra naturam subsistens visceribus & cæteris interioribus partibus nocet. Et quamuis emissus humor non sanet, medicinæ tamen locum facit, quam intus conclusus impedit; inquit Celsus. Illud tamen scire conuenit, quod huiusmodi ex opere, vt Celsus similiter testatur libro 3. capit. 21. non omnes in hoc morbo sic curari posse, sed iuuenes robustos, qui vel ex toto carent febre, vel certè satis liberales intermissiones habent. Nam quorum stomachus corruptus est, quique ex atra bile huc deciderunt, quique malum corporis habitum habent, idonei huic curationi non sunt.

Qui hac operatione curari possint.

AT Paulus libro 6. capite 50. affert aliud signum corporis valentis, aut non valentis sustinere sectionem, quod est cum homo vel rectus stare, vel saltem in sedili consistere non potest: hunc Paulus præcipit non esse attingendum, quòd nimis sit inualidus.

In paruo hydrope non cõpetit perforatio.

SED neque etiam in mitissimo hydrope, aut incipiente, aut qui medicamentis cedit, aut cessurus speratur, perforare est opportunum, quia tantum extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda. In quibus tamen duobus casibus inter se contrarijs, vtputa in mitissimo, in quo non est opus, & vehementissimo hydrope, in quo per vires imbecillas abdomen perforare non licet, competit tamen ea Chirurgia, quam proposuit Aetius libro 10. capit. 30. ex Asclepiade, Leonide, Hippocrate, & Archigene; cuius hæc aurea certè verba sunt: Omnibus medicamentis in hac hydropis specie efficacius auxilium Chirurgia præstat, Asclepiade auctore. Fissuras circa internum talum infligere oportet; in loco quatuor digitorum spatio supra talum eminente, ea profunditate, qua quis in venæ sectione vtatur. Pauco enim sanguine in principio euacuato, per reliquum tempus indesinenter aquositatis excretio procedit citra omnem inflammationem, vt neque claudi fissura possit, nisi humore omni ante expenso, & homine gracili relicto: citoque id contingit, vt omne alienum per fissuras excoletur, & nullo opus sit extrinseco pharmaco. Præterea hic nullum periculum est, vt coacernatim humores euacuentur, vt in abdominis pertusione. Quod si quis velit, excretione plurima facta, eam cohibere, nihil vetuerit ipsas in talis fissuras linamentis obturare, ligamentisque, ac fascijs constringere: atque vbi rursus prodire quid velimus, laxatis ligamentis, & ablatis linamentis, gestatoque ac moto ægro excretionem irritare.

Asclepiadis Chirurgia in hydrope

Leonidis Chirurgia.

Leonides autem inquit: Quod si excretio fissuræ supra talos tardius prodeat, necesse est etiam alias corporis partes findendo diducere, veluti scrotum tumefactum, femora, pudenda, locos supra manuum iuncturas. Quidam enim vulnusculis pluribus ac altioribus incussis, plurimam aquosam substantiam exhauserunt. Et Hippocrates sanè in lib. de internis affectionibus, non supra talos adhibet Chirurgiam, sed iuxta scrotum, & femora, & pudenda, vulnuscula infligere iubet, eaque sale maxime confricare: hic enim modus paulatim humorem educit. Porrò si aliquibus excretionem amplius mouere velimus, post impacta vulnuscula, & talorum lancinationes eos ipsos pro deambulatione ferculo gestamus, aut lectica sublimes circumuectamus. Cæterum Archigenes ita prodit: Non sunt audiendi (inquit) qui per huiusmodi lancinationes nihil excerni dicunt; quin potius cum fiducia hæ ipsæ incutiendæ: nam & nos (inquit) his cutis fissuris sumus vsi, & per ipsas plurimum excluſimus humorem, vt & femora, & suræ, & superior venter euidenter sint demissa & compressa. Hæc Aetius. Galenus similiter 9. de compos. med. secundum locos, capite 2. ex Archigene tales similiter scarificationes. Ex quo liquet fieri oportere talem Chirurgiam, quia & magnopere iuuat, & tutissima est. Aetius autem eam proponere videtur in leucophlegmatia; sed vti patet ad ascitem etiam transfert.

Hippocratis Chirurgia.

Archigenis Chirurgia.

FIERI autem debet hæc Chirurgia, vbi partes scarificandæ tumidæ sunt, & humore refertæ, alioqui vtilis non est. Propterea ego credo, authores iam propositos, alios quidem modo iuxta talos, & modo alios femora, alios scrotum, alios colem, &

Locus vbi faciedæ scarificatio:

alios

alios alias partes ſcarificaſſe, prout aqua impetum ad hanc magis vel illam partem habebat.

HANC Chirurgiam ego quoque pluries adminiſtraui in talis, teſtibus, præputio, ſemperq. felici cum ſucceſſu, factis pluribus altis, & longioribus, quanta videlicet eſt vnguis magni digiti longitudo, ſectionibus per digitum diſtantibus; tametſi antiqui neque numerum, neque figuram, neque magnitudinem, neque diſtantiam ſcarificationum propoſuerint, ego tamen ſex aut ſeptem ſcarificationes primis diebus molior; ſi ſeptem primo, ſi ſex ſecundo modo. Quotidie enim & aſſidue ex his effluit materia, quæ tandem partes ab aquoſis, & pituitoſis humoribus liberat, abſque eo quod debile corpus ex huiuſmodi operatione reddatur. *Authoritas hoc caſu Chirurgiæ.*

QVOD ſi his ſcarificationibus à magnis profeſſoribus propoſitis mihi & alteram Chirurgiam addere liceat, hi ſunt fonticuli in cruribus & brachijs parati; qui propterea & a me, & ab alijs fuerunt excogitati, quod ſcarificationes propoſitæ ſæpenumero diutius ſeruari apertæ non poſſunt, quantumuis ſale, linteis, & alijs aſperis perfricentur; ſubinde autem ipſas in alio loco renouari non omnes patiuntur: fonticuli autem facilè diutius aperti ſeruantur, & aſſiduè humor inde aquoſus exit. Sed maximum imminet periculum dum fiunt, ne ſphacelus partem calore depauperatam apprehendat & occupet, qui breui hominem interimat. Quod tamen deuitamus, ſi nequaquam cauſtico, ſed ferro candente inuramus: tum verò parum imprimamus, & cutis tantum ſuperficiem inuramus: præterea à butyro prorſus abſtineamus, ſed diapalma ſolùm apponamus, & ſupra id linteum duplicatum ex vino albo potentia expreſſum, faſcia ſimiliter ex vino expreſſa, obuoluamus. Præſtiterit autem in vino eſſe ſcabioſam, ſcordium, & abſinthium maceratum. *Alia Authoris Chirurgia eorum modior.* *Fonticulum hac Chirurgia quomodo parandi*

QVOD ſi ſcrotum aqua intumuerit, ſolemus quoque ſetaceum ſcroto imponere, vt inde aqua continuè deſtillet. In quo caſu tandem non eſt omittendum quod dicit Paulus, ad hunc locum pertinens, videlicet eſſe ferramento candente inurendum abdomen ad iecur, ventriculum, lienem, imum ventrem, & vmbilicum, & quinque cruſtas eſſe excitandas, vt inde exeat aqua. Hæc igitur ſolent hydropicis opem ferre, vbi aut initior eſt hydrops; aut potius tam grandis, vt cum virium, & pulſus imbecillitate iunctus ſit. *Setaceum ſcroto quando injicien. dum.*

AT ſi hydropis vehementia id poſtulat, perforandum eſt abdomen. In qua re primùm locus adnumeriendus. Dicit Celſus libro 7. capite 15. quòd quidam ſub vmbilico ferè quatuor interpoſitis digitis à ſiniſtra parte: quidam ipſo vmbilico perforato facere ſectionem conſueuerunt. At Albucaſis libro 2. capite 54. Auicenna libro 3. capite 13. fen. 14. tract. 4. & Paulus libro 6. capite 50. preſſius ſequentes dicunt. Si hydrops factus eſt ex partibus iuxta inteſtina ſitis, aut cauſa inteſtinorum, oportet facere ſectionem rectam ſub vmbilico tribus digitis diſtante: ſi lien ſit affectus, ac tumidus, à dextra parte ſub vmbilico tribus digitis ſimiliter. Ex quibus verbis habemus, quatuor in totum locis eſſe perforandum, aut in vmbilico, aut ſub vmbilico tribus, quatuorue interpoſitis digitis, & hoc vel in dextra, vel in ſiniſtra, vel in media parte: quorum omnium cauſas quærere operæ pretium eſt, licet à Celſo non ſint allatæ. At Paulus particulatim horum locorum cauſam refert in decubitum; non enim oportet ſectionem moliri in illa parte, in quam æger decumbit: vnde ſi affectio ſit ab inteſtinis, ſub vmbilico recta tribus digitis: ſi à iecore, in ſiniſtra parte tribus digitis ab vmbilico diſtante; ſi à liene in dextra perforare iubet, quaſi verò affecto iecore in dextram, liene verò affecto in ſiniſtram, propter viſceris pondus, decumbere æger coactus ſit. Ego verò opinor potiorem cauſam adducendã eſſe: præterea aliud aliquid majoris momenti priſcos illos authores reſpexiſſe, quòd è Celſi verbis elici poteſt, qui aut ipſo vmbilico perforato, aut ſub vmbilico quatuor digitis à ſiniſtra parte ſecari conſueuiſſe veteres teſtatur, quaſi iecoris tunc affectionem, offenſionem non reſpiciant. Cauſæ autem ab hoc vno fundamento (vt puto) pendent, quod eſt, ne aliqua pars offendatur. *Quid primum agendum in perforatione abdominis.* *Ratio eſt Paulo cur hi loci perforandi.* *Authoris potior ratio ex Celſo depromta.*

Partes quæ in perforatione læsi possunt.

PARTES, quæ in hac Chirurgia offendi possunt, vel sunt internæ, vel externæ, internæ prorsus ab omni læsione seruandæ sunt immunes: externæ autem quantum opus est. Internæ in abdomine partes offensioni expositæ, sunt iecur, ventriculus, lien, intestina, & vesica (omentum enim exigui momenti est, & à minima incisione lædi ferè non potest.) Vnde propter iecur, ventriculum, & lienem non fit perforatio, statim sub hypochondrijs vnquam; propter vesicam verò neque etiam in ima parte abdominis. Vnde Hippoc. 6. de morb. vulg. dicebat: Hydropicorum pectinem non contingito. Propter intestina denique, quæ abdominis interiorem cauitatem reliquam omnem occupant, nullus supereſt locus: ideoq; opus est illum ad perforandum eligere, qui ab intestinis valde distat: hic autem elatissimus est, elatissimus autem ad vmbilicum consistit; propter quam causam à lateribus ad lumbos effici sectio non debet (nam & colon his partibus adhæret) sed dūtaxat ad vmbilicum: qui locus cum elatissimus est, tum maximè omnium ab intestinis distat.

Vmbilicus quando perforari.

Meritò igitur quidam ex Celso vmbilicum perforant: quòd vbi fieri potest, faciendum vtiq; est: fieri autem potest, quando vmbilicus ita laxatus, apertusque est, aut tumens, vt ab exteriori parte ad internam cauitatem, & aquam ipsam, tenuissima cutis tantum intercedat, quam vel ipso tactu, digitique compressione, ac perspicuitate deprehendes. Quam sinè vlam natura, quæ est vera morborum curatrix, solet interdum commonstrare, solita etiam est ea aperta ægrotantes sanare. Cum verò laxitas hæc non apparet, non est quod vmbilicus perforetur, ne forte vmbilici rugositas magis explicetur, dilataturque quam par sit. In quo casu supplent vmbilici adiacentes, & inferiores partes. Quæ duorum sunt generum, aliæ carnosæ, aliæ neruosæ.

An pars carnosa vel neruosa secanda.

SVNT qui cōtendunt, partem sectioni aptam futuram esse carnosam, ea ratione persuasi, quia neruosa pars incisa non coalescit: quæ ratio nullius momenti est, quia exiguam, ac minimam sectionem non est dubitandum non coalescere, glutinatur enim vena secta, quæ neruosa, membranosaque est, tametsi citiùs caro quàm neruosa pars glutinatur. Sed tamen nequaquam sectio in carnosa parte facienda esset, ne vasa, id est, venæ, & arteriæ secentur, quibus carnosæ partes refertæ perpetuò sunt, nequaquam neruosæ; fieri tamen fermè non potest, quin carnosa pars aliqua dissecetur, quòd vbi musculi alijs desinunt recti ponuntur. Sed id maximè fit propter rectos dictum, & propter omnem sanguinis effusionem, quam vitare in omnibus, maximè tamen in hydropicis oportet, in quibus

Sanguinis effusio hydropicis noxia.

omnis sanguinis effusio noxia, periculosaque est, vt Celsus testatur. propter quam causam musculos rectos vitare potissimum oportet, quia præ cæteris venas illas mammillares, & vterinas in sese excurrentes habent satis insignes, & numerosas. Quod sanè prisci illi sapientissimi, vt puto, considerantes, voluerunt tres, aut ferè quatuor digitos ab vmbilico, quanta nimirum rectorum musculorum latitudo est, sectionem esse efficiendam. Si igitur vitandi sunt recti musculi, ergo perforatio necessario infra vmbilicum tribus,

Vbi debeat fieri perforatio.

quatuorue digitis, aut à dextris, aut à sinistris, quousque musculorum rectorum latitudo deuitetur, aut in medio vtriusque recti musculi efficienda est; à dextris quidē, cum lien tumidus redditus est; à sinistris, cum iecur; in medio verò, cum vtrumque viscus tumefactum est, aut cum intestina affecta sunt.

Celsi dictū ratione duplici explicatur. Prima rō. Secunda rō.

SED subit explicare Celsi dictum, quod à sinistra parte voluerit effici sectionē, dimissa dextra. Duplex responsio affertur: Vna, quòd in hydrope semper iecur affectum est, id est, tumidum redditum, quod propterea vitandum est: lien autem non semper afficitur. Alia ratio; quod cum sciamus iecur perpetuò affici, non autem lienem, ex altera verò parte cum aquam euacuamus, dignosci non possit propter aquæ copiam, & insignem abdominis tumorem, vtra harum partium affecta sit, meritò sinistram eligimus, tanquam quæ nos fallere non possit, cum perpetuò iecur afficiatur. Itaque causas exactas habetis explicatas, cur quatuor tantum locis administrari sectio debet, aut in vmbilico, aut infra vmbilicum, & hoc aut in dextra, aut sinistra parte, aut media, id est, inter vtumq; musculum in linea candida.

Locus perforationis quomodo sit quirendus.

SED adhuc huiusmodi loca sunt exactè disquirenda, annotanda, scriptorioque atramento

mento ſignanda. Duo tantum loca dubia ſunt, quænam ſint, & vtraque rectos muſculos deuitantia, vtputa quæ ſub vmbilico tribus, quatuorue digitis, aut à ſiniſtra, aut dextra parte: vel enim ſunt extrema, quorum lineæ perpendiculariter ſupra vmbilicum ducunt, vel quorum non perpendiculariter cadunt; puto authores potiùs perpendicularium linearum extrema intelligere vt in prima figura: etenim alia extrema non tantum quatuor digitis, ſed pluribus diſtarent: quo perſpecto ſignandi atramento omnes loci ſunt.

Aeger quo in ſectione collocandus.

LOCO perforando inuento, ſignatoque, æger aptè collocandus eſt. Si abdomen valde propter aquam tumidum, & diſtentum ſit, in lecto facienda ſectio eſt, dum æger decumbit: Poteſt quoque in ſedili collocari, & efficere, vt miniſter appoſitis in hypocõdrijs manibus deorſum comprimat. Alioqui in non admodum diſtento abdomine oportet ægrotantem ſurgere, & miniſtro retro ſtanti; vt ait Paulus, præcipere, vt ſuperius premat abdomen, quò aqua inferiùs prematur, impellaturque, atque abdomen magis tumeat: ſic enim ſubiecta membra omnino erunt ab omni læſione tutiſſima.

Inſtrumẽtũ in ſectione abdominis quale conueniat.

LOCO inuento, & ægro aptè collocato, ferramentum ſumendum eſt. Inſtrumentum autem ad perforandum aptum ex Albucaſi futurum eſt acutum, ad formam ſolij oliuæ. Paulus ſcalpello vtitur, quo vena inciditur. Ego autem paraui mihi ferramentum tale, quod ad cuſpidem parumper recuruatum eſt, & ex vna tantum parte aciem habet, & ideo tutiſſima eſt à la ſione inteſtinorum: & recuruatum eſt, & quatenus parte inferna, inteſtina reſpicit, retuſum. Quòd ſanè ferramentum eſt etiam eius latitudinis, quam tradit Celſus, vt ferè tertiam digiti partem latitudo mucronis impleat.

Authoris inſtrumentum.

SVMPTO in manu congruo inſtrumento, facienda ſectio eſt. Triplex ſectionis modus, ſeu ſpecies ab authoribus proponitur. Prima Celſi eſt, qui lib. 7. cap. 15. ex quorundam ſententia laudat ſecari oportere cutem priùs ferro candente, ea aduſta, deinde interiore abdomine inciſo, vt celeriter nõ coeat diuiſio: Sednon eſt hoc opus ſub ea ſectione, quam ego molior. Alij ſunt, vt Celſus refert, qui præcipiunt cutem, ſeu labia in exteriorem partem recuruandam eſſe anteqiam cannula immittatur: ſed neque id placet, quia magnam oporteret moliri ſectionem, quam ego maximè damno, tum propter frigidum aerem ingredientem, tum propter periculum totius aquæ exitus, læſionis inteſtinorum, & propter vulneris in fine ſanationem.

Modus ſecandi abdominis ſecundũ Celſum.

AVICENNA à Paulo deſumens, lib. 3. fen. 14. tract. 4. capit. 13. præcipit, ſecandum eſſe priùs abdomen intacto peritonæo, poſtea peritonæum in inferna ſectionis parte perforãdum, cute inferius retracta, vt in cannulæ extractione cutis peritonæo ſupponatur, neque cum eâ aqua exeat vniuerſa: quæ omnia ſimiliter irrita ſunt in ea ſectione, quam ego adminiſtro. Hæc autem eſt, vt quadantenus obliquè ferramentum ita dexterè, & altè demittatur, donec ad vacuam vſque regionem penetrauerit, & peritonæum etiam ſit perforatum. Ad cauitatem, & vacuum deuentum eſſe non ſolum aquæ exitus indicio eſt, ſed etiam abſceſſuum diſſecandorum peritia, qua ferrum in vacuum peruenisſe facilè dignoſcitur, quod prementi nihil renititur: tunc ſtatim extrahere ferramentum oportet, quod in primo adactu, ſiue rectè, ſiue obliquè, ſiue tranſuersè in cutem demittatur. parum in exigua ſectione intereſt. Illud tamen intereſſe poteſt, vt cuſpis magis verſus vmbilicum, atque elatiſſimam abdominis partem permeet, eamque potius reſpiciat, quàm aliam: vnde ſub vmbilico recta, à lateribus obliquè magis, immò tranſuersè facienda ſectio eſt.

Auicenna ſecandi abdominis modus.

Authoris ſecãdi mod⁹

FACTA ſectione, injcienda eſt aut plumbea, aut ænea, aut argentea fiſtula, ſeu cannula, quæ ſeptem habeat conditiones. Prima, vt terſa ſit, ne labia afficiat. Secunda, vt habeat obſtaculum quaſi nodum, aut alam, ne interius poſſit delabi. Tertia, vt hiuſmodi cannula ſit à lateribus per totam longitudinem perforata tribus, quatuor, ac pluribus foraminibus, quo aqua non ſolùm ex ſummo foramine, ſed etiam à lateribus exire poſſit. Quarta, vt ſit adeò longa, vt tantummodo in cauitatem pertingat, non vltra, ne aliquod interius attingens premat, ac malè afficiat; quare non probatur fiſtula ſcriptorijs calamis ſimilis, vt Paulus proponit lib. 6. cap. 50. propter quam cauſam non erit inutile duas, treſue cannulas habere paratas, quarum altera paulò ſit longior, ac prima vice lõgior immittenda,

Fiſtula injiciendæ cõditiones ſeptẽ. Prima conditio. Secunda. Tertia. Quarta.

Quinta. tenda, ſubindeque breuior, prima enim propter aquæ copiam inteſtina attingere non valet. Quinta eſt, vt cannula anguſta ſit. Nam ſi latiore foramine eſſet, difficulter poſtea & aqua contineretur, & cogeret vulnus, tum verò frigidus aer multus ingrederetur. Vnde Celſus loquens de inſtrumento, quod cannulæ reſpondere debet, dicebat, quod tertiam digiti partem latitudo mucronis implere debet. *Sexta.* Sexta, vt ad extremum obliqua ſit, quanta eſt inſtrumenti obliquitas, ita vt attingere inteſtina non poſſit, & ſine difficultate immittatur. *Septima.* Vltima, ac potiſſima conditio eſt, vt fiſtula ita exactè inſtrumento perforanti reſpondeat, vt a fiſtulæ lateribus ne gutta quidem aquæ exeat. Quam conditionem multi non obſeruantes, factum eſt, vt vnica nocte tota aqua effluxerit cum morte patientis.

Ab vnica vel pluribus vicibus aqua euacuanda. POST hæc determinandum eſt de aquæ quantitate euacuanda, num vtile ſit vnica vice totam aquam euacuare, an pluribus. Quamuis temeraria experientia interdū felicem euentum commonſtret in vniuerſa aqua protinus euacuanda, quod teſtantur paſſim Norſini operatores, qui audaces nimis vniuerſam aquam, aut paulò minus, prima vice euacuant: attamen ſcire licet, quod ex 6. Aph. 27. nullus fuit auctor, qui probauerit totā aquā eſſe vnica vice euacuandam, fortè experiētia edocti ægrotantes ſtatim mori: fortè etiam ab Hip. admoniti, qui ait: Quicunque ſuppurati, aut aquam inter cutem patientes, vrūtur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua vniuerſim efluxerit, omnes moriuntur. Quo loco Galenus in Com. nō ſolum totam aquam ſubito euacuare, mortale eſſe, ſed etiam multam, ac ſubitam euacuationem: idque comprobat auctoritate Eraſiſtrati ſcribentis, in pluribus compertū experientia, multam, ac ſubitam euacuationem febres, & mortem afferre: cauſa eſt, quia è veſtigio deficit anima, vireſque concidunt, quas reficere difficile eſt. *Non vnica vice euacuanda aqua.* Cuius rei cauſam inquirens Galenus, inquit, prouenire virium imbecillitatem ex euacuatione, & diſſipatione multorum ſpirituum vitalium, qui vnà cum aqua exeunt, eò quia ora venarū, & arteriarū aperiuntur, & in magnis abſceſſibus tum propter corporum diſtātiam, tum propter ſanici acrimoniam; quæ ſanè vaſorum ora cum pus intus continetur, à pure quaſi ab operculo occluduntur at eo ſubitò, & confertim euacuato, ſimul quoque multi euacuantur ſpiritus oris vaſorū adapertis, fortè etiam ſequela vacui puris vacuationē conſequētes. *Et qua de cauſa.* Quā rationē Galenus dixit quoq; conuenire euacuationi aquæ in hydropicis: cui tamen accomodare non vſque adeo facile mihi videtur, tum quia in aqua abdominis partes inuicē non ſunt ſeparatæ, & diſtantes, vt in abſceſſibus, tum etiam quia aqua ſanguine tenuior eſt, neque fieri operculum vaſis poteſt, vt pus, quod craſſum, compactumque eſt. Niſi dicamus, in his ſpiritus diſſipationem euenire, quia ora arteriarum aperiantur, aut propter diſtenſionem partium factam ab aqua, aut propter ſecundam cauſam magis, quam Galenus proponit, videlicet, quia vaſorum ora ab aquæ acrimonia erodantur, nam aqua abdominis, ob moram putredinem quandam cōtrahere apparet. *Cauſam dictam Galenus etiam ad hydropicos transfert.* Quibus denique cauſis & tertiam adhuc in hydropicis affert Galenus, 6. Aph. 27. in fine Com. & eſt durities hepatis, & grauitas, quæ non amplius ſuſtentatur ab aquoſa ſubſtantia; vnde ſeptum tranſuerſum deorſum trahit & viſcera, quæ ſunt in thorace: vnde diaphragmate, pericardio, & corde deorſum tracto, eoque patiente, ægrotantes difficulter ſuſtinent. id quod adhuc magis euenit, cum vnà cū iecore etiam lien eſt induratus, & tumefactus, ideoque longa, ponderoſiora reddita ambo viſcera ſunt, vt plerumque accidit. *Alia cauſa ex Galeno.*

De quantitate aquæ emittendæ varia ſententia. POSTEAQVAM viſum, & priſcis auctoribus comprobatum eſt, ſubitam, & cumulatam aquæ euacuationem vitandam eſſe, videndum nunc, quænam aquæ quantitas, & quot vicibus, quotuè diebus exactè euacuanda ſit. Albucaſis lib. 2. cap. 54. prima vice in hora mediam aquæ copiam emittendam eſſe præcepit, altera die paruam aquæ quantitatem euacuat, & ſic aliquibus diebus procedit; prout infirmus tolerat. Celſus & ipſe circa exactam aquæ euacuationem efficiendam ita tradit; Per fiſtulam effundendus humor eſt, atque vbi maior pars eius euacuata eſt, claudenda demiſſo linteolo fiſtula eſt, & in vulnere relinquenda. Deinde per inſequentes dies circa ſingulas heminas emittendum, donec nullum aquæ veſtigium appareat. Quidam duabus aut tribus vicibus, prima, poſtera die, ac tertia totam aquam euacuant. Hæc Celſus. Ex quorum auctorum varietate eliciendum

eſt

eſt aquæ emittendæ quantitatem exactam nos neque diebus, neque vicibus metiri poſſe, ſed eo recurrendum eſſe, quo Paulus, Auicenna, & omnes præcipiunt, vt ſ. humor emittatur pro cuiuſque virium ratione, quam ex pulſus tactu deprehendemus. Et oportet, vt cõſideres pulſum (dicebat Auicenna) & cum inceperit debilitari parumper, retine aquam, Et de aquæ copia & vicibus & diebus emittenda hactenus. *Non poteſt determinari diebus aut vicibus*

QVOD ſi ſub hac curatione vires aliquando deijciantur, ita vt vlterius proſequi in aqua emittenda periculum ſit, non inutile fuerit ad inſenſibilem aquæ reliquæ euacuationem accedere, eamque, vt monet Paulus, & Auicenna, ſole, ſiti arena, ſudore, & cibis deſiccantibus conſumere. Ego autem id molior magna ſpongia noua, quæ totum abdomen cõprehendat, expreſſa in aqua calcis viuæ, & ſuperligata: quo medicamento pluries etiam hydropem curaui ſine vllo aquæ ſenſibili exitu: quæ etiam frigidam, & humidam viſcerum intemperiem tollit, ita vt etiam lienem induratum aliquando ſanauerit. *Quid agendum in virium deſectione.* *Authoris modus exiccãdi aquã.*

MODO verò inquirendum eſt, nũ euacuata prima vice aqua, fiſtula pro alijs vicibus ſit in foramine relinquenda, an extrahenda. Paulus, Auicenna, & Albucaſis, propter tot tuoſum factum foramen volunt quotidie eſſe extrahendam fiſtulam, & rurſus immittendam, Paulus maioris ſecuritatis gratia, vt ſubitam, cumulatamque aquæ euacuationẽ vitaret, linamentum tortile per ſolam abdominis diuiſionem, non intra peritonæum, demittebat. Celſus autem ex eorum ſententia, qui duobus, aut tribus diebus totam aquam exhauriũt, fiſtulam non relinquendam eſſe dicit. At vbi prima vice maior aquæ pars euacuatur, & deinde per inſequentes dies tantum hemina, præcipit in vulnere relinquendam eſſe, ſi modò vulnus vſtum non eſt: nam vſto vulnere poteſt etiam extrahi, cum non ſit periculum, vt vulnus glutinetur. Ego autem Celſi opinioni ſubſcribens, conſulo, vt cannula perpetuò relinquatur, dummodo ſimus certi, ne inteſtina interius tangat quod ſi ſubinde euacuata aqua & abdomine depreſſo poteſt contingere, in quo caſu breuior ſubinde eſt fiſtula demittenda. *An fiſtula in foramine relinquenda poſt primã euacuationem.* *Modus Pauli.* *Modus Celſi.* *Modus Authoris.*

IN aquæ autem euacuatione operę pretium eſt vnum notare, quod ego in praxi obſeruaui, videlicet poſt aquæ aliquam euacuationem ſuperuenire dolorem intus in abdomine, quia duabus, vt puto, cauſis prouenit; vel propter frigidum aerum, qui dum aqua euacuatur, interius per foramen penetrat, & inteſtina offendit; vel à iecore, aut liene tumefacto, diſtrahente, & deorſum ducente diaphragma. Locus affectus vtramq; cauſam diſtinguet: Nam ſi à viſceribus, in præcordijs dolor erit; ſi ab aere frigido, inferius magis ac circa vmbilicum vrgebit. Inteſtinis dolẽtibus obſiſtitur, ſi amota lignea feſtuca, quæ claudebat foramen fiſtulæ, ſinamus aquam exire per linteum multiplicatum, & calidum, aut per ſpongiam ex lixiuio, aut vino albo potenti, & actu calido expreſſam, fiſtulæ orificio admotam. Quo ſi ex alia cauſa dolor proueniat, patientem decumbere reſupinum iubebimus, vt monet Auicenna. *Vnde dolor in abdomine poſt euacuationem prouenit.* *Quomodo inteſtinorum dolori occurratur.*

QVO loco non eſt inutile vnum quęrere, Num ad inteſtinorum dolores deuitãdos, ac omne in ſectione interiorum periculum, expediat magis aquam per ſcrotum emmittere, quã per abdomen: poſteaquam nonnulli referũt, id factum aliquando fuiſſe fælici cum ſucceſſu? (loquimur nunc de perforatione, non de ſcarificatione, ſcimus enim ſcarificationes tutò in ſcroto adminiſtrari, ex ſententia Hipp. & omnium, & nos etiam non ſemel, ſed iterum, ac ſæpius eas moliti fuimus.) Reſpondetur, quòd ſi quando accidat vt propter peritonæi laxitatem, ſeu apertionem ad inguina, aqua in ſcroto tanquam in vaſe, aut veſica collecta ſit, ita vt ſcrotum ſit tumidum, & intentum, facilèque fiſtula inſeri poſſit, quæ nobis nolentibus ne guttam quid aquæ effundat, in eo caſu conſulo, vt potius ſcrotum perforetur: alioqui abdomen, vt fert antiquitas, perforandum eſt. *Dubium.* *Solutio.*

VLTIMO loco illud quoque ſilentio prætereundum non eſt, quod perforationem formidantibus conuenient Chirurgiæ à Paulo ad calcem capitis propoſitæ, vt puta vſtiones ſupra ſtomachum, iecur, lienem, imum ventrem, & vmbilicum, quinque cruſtas adhibentes. Aut ferro tenui candenti, aut iſcis nuncupatis vti. Sunt autem hæ, vt teſtatur Paulus lib. 4. cap. 49. ſpongioſa quædam corpora in quercubus, & cotylis naſcentia, Arabibus magis *Quid agẽdum cum formidantibus perforationem?*

gis vſitata, quæ non ſolum permittunt vulnera ſine cicatrice diu manere, ſed etiam magis adhuc diuidunt, & plagam dilatant: aut aliquo ex alia huiuſmodi materia; qua curandi ratione plerique etiam magis conualuerunt, punctione omni dimiſſa.

Ex perforatione Authoris duo mortui & qua de cauſa.

SI aqua hydropicis emittatur, ſicuti propoſitum eſt, non dubito fore: quin ægrotantes facile euadant, & operatio felicem ſortiatur euentum. Quamuis ex duobus, quos ego hactenus perforaui, ambo ſint mortui, quod propter veſtram vtilitatem, & vt addiſcatis, adduco. Nam alter erat mortuus antequam moreretur, quia res ad ſtatum deploratum deducta erat, vixit tamē plures dies a perforatione: ex quo adiſcatis, eiuſmodi ægrotātes non eſſe attingendos, ne remedia infamentur. Alter vero ſibi ipſi mortem conſciuit, fiſtulam relictam occluſam dedita opera aperiendo, & vnica nocte totam aquam effundi permittendo, quamuis ægrotanti id eſſet interdictum propter metum mortis, & affines eſſent commoneſacti, & aſtans eſſet huic rei præpoſitus, quem patiens abire antè iuſſit.

De modo ſuendi vulnera abdominis.

Inteſtinorū vulnera quæ letalia, & quæ non.

ABDOMINIS vulnera propriam quandam deſiderant animaduerſionem in futuris aut fibulis imponendis. Celſus proponit modum conſuendi tum inteſtina vulnerata, tum abdomen. Galenus verò 6. Metho. cap. 1. quem ſequitur Paulus, tantummodo abdominis. Etenim inteſtinorum vulnus, ſi aliquod ex tenuibus ſit vulneratum, ſemper lethale eſt, quos ego vidi vt plurimum ſecunda die obiiſſe, & ratiò vltra eorum vitam protractam eſſe, quod vſti ſunt protracta eorum vita prætenſa eſt. Craſſa autem inteſtina vulnerata & ipſa periculoſiſſima ſunt, ſed tamen interdum ſanabilia euadunt, vt experientia quotidie comprobat. Et ego nunc habeo præ manibus Nobilem curandum, qui ab interna cauſa duplici loco habet perforata inteſtina craſſa cum exitu fæcuum, & ſaneſcit, quemadmodum ſuperioribus menſibus alter quoque ſanatus eſt ex aquæ thermarum inſeſſione. Vnde Celſus craſſum quod ipſe latius inteſtinum nominat, ſuendum eſſe docet, non quòd certa fiducia ſit, ſed quod dubia ſpes certa deſperatione ſit potior.

Inteſtinum prolapſum qua ratione reponendum.

ET quia conſtat inter oēs, inteſtina, quæ prolapſa ſunt, eſſe intus recōdenda: id quod ſi fiat quando inteſtinum ab aere externo ita alteratum ſit, vt vel liuidum, vel pallidū, vel nigrum, aut ita frigidum ſit, vt ſenſu careat, ſine ſpe reconditur; ideo cum magna feſtinatione, ait Celſus, tum conſuenda, ſi opus eſt, tum remittenda ſunt, ita vt poſterius prolapſa priore loco refundantur, & digitis intrudantur. Quod ſi flatu turgida ſint, vt ingredi per vulnus nequeant, fouenda ex vino albo potenti, & calente ſunt, aut ſimplici, aut in quo anethum ebullierit: ſi id parum proficit, ſyringotomo ampliandum vulnus eſt, ait Paulus, immiſſa ea Syringotomi parte intus, quæ capitulum rotundum habet, latiore & aciem habente manu impulſa; ſic enim nullum periculum eſt, quin aliud, quam abdomen incidatur, offendaturque.

Filū in ſutura inteſtini quale aligendū.

IN ſuendo autem inteſtino eligere oportet filum cera oblitum, quod minus erodit, ſuturamque diutius conſeruat. Conſuendum autem eſt communi ſutura, quæ expedita eſt, & fit acu tranſmiſſa, & ſupra labia reuoluta, vt faciunt reconditores pannorum, & mulieres. Igitur conſuto, ac recondito inteſtino vulnerato, & prolapſo, & concuſſo aliquantulum corpore, quo inteſtina, proprium recipiant locum, tum demum abdomen conſuendū eſt, ſi modò omentum non obſtet; quod ſi etiam exciderit, ſimiliter intus immittendum eſſe conſtat, dummodo integrum ſit, eique tum calor, tum color naturalis non ſit immutatus, alioqui ipſum primo alligare, mox forfice præcidere oportet, vt dicit Celſus, & intus immittere, & condere, acu interea longa vinculo continua exterius relicta, vt cum laxatū fuerit, ex ſuppurata parte vinculum eximatur, vt optimè monet Paulus: idque in inteſtini quoque ſutura peragendum eſt. Quibus factis vulnus abdominis conſuere reſtat. Quam futuram Celſus vult eſſe faciendam, ita vt neque ſola cutis, neque ſolum peritonæum

Omentum prolapſum quamodo tractandū.

conſua-

conſuatur, ſed vtrumque. Sed prius intentiones eliciatis.

DVO potiſſimum reſpiciunt authores, & Celſus. Vnum eſt, vt in conſuendo non pungantur, aut lædantur inteſtina, quæ alioqui ſubſultant & flatu tument. Secundum, vt peritonæum, quod cum ſit membrana tenuis & exſanguis, difficulter coit, non remaneat aliqua ex parte inglutinatum. Ideoque primum monet Celſus vt ſpiſſior futura hic fiat, quam alibi conſueuit, quia & rumpi facilius motu ventris poteſt, & nõ æque magnis inflamamationibus pars ea expoſita eſt. Tum in duabus acubus fila traijciẽda, eaque duabus manib. tenenda: & prius interiori membranę futura inijcienda eſt, hoc eſt, totum peritonæum conſuendum, ſic vt ſiniſtra manus in dexteriore ora, dextra in ſiniſtriore à principio vulneris exorſa, ab interiori parte in exteriorem acum immittat. Quod fit, vt ab inteſtinis ea pars ſemper acuum longe ſit, quæ retuſa eſt. (Alia littera, quæ magis congruit legit: Quo fit, vt ab inteſtinis ea pars ſemper acuum longè ſit, quæ acuta; propinqua, quæ retuſa eſt) Semel vtraque parte traiecta, permutanda acus inter manus ſunt, vt ea ſit in dextra, quæ fuit in ſiniſtra, ea veniat in ſiniſtram, quam dextra continuit: iterumque eodem modo per oras immittenda ſunt: atque ita tertio, & quarto, deincepſque permutatis inter manus acubus includenda plaga. Poſt hæc eadem fila, eademque acus ad cutem transferendæ: ſimilique ratione ei quoque parti vtraque futura inijcienda, sẽper ab interiore parte acubus veniẽtibus, ſemper inter manus traiectis: dein glutinantia inijcienda. Hæc Celſus. Ex quib. patet, Celſi futuram applicare peritonæum cum peritonæo, & muſculos cum muſculis. Hic modus in hoc cum Galeno cõuenit, qui tamen à Celſo variat, quòd Celſus ſeparatim, hoc eſt, vnum poſt aliud, videlicet peritonæum, & abdomen conſuit. At Galenus vno tempore vtrumque exequitur cõtinuata futura. Qui 6. Meth. cap. 1. tres poſuit modos ſuendi abdomen nullo modo ſilentio obuoluendos. Primus cõſuit peritonæum cum abdomine, id eſt, cum muſculis. Secundus conſuit peritonæum cum peritonæo, & abdomen cum abdomine. Tertius eſt, qui paſſim vſupatur, & communis modus ſuendi futuras eſt.

Duo ſcopi auctoris in futura propoſita.

Futura qualis facienda ex Celſo.

Tres modi Galeni ſuendi abdomẽ.

PRIMVS modus ita expletur. Incipiendum primò à cute eſt, & ab externo introrſum acus tum per cutim, tum per abdomen, id eſt, muſculos traijcienda, quouſque ad peritonæum ventum ſit, & tum prætermiſſo peritonæo, per peritonæum, & abdomen alterius partis acus traijcienda, foraſque trahenda eſt. Deinde relicto ſpatio digiti tranſuerſi, ex eodem latere, vbi acus foras extracta eſt, rurſus vno adactu in cutem, & muſculos acus infigenda eſt, relicto eiuſdem lateris peritonæo intacto, tum alterius partis peritonæum perforandum eſt, & ab internis extrorſum, tum per peritonæum, tum per abdomen eſt acus traijcienda, foraſque trahenda, mox ab eodem latere rurſus perforandum, & ſimiliter reliquæ futuræ inijciendæ ſunt.

Primus modus.

SECVNDVS modus, qui conſuit peritonæum cum peritonæo, & abdomen cum abdomine; id eſt, muſculos cum muſculis, ita peragitur. Primùm à cute incipiendum eſt, & ab exteriori parte introrſum acus traijcienda, donec ad peritonæum ventum ſit: deinde relicto intacto peritonæo, & acu ad ſiniſtram manum reuocata, rurſus ex aduerſa parte ab externo, introrſus vtrumque peritonæi labium eſt perforandum; & acu iterum ad dextram manum reuocata, ab interno extrorſum abdomen traijciendum eſt; ſicque ſubinde proſequendum eſt, conſuendo peritonæum cum peritonæo, & muſculos cum muſculis.

Secundus modus.

TERTIVS modus eſt ille, qui communiter ab omnibus vſurpatur in alijs partibus, fit acu vno adactu trãſmiſſa per quatuor labia, ſcilicet peritonæi, & abdominis, toties quoties opus eſt. Exhis futuris Galenus potiorem primam cenſet ſecunda, & ſecundam tertia. Ratio eſt: Etenim peritonæum corpus eſt neruoſum, tenue, & exſangue; eiuſmodi autem difficulter inter ſe glutinantur, & coeunt, ex Galeno: cõtra, muſculi, & carnoſæ partes facilè inuicem vniuntur, propterea ea futura potior eſt, quæ iungit peritonæum, quod difficulter vnitur cum carnoſa parte, quæ facile coit: ſic enim prõpta ſuccedit vulneris vnio, neq; ſub hac futura relinquitur aliqua pars peritonæi non agglutinata, quæ relinquat poſtea tumorem, vt ait Rhaſis, in abdomine, vti accidit in vmbilico, & rupto peritonæo. Sicuti autem primus modus ſecundo potior eſt, ita ſecundus tertio, ex Galeno, qui perito-

Tertius modus Galeni.

Cur primus modus melior ſecũdo. & ſecũdus tertio.

næum cum peritonæo, & abdomen cum abdomine applicat. Nam cognatæ naturæ, ait Paulus, & ipſæ naturaliter glutinantur.

Primus modus varie à varijs adminiſtratur.

CVM igitur primus modus potior cæteris ſit, meritò auctores prærogatiuam illi tribuere, voluereq; tripliciter adminiſtrari poſſe, tametſi idem ſit futuræ modus, & accidentalis ſit varietas. Nã alij, vt Galenus, & Auicenna, voluerunt eſſe incipiendã futuram modo ex vno, modo ex oppoſito labio. Alij, vt Albucaſis, ſemper futuram ex eodem latere incipit, reuoluendo ſcilicet ſuper labia filum, Alij deniq; ex eodem latere ſemper incipientes, in fingula futura nodum faciunt, & filum amputant, & ita pro futura fibulas imponũt.

Authoris cautio in cõſuendo abdomine.

Hæ ſunt abdominis vulnerum futuræ ex antiquis auctoribus depromptæ.

QVA in re illud habeo vobis dicere, quòd ſæpenumero ratio vulneris, aut magnitudo, aut temporis anguſtia, non patitur artificioſa nos vti futura: in quo caſu communem inijcimus, quæ quatuor labia ſimul conſuit. Sed ſiue hac, ſiue illa vtamini, perpetuò tamen tamquam præceptum habeatis, vt in ſubſidium futurarum glutinum applicetis, quia huiuſmodi futuræ in abdomine illico, & non difficulter rumpuntur, tum propter motum abdominis fermè continuum, qui & in egerendis fæcibus, & in reſpiratione neceſſarius eſt: tum quia ſubinde modo cibis, & excrementis impletur, modò inedia attenuatur: tum tertiò propter flatum, qui in abdomine præcipuè vulnerato iugiter excitatur, & ilia diſtendit.

DE VENTRIS VARICIBVS.

Vetices in vẽtre rariſſimè inueniuntur.

CELSVS libro 7, cap. 17. varices in ventre proponit, quorum curationem, ſicuti Celſus ad crurum varices remittit, vbi vigent, & frequentiſſimè concitantur, ita hoc quoque loco ego faciam; præſertim cum hucuſque in quadraginta trium annorum curriculo, quo hic publice profiteor, me in vẽtre varices vidiſſe non meminerim: quod quoquo modo rationi conſentit, quia in abdomine potius membranoſo, quàm carnoſo, exiguę magis venę cõſiſtant, & paucę, proindeque varicibus non obnoxię: Id, quod Celſus ſimiliter innuere videtur, videlicet, rarò ventri varices euenire, dum dicit, in quorumdam tantum ventribus varices eſſe. Quod

Tranſitio.

ſi Celſus quæ rariſſimè eueniunt proponit, ego quæ minus rarò in ventre fiunt, & præ manibus curanda non infrequenter habui, proponere, & explicare non recuſabo, omittens ſermonem de varicibus in oportuniorem locum.

De imi ventris abſceſſibus, & fiſtulis.

Cauſa fiſtularum imi ventris.

IMI ventris abſceſſus, & fiſtulæ ſunt, quæ in imo ventre ſupra pubis latera, maximè autem paulò ſupra ventris regionem inguinibus reſpondentem fiunt: quòd ea regio tum ima eſt, & ceu omnium excrementorum cloaca à natura deputata; tum præterea ſubiecta inguinum emunctoria habet, ieœoris experientia excrementa, quæ interdum non vltra influere, ſed ſupra reſidere, & abſceſſus, fiſtulaſque creare alienum à ratione non eſt, quando propter humorum acrium colluuiem influentem, neque etiam interna membra tuta extitiſſe experientia quoque comprobauit, cum eroſa, perforataque intus quoque fuiſſe inteſtina, & fœces exterius per fiſtularum foramina exiſſe non ſemel viderimus.

Fiſtulæ imi ventris difficilis curationis ſunt, & cur.

SED vt hæc veriſſima ſunt, ita illud quoque compertiſſimum eſt, dici non poſſe quantum iſtiuſmodi curatu difficilia vitia ſint. Nam vt mittamus eroſa inteſtina ſua uatura incurabilia eſſe, & quia membranoſa, tenuia, & exanguia ſunt, vti quoque Galenus de veſica in Aphoriſmis pronũciauit, & fæces inde tranſeuntes, & flatus præterea excurrentes impediant ſanationem etiam ea additur difficultas, quod imponi in ijs medicamẽta, & manibus,

nibus, oculiſque ſuccurri eiuſmodi vlceribus non poſſit. Inſuper externa vlcera & fiſtulæ & ipſæ vix ſanantur, adeo ſubinde (vt ſic dixerim) ſinuantur, & ſerpunt per muſculorum intercapedines, quæ eo loci multæ ſunt, altera alteri ſuperpoſita.

Author quo modo fiſtulas sui temporis curauerit.

EGO tamen hæc omnia curaui: & quod mirum eſt, etiã inteſtina eroſa, & pertuſa curata vidi. Et hoc anno duplex caſus contigit: & propter caſus raritatem hæc omnia vobis communicare, & proponere auſus ſum. In ſumma, perforata inteſtina non manibus, non ferro, non igne, non certè alijs medicamentis, quã ſolis aquis thermalibus, aut montis ægrotorum, aut Aponitatis, tandem ſanaui, per inſeſſiones mane, veſperique in ijs factas, ita vt aqua, aut per fiſtulæ foramen, aut per cannulam immiſſam intus in internum abdomen ingrederetur, inteſtinorumque eroſiones ſua ſubſtantia pertingeret, & attingendo exſiccaret, purgaret, impleret, tandemque cicatricem induceret. In quorum defectu mineras admiſcere inuicem non incommodum eſt, videlicet ſulphur, alumen, & ſalem in aqua liquare, & decoquere, & inſeſſiones moliri Quam ſanè curandorum inteſtinorum rationem inteſtinis quoque vulneratis in progreſſu conuenire, inficiandum non eſt.

Inſtrumentũ duplex pro inciſione fiſtularum externarum. Alterum inſtrumentũ.

ABSCESSVS verò, externæque fiſtulæ, vt verum vobis fatear, non alijs, quàm inciſionibus perſanatæ ſunt. Inſtrumenta autem duo ſunt. Alterum ſyringotomõ eſt ex altera extremitate acutum, quo in fiſtula vnicum foramen habente, vtendũ eſt, vt finis fiſtulæ perforetur, tum reliquum interſtitium vnà abſcindatur; aut ſyringotomon ex altero extremo obtuſum eſt, & globulum exiguum obtinet, quod in fiſtula multis foraminib. conjuncta, vt ab vno ad alterum foramen corpora interpoſita incidantur, vſurpandum eſt. Alterum ferramentum ad idem valens, eſt culter, ſiue ſcalpellus quidam longiſſimus, & manubriolo ſimiliter longiſſimo donatus, qui ex vna tantum parte aciem habet, in extremitate paulum intus recuruatam: exteriorem verò partem retuſam habet, ad cuius cuſpidem ex cera alba globulum infixum eſſe oportet, quo intus per totum fiſtulæ ductum ſine obſtaculo, & noxa demittatur.

De veſicæ vitijs Chirurgia indigentibus. De vrinæ ſuppreſsione.

DVAE fiunt in veſica Chirurgicæ operationes, altera pro vrina ſuppreſſa reddenda: altera pro calculo extrahendo. Vbi igitur vrina ſupprimitur, ex quacumque cauſa id fiat, viam aperire oportet; quod primo medicamentis vrinam cientibus tentandum; ſed ſi hæc parum proficiunt, ad manus curationem deueniendum: & ſi quidem vrina non redditur, quod calculus orificio veſicæ ſe oppoſuit, iuuit aliquando mutatio ſitus, ex ſtante in iacentem eleuatis cruribus. Item impoſita candela aut ſimplex, aut cum capulo argenteo alteri extremo applicato, lapis alio dimotus, & retrò impulſus, vrinaq. ſic reddita eſt. Quòd ſi ex ſenectute iter vrinæ collapſũ eſt, ideoq. vrina nõ redditur, fomentis calefacientib. ſuccurritur. Quod ſi ex adnata carne in meatu vrinario ex gonorhæa vrina ſupprimitur, iã propoſita cura eſt exterendi caruncũlã. Sed vrinæ ſuppreſſio plerumq. non dat inducias id moliendi, ideoq dimiſſa caruncula ſolemus vrinã recipere, aut mollientib. circa virile membrũ ſupra caruncũlã impoſitis, vt eſt ex radicibus altheæ cũ butyro emplaſtrũ: aut infundendo penem in balneum olei communis calidi. Interdum ne ægri ex vrinæ ſuppreſſione moriantur, ſolemus aut cathetere, aut ſtylo argenteo, aut ex cornu, vi quadã caruncũlã abrumpere & penetrare, & ita vrinam recipere. Si verò ex inflãmatione colli veſicæ, aut meatus vrinarij difficultas proueniat, medicamenta inflammationem arcentia ſanant, vt eſt emplaſtrũ confectum ex plãtagine, violis, maluis, & parietaria, in aqua coctis, & contuſis, mox oleo roſaceo admiſto. Quod ſi rurſus vrina ſuppreſſa eſt propter concretũ ſanguinem, aut humorẽ pituitoſum craſſum, & lentum in veſica contentum, & orificio eius ſe opponentem, ſimiliter candela aliquãdo iuuit, ſed vt plurimum alio opus eſt inſtrumento, cathetere appellato. Quod ſi tandem vrina detineatur, quia vrina nimium ſit repleta

Varia cauſa vrinæ ſuppreſſæ, earumque curatio.

veſica, & expultrix facultas reſoluta ſit, quod veſicæ tunica,& tranſuerſæ eius fibræ ex diſtenſione inualidæ ad cõſtringendum euaſerint, vti ſæpe videmus pueris plus iuſto urinã detinentibus accidere, In eo caſu ego ſoleo ad claram flammam pectinem calefacere,interea vero oleo calido de capparibus ſupra veſicam inungere,& ſtuppam pexam calidam ſupraponere, ita enim pueri ferè omnes minxerunt. Hoc Venetijs erat cuiuſdam ſecretum, quo omnibus pueris vrina hac de cauſa ſuppreſſa ciebatur;quod libẽtiſſime vobis communico. Quod ſi natu grandior ſit, cui vrina ex nimia collectione ſupprimatur, eaq; craſſa ſit, neque valeat medicamentũ iam propoſitum; aut contingat caſus, qui cuidam viro accidit qui febre continua, ac periculoſa correptus,dum nautura criſim vno tempore faceret per aluum, & vrinam,aluus aperta eſt,& excreuit ſine vlla difficultate;at vrina tam copioſa ad veſicam fluxit, vt reſolutis tranſuerſis fibris, non amplius potuerit patiens vrinam reddere; cui ſi ego non fuiſſem adiutor, certè vir ille mortuus eſſet, cum tamen natura per bonã criſim eum ſanare vellet. Iuui autem eo inſtrumento,quod paſſim vſurpatur in hoc,& in quocumque alio ſupra memorato caſu,in quo vrinam ciere aliter nõ poſſumus, quod ſanè inſtrumentum à Celſo fiſtula ænea nuncupatur, à nobis argentea fiſtula, tamquam ex argento facta appellabitur, Græcè καθετὴρ, quaſi demiſſor, aut immiſſor, vulgo verò ſyringa dicitur, a voce Græca σύριγξ quæ itidem fiſtulam ſignificat ſeu ſyphonem. Quam, vti dixi, aut ex ære, aut ex argento tum antiqui, tum moderni,nonnulli ex auricalcho parant. At ego imaginatus ſum magis flexibile corpus, & illam ex cornu paraui. Harum Celſus pro viris tres, pro mulieribus duas poſuit,vt cuicumque corpori,& ætati ſufficiant.Ex virilibus maxima, decem & quinque eſt digitorum,media duodecim,minima nouem.Ex muliebribus maior nouem, minor ſex. Incuruas verò eas eſſe ex altero extremo ſed magis viriles, oportet, quod veſicæ collum viris obliquatum magis ipſis fœminis ſit; item læues admodũ, ne pars exquiſitiſſimo ſenſu prædita in aſpero tranſitu afficiatur, ideoq. antiquitus ex læuigato ære, at moderni melius ex argento facere conſueuerunt;Poſtremo,neque nimis tenues, neque nimis plenas eſſe oportet, nam nimis tenues flexibiles,nimis verò plenæ rigidæ ſunt nimis. Vtrumque autem extremum incommodum eſt ad ingreſſum in veſicam, quod potiſſimum illud eſt, quod ab hoc inſtrumento optamus. Inſuper moderni aliud commentum in his parandis excogitarunt: Nam antiqui vnicum tantum foramen in ſummitate parabant, at moderni tum in ſummitate, tum à lateribus foramina,& plura,& pauciora aperiri volebant, non curantes, interdum in ſummitate nullum pertundi foramen. Neque ſine ratione: Nam interdum catheteris ſummitas & extremum ſuperat vrinã, hoc eſt, elatior vrina eſt, ideoque non exit vrina: at ſi à lateribus perforata ſit ſyringa, ſine difficultate exit.

Secretum cuiuſdam Venetijs de Vrina ſuppreſſa.

Catheteris varie appellationes & materia.

Neoteriſorũ inuentũ in parando catheteres.

SVPEREST videamus quomodo in veſicam immittatur. Sub experto Medico nõ difficilis eſt modus: etenim nudis pudendis oblatis, & homine aut ſtante, ad murum tamẽ innixo, aut ſupino iacente, aut altius quodammodo ſedẽte,Medicus (ait Celſus) à dextro latere ſiniſtra quidem manu colem maſculi continere, dextra verò fiſtulam inunctam demittere in iter vrinæ debet. Sunt qui colem in primo fiſtulæ ingreſſu inclinent, & recuruam fiſtulæ partem deorſum inclinatam inſerant: alij ſublato ſurſum cole contrario modo fiſtulam immittunt: ſed parum omnino refert, dummodo ſine difficultate pertranſeat per totũ iter fiſtula. At fortè potior inſerendi ratio prima eſt, quod non liceat poſtea fiſtulam reuoluere, vbiad multum ſpatium immiſſa eſt. Sed ſecunda ratio iacenti magis competit. Atque vbi ad ceruicem veſicæ ventum eſt,ſimul cum cole fiſtulam inclinatam in ipſam veſicam compellimus: in quo opere vnum ex Anatome animaduertendum eſt, ne in veſicæ ingreſſu membranula quædam quaſi oſtiolum, quo foramina vaſorum ſeminis in vnũ iungũtur, violetur; quod dignoſcemus tũ ex intruſionis fiſtulæ difficultate tũ ex dolore effatu digno excitato, tũ demũ ex ſangine emanante: ijs enim ſignis apparentibus recipere paulum, & retrahere ad ſe ſyringam Medicum oportet, rurſuſque denuo intrudere, donec membrana intacta pertrãſeat, & in veſicam ingrediatur fiſtula, & vrina ſtatim reddatur: quo facto, recipere fiſtulam oportet. Sed Paulus vult, quò vrina exeat,linum ſpongiæ,aut lanæ,(aut xyli ſecundum Albucaſin exiguo fruſtulo) antea ad fiſtulæ oram alligatum,

Modus in dendi fiſtulam, in penem.

Animaduerſio anatomica in intruſione fiſtulæ.

tum, esse per externum syringæ orificium trahendum, quod quasi vi vacui vrinam secum ducat; sed vrina absque alio commento ex so exit libere, potissimum si foramina ad latera habeat syringa, vti dictum est, cum in vesica continetur: Nam cum neque adest, neque continetur, non redditur.

EVENIT autem non rarò, vt vrina supprimatur, neque in vesica contineatur, qui casus maximè periculosus est, & minatur vitæ discrimen, quoniam propter duplicem contingit causam; aut propter continuam, & malignam febrem, in qua vrina à calore febrili intenso, in visceribus, & sanguine interius attrahatur, & in corpus & venas refundatur: aut quia supra renes, ob eorum obstructionem, aut à lapide, aut humorum crassitie factam, retenta vrina sit. Dignoscetis autem in vesica vrinam esse, aut non esse ex tactu, & compressione supra pubem, vbi vesica est subiecta: Nam quando vrina continetur, tensio, & dolor, & tumor in parte persentitur: sin minùs, cauitas & mollities sine dolore est. At vbi vrina in corpus, & venas refunditur, iam sanguis omnis aquosus redditur, & vires prosternuntur, & æger moritur. Sed vbi in febre continua, & maligna id accidit, desperata res est, & citò pereunt. At in altero casu medelam aliquãdo attulimus, & hæc fuit aut vna, aut duo, aut tres, aut ad summum quatuor cantharides integræ cum alis, & pedibus in pollinẽ redactæ, & cum milio solis, & polio montano ad scrupulos duos exhibitæ, & cum syrupo de duabus radicibus in bolum conformatæ, mox quatuor aut quinq; vncijs lactis seminũ melonum extracti cum aqua ex thecis fabarum, vt erosio cantharidum prohibeatur, propinatis. De muliere autem nihil dico, quod facilis ingressus fistulæ in vesicam mulieri sit.

Notatu val de dignum in vrinæ sup pressione.

De calculo extrahendo.

CALCVLVS ex Celso lib. 7. capit. 26. alius est arenosus, alius mollis. Arenosus in renibus primum gignitur, & dum deorsum in vesicam transmittitur, vel exit, vel detinetur in vesica: si detinetur, sic sensim adaugetur, vt exire amplius non possit, nisi Chirurgia foras extrahatur. Mollis verò fit in vesica ex glutinosis humoribus inibi concretis, & exsiccatis, & est ex pluribus, minutisque & inter se parum astrictis, quasi squamulis compositus. Vterque calculus morbus in numero est, non quidem vt sextus digitus naturaliter obortus, & in numero tantùm naturæ leges excedens, sed ex ijs, quæ ex toto genere præter naturam sũt. Qua propter omnino tollendus. Natura primum non ociatur, immò omnem conatum effecit ad ipsum foras pellendum, adeò, vt vias etiam quam maximè dilatet, & diducat; & ego vidi poros vreteres maximopere dilatatos, ita vt pollicis crassitiem longè superarent, qui alioqui naturaliter sunt angustissimi, & lumbricorum terræ tenuiores: tamen vbi calculi magnitudo lõge viarum amplitudinem superat, detinetur lapis in vesica, & quotidie adaugetur, neque extrahi nisi Chirurgia potest, quæ non minùs sæua quam necessaria est, vt propterea ars medicamenta ad frangendum lapidem quam plurima vsurparit, ac proposuerit, quæ tamen (vt experientia comprobat) pollicentur quidem multa, præstant autem nihil; ideoque sola Chirurgia profuit, quæ quantumcumque sæua, quantumcumq; periculosa sit, ita vt multi potius mortem expectent, quam se huic curæ exponant, vt non sine ratione Hippocrates in iureiurando eiusmodi operationem iureiurando aufugiat, & vitãdam præcipiat: tamen plurimi à symptomatibus vrgentibus, & cruciatibus vehementissimis vexati, coacti fuerunt Chirurgiæ se exponere, etiam si in ipso opere mortem sibi contingere certi essent. Quæ omnia non oscitanter Celsus, & Paulus considerantes, præceperunt, neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni vitio id experiũdum esse, sed solo vere, in eo corpore, quod iam nouem annos, nõdum quatuordecim excessit. Præterea verò, si tantum mali subest, vt neque medicamentis vinci possit, neque etiam trahi posse malum & vita videatur, quo minus interposito aliquo spatio calculus interimat. Propter quas cautas etiam volunt, multam præmittendam esse præparationem, & cautionem, vt sub

Calculus est duplex.

Natura conatus in calculo expellendo.

Difficultas extrahendi calculum.

Quãdo, & quibus extrahendus calculus.

vt ſub hac Chirurgia, ſi fieri poteſt, vita ſeruetur. Et quamquam antiqui omnes maxime fuerint in hoc opere peragendo formidoloſi, tamen noſtra hac ætate res minori cum periculo peragitur, ita vt ego viderim ſæpius omnis ætatis homines curatos, neque etiam admodum fortes ſub adminiſtratione Horatij de Norſia, quem etiam vidi aliquando duos calculos, & eos quidem magnos extraxiſſe ſeni cuidam amico meo, qui multos annos poſtea ſanus vixit. Sed nos calculi in veſica prima ſigna afferamus.

Signa calculi veſicæ. SIGNA calculi potiſſimum ex Paulo, & Celſo hauriuntur: vrina aquoſa redditur, in fundo arenoſa, ſæpe etiam glutinoſa materia ſubſidet, nonnumquam mali odoris & ſalſa; cuius cauſa ardor, dum redditur, excitatur, cogunturque diu, noctuq; ſæpius vrinam reddere, quæ etiã interdum repente obſtruitur, dum calculus veſicæ orificio ſe oponit; & vrina reddita appetitus mingendi iterum non conquieſcit, ſed ferè ſemper adeſt, pudendum continuo vexatur pruritu, maximè ad glandem, vnde crebro eam contrectant patientes, & irritati refricãt, modò flacceſcit, modo arrigitur ſine ratione & occaſione penis, aucto lapi de pondus in perinæo perſentiunt, maximè autem vbi gradum deſcendunt. Item hæmorrhoides tument, & anus egreditur ex cõpreſſione inibi à calculo facta. Vltimo, vbi plures lapides in veſica reſident, maximè politi, & duri, ſtrepitum in motu ex mutuo attritu ęgrotantes perſentiunt, vt vidimus aliquando in nobili tredecim lapides in veſica habẽte. Quę ſigna, vltimo excepto, ferè etiam non ſolum calculum, ſed etiam vlcus in collo veſicę ſimiliter ſequũtur. Vnde certiora ſigna omnino petenda ſunt, vt eſt, ſi digitus in anũ, in puero quidem index, in adulto medius immittatur, & lapidis durities, formaque tangatur; ſed certius adhuc cæteris ſignum eſt, ſi catheteres vtamur in veſicam immiſſo, qui Medicũ non decipit duro, aſperoque lapidis, & catheteris contactu. Sed ſunt, qui propter dolorẽ, quo in toto canali ægrotantes afficiuntur, potius mori velint, quam contactum, & vſum catheteris permittere. Et ego vidi multos, præcipuè autẽ duos Medicos, qui hac opinione mortui etiam ſunt. Quocirca ego fui imaginatus primo ſtylum flexibilem, aut argenteum, aut ex cornu, qui interdum parum profecerunt, vnde in ſuppreſſa etiam vrina vſus ſum catheteres, ſeu fiſtula cornea, quæ cum huc illucque flectatur, videtur ſine dolore in veſicam ingredi, qua etiam parum proficiente, & eam renuentibus patientibus, quod rigiditatis cuiuſcumque expers non ſit, tandem candelas mihi paraui ex cera, quæ capulum tantum argenteum exiguum habent, & ita congruę ſunt, vt nihil ſupra. Certiora hæc poſtrema ſigna ex his omnino petenda ſunt, neque viſo modo in hac tam periculoſa operatione prioribus notis, quæ vlceris colli veſicæ communes ſunt, fidendum; ſicuti interdum audiui nimium fiſos aliquos ex iſtis operatoribus, qui lucri tantum cupiditate adducti, renuente ægro catheterem, ad operationem deuenerunt, & facta inciſione, cum lapidem in veſica nõ inuenirent, alium, quem in promptu celatum habebant, ſubſtituerunt, oſtenderuntque.

Signa prioribus certiora.

Authoris induſtria.

Quorũdam fraus.

ITAQVE explorato calculo, præmiſſiſque omnibus ad ipſum extrahendum animaduerſionibus, nil aliud reliqui eſt, niſi ad eius extractionem deuenire vbi ſcilicet vltima experiri ſtatutũ eſt. Cura antiquorum, & Celſi in compendium redacta hæc eſt, quam etiam Paulus proponit, in paucis eam variando, ſimiliter & Albucaſis. Primo pridie in ieiunio patiens continendus eſt; quod non vſque adeo tutum eſt in puero & ſene, tum propter vires, quæ facilè debilitantur: tum propter ſangninis profuſionem, quæ in adminiſtratione ferè ſemper ſuperuenit. Inde ante operationem ambulare paulum puer debet, quo magis calculus ad veſicæ ceruicem deſcẽdat, qui an inciderit, digitis in anum demiſſis cognoſcitur; Paulus ad idem concuſſione vtendum præcipit, & vt ex alto loco deſiliat æger. Albucaſis verò clyſterem prius vult eſſe immittendum, ne fæces lapidem abſcõdant, & ſuſpenſum altius detineãt, ſed omnino ad veſicæ ceruicem deſcendat. Vbi eius rei fides eſt, tum ęger in loco calido collocandus eſt, in ſedili alto, ſic vt hominẽ viribus valentem retro habeat, qui patientem cõprehendat auerſũ, & ſuper genua ſua coxis patientis collocatis detineat, reductiſque eius cruribus miniſter manus ad crura extendat, & cum patientis manibus, & cruribus omnia ſimul alligentur. Quod ſi opus eſt duos alios, hinc inde vnum conſiſtere, qui patientis crura deducta teneat, fiat. In qua figura ęgro collocato Albucaſis præcipit, vt

Modus calculi extrahendi veterum.

Patientis ſitus.

exterius

exterius digitis tangatur lapis, & si persentitur. vult esse ad sectionem properandum; sin minus, tunc iniũcto indice manus sinistræ oleo, si puer est; aut medio, si iuuenis est, immittat ipsum in anum, quo lapide inuẽto paulatim ad vesicæ collum deducat: id quod Celsus quoque præcipit, videlicet Medicum diligenter vnguibus indicis, & medij digiti sinistræ manus circumcisis, oportere vnum primò, inde alterum digitum in anum demittere, & calculum tangere. Paulus indicem in puero, in natu maiore indicem, & medium inunctum demittit, eodemque tempore dextra manu leuiter premere supra imum abdomen vesicã præcipit, quo minus calculus digitos aufugiat, aut si aufugerit, ad digitos compellatur: & ideo oportet semper vltra calculum dextra manu vesicam premere, quod Paulus per ministrum etiam exequitur. Vbi autem à digitis vtrumque comprehensus calculus est, compelli ipsum ad vesicæ ceruicem oportet, ita vt, si fieri potest, in orificium etiam cõpellatur. Hæc omnia præcepta absoluuntur per situm, & figurationem patientis, vt à modernis obseruatur. Postea incidere iuxta anum oportet cutim, & vsque ad vesicæ ceruicẽ, plaga lunata, cornibus ad coxas paulum spectantibus. Hac veterum incisio lunata, & cornibus ad coxas spectantibus, mihi non probatur: quia tunc transuerse musculi pænis amputantur: Insuper plus interius in profundo potest incidi quã par sit, & præteriti meatus vrinarius; ideoque melius nostri, vt paulò infra dicam, per syringonem vocatum id præstant, super quo fit incisio secundũ ductum musculorum, & in medio eorum, & meatum nõ præterit incisio, quia in ipsum scalpellus pertingit, & finit. Inde si plaga minor facta est, transuersè cutis incidenda est; & vbi ad meatum fistulæ, seu vrinæ iter quã ὑρύθυραν Græci vocant, ventum est, incidendus similiter meatus vrinarius est, & lapis ad incisionem digitis cõpellendus, & recipiendus. Paulus obliquam facit incisionem ad sinisteriorem clunem potius spectantem. Quod si maior calculus est, quo minus exire possit, monet Celsus, vncum esse inijciendum, tum altè, vt calculum superet, & eum apprehendat, & extrahat: magna cura adhibita, ne vncum calculus aufugiat, & in attractione in oram vulneris incidat, & cum periculo vulneret. Vbi autem ab vnco satis teneri calculum cõstat, eodem penè momento triplex motus adhibendus est, in vtrumque latus, deinde extra, ita enim exit calculus. Vncus autem ex Celso est ferramentum ad extremum tenue, in semicirculi speciem, retusæ latitudinis, ab exteriori parte lęuis, quæ corpori iungitur, ab interiori asper, qua calculũ attingit. Isque longior potius esse debet, nam breuis extrahendi vim non habet. Proponitque vltimo Celsus aliud instrumentũ Mogetis Ita Celsus lapidem è vesica extrahit, cui Paulus & Albucasis consentiunt. Videte, antiqui non vtuntur forcipe ad lapidem è vesica extrahendum, sed vel digitis in anum immissis lapidem ad meatum vrinarium impellunt, vel vnco apprehendunt, & foras trahunt. Vtrumque autem parum tutum est: Nam digitus sufficiens non est; vncus verò periculum facit, ne aufugiat, & lapis exiliat, & circumstantes partes offendat. Itaq; benè moderni excogitarũt forcipes & magnas, & paruas, & maiores & minores, & maximæ quoque paratæ habentur, vt cuicumque ætati, & corpori; tum verò etiam lapidis magnitudini conueniant.

Veterũ incisio reprehensa, & cur.

Vncus Celsi quid.

Antiquorũ modus reprobatus.

PREMISSA itaq; omni cura totius corporis, & congrua ægri quoq; collocatione, quam ex antiquis mutuantur, simulque in vesica explorato calculo, primò syringam magnam, quam vulgari voce vocant syringonam, ex gibba sui parte fissam, & per longitudinem apertam in vesicam demittunt; inde inter anum, & testes, propè anum magis, scalpello, vulgo schodeghino, qui nudam habeat extremitatem, & aciem, quanta est digiti pollicis latitudo, incidunt supra syringæ iam demissæ fissuram, vsque quo scalpellus syringam ad sinum per longum excauatum attingat, & incisionem tam longam moliuntur, vt index digitus emitti, & lapis inde exire possit: soletque effici duorum ferè digitorum, indicis scilicet, & medij latitudine. Qua facta incisione intus per eam indicem digitum in vesicã intrudunt, syringamq; recipiũt, & lapidem digito pertentant, & ad vesicæ ceruicẽ, si opus est, deducunt; mox emisso digito forcipem huius generis, quod læue exterius est, asperum interius & cauatum intus in vesicam secundum digiti indici longitudinem immittimus, quo lapis comprehensus extrahitur; habenturq; plurimæ paratæ forcipes, vt & cuiq; ætati, &

Modus neotericorũ extrahẽdi calculi.

ti, & cuique corporis magnitudini, & cuique calculorum varietati ſufficiant, & congruæ ſint. Poſtea ſi fortè lapis à forcipe cõminutus aliqua ex parte ſit, vt ſoler, arenoſus, aut ſcaber in veſica remãſit, inſtrumento intus immiſſo, quod cochleare appellatur, eiuſmodi elicitur. Quo expedito opere turundam ex oui albumine, & vitello, cui croci quidpiam ſit adiectum: in plagam imponunt, & ita apertum vulnus ſeruant, quouſque veſica ab alienis reliquijs expurgata ſit, & pus in plaga appareat, extrà verò linteũ ex vino & oleo roſaceo expreſſum: poſtea verò coxis aſtrictis, & glutinationi plagæ, & carnis generationi ſtudent, & ita curant.

Curatio vulneris in hac operationis ſedi.

De Chirurgijs partium verẽdarum, tam muliebrium, quam virilium. De penis Chirurgijs.

POST has variæ multæque ſequuntur in vno quaſi aceruo Chirurgiæ, quæ partim ad naturalia, tum virorum, tum fæminarum pertinent, partim ad teſtes conferunt pro herniarum curatione, partim circa anum tractantur. Quæ ad naturalia primo virorum ſpectant, ferè vndecim numerantur, & ſunt quæ in cole primo adminiſtrantur, quarũ aliæ ſui ipſius, aliæ alterius partis cauſæ, id eſt, veſicæ peraguntur; & quæ ad colem attinent, decem ferè ſunt, quæ vel decoris, vel ſalutis gratia fiunt, vti ex Celſo elicere eſt, ideoque commode cum eodem Celſo libro 6. cap. 25. in duas deducuntur, etenim aliæ ſuperuacuæ, aliæ neceſſariæ cenſentur. Superuacuæ ſunt, adoleſcentes infibulare, glandem naturaliter detectam tegere, tectam denudare, & circumciſionem moliri, quas ſuperuacuas rectè cenſemus, quia vt Paulus refert libro 6. cap. 53. huiuſmodi defectus neque huius partis actioni officiunt, neque tantum indecori afferunt, vt correctione per Chirurgiam egeant. Aliud verò quodcumque opus, vt glandem non perforatam aperire, caruncula ex canali eximere ardorem ex gonorrhæa Chirurgia collere, coalitum glandis cum præputio ſoluere, calculum in meatu vrinario foras trahere verrucas, vulgò porrificos exterrere, opera ſunt omnia neceſſaria. Incipiamus igitur primò à non neceſſarijs.

Operationes ſuperuacuæ in pene.

Operationes neceſſariæ in pene.

Ad tegendam colis glandem detectam.

CELSVS, & Paulus ad tegendam glandem colis, quæ nuda ſit, decoris gratia, hæc ſcribunt; primò enim diſtinguendum eſt, an glandi naturale eſt, vt nuda remanſerit, an id ex circumciſione factum eſt: ſi id ei naturale eſt, dicit Celſus, oportere cutem circa glandem apprehendere, & extendere, donec illam ipſam condat, ibique deligari, deinde iuxta pubem in orbem tergus penis incidere, donec coles nudetur; magnaque cura cauendum, ne vel vrinæ iter, vel venæ, quæ ibi ſunt, incidantur. Eoque facto, cutis ad vinculum inclinatur, nudaturque circa pubem velut circulus, qui quouſque carne repletur linamentis impoſitis vinculum detinetur, in medio tantum relicto vrinæ itinere. Hæc Celſus. Nos autem, qui in ſingulis his Chirurgicis operationibus ſolemus iudicium noſtrum ferre & interponere, & quæ ſcimus, & experiẽtia comprobauimus communicare, ſicuti ſupra fecimus, modo quidem meliorem modum operandi, modò aptiora inſtrumenta proponentes, quam antiqui propoſuerint, nonnunquam operationes Chirurgicas propter Chirurgorũ timorem omiſſas reprehendentes; nonnunquam etiam obſoletas damnantes propter earum ſeuitiam, & atrocitatem, etiam ſi debellandorum morborum cauſa fierent: certè nunc longè magis has Chirurgias damnandas cenſemus, quod magnę ſint, proindeque atroces, & ſine vlla morbi occaſione, ſed tantummodo decoris gratia ex Celſo fiunt: atq; is decor (ſi Dijs placet) in vna parte deſideratur ac tentatur, quæ omnibus oculis tecta cuſtodiri debet. Nam propter

Modus Celſi tegendæ glandis:

Authoris intentio.

pter eam cauſam pudenda dicta ſunt, ex Ruffo, quod ea detegere ac nominare abſque tẽporis, & caulæ ratione, pudore afficiamur. Quid igitur officit ipſius colis actioni habere glandem detectam? prorſus nihil. Nam & Hebræi liberos procreant & coeunt, vt alij: Et huius cauſa incidere cutem colis in orbem primo quiſnam dolor hic eſt? rurſuſque quod periculum, ne canalis vrinæ violetur? aut venæ incidãtur, & profuſio ſuperueniat? certè id non laudo. Dicam quid aliquando à me Nobiliſſimus quidam Comes perquiſiuit. Fuit quidam, qui ortus cum præputio adſtricto, & glande operta, curauit fieri ſibi inciſionem per longitudinem totius præputij, qua facta nunquam poſtea potuit glans operiri, cum verò hic vxorem duxiſſet, & cuperet coire aut delectationis gratia, & liberorum, aut aſperum lintei contactum vitare, à me petijt, vt glans tegeretur. Ego autem id conſilij dedi in ſcriptis, vt pro parte ſcarificaretur locus antea inciſus, & cicatrice obductus, poſtea conſueretur & glutinaretur; ſic enim poterat glans tegi, ac detegi pro vſus opportunitate.

Conſilium alicui ab Authore datum.

Alius modus Celſi glandis tegendæ.

SED audiatis ſecundam Chirurgiam à Celſo propoſitam in eodem caſu detectæ glãdis non tamen naturaliter, ſed ex circumciſione detectæ. Inquit Celſus: Sub circulo glandis ſcalpello diducenda cutis ab interiore cole eſt, reſoluta autem cutis rurſus extenditur vltra glandem. Videatis quæſo, quænam ſæua operatio eſt hæc, quæ nullius morbi, ſed decoris tantùm cauſa peragitur. Vnde mirum non eſt, ſi apud nos nunquam fiant eiuſmodi Chirurgiæ, & coacti ſimus iudicium noſtrum interponere, vtrum bonæ ſint, an malæ Chirurgiæ; & an efficiendæ, an relinquendæ.

Ad aperiendam glandem tectam.

ALTERA & ſecunda Chirurgia priori oppoſita eſt, tectam perpetuò glandem detegere, quod euenit, cum protinus ab ipſamet natali die, vt dicit Paulus, præputiũ adeo ſtrictum eſt anterius, vt detegere glãdem homo non poſſit: interdum vidi ipſis potiſſimum ſenibus contigiſſe, vt præputium conſtringeretur ad ſummam oram, contracta in eo in orbem duritie. Et exiſtimant nonnulli id generationem prohibere, quod ſemen per anguſtam viam eiaculatum refrigeretur. Ego tamen vidi eius generis homines liberos habuiſſe, & toto ſuæ vitæ tempore ita præputium geſtaſſe abſque moleſtia, & quamuis Celſus hoc vitium Græcè *εἱμωσιν* appellet, videlicet coarctationem tamen nullum ex eo imminet periculum, niſi fortè fortuna excrementum acre inter præputium & glandem nonnunquam colligatur, vt paſſim ſolet & erodat, & tectum locum curare non poſſimus. Sed ſi dum homo mingit, vrina locum abluat præputium conſtringendo, glandem ab huiuſmodi eroſione ſeruabit immunem. Vnum tamen vitari periculum non poteſt, quod ſuperuacuam operationem non facit, & eſt, ſi aliquis cariem, aut porrificos appellatos à meretricula contrahat, tũc periculum imminet, ne vniuerſa glandula erodatur, aut vlcus, ſordidum fiat, & carcinomatis naturam contrahat. In quo caſu Chirurgia à Celſo, & Paulo propoſita adminiſtranda: ſed antequam ad eam deueniam, ego conſueui mitiore, ac modeſtiore Chirurgia vti. Soleo præputium ſtrictum ampliare turunda ex medulla cannæ ſorgi, meluæ vulgò, compreſſa, quæ loci humiditates abſorbendo intumeſcit mirum in modum, & præputium ampliat. Interdum ſoleo canaliculum ex plumbo aut fiſtulam argenteam, aut æneam parare, & in medio medullæ inſerere, vt vrina inde reddatur. exterius autem vbi durities adeſt, vt in ſenibus, ſoleo aut citrinum ceratum, aut ex oxelæo ponere. Sed his nõ conferentibus, tum demum ad Chirurgiam Celſi, & Pauli deuenimus, cuius hæc ratio eſt. Subter à ſumma ora cutis inciditur recta linea vſque ad frænum, id eſt, ligamentum infernum, quod canis etiã à Paulo appellatur, atque ita ſuperius tergus relaxatum cedere retro poteſt, in quo opere aptum inſtrumentum eſt, quod à Galeno ſyringotomum dicitur, quod exaltero latere acutum cuſpide ſit, aut aciem tenuem habeat. Subiungit Celſus: Quod ſi parum ſic profectum eſt, aut propter anguſtiam, aut propter duritiem tergoris, protinus triangula forma

Qualia incommoda afferat glãs tecta.

Modus Authoris glandis detegendæ.

Modus Celſi & Pauli.

cutis ab inferiore parte excidenda eſt, ſic vt vertex eius ad frænum baſis in tergo extremo ſit.

RATIO INFIBVLANDI ADOLESCENTES.

Infibulãdi modus.

TERTIA Chirurgica operatio, quæ etſi ſuperuacua ſimiliter cenſenda eſt, non tamen ita fœua eſt, & alicuius vſus gratia paratur, eſt adoloſcentes infibulare, quam Celſus proponit libro 6. capit. 25. hoc modo: Infibulare quoque adoleſcentulos interdum vocis, interdum valetudinis cauſa quidam conſueuerunt, eiuſque hæc ratio eſt, cutis, quę ſuper glandem eſt, extenditur, notaturque vtrinque a lateribus atramento, qua perforetur deinde remittitur: Si ſuper glandem notæ reuertuntur; nimis apprehenſum eſt, & infra notari debet: Si glans ab ipſis libera eſt, is locus idoneus fiſtulæ eſt. Tum qua notæ ſunt cutis acu filum ducente tranſuitur, eiuſque fili capita inter ſe deligantur, quotidieque id mouetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant. Vbi hæ confirmatæ, exempto filo fibula inditur. Sed hoc quidem ſæpius (inquit Celſus) inter ſuperuacua, quam inter neceſſaria eſt. In qua infibulandi ratione, ſi fibula non videtur, nihil percipi eorum, quæ Celſus dicit, poteſt. Quare ego antiquorum fibulam Auditoribus meis oſtendere ſolitus ſum, ex Muſęo Illuſtris Pinelli habitam, & in colem immittere, vt viderent, quo modo adoleſcentes ſeruarentur à coitu immunes.

Locus idoneus.

DE CIRCVNCISIONE.

Circũciſio Albucaſis.

CVARTA Chirurgica operatio circa colem, & ipſa ſuperflua, eſt colis circumciſio, Hebręorum propria, quam Albucaſis multipliciter proponit, verum tamen vnam magis laudat libro 2. cap. 57. quę hoc modo fit: apprehenditur, extenditurque ſumma cutis colis, id eſt, præputium, & duobus locis vinculo alligatur, & ſtringitur, poſtea in medio vtriuſque vinculi forfice ſtatim tota exciditur in orbem: poſſemus quoque idem nouacula acutiſſima præſtare, Paulus autem libro 6. capit. 57. proponit circumciſionem vtilem, quæ fit, cum præputium gangræna affectum nigreſcit: in quo caſu orbiculatim præcidi debet: poſtea ſi sãguis fluxerit, ferramentis candentibus lunatis vtendum eſt. Quod ſi etiam glans denigrata ſit, idem in ea quoque præſtandum, & exiguus è plumbo canalicus in vrinæ meatum immittendus. Ego aliquando, vt hominem ſeruarem, cui vltra grandulam coles erat carcinomate affectus & corruptus, acutiſſima nouacula tranſuersè excidi, & ferramentis candentib. profuſionem, & corruptionem ſupperaui, & hominem liberaui.

Circũciſio Pauli.

Authoris.

Modus eximendi lapidem è meatu vrinario.

Pauli modus extrahendi lapidẽ ex meatu vrinario,

NVNC reliquas colis Chirurgias vtiles, ac neceſſarias proſequamur, inter quas vna eſt, in qua lapillus interdum in canali vrinario reſedit, poſteaquam à veſica exiuit. Hunc Paulus ita curat libro 6. capite 60. præputium valide in anteriora attractum deligabimus iuxta glandis ſummitatem; item poſteriore parte pudendi propè veſicam colem vinciemus, quod quidem facimus, ne lapis retrorſum recurrat. Primum verò, ne ante calculum exemptum præputij ſoluti cutis in oppoſitum recurrens diuiſionem efficiendam contegat: Quo facto, ſcalpello ad id apto ſupra ipſum lapidem canalẽ diuidemus, & extrahemus. Hęc Pauli Chirurgia eſt. Ego autem, qui ſæpius lapidem ex meatu vrinario eduxi ab vtraq; abſti-

Authoris modus.

nui,

nui hoc eſt, neq; inciſionem molitus ſum, propterea quod ſi ex anguſtiori loco. lapis exiuit, puta ex veſicę collo,& orificio,multo magis ex latiore protrahetur,vt eſt canalis colis: Neque aſtrictionem poſterius adhibui, quando digitis recurſum lapidis prohibui, multò minus anteriorem aſtrictionem executus ſum. Ideoque ego ita foras traho lapidem,qui in vrinario canali reſedit; ſumo ſpecillum, quod in cochlearis ſimilitudinem excauatum in extremo, ſit, vt auricularius ſcalper quod in canalem demitto, ita vt lapillum prætereat ac ſuperet, ipſumque quadamtenus ſuo labro, & cauo comprehendat, tum ad me traho, ita enim deducitur ſenſim foras lapillus, tum ipſum digito comprimendo, tum ſpecillo cauo trahendo.

DE MODO LENIENDI VRINAE ardorem in Gonorrhaea.

ALTERA operatio in cole neceſſaria, quæ tertia eſt, dolori opitulatur, qui in Gonorrhæa interdum adeò in reddenda vrina ſæuit, & increſcit, vt patientes potius mori velint,quam mingere;& ego habui viros adultos, cordatos,& intellectu perſpicaces,& vnus fuit Medicus inſignis, qui poſtea ad Cæſaris Maieſtatem iuit, qui ſub hac conditione conſtitutus,cũ neque lac,neque caput lactis,neque flos caſſiæ,neque aliud valeret, quod dolorẽ demulceret in inferna parte glandis, ad eius radicem, vbi exigua adeſt cauitas, in qua ſemen putridum acerrimum reſidet, & partem hanc vegeti ſenſu præditam abradit, & exedititandem ego fui imaginatus hanc Chirurgiam,vt quo tempore mingere vellet,immitteret in mearum glandis hanc exiguam fiſtulam argenteam politiſſimam, per quam vrina abſq. contactu canalis exiret, & ita ſeruatus eſt.

Authoris modus leniẽdi ardorem vrinæ.

De auferenda caruncula, quam vulgò carnoſitatem dicunt, è meatu vrinario.

VARTA Chirurgia, quæ ſimiliter ad vrinæ iter pertinet, ad caruncularem refertur, quæ vt plurimùm Gonorrhæam ſequitur, in qua cum exulceratio in canali oboriatur, ſuccreſcit inibi caro, quæ in principio mollis, & exigua, ſed progreſſu temporis ita obduratur, & adaugetur, vt vrinam ſæpenumero ſupprimat; quæ Chirurgiam expoſcit à medicamentis adiutam: hæc cum erodentia futura ſint, ne aliam partem quam carunculam erodant, nos ea ſolemus aut per fiſtulam argenteam impellere, aut candelæ capulo corporare, & ad vſque carunculam adigere; ſunt enim hęc magna ex parte pulueres aut ſabinæ, aut myſi, aut portulaca contuſa & impoſita, aut alterius generis medicamentum carunculam erodens, conſumenſque. Sed quia ſub prædictis modis medicamenta in vrina emittenda eluuntur,& ſępe numero parũ proficiunt, aut in longius tempus curam protrahũt; quocirca modus nuper excogitatus eſt, non ſolum diutiſſimè conſeruandi medicamentum, verum etiam cum eodem mingendi, abſque eo, quod ab vrina eluatur. Fit cãnula ex linteo cera alba oblinito, longitudinis quantus eſt digitus tranſuerſus, latitudinis, vt æquet argenteam fiſtulam vſurpandam quæ filum longum habeat appenſum: hæc in extremitate ſtyli argentei, qui ingrediatur fiſtulam argenteam, aptatur, ita vt cannula ſtylum intret,qui extra argenteam fiſtulam nudus vt ſeſe oſtendat, quanta eſt cerea cannula, quæ hoc modo aptata, iam vnà cum argentea fiſtula ac ſtylo, immittitur fiſtula argentea in vrinę canalem vſque dum occurrat caruncula, & volumus cannulam ceream ingredi in carunculam, deinde cum eſt in loco caruncułæ, argenteam fiſtulam retrahimus, & cannulam ceream relinquimus, & per ipſam vrinam emittimus, abſque eo quod medicamentum circa cannulam ceream oblini-

Modus Authoris auferẽdi carnoſitatem.

Nouus modus retinendi medicamenta in meatu vrinario.

tam poſitum eluatur. Hic modus rarus eſt, vbi pertranſit fiſtula argentea carunculam: filum autem appenſum trahitur, cum volumus, vt cannula cerea foras trahatur, & medicamentum renouetur, ſolet enim duos dies perſiſtere.

De coalitu glandis cum præputio.

VINTA colis Chirurgia à Paulo, & Albucaſi propoſita eſt, cum ex vlcere glandis, & præputij, ita præputium glandi agglutinatur, vt inciſione opus ſit ad vtramque ab inuicem diducendam; quod opus ſpatula abſoluitur, quæ inſerta diuidat, & ſeparet alterum ab altero: in quo opere periculum eſt, ne adeò exacta fiat intus abſciſſio, vt vel gandulæ portio, vel præputium non violetur. Quod ſi aliter fieri non poteſt, monent potius, aliquid glandis, quam præputij amputandũ, ne præputium, cum tenue ſit, perforetur; quibus ab inuicem ſeparatis, linteolum interponendum, ne rurſus coaleſcant. Quia verò, vt videtis, ſub hac Chirurgia periculum eſt, ne aut præputium, aut glans ſcalpello violetur, & incidatur, vtrumque autem malum eſt, propterea ego ſoleo vtrumque periculum deuitare diuiſione, & ſeparatione facta, non cum acie ſcalpelli, ſed cum manubriolo ſcalpelli, hoc eſt, vel cum acie ſcalpelli retuſa facta, vel cum acie manubrioli ſcalpelli ex cornu. Nam cum vnio præputij cum glande ſit recens facta, ideo non difficulter diducitur ab acie non acuta, ſed retuſa ſcalpelli, aut manubrioli, quæ neque præputium, neq; glandem poteſt incidere, ſed vnionem tantum recens factam diſiungere.

Cautio in hac operatione.

Quomodo author præputium à glande ſeparet.

DE GLANDE NON PERFORATA.

EXTA Chirurgia ipſius colis in infantibus naſcentibus adminiſtratur, cũ ſcilicet oriuntur ſine foramine in glandula, per quod vrina fertur, cui ſtatim occurrendum eſt ex ſententia Albucaſis libro 2. cap. 55. cum ſpatha valde ſubtili, cuius ponit formam Albucaſis, quæ commoda eſt, & eſt ſpatha ad myrtacei folij ſimilitudinem. Sed commodior, vt puto, ea eſt, quam Celſus acutam ſpatham nominat, fortaſſeq; cęteris aptior eſt, quæ lancetta vulgo dicitur, & harum, quæ cuſpide eſt anguſtiore. Quo facto, monet Albucaſis, eſſe in foramen immittendum clauum ſubtilem plumbeum, qui in mingendo auferatur, rurſuſque immittatur, per tres dies aut quatuor, nam poſtea ſaneſcit, & vrina non ſinit amplius claudi. Sed Albucaſis curat quoque non ſolum vbi ſine foramine infantes naſcuntur, verùm etiam cum valde ſtrictum eſt, aut in alieno loco inſculptum, præcipuè verò ſubtus glandem: Quod vitiũ hypoſpadæon Paulus nominat lib. 6. c. 54. in quo etiam coguntur ægrotantes mingere nõ niſi arrecta, & ſubleuata mentula, alioqui indecore recta deorſum vrina fertur. Et quamuis & Albucaſis, & Paulus, & Galenus quoq; dicant, hoc vitium impedire generationem, quod ſemen nõ poſſint in vterum rectà eiaculari: tamen ego vidi liberos eſſe genitos. Nam cum vteri attractrix valida eſt, poteſt etiam in pudendum ſemen eiectum ſurſum ad ſe trahere. Ad ampliandum autem foramen ſtrictum, præcipit Albucaſis, vtendum eſſe eodem clauo plumbeo multis diebus. Sed quia incommodum eſt, infantes, qui frequentiſſimè mingũt, & faſcijs penè ſemper obuoluti ſunt, multos dies cũ clauo plumbeo detinere; ideo laudo ego, vt quam citiſſimè amplieris foramen cum parua turunda ex medulla ſambuci compreſſa, & roſaceo vnguento oblinita, quæ ſtatim intumeſcit humiditate combibita, & foramen ampliat. Eligo autẽ potius ſambuci, quam ſorgi medulam, quoniã illa mitior eſt, hæc vero tenellam carnem erodere poſſet. Vbi verò inferius foramen male inſculptum eſt, monet Albucaſis, ægrum iacentem eſſe ſupinum collocandum, poſtea cole propè glandem apprehẽſo amputandum eſſe tantum glandis, vt referat figuram pennæ ad ſcribendum aptatæ, & attemperatæ, ſic enim foramen apparebit, & ſuperius quodammodo ſpectabit, in quo

Albucaſis quomodo glandem perforet.

Hypoſpadæõ Paulo quid

Quomodo ſtrictum penis foramẽ amplietur.

in quo casu oportet Chirurgum attentum esse sanguini sistendo. Hæc tamen Chirurgia raro fit.

De excrescentia carnis in glande & præputio, quæ vulgò porrifichi dicuntur.

SOLENT præterea non raro ex lue Venerea potissimum in præputio interius, maximè autem in glande, caro seu potius carnes humidę & molles, & quasi minutim incisæ supercrescere, vulgò porrifighi, ita, ni fallor dicti, quod ficubus inuersis earum caro comparari possit, quæ contagione & sua virulenta humiditate vicinas partes afficiũt & apprehendunt, & ita facilè multiplicantur; quarum curatio & medicamentis, & vinculis, & forfice, & adurentibus tum medicamentis, tum ferramentis peragitur. Nam vbi mitiores sunt, & non admodum inueteratæ, medicamentis exterminantur, quæ duum sunt generũ alia enim ipsas carnes viuas, & rubras, albas, & mortuas reddunt, & ita ad nihilum deducunt, quod faciunt potius proprietate suæ substantiæ. Ex quo colligatis, id esse veluti secretũ, & hæc est sabina puluerizata, & imposita: quæ etiam veluti secretũ est in carnositate canalis exterenda, & cõsumenda, quod apud me tamquam secretum seruare potuisse, sed tamen neque facio, neque vnquam feci, neque faciam, quia ad docendum alios sim deputatus. Secundũ medicamentum erodens est, & consumit carnis excrescẽtias erodendo, vt est mysi, sori, chalcitis, & melanteria, & alia similia. Secundus curãdi modus vinculis procedit: Nam cum hæ carunculæ sint angusta basi oriundæ, ideo lino, aut potius sericò filo tenui alligantur, & bidui spatio emortuæ decidunt. Tertius modus est quorũdam. qui ex peditius eximunt, & vice vinculorum vtuntur forfice, qua ad basim admota præcidunt. In quo opere illud animaduertendum, quòd vbi sanguis ille prauus, & contagiosus exit, qui solet, quà contingit, nouas excitare carunculas, debemus statim vino albo locum abluere. Quartus modus adurendo procedit. Vruntur autem vel medicamentis, vel ferramentis. Si vrentia vsurpare volumus medicamenta, cauendum est, ne medicamentum spargatur, & sana pars comburatur; quod fiet, si præsens Medicus sit. Solet huic rei apprimè conferre si oleo de sulphure, aut de vitriolo tangantur. At ferramenta candentia tutiora cæteris sunt, quibus in nostra potestate est legem in vrendo imponere.

Primus modus exterẽdi excrescẽtias per medicamẽta.

Authoris fidelitas.

Secundus modus per vincula.

Tertius modus per forficem.

Quartus modus per causticã.

De testiculorum Chirurgia. De Hernijs.

APVD veteres dicebatur tumor omnis χηλὴ quacumque in parte esset; postea verò frequentius vsurpari cæpit de scroti ac testium tumoribus, quod illi tum crebriores essent quatenus decidui, tum multo magis pius diuersorum generum. Nam cum tumorum causæ tres sint in generatione, vel ex humorum influxu, vel ex partium decubitu, vel ex cõgestione; certè omnes hæ causæ concurrunt in testium tumoribus. Nam fiunt tumores in testibus & ab humoribus fluẽtibus, vt inflammationes, erisipelata, œdemata, & scirrhi: & à partibus decumbentibus; tertio loco ex cõgestione aut aquæ, aut alterius humoris: propterea lõgè plures enumerantur tumores in testibus quam alijs partibus: nam in cæteris partibus nõ fiunt tumores à partium decubitu, vt in testibus, ideoq. plures contingunt tumoris species in testibus, vt enterocele, epiplocele, hydrocele, sarcocele, cyrsocele, bubonocele. Item cõposita ex his, vt enteropiplocele, hydroenterocele, & similes. Qui sanè tumores à nostris cõmuni nomine Hernię dicuntur; quamuis Latini careant nominibus singulorum proprijs, vt dicit Celsus libro 7. capite 28. Hi tumores potius Chirurgia quam medicamentis curantur, propterea sicuti varij, & multiplices in testibus fiunt tumores, sic variæ, & plures fiunt Chirurgiæ. Quæ vt sciantur, operæ pretium est videre partes testes componentes, quarum causa tantus tumorum numerus, & tam varius nascitur.

Tumorum causæ tres.

Herniarũ species.

TE-

TESTES igitur ſunt corpora glandulis ſimilia, vt dicit Celſus lib. 7. cap. 28. qui tunicis, & operculis, operimentiſq; multis obuoluũtur: tunicæ autem in totum tres ſunt, omitto in præſentia ſcrotum, quod eſt cutis laxa, & rugoſa, ambos obuelans teſtes, quæ potius teſtium commune operimentum eſt, quàm tunica; aliæ adeò inter ſe implicitæ, & innexæ ſunt, vt ex toto ſeparari non poſſint, ſed tamen ſcroti prima tunica, δαρτὸς Ideſt, Dartos, dicitur, quaſi excoriatum dicas, quia ſcilicet excoriato ſcroto appareat; atque hæc tunica à membrana carnoſa cuti ſubiecta porrigitur, & eſt illa, quæ teſticulorum muſculos cremalteres, hoc eſt, ſuſpenſores dictos, aut defert, eiſque ſubijcitur, vt in tauro, & magnis animalibus; aut ipſamet carneis adaucta fibris muſculus euadit, vt in minoribus. Quæ ſanè tunica vti vtrique teſti communis eſt, ita non totum obuoluit teſtem, ſed finit in teſtium principio cuti & alteri ſubiectæ annexa; nam ſi obuolueret, cum muſculoſa ſit, ideo tenſa, & dura facta teſtes ipſos, vaſaque ſpermatica comprimeret, angeretque, atque ſemine impleri prohiberet. Secunda tunica darto ſubiecta deducitur à peritonæo, quod in ea parte, qua vaſa abdomen exeũt, ea inueſtit, & deorsũ quaſi vagina vaſa ſequitur, ipſaq; obuoluit, ſubindeque vniuerſum teſtem. Ideoque hæc tunica a Galeno lib. de ſemine ἐλυτροειδὴς Ideſt vaginalis dicta eſt. Ab alijs pro eius varietate, ſic varijs nominibus appellata eſt. Nam à Cello ἐλαφροειδὴς quia tenuis, ab alijs paſſim ἐρυθροειδὴς, quia rubra quòd vaſis intertexta eſt: Vnde mare erythræum, hoc eſt, rubrum dicitur. A Paulo demũ ἐλυκοειδὴς quia gyros vaſorum delineat, appellata eſt. Tertia, & vltima tunica, cęteris ſubiecta, quæ corpus teſtium proximè inueſtit, ἐπιδιδυμὶς dicitur. Cæterum inter cæteras tunicas obſeruanda maximè eſt illa, quæ veluti vagina vaſis ſeſe offert, quam Celſus paſſim mediã nominat, quia re vera inter alias duas ponitur quæ ſanè aut dilatata, aut rupta tumoribus multis cauſam præbet, quia è ſupernis partibus vel inteſtina deſcendunt in teſtes, vel omẽtum, vel aqua: Sed aqua poteſt etiam per poros, & medias quaſque regiones, vt tenuis, influere: ideoque aut inteſtina, aut omentum deſcendunt. Quæ partes primo quidẽ intumeſcere faciunt inguen, & ita fit hernia dicta bubonocele, quando ſcilicet inguen tantum intumeſcit. Inde ſi deorſum per vaginam deſcendat inteſtinũ, tota vagina intumeſcit, & poteſt appellari ſecunda hernia nomine carens, in qua tota vagina intumeſcit, neq; vlterius tumor in ſcrotum, & teſtes deſcendit, ſed in fine vaginæ terminum habet, quod contingit quando dartos integra eſt, neque adhuc reſoluta, aut diſtracta a ſcroto, & vagina eſt: quæ ſi inteſtinum non detineret, perpetuò deorſum in ſcrotum, & teſtium fundum deturbaretur, tamquam in amplum ſpatium, quod ſtatim vaginam ſubſequitur, vbi conſummata fit hernia inteſtinalis. At nos paſſim hanc obſeruamus herniam, quæ vltra vocatam vaginam non deſcendit,

Prima tunica teſtium dartos dicta.

Secunda tunica varia nomina.

Tertia tunica epididymis dicta.

Herniarũ cauſa.

DE BVBONOCELE.

Saluator Celſi, & Pauli ſententia.

HIS propoſitis, primùm de Bubonocele dicamus. In quo tumore Celſus, & Paulus varij ſũt; etenim Celſus l. 7. c. 18. & 24. voluit eſſe varices inguinis, & ramicẽ inguinis dici. Paulus verò l. 6. c. 66. voluit, Bubonocelem eſſe herniam inteſtinalem inguinis tantum. Vterq. vera dicit, quia poteſt inguen ab inteſtinis deſcendentibus, & illuc impetum facientibus intumeſcere, cum inteſtina non plus vltra deſcendunt, ſed in inguine conſiſtunt, dilatata parumper vaginali tunica, aut peritonæo, vbi vaginalem producit tunicam. In quo caſu fit Bubonocele, Græcis βυβωνοκήλη. Vel poſſunt venæ, quæ in inguine ſunt, & magnæ, & frequentes, intumeſcere, & ita varicoſæ effici, & inguinis ramicem creare, ita vt vterq; affectus Chirurgia indigeat. De qua antequam dico, opere pretium eſſe duxi, vos hoc loco admonere de alia vulgari Chirurgia, quæ paſſim ſolet fieri ab omnibus imperitis, dum bubones in lue Gallica incidunt, qui propter iam duas propoſitas inguinis hernias conſueuerũt vel inteſtinum incidere, vel venam violare cum periculo mortis. Neque hoc difficillimum eſt euenire: Si quis

Quomodo periculum.

enim

enim meretricem antea adeat, poſtea non multò interpoſito temporis ſpatio occaſione præſtita, aut ex ſaltu, aut ex caſu intumeſcat inguen, ſi ille adeat Chirurgum, dicatq; ſe ſpicari bubonē laborare, ſtatim tangens mollitiem, credet bubonem eſſe ſuppuratū, & ita incidet, & ſecabit inteſtinum; vti accidit Chirurgo amico meo, cum multo periculo vitæ patientis. Similiter ſi aliqua vena ex ijs, quæ ſubtus diſcurrunt, aliquando extra producatur, quod illi tamen homini peculiare ſit, & intumeſcat, non erit difficile ſecando profuſionem periculoſam excitare. Propter hoc debetis eſſe cauti in bubonibus incidēdis, tametſi paſſim à quocumque quam imperitiſſimo incidantur; ideoque Celſus libro 6. capite 11. in alis quidem & inguinibus rarò ſecandum eſſe protulit. Itaque ſi videatis in inguine à principio mollem tumorē, ſtatim ſuſpicemini de dilatatione facta ab inteſtino, quia bubo inter initia mollis non eſt, præcipuè autem Gallicus; præterea ſi æger iaceat, intus recurrit inteſtinum, & deliteſcit tumor: & ſi ſurgat, rurſus reuertitur; in bubone autem perpetuus eſt tumor.

incurratur ſecandi inteſtinū aut venam loco bubonis.

Quomodo dignoſcatur inteſtinum dilatatum à bubone.

AD rem igitur redeuntes, videamus quæ Chirurgia vtrique bubonocele conueniat, tū ex Celſo, tum ex Paulo. Bubonocelem omnes volunt fieri ab inteſtino tunicam elythroida in ſui initio dilatante, aut peritonæum inibi, qua parte in elythroida euadit, diſtendente, Sed ego non video quid prohibeat, idem vitium fieri quoque poſſe ab omento, quod parumper deſcendat, & tantum inguen dilatet: at credendum eſt, id eſſe quàm rariſſimum, quia inteſtinum tum fæcibus, tum flatu dilatari facile poteſt, in omento autem vtraq; cauſa deſideratur. Sed quomodocumque accidat, omnino bubonocele potius herniæ inteſtinalis principium dicendum, quam hernia: ſiquidem cum inteſtinum in ſcrotum deſcendit, prius per inguina tranſeat, neceſſe eſt, & dilatet. Ideoque Paulus dixit, inteſtinalem herniam inguinum herniam præcedere: etenim ſi peritonæum iam parte à flatu, aut alia cauſa intendatur, & inteſtinum illuc aut flatu turgidum, aut fæcibus oppletum imperū faciat, excitatur bubonocele ex Paulo, cuius idem duplicem proponit Chirurgiam, quarum alteram inciſione, alteram vſtione curat.

Bubonocele vnde fiat.

An bubonocele ſit dicēda hernia.

INCIDITVR igitur inguen qua tumidum eſt, linea tranſuerſa tres digitos lōga, & cute inciſa membrana carnoſa ſubiecta, & ſi quæ alia eſt, tum verò etiam pinguedo eximitur, ita vt peritonæum tumens denudatum appareat. Celſus vult, inciſionem eſſe faciendam audacter vſque ad mediam tunicam, quæ vaginam facit, poſtea ſpecillo peritonæum deorſum comprimitur, vt etiam inteſtinum intus cōpellatur, & recondatur, & ſeruato inibi ſpecillo peritonæum comprimente, futuris inuicem labia vulneris committemus; quo facto ſpecillum recipiemus, & vulnus curabimus vt ſimplex, & cruentum. Hæc eſt in bubonocele Pauli Chirurgia, quæ, vti videtis, per futuram cutem tantum aſtringit, vt per aſtrictionem, & cicatricem prohibeatur peritonæi laxatio, & inteſtini impetus.

Prima Chirurgia Pauli in bubonocele per inciſionem.

PROPONIT deinde Paulus ſecundam Chirurgiam, quæ vſtione expletur, quam dicit à recentioribus magis probari. Primum enim oportet hominē mediocriter agitari, & tuſſi violenta, intentione, & ſpiritu retento tumorem inguinis attolli, vt quantus eſt ſe oſtendat, tum atramento ſcriptorio totum tumorem ſignare triangula figura, quæ ſuperius baſim habeat tranſuerſam: inde iacere patientem præcipiemus, & candens ferrum primum clauatum per mediam trianguli notā admouebimus, inde alias trianguli coſtas aduremus ferramentū Γ litteræ Græcæ ſimilitudinem referente; tertio laterculato, aut latericulato ferramento totum triangulum adæquabimus, hoc eſt, medium trianguli ſpatium totum comburemus ferramentum candens ita imprimentes, vt ſola cutis, & pinguedo, non autem peritonæum ſubiectum vim ignis perſentiat: & facta vſtione ſal vna cum porro tritus imponitur. Quæ Pauli Chirurgia, vti videtis, per vim ignis cutem contrahit, & cicatricem duram & contractam efficit, & hoc modo tumorem deprimit, & peritonæum attolli non ſinit. Quæ porro Chirurgia vnà cum ſuperiore propoſita vehementem dolorem afferunt, & ſatis difficiles ſunt, & in incipiente exiguo affectu plerique ſunt, qui renuant, pro quibus ego ſolco illis cingulum ordinare, quod puluinar ex linteis multiplicatis confectū, & durum factum in altero extremo habeat, quod mollem tumorem comprimendo peritonæi diſten-

Altera Pauli Chirurgia per vſtionem.

Cingulum Authoris in hoc caſu.

diſtenſionem, & inteſtini impetum prohibeat: Quod ſanè puluinar ſubiectũ habeat ceratum adſtringens, iam propoſitum in cura eminentiæ vmbilici, quod exſiccando, & cõſtringendo laxatum peritonæum contrahat. Solemus quoque pilam conficere ex charta membranea, vulgo pergamena dicta, madefactã in aqua myrthi, aut vino granatorũ. Et in hernia quæ totam vaginam occupet cingulum, bracherium vulgò, vſurpamus, ſupra ceratum adhibendo. Quod ſi in inguine varix ſit, ita vt venæ inguinis intumeſcant, & capreolorũ ritu intorqueantur, id quod non difficulter eò loci accidere poteſt quòd venæ intortæ diſcurrant, & præparantia vaſa hederæ modo intorta incedant: certè curatio hæc nõ placet, quod ad venas attinet, ſi à duabus extremitatibus vinculis conſtringantur, ſubinde exſiccabuntur, & imminuentur: at ſi vaſa præparantia varicoſa fiãt, ſi ligẽtur, ſeminis generatio eius teſtis impedietur. Propterea ego magis probo, vt medicamenta aſtringẽtia imponantur, cuiuſmodi ſunt ſorba, poma, meſpila, & pyraſtra contuſa & impoſita, maximè autem omnium immaturi fruſtus ligni Guaiaci contuſi, & impoſiti. Item ſpongia noua expreſſa in aqua calcis viuę extinctæ in aqua fabrorum, in qua macerata ſint malicorium, & balauſtia. Et de bubonocele hactenus: nunc de inteſtinali hernia, de qua antequam dico, oſtẽdam vobis quid efficere oportet, vt dilatatio inguinis aſtringatur & curetur: eleuãda cutis inguinis eſt, & per longitudinem quantum durat tumor incidenda; vbi ad membranas, quę neruum inueſtiunt, ventum eſt, eaſq; dilatatas conſpiciamus, ijs ſimiliter à miniſtro eleuatis futuris per longitudinem iniectis, & propè ſpermatica vaſa datis aſtringemus, in eo diligentiam adhibentes, vt media membrana, quam vaginalem diximus conſuatur, & dilatata per futuram aſtringatur, interea proſpicientes, ne aliud, quam membrana propoſita conſuatur. Nam ſi ſpermatica vaſa ſimul ſutura aſtringãtur, ſeminis generatio ex vinculis impedietur. Qui ſanè curandi modus inculpatus, ac regius dici poteſt, quia neque teſtes offendit, neque aliud: & eſt modus in cæteris quoque hernijs à partium decubitu factis vſurpandus.

Pila Authoris in bubonocele.

Curatio præpoſita correcta.

Quomodo Author dilatationem inguinis aſtringat.

DE INTESTINALI HERNIA.

RELIQVAE herniæ, quæ Chirurgia curantur, non omnes eandem expoſtulant, Chirurgiam, ſed variam, pro varietate ſcilicet herniarum, Nam ἐντεροκήλη id eſt, inteſtinalis, quam ego duplicem conſtituo, perfectam, & imperfectam: perfectamque nomino, cum inteſtinum non ſolùm vaginalem tunicam dilatat, ſed etiam vltra deſcendit, videlicet in ſcrotum, & fundum teſticuli: imperfectam verò, cum vaginalem tantummodo tunicam dilatat, & non vltra deſcendit, vti videmus plurimos ita affectos, cuius cauſam ſupra diximus; curatur per aſtrictionem, ſi dilatata ſit, ſeu glutinationẽ vaginalis tunicæ, ſi rupta ſit. Nam aut dilatatur, aut rumpitur, vt plurimum autem dilatatur, maximè cum hernia ſenſim fit, & inteſtinum pedetentim deſcendit. Rumpitur autem, cum repente fit à violenta cauſa, vt in ſaltu, caſu ab alto, contuſione, valido ſub pondere nixu, valentiſſima ſpiritus cohibitione, & ſimilibus. Igitur aſtrictio dilatationis, agglutinatio. ruptionis cauſa requiritur: quæ ſanè aſtrictio, aut agglutinatio ſi exigua eſt dilatatio, medicamentis completur multis modis: ſi maior, tum medicamentis, tum faſcia, & pila ex charta inguini appoſita: dicebat enim Celſus libro 7. capite 20. ſi cui paruulo puero inteſtinum deſcendit, ante ſcalpellum excipienda iunctura eſt. Faſcia eius rei cauſa fit, cui imo loco pila aſſuta eſt ex panniculis facta, ex cuius conſtrictone ſæpe inter ſe tunicæ glutinãtur. Sed ſi adhuc latior eſt dilatatio, & medicamentis, & bracherio vulgò, iuuatur: quod ſanè bracheriũ aliud fit ex inuolutis linteis, aliud ex ligno, ac ferro. Quæ omnes Chirurgiæ tutiſſimæ ſunt, & ſæpe glutinant, ſi modò ceratum ſub pila, aut puluinari ponatur aſtringens appellatũ, aliàs deſcriptum: Quæ tamẽ hernias ſæpe non ſanant, ſed tantũmodo detinent intus inteſtinum, quo minus deſcendat, quæ vtique communiſſima intentio, & cæteris prior in his omnibus curandis,

Inteſtinalis hernia duplex.

Quomodo curetur.

Per faſciam Per bracherium.

curandis, ſine qua neque aſtrictio, neque glutinatio expectari poteſt. Quòd ſi hæc parum proficiunt, quia maxima ſit aut dilatatio, aut ruptio, tum demũ ad Chirurgias alias deuenimus, quæ cum aliquo periculo fiunt, quæ tamen in maioris, minoriſque ratione conſiſtunt. Generaliter primò hæc Chirurgia dupliciter agitur, vel ſine teſticuli extractione à bonis Chirurgis, vel cum teſticuli extractione ab Empiricis, & litterarum ignaris: ſine teſticuli extractione adhuc dupliciter, vel ſine læſione vaſorũ ſeminis, vel cum læſione eorũdẽ; & ablatione virtutis gignẽdi ſemen: ſine læſione adhuc dupliciter, vel ſutura, vel igne, ſcilicet ferramentis candentibus: cum læſione verò vaſorum multis modis, qui tamen omnes in eo conueniunt, videlicet vt aſtringatur, glutineturq. quod dilatatum, aut ruptũ eſt, ita vt in poſterum inteſtinũ non deſcendat. Igitur inteſtinis primò reconditis, fibula, ſeu puncto dato in inguine, aſtringitur peritonæũ, ſeu vagina dilatata: quod fit, ſignato priùs loco dilatato, indè facta inciſione obliqua in inguine, donec tunica vaginali, dilatata (mediam Celſus appellat) appareat; nam ſi cutem non inciſam ſimul apprehenderemus, non fieret facilè glutinatio: deinde fibula imponenda vaſi ſeminis, & peritonæo dilatato ſimul conſtrictis. Sunt qui ad fibulam imponendam vtuntur, recuruato inſtrumento filum auratum trahente, ſed omnis acus firma, craſſior, & recuruata filum craſſius cera oblinitum trahẽs, benefacit: quamuis magis laudem filum ex auro factum, vt quod flexibile eſt, neq. mordet, & erodit partes aſtrictas, ſed conſtringit tantùm vſq; quo glutinetur, qui modus adimit virtutem generandi ipſi teſti, quia ligantur vaſa ſeminis. Secundus modus, qui facultatem generandi non adimit, fit facta ſectione in cute per longitudinem totius vaginæ dilatatæ, videlicet ſecta cute vſque ad vaginalem tunicã; deinde digitis, aut hamulis eleuata vagina, & facta ſecundum longitudinem totius dilatationis in vagina dilatata ſutura cum acu firma, craſſa, & recuruata, filum craſſum, firmumque trahente, remanentibuſq. intus vaſis ſeminis integris, iam glutinatur tunica ſine teſtium extractione, & læſione. Vel tertiò fit Chirurgia cum ferramentis candẽtibus pluribus exiguis punctualibus, adurendo ſcilicet totam tunicam dilatatam non ſolùm ad dilatationis terminos, ſed etiam rectà per longitudinem in medio, contrahitur enim hæc ab igne, & occalleſcit, dum cicatrix inducitur, & ita aſtringitur quod dilatatum eſt: idq; ſi cautè fiat, penè integra omnia ad ſemen ſpectantia ſeruantur.

Chirurgia duplex in hernia inteſtinali.

Primus modus curãdi herniã inteſtinalem.

Secundus modus.

Tertius modus per adustionem.

QVOD ſi dilatatio, aut potius ruptura ingens ſit, in eo caſu fit Chirurgia cũ extractione teſticuli, hoc ſanè modò: Ligatur æger ſupinus ſuper tabulã, inde ſignatur in inguine tota dilatatio obliquè atramento, poſtea miniſter comprimit in imo abdominis inteſtina, ne foras prorumpant, tum Chirurgus, ſcalpello obliqua facta in inguine ſectione, ſurſum impellit teſtem, vt foras per foramen exeat; poſtea digito indice circumcirca omnes mẽbranas euellit, & à ſcroto ſeparat, potiſſimumq: vaginalem dilatatam, eamq. itidem foras trahit, poſtea apprehẽſis vaſis, & vaginali tunica, hoc eſt, toto neruo: forcipe ad eam rem accommodata ſutura ſimul iungit, inde ſupra ſuturam excidit, & teſtem abijcit: poſtea ad ſanguinem ſiſtendum exciſa omnia ſupra ſuturam ferramento candente comburit, & intus reponit, filo longo exterius relicto, vt eo laxatum idoneo tempore auferatur. Vltimo loco ferramento immiſſo per foramen inguinis, quod ad fundum ſcroti perueniat, perforatur ipſum ſcrotum, quo vulnus expurgetur, & ita operatio hæc abſoluitur. Quæ ita horribilis, ita periculoſa eſt, vt quamuis plures euadant, plures tamen aut ſub ea, aut paulò poſt moriantur. Vnde iſti ſuſcipiunt ægrotantes curandos, aut mortuos. Propter quam cauſam ego fui ſemper huius opinionis, vt nullo modo patientes huiuſmodi periculũ ſubeant, præſertim cũ bracherium geſtare poſſint tota ſua vita, abſq; eo quod vnus dies totius vitæ breuietur: idque eo libentius conſulo, quod hiſce diebus, cum de hac re loquerer cũ D. Horatio de Norſia, operatore maximè hac in re exercitato, & dixit mihi, quòd ante aliquot annos pluſquam ducentos ſingulis annis incidebat, nunc neque etiam viginti: & cauſam mihi expetenti retulit, quia bracherio, & aſtringenti medicamento impoſito plerique ſanantur.

Modus Chirurgia cum extractione teſticuli.

Bracherij vtilitas.

HOC loco ſubit caſum mirabilem recenſere, qui accidit cuidam monacho Montis Si-

Teſtis vnus maior altero.

licis Natura comparatum eſt, vnumquemq; teſtes inæquales, hoc eſt, alterũ altero maiorem, & vaſa etiam maiora, & ſemine magis repleta coniuncta haberesſic autem eſt vt plurimum ſiniſter, qui deſtinatur generationi fœminarum, quas natura magis intendit. Vnde ego vidi plurimos ad me venientes, credentes ſe male habere, quod vnũ ieſtẽ altero maiorem in ſe ipſius obſeruarent, ptopter quam imaginationem videbatur illis teſtem maiorem dolere. Ego autem certos reddidi, id naturale eſſe, neque vllum malum inde euenturũ. Cum igitur adoleſcens eiuſmodi teſtium inæqualitatem in ſeipſo obſeruaret, oſtendens hunc teſtem operario; ille dixit, ſe habere herniam,& breui moriturum,niſi extrahatur teſtis; atque vt breuibus perſtringam, eo ligato, dum teſtem extracturus eſſet, accurrens pater adoleſcentis, qui erat in religione, & videns horribile id ſpectaculum retinuit operariũ ab opere dicens, ſe velle, vt prius ego viderem patientem;qui propterea ſolutus eſt,& cum me adiret, dixi, ipſum nullo prorſus malo detineri: & ita fuit.

DE HERNIA EPIPLOCELE.

Epiplocele non eſt curanda modo dicto.

SI IGITVR inteſtinalis hernia rarò debet ita curari, multò minus hernia omenti. ἐπιπλοκήλη dicta à Græcis, quæ facilior eſt, & ſine vllo periculo geſtari poteſt,& ex dilatatione tantùm mediæ tunicæ fit, eodem modo euranda eſt; quamuis iſti operatores paſſim curent, vt inteſtinalem.

DE HERNIA AQVOSA.

Hydrocele qua ratione curatur.

AQVA in teſtibus interdum colligitur,interdum ex immo abdomine fluit & euacuatione curatur, aut ſenſibili, videlicet Chirurgia; aut medicamento, & inſenſibiliter. Hydrocele autem Chirurgia curatur, quando medicamenta exſiccare, & diſcutere aquam non poſſunt; Potuit autem ſæpe ſpõgia ex aqua calcis expreſſa. Sed ſi hæc non ſufficit, curatur ſimplici inciſione facta in loco decliuiore,quæ tamen reſpondeat aquæ contentæ,& ſit locus expers vaſis; quæ omnia cognoſcetis, ſi aduerſa luce poſita diaphanum ipſius aquæ, & ſimul ſcroti appereat. Atque hac ratione vidi multos conſenuiſſe, qui ſubinde ſimplici hac inciſione aquam euacuabant, quæ primum denuo eſſet collecta, & ſtatim inciſionem claudebant. Alij per multos dies aperrã inciſionem ſeruarunt argentea fiſtula. At vbi aqua ex abdomine deſcendit, ſubindeque repletur teſtis, & reuertitur hernia, ſeto à Guidone præcipitur in ſcroto; qui tamen temporis progreſſu poteſt teſtem refrigerare, & duplici nomine herniam excitare: & fluxione, & congeſtione; propterea laudo, vt decocto ſalſæ cum ſudore copioſo aquæ exſiccatio in abdomine, & vniuerſo corpore tentetur.

Qua ratione aqua ex abdomine in ſcrotũ deſcendãs eliciatur.

De Hernia carnoſa, qua Græcis σαρκοκήλη *dicitur.*

Cura ſarcocelis.

CARNOSAM verò herniam, vbi medicamentis non ceſſit, diuturnaq; eſt, vidi curatam facta ſectione per longitudinem teſtis, deinde teſte toto vnà cum carne adnexa foras tracto, & inciſo in loco vaſorum: femel enim inuenimus teſtem exterius ſanum, intus tamen putrefactum. Ego in teſte carcinomate affecto, qui erat meo pileo maior ad inguem priùs vaſis forcipe apprehenſis, inde conſutis, & vinculis conſtrictis, abſcidi vaſa tranſuersè, & vniuerſum teſtem abieci; poſtea ferramentis candentibus combuſſi, & intra viginti dies ſanatus eſt, qui alioqui erat mortuus ſpatio quatuor dierum.

Authoris experimentum.

De hernia carnoſa, & aquoſa ſimul miſta.

SI càrnoſa ſimul, & aquoſa ſit hernia, ego talem curam adhibeo: Seco cutem, & inciſionem facio exiguam, & in loco potiùs altiore, quam in fundo: inde turunda impoſita cum digeſtiuo, & pus mouente medicamento diutiùs procedo, neque vnquā totum pus extraho, ſed perpetuò bonam partem intus relinquo, quod ſenſim carnem corrodit, & ita ſanat. *Authoris modus ſanandi ſacrocelen & hydrocelē mixtam.*

DE RAMICE.

RAMEX, hoc eſt κυρσοκηλή, nil aliud eſt, quam venæ in teſtibus dilatatæ, & varicum modo conglomeratæ, atque hæ (vt Celſus & Paulus ſcribunt) vel ſunt ſcroti venæ, vel in darti membranis, vel tertiò ſunt eæ, quæ ieſticulum nutriunt. Omnia ſub nomine ramicis Celſus comprehendit, quamuis Paulus in ſcroto venas dilatatas ſimplici vocabulo, varices: in venis autem teſtes nutrientibus, varicoſum ramicem, Græcè κυρσοκηλίην nominet. Igitur ſi in ſcroto ramex eſt, monet Celſus, tenuibus, & acutis ferramentis, quæ ipſis venis infigantur, adurendum eſſe, ita vt nihil aliud, quam venæ vrantur, maximeque vbi inter ſe implicitæ conglomerantur, eò ferrum admouendum eſſe. *Ramex quid.* *Ramex ſcroti quo modo cū randus.*

QVIBVS verò ſuper mediam tunicam venæ tument, incidendum inguen eſt, atque tunica promouenda, ab eaque venæ digito, aut manubriolo ſcalpelli ſeparandæ. Qua parte verò inhærebunt, & à ſuperiore, & ab inferiore parte lino vinciendæ, fibulæque indendæ, tum ſub ipſis vinculis præcidendæ, reponenduſque teſticulus eſt. *Cura tumoris venarū media tunica.*

AT vbi tertiæ tunicæ ramex inſedit, mediam excidi neceſſe eſt: deinde ſi duæ treſuenæ tument, ne vitium protrahatur, idem faciendum, quod ſupra ſcriptum eſt, vt ab inguinæ, & à teſticulo deligatæ venæ præcidantur, iſque condatur. *Tertia tunica.*

VBI verò inter imam tunicam, & ipſum teſticulum, neruumque eius ramex ortus eſt, vna curatio eſt, inquit Celſus quæ totum teſticulum abſcindit. *Ima tunica.*

Circa naturalia fœminarum Chirurgia.

EXPOSITIS, & circa naturalia marium ſuis adminiſtratis Chirurgijs: locus ipſe exigere videtur, vt ſubijciam quæ curatio naturalibus fœminarum (cum aliter, quam manu ſuccurri non poteſt) adhibeatur. Duæ à Celſo proponuntur Chirurgiæ in naturalibus fœminarum partibus: Vna eſt, quomodo curentur, quæ concubitum non admittunt. Secunda, quomodo partus emortuus ex vtero excutiatur. Addit Paulus nonnullas alias, videlicet quomodo Hermaphroditi tum viri, tum mulieres emendentur; quomodo nympha in mulieribus nimis prolixa excidatur; & caro ex vtero extra vuluam producta, & propendens amputetur; quomodo ſecundæ reliquæ extrahantur, itemque de vuluæ abſceſſu, thymis, & condylomatibus. Addo rurſus ego, quomodo vterus prolapſus intrudatur, & num orificij vteri coalitus corrigi poſſit: & nympha non perforata aperiatur: vt in ſumma in naturalibus fœminarum aliæ Chirurgiæ ad exteriores vuluæ partes pertineant, vt quæ Hermaphroditos, & ad prolixam nympham; aliæ ad vuluam, & eius orificium, vt quæ ad membranam non perforatam, & glutinata vuluæ labra attineant; aliæ intus magis in pudendo ſint, vt tuberculum, ſeu abſceſſus, ſeu concreta caro; aliæ ſurſum ad vteri principium conſiſtant, vt os vteri agglutinatum; aliæ rurſus ad vterum ſpectent, idque multipliciter, vel non fœtum, vt cum fit vteri prolapſus; vel effœtum, vt cum partus *Varia operationes in naturalibus fœminarū fieri ſolitæ.*

emortuus in eo contineatur; vel denique à partu, vt cum fecundæ detinentur. Itaque nulla naturalis fæminarum pars, aut particula eſt, quæ Chirurgiam non requirat, de quibus omnibus agere inſtitutum noſtrum eſt, ab externa vulua ad vſque vterum aſcendentes & primo de hermaphroditis.

De Hermaphroditis.

Hermaphroditus vnde dictus. Fabula hermaphroditi

HERMAPRODITVS dicitur qui vtrumque habet ſexum, olim ἀνδρόγυνος vocabatur, ex Plinio, vt apud Platonē, ita dictus, quia ſit Mercurij, & Venetis filius, vt vocis compoſitio indicat: Nam Mercurius ἑρμῆς, Venus ἀφροδίτη, à Græcis dicitur. Vt fabulantur Poetæ, fuit adoleſcens formoſiſſimus, quem cum eſſet complexa Salmacis Nympha in fonte, & blanditijs, & precibus ad concubitum flectere non poſſet, illa à Dijs petijt, vt ex duobus corporibus in vnum redigerentur; quod factum eſt. Plinius lib. 7. cap. 3. ait, quod olim in prodigijs habebatur nunc in delicijs. Quia verò multam vtriq; ſexui affert deformitatem ideò Paulus eius Chirurgiam proponit. Primo autem ex Leonide ponit differentias hermaphroditorum, quas in viris tres, in mulieribus vnam conſtituit. In viris quidem modo iuxta regionem inter ſcrotum, & anum, modò in medio ſcroto muliebris pudendi pilis obſiti forma apparet. Tertia verò adhæc accedit, in qua nonnulli veluti ex mulieris pudendo, quod in ſcroto eſt, vrinam profundunt. In mulieribus verò ſupra pudendum iuxta pubem virile frequenter genitale inuenitur, tribus quibuſdam exſtantibus corporibus, vno tamquam cole duobus autem veluti teſticulis. Hæc Paulus. Ego autem quid in re hac obſeruarim, dicam: Obſeruaui enim in homine inter anum, & teſtes ſtatim ſub teſtibus præter ſua genitalia mẽbra, conformata quoque fuiſſe labia vuluæ, ſine tamen aliqua cauitate ita vt videretur naturam voluiſſe vuluam, & pudendum mulieris efformare, fruſtra. tam tamen fuiſſe. In mulieribus verò obſeruaui nympham productam fuiſſe nũc ad duos, nunc ad tres digitos, quæ tamen erat flacida, neque erigebatur: nihil vltra à me fuit hac in re obſeruatum, audiui tamen & Peruſiæ, & hic Patauij, mulierem adfuiſſe hermaphroditũ, quæ concubitum cum alijs mulieribus habebat, hac parte erecta, vt quoque dicit Paulus. Fama quoque eſt, in bello Vngarico proximè præterito militem peperiſſe, qui ad intuitum mas, ſed clam fœmina quoque erat perfecta. Nec mirum, hæc à natura fieri, quoniam in generatione, vt puta in naturæ operum naturaliſſimo tantum de ſucceſſione fuit natura ſollicita, vt potius abundare in ſuperfluis, quam deficere in neceſſarijs maluerit. Itaque primo fecit conceptum ad vtrumque ſexum ſuſcipiendum aptum, vt ſcilicet vnum ſaltem vel mas, vel fœmina, quin procreetur, aufugiat. Sic in ouis quoque per duplicatum vitellum factum eſt, propterea ſicuti hominem fecit potentem fœminam fieri, ſic fœminam marem euadere idoneam molita eſt. In quo tamen prærogatiua fœminæ data eſt, quod frequentiùs in fœmina maris genitalia, non contra fœminæ in mare poſita ſunt. Vnde Paulus in mulieribus frequenter accidere dixit maſculeum ſexum. Ratio ea eſt, quia vti ex Anatome dictum eſt, Natura magis fœminarum, quam marium generationem appetit, & intendit, propter cauſas in Anatome allatas, ad quam hæc fortè magis ſpectant, quàm adhunc locum.

Differentia hermaphroditarum.

Vnde natur hermaphroditi

Chirurgia hermaphroditorum.

SED nos Pauli Chirurgiam in hermaphroditis afferamus: & primo in viris fœmineum ſexum habentibus. Paulus dicit, quòd tertia virorum deformitas, qua vrina per ſcrotum excernitur, curationem non recipit, reliquæ tres curantur, corporibus ſuperuacuis è medio ſublatis, & vlcerum modo tractatis. Quæ Pauli verba nil aliud præcipiunt, quã vt excidantur corpora mulieris, & pudendum vuluam facientia. Ego verò cum nil iſtiuſmodi viderim, neque actioni officere, neque incommodum eſſe, neq; deformitatem vllis oculis afferre, ſatius fore exiſtimaui, ab opere dolorem afferente abſtinere, & ſine Chirurgia ea dimittere.

SED de nympha ſolum difficultas eſt, de qua Paulus priuatim agit; tum verò ab Aegyptijs

ptijs non conceditur, qui in virginibus eã excidere conſueuerunt, vbi ſcilicet multa promineret; quod duabus, tribuſque de cauſis factum eſſe reor. Primò, quod exiſtimarent, hanc partem plus iuſto prominentem actui Venereo incommodam eſſe, quod in vuluæ orificiũ incidat, & colis ingreſſum liberum prohibeat. Secundo, quia exiſtimarent, nefas & piaculum eſſe, mulierem agere quoque virum poſſe. Tertiò, vt modeſtiores fœminas redderẽt; & inexplebilem libidinem locis illis æſtuoſis fœminas vrgentem, per nymphæ amputationem, quæ Veneris aculeus, & tentigo eſt, refrenarent. Nam hæc pars, vti Anatome commonſtrat, formam colis, & ſubſtantiam, corporiſque proprietatem exactè refert, proinde que & oblectationem, & omnem penis actionem habere neceſſe eſt. Sed iam tẽpus eſt, vt huius quoq; partis Chirurgiam peragamus; quam Paulus reſupinata muliere, & nympha vellella præhenſa ſcalpello excindit, diligẽtia adhibita, ne tam altè ipſam penetremus, vt fluidus affectus, (rhyada vocant) excitetur: Sed melius erit tum ad dolorem, tũ ad rhyada vitandum, forcipe anguſtiore ipſam apprehendere, ſenſimq; ſtringere, vt adſtrictione ſenſus heberetur, inde præcidere. Quo loco Paulus quoque Chirurgiã proponit cereoſis, hoc eſt, excreſcẽtis carnis, ſeu ab vteri ore propago, quæ muliebre pudendum replet, interim foras caudæ modo procidit, quam modo nymphæ præcidendam præcipit. At ego tutiorem intus præciſionem futuram exiſtimarem cum inſtrumento polypo præcidendo accommodato. Tres itaque Chirurgiæ adminiſtratæ huc vſque ſunt, duæ ad hermaphroditos, & nympham pertinent; tertia ad carnem ſupernatam: nunc ad ea, quæ magis ad vuluæ orificium pertinent, ſchiſma Græci dicunt, accedamus.

Cur Aegyptij nymphã excidant virginibus.

Chirurgia nymphæ ecundũ latum.

Chirurgia carnis excreſcentis.

De vitijs quorum cauſa fœmina concubitum non admittunt, & conceptio impeditur.

CONSTAT inter omnes, præcipuum naturalium fœminarum vſum eſſe concipere, id eſt, ſemen recondere in locum generationis, qui eſt vterus: Vnde impeditur conceptio vitio vteri. Quia vero mulieres ex Ariſtotele, vteros & vuluas intus habent, quod locus exterior corporis & frigidus eſt, & offenſioni expoſitus, & ad ipſum peruenire ſemẽ viri oportebat, ideo vagina in fœmina, quæ vulua dicitur, & coles factus in mare eſt, qui ſemen per vaginam ad vterum deriuet. Quo fit, vt neceſſaria ſit colis intruſio in vuluam & vaginam, vt ſemen in vterum inijciatur, & fiat conceptio. Et hæc intruſio, quæ fit cum fricatione, appellatur concubitus, quia ſimul cubant, coniunguntur, & coeunt naturalia marium cum naturalibus fœminarum; quæ actio ob id etiam coitus appellatur. Quo loco occurrit caſus & quæſitum, mihi à ſacerdote quodam propoſitum: Num ſcilicet ſit poſſibile, fœminam concipere abſq; coitu, & ingreſſu colis in vuluam: propterea quod ipſe acceperat ab adoleſcẽtibus, fœmina & mare, quod cum amore capti eſſent, & ſimul in loco ſolitario conuenſſent, dum ſe oſculis & illecebris blanditijs ita ſtantes amplexarentur, fœmina permiſit colem maris ad vuluæ orificium vix pertingere, ille verò tentigine flagrãs ſemen ad vuluæ orificium inuitus eiecit, & grauida facta virgo eſt ſine concubitu: quem poterat vterq. fateri ſi ſecutus eſſet, cũ grauidam eam eſſe conſtaret; ſed ambo aſſeuerarunt, penem in vuluam nequaquam penetraſſe. Ego dixi poſſibile fuiſſe caſum cõceptionis, propterea quod cum ambo eſſent adoleſcentes, & tentigine ambo arderent, potuit glandis orificium hymenis foramini. Si è directo opponi, & coniungi, & ita ſemen a mare vi magna emiſſum potuit per hymenis orificium in vuluam ingredi: inde verò à valentiſſima vteri attractrice per vuluę vaginam ſurſum trahi, & in vterum recondi, & ita fœminam concipere. Nam vuluam pollere in inſigni attractrice, teſtis eſt Plato, qui animali vterum comparat, & veluti animal eſſe aſſeuerat. Qui caſus omnino probabilis eſt, ſicuti ille ab Auerroe propoſitus, de ſemine viri in balneum effuſo, & in mulieris vuluã illapſo, ipſam inde cõcepiſſe, omnino videtur abſurdus, neque

An fœmina poſſit concipere abſque coitu.

Hiſtoria ab Auerroe allata abſurdè.

neque vllo modo admittendus.

Vitia naturalium muliebrium.

VITIA, igitur (ad rem accedamus) quæ in naturalibus fœminarum partibus contingunt,& ad concubitum, & conceptionem impeditam pertinent,sunt in triplici differentia. Alia enim concubitum ex toto prohibent. Alia admittunt quidem, sed difficulter. Alia denique sunt, quæ concubitum vtcumque admittunt, sed conceptionem prohibent. Addit Paulus quartam iam propositam differentiam, ob cuius vitium mulieres neq. concipiunt, neque probè concubitum admittunt. Quæ concubitum omnino vetant, sunt ea, quæ vuluæ orificium prorsus occludũt quæ duplicia sunt, aut membrana ori vuluæ opposita imperforata, aut vuluæ orificium glutinatum. Membrana, quæ hymen dicitur, imperforata ex semine originem in conceptione habuit. At vuluæ scissuræ glutinatio vel cæpit à primo ortu, vel postea a præcedente vlcere, quod sanescendo per malam curam oræ pudendi sint agglutinatæ; quorum omnium causa concubitus omnino prohibetur.

Vitia quæ concubitũ prohibent.

Vitia quæ coitum difficilem reddunt.

QVAE verò concubitum quidem,sed difficulter admittũt,sunt vitia in medio sinu,seu in media parte cunni,& vaginæ ipsius vuluæ,vt est aut adnatum tuberculum,aut abscessus, vt notat Paulus, aut adnata caro, quæ colem quidem vtcumque admittit, sed ægre & cum difficultate: necnon pellicula hymen dicta, perforata quidem, sed altius, ne penis ingredi possit, quia non respondeat pudendo seu vaginæ. Nã in primo concubitu penis ad exiguũ hymenis orificiũ impulsus, ipsum primò dilatat, inde abrumpit; quod accidit quãdo hymenis foramen è directo respondet vacuo vaginæ at cum ita altum est, tũc penis oppositum habet corpus solidum, & non potest dilatare ipsum aut rumpere,& ita prohibetur ingressus penis. Sicut accidit cuidam pediſſequæ, quam multi scholares frustra tentauerunt defloraré. Ego autem videns foramen hymenis altius esse quam par est,& non habere oppositum vacuum vaginæ,sed tamen exitum præbere menstruis ei dixi,vt cum nubere vellet, ad me veniret,quia ipsam habilem redderem:non accessit:Puto aliquem inuenisse magis Anatomicum, qui ruperit hymen.Ego volebam ipsam curare immisso scalpello per foramen hymenis, à superiore parte infra, & ita inciso per lõgitudinem toto hymene ipsam viro aptam reddere.

Vitia quæ conceptionẽ prohibent.

QVAE tertio concubitum admittunt,sed conceptionem prohibent,sunt vitia ad vteri orificium, aut propè id consistẽtia. Primum est orificij vteri coalitus,quem fortè Hipocrates in libro de sterilibus in principio, os vteri omnino concluſum nominat. Secundum est, cum membrana, quæ vaginam efformat,per totum continua est, & vteri orificium celat, eique infernus opponitur. Vtrumque ego obseruaui, primum quidem,ex Anatome in muliere, quæ inuenta est vteri quidem orificium habens efformatum, sed glutinatum, ne amplius iter pateret à sinu, & vagina in vterum. Alterum ego digitis obseruaui in viua. Hæc sunt omnia vitia, quæ in naturalibus contingunt,& pertinent ad impeditum tum concubitum, tum conceptionẽ, quibus tamen addere ex Paulo licet quartum vitium,quod etiam concubitum aliqua ex parte prohibet, & conceptionem, vt est caro vteri orificio superius adnata, & ab vtero proueniens, deorsum tamen per totum pudendum,& vaginam producta, ita vt extra vuluam propendeat; cuius Chirurgiam paulo ante vna cum nympha tuimus executi. Quorum omnium proponenda ex manu curatio est, initio primo vitio sumpto, & à membrana imperforata.

Aliud vitiũ à Paulo additum.

DE HYMENE IMPERFORATO.

Historia de virgine imperforata.

ANC curationem Celsus incisione peragit lienis decussatis, ad X litteræ similitudinem, magna cura adhibita, ne vrinæ iter violetur, quod supra, propèque est. Ego verò, qui aliquando vocatus sum,& vidi,atque curaui virginem imperforatam, non grauabor hoc loco recensere tamquam rem vtilissimam, curationis totius historiam, ex qua multa addiscentur. Itaq. vt dixi, semel tantum in tot annorum curriculo, quadraginta trium annorum spatio, quo hic Patauij vtrumque medicinam sum professus, vidi,virginem imperforatam,quæ vulgò dicitur(coperchiata) neque

mirum

mirum videri debet, quoniam natura in rebus neceſſarijs manca non eſt, & rariſſime peccat ob plurima nempe incommoda, & vitæ pericula, quæ ſuperuenire ſolent. Hæc igitur virgo ab ipſa natali die, membranam ὑμένα appellatam, imperforatam, totumque vuluæ orificiũ occludentem ſortita eſt: myrtechila verò, ſeu alæ adeo exiguæ erãt, vt fermè nullæ apparerent, ſi quidem contrahebantur à continuitate membranæ, eiuſq; tenſione ab interna repletione facta: vbi autem fuit perforata vulua, alæ ſtatim efformatæ ſunt, tamquam laxata ex vtraque parte membrana; Vt ex his licet conijcere, vſum harum alarum eſſe, vt perforata membrana tutelam alæ ſuſcipiant pudendi mulieris, quod alioqui ab hymene prius cuſtodiebatur. Hæc igitur, nobilis virgo vſque ad annum decimum tertiũ bene habuit, ab eo autem tempore cæpit malè habere, quod euenit propter purgationes menſtruas detentas, quæ tunc mouere cæperunt. Patiebatur dolores inſignes circa lũbos, & in ima abdominis parte, qui etiam coxis, & articulo coxendicis communicabantur. Vnde Medici curabant affectionem perinde ac ſi eſſet morbus articularis, dolorq; coxendicus: ſenſim poſtea cepit corpus emaciari, ac tabeſieri, continuaq; ferè febricula detineri: vigilijs inſuper, inappetentia, tandemque delirio, tumor quoque renitens ac dolens in imo abdomine è regione vteri obortus eſt, quæ omnia magis inualeſcebant quo tempore menſtruæ purgationes magis inſtarent, vrgerentque. Tãdem cum morti iam eſſet propinqua, accerſitus, ac proprijs oculis affectione perſpecta, incidi ſimplici inciſione membranam, & ſtatim maxima ſanguinis craſſiſſimi, viſcoſi, æruginoſi, ac fætidi copia effuſa, ab omnibus affectionibus quaſi miraculo quodam extemplò fuit liberata: ſimplicem autem fui molitus inciſionem, & lineam ſecundum vuluæ, ſeu ſciſſurę longitudinem, nc ſi ex Celſo tranſuersè ad X litterę ſimilitudinem incidiſſem, alarum conformationem, quæ reſultat ex hymenis labijs inciſis, & ex vtraque parte laxatis, & ad alas retractis, impediuiſſem. Hæc igitur eſt Chirurgia, quam tutiſſimè & fæliciſſimo cum ſucceſſu adhibui in virgine, & hymene non perforato.

Vſus alarũ

Quomodo Author virginem diſtam curauit.

De glutinatis vuluæ labris.

QVOD ſi culpa glutinati orificij vuluæ, quod χίσμα Græcis dicitur, cõcubitum mulier non admittat, ſiue a natali die, ſiue poſtea contingat, vt puta ex vlcere carioſo, aut alio per malam curam ſaneſcente; vti euenit vxori cuiuſdam, qui cum vellet poſtea cum illa concumbere, inuenit locum occluſum, & non potuit, niſi prius Chirurgia ſeparata forent labra; neque mirum, facilè glutinari vuluæ ſciſſuram vlceratam, quoniam mulieres ægrè admodum eiuſmodi obſcænas partes Chirurgis oſtendunt, præſertim honeſtæ. In eo caſu adminiſtratur hæc Chirurgia. Reſupinata muliere, & tibijs ad coxas retractis, & alligatis ab inuicemque diuaricatis, & cubitis ipſius ſub poplitibus ſubiectis, & funiculis congruentib. ad ceruicem deligatis, vt monet Paulus, inde autem ſyringotomo altera extremitate acuto, aut longiſſimo cultro ex vna parte, hoc eſt, interna aciem habente, ex altera retuſo, & modicè ad cuſpidem recuruato, cum manubriolo longiſſimo ſciſſuram incidamus vnica, aut duabus ſectionibus exactè per media labra lineam facientes attramento ſcriptorio antea ſignatam, & digito indice exteriùs, ferramento verò interius exploratam.

Modus ſeparãdi labra vuluæ glutinata.

De carne, aut tuberculo, aut abſceſſu, in ſinu vluæ adnatis.

VNC magis intra vuluam penetrantes, videamus quomodo concubitum admittere queant mulieres, quæ intus in pudendo, & vagina impédimentum aut ex adnata carne, aut tuberculo, aut abſceſſu habent oculis non obuium. Sed Paulus tantummodo abſceſſum curat ad vuluæ orificium obortum, aut paulò intus, ita vt & ſpeculò conſpici, & Chirurgi manu ferè attingi poſſit; quem Chirurgia hoc modo curat, vbi medicamentis non ceſſit. Primò enim Paulus ſpeculo fœminis, & ætati accommodato, quod Dioptram nominat, vuluam aperit, & dilatat, vt abſceſſus appareat. Quod ſi abſceſſus occurrens mollis, & tenuis exiſtat, qui digiti tactu ſubſideat, iuxta verticem diuidetur ſpathula aut ſpecillo, & per os vuluæ pure euacuato, linamentum in longitudinem implicitum, lemniſcon dicunt, tenerrimum ex oleo roſacco imponetur, & aut in abſceſſum, aut in ſinum muliebrem inſeretur; extra verò ſummas oras ſuper pectinem, lumboſque lanæ ſuccidæ oleo madentes accommodabuntur, & hæc eſt Pauli Chirurgia.

Quomodo Paulus ab ſceſſū vulua curat.

Quomodo Author curet abſceſſū. vulua.

AT nos dicamus, quæ nobis occurrunt, pro curatione tuberculi, ſeu abſceſſus, qui in ſinu pudendi intimius ſit. ita vt neq; oculis, neq; ſpeculo conſpici, ſed digito tantum attingi poſſit; quod difficile non eſt, cum vſque ad vteri orificium digito perueniamus. Certū quidem eſt, ſi abſceſſus, aut caro duritiem habeant, & doleant, non eſſe attingendam, ne vterus conſentiat, & diſtenſio neruorum, & conuulſio oboriatur. Sed ſi abſceſſus mollis ſit, indolens, & maturus, neque febrem habeat cōiunctam, aut aliud, ſed placidus ſit, in eo caſu ipſum incidendum eſſe animus inclinat, eo modo, quo Hippocrat. tonſillas incidit, alligato ſcilicet paruo ſcalpello digito indici, inde verò immiſſo ſimul intrò digito, & ſcalpello, tū verò prius digito abſceſſu percepto, inde ſcalpello ita leuiter inciſo, vt ſanies affluat, quo facto medicamentis deterſorijs, & validè ficcantibus abſceſſus apertus curandus, vt ſunt ſeſſiones in aquis thermalibus aut in vino albo, in quo ſcabioſa, ſcordium, & radices cucumeris agreſtis ſint macerata, aut lixiuio, ſed ante inſeſſionem fiſtulam amplam ex ære, aut argento, aut ligno læuigato paratā, & à lateribus multis foraminibus pertuſam, quo aqua ingrediatur, & malum contingat, in vuluam immittere oportet. Conuenit quoque intus in pudendum per fiſtulam puluercs inſufflare ex cornu cerui vſto, ex tutia præparata, ex aloe cum modico aluminis, myſi, & melanteriæ. Clyſteribus quoq; per metreſinchitas ſinum eluere ex vino albo cum melle, aut ſcabioſa, aut matricaria quoque conueniet.

Quomodo caro adnata curetur.

QVOD ſi caro ſimiliter in ſinu adnata ſit, quæ concubitum prohibeat, propoſitis exſiccanda eſt: ſi hæc parū valent, Chirurgia ipſa auferre inconueniens apud me non eſt, ſi modò, vt dixi, neque dura ſit, neque doleat, vt carcinomati ſimilis ſit, & non difficulter tū incidi, tum auferri, & auelli poſſit, idq; præſtabimus inſtrumento polypo incidēdo, & extrahendo accommodato, quod neque cuſpide, aut à lateribus aliud apprehendere, quam ſuperfluam carnem propter recuruatam aciem non poteſt, ita vt ſenſim modò incidamus, modò apprehendendo auellamus.

Orificium vteri agglutinatum incurabile.

VERVMTAMEN adhuc ſuperiùs ad vteri orificium aſcendentes, ac peruenientes, ſi ipſum aut agglutinatum, aut membrana coopertum inueniatur, cuius cauſa prohibeatur conceptio, ſciatis, caſum hunc incurabilem eſſe, cū incidens inſtrumentum tam altè, nō niſi cum manifeſtiſſimo periculo peruenire poſſit; fortèque illum eſſe caſum de quo loquitur Ariſtoteles 4. de Gener. animal. cap. 4. hoc modo: Iam fœminis nonnullis os vteri compreſſum, concorporatumque ab ineunte ætate ad tempus vſque menſtruorum perſeuerauit; mox vrgentibus menſtruis, doloreque infeſtante alijs ſponte diſruptum eſt, alijs diſſectū à Medicis, nonnullæ interierunt, cum aut per vim diſrumperetur, aut diſrumpi nō poſſet.

Dubiū ex Ariſtotele.

Quo loco dubitatio oboritur, num Ariſtoteles intelligat, concorporatum eſſe vteri verum orificium, cum Ariſtoteles interdum vterum, & vuluam confundat, cum dicit: Vteros &

vuluas

vuluas intus omnia habent. Quod intelligat vuluæ orificium ex eo conijcitur, quia in vteri orificio concorporato menſes erumpentes dolorem non excitant, neque opus eſt incidere agglutinatum vteri orificium, vt menſes effluant, quia in mulieribus menſes erũpunt per vteri ceruicem, ſeu vaginam, ſecus in brutis; cauſam in Anatome propoſui. Præterea vteri orificium vnitum inciri non poteſt propter ſitus altitudinem: At vuluæ orificium oculis patet, & facilè inciditur. Contra verò Ariſtotelem intelligere vteri verum orificium, ex eo patet, quod dicat nonnullas mulieres interijſſe ex inciſione orificij vteri; id quod non accidit ex vuluæ orificio diſſecto. Itaque incertum quoquo modo eſt, quid intelligat Ariſtoteles per vteri orificium concorporatum.

De vteri procidentia.

SECVNDA, aut ſi mauis prima vteri Chirurgia fit in vteri prolapſu. Prolabitur vterus, cùm eius ligamenta aut laxantur, aut à ſuo extremo reſoluuntur, idque cum per magis, & minus contingat, idcirco magis & minus prolabi, deuolui, ac deſcendere par eſt, ita vt interdum ad mediam vaginam; interdum ad vſque vuluæ orificium, denique nonnumquam totus extra vuluam prolabatur. Curatur decubitu, quiete, & medicamentis, quæ aduerſaria ſint proprietati vteri, ideoque ea aufugit vterus, vt ſunt tetri odores, ſuffitus ex aſſa fętida, aut calceamentorum corijs, aut ex goſſipio vſto, aut perdicum pennis vſtis; ſed vt plurimum hæc parum valent, ideoque Chirurgia opus eſt, quæ duabus ſatisfacere indicationibus debet: vna eſt, vterum prolapſum intrudere; alia intruſum ſeruare, prohibereque, ne rurſus procidat. Fortè aliquis veſtrum dicet, penem viri aptiſſimum eſſe inſtrumentum ad vterum ſurſum intrudendum. Sed non ita eſt, quia vterus ad penem tamquam ad aliquod ſibi familiare, & amicum accurrit, & deſcendit, at quod intrudit, & intruſum ſeruat, contrarium futurum eſt proprietati vteri, ideoque Chirurgia efficax eſt, ſi candela ex cera eius craſſitiei, quæ ſine moleſtia à vulua recipiatur, tamque longa ſit, vt perueniat vſque ad os vteri, habeatque in principio extra vuluam baſim, & alligetur faſcia, vt non decidat, ita enim intrudetur ſurſum vterus, & euolui rurſus prohibebitur. Quod quidem opus valde iuuabitur, ſi ceræ admiſta ſit aſſa fætida, quam vterus aufugit: iuuabitur quoque ſi grati odores ſub naribus apponantur. Poſtea verò prope inguina, quò ligamenta vteri pertingunt, & applicantur, quæ laxata eſſe dictum ſupra eſt, ceratum imponatur herbarum, quod exſiccando, adſtringendo, & corroborando, ligamenta laxata contrahit.

Cauſa prolapſus vteri.

Cura prolapſus vteri.

Penis vterũ non intrudit.

Qua ratione ex vtero fœtus emortuus extrahatur.

MORTVI fœtus extractionem cum Celſo inter difficillimas, laboriſſimas, & periculoſiſſimas conſtituo, ſiquidem cum ego pluries hanc Chirurgiam molitus ſim, perpetuò in ea ſudaui, & tandem defeſſus in fœtu ad exitum præparando, miniſtro ſæpe vltimam extractionem reliqui, & commiſi. Igitur, vt dixi, mihi partum maturum, & emortuum extracturo, cum rectum ſit iudex ſui, & obliqui, ſubit primum inquirere, & vos docere, quomodo fiat naturalis partus. Fit proculdubio in caput, ita tamen, vt ceruix, & dorſum infantis ſuperius, facies verò, pectus, & abdomen inferius ſpectet; id quod vt exactè pernoſcatis, illud priùs ſcire conuenit, quòd fœtus in vtero non rectam, ſed tranſuerſam habet poſitionem, quia ſi recta poſitione degeret, vterus nimis altè ſuo augmento aſcenderet, inteſtinaque, ac fortè etiam ventriculum premeret. Præterea caput, & facies perpetuò in excrementis mergerentur, neque ſanguis, & alimentum æqua-

Operationis huius difficultas.

Situs fœtus in vtero.

liter in totum corpus distribueretur, sed totus inferius in caput descenderet, ac præcipitaret. Sed neque etiam transuersè quidem commode collocari, & in transuerso spatio capi posset, nisi natura ipsum conglobasset, & ad rotunditatem, quo ad fieri potuit, reduxisset, nimirum extantia inflectendo, contrahendo; breuiando, & quodammodo retundendo. Itaque in brachijs vlnas ad humeros applicauit, manusque, & digitos flexit, in cruribus verò tibias ad coxas adiunxit. pedesque paulùm contorsit, & cum huiusmodi transuerso situ adiuncta est facies supina vnà cum pectore, & supino abdomine. Quia non erat consentaneum toto gestationis cursu, faciem, si prona esset, cum excrementis versari, quàm Galenus longè ab excrementis diffitam iure in libro de odoratus instrumento posuit: primo enim tempore leuior erat anterior embrionis pars, quod in abdomine excrementa nondum erant collecta. Hisce de causis fit, vt primo tempore fœtus supina facie, factus autem grandior deorsum inclinante, ad exitum autem properans, iam prona exeat. Itaque in faciem supinam degit, ac detinetur infans, eo, vsque in vtero ex Galeno, donec perfectus iam factus per os nutriri possit. Addo ego donec calor naturalis maiore indiget respiratione, quam ex arterijs trahatur, & suppeditetur. Igitur cum infans tam auctus, & perfectus in vtero est, vt non ampliùs eo sanguine, qui a venis vmbilicalibus subministratur, neque ea refrigeratione, quæ ab arterijs trahitur, sustineri, ac seruari possit, tunc commouetur fœtus in vtero, quærens iam tum alimentum; tum refrigerationem, seu respirationem sufficientem; quo commoto simul expultrix vteri facultas extemplo insurgit, & excitatur, cumque infantis caput vti pendulum vnà clinat, cum anteà in æquilibrio esset, & in vrina, & sudore totus fœtus transuersè & cæteris organis maius est, proindeque ponderosius, ita prius cæteris deorsum in abdomine innataret, vti iam dixi, commotus deorsum versus vteri orificium vergit; & cum priùs facie supina iaceret, in faciem pronam, dum deorsum mouetur, conuoluitur, quod vulgari voces obstetrices, & omnes dicunt: (la creatura s, è voltata.) Conuoluitur autem in faciem pronam, quoniam leuior pars in sublimi restat, & superiorem locum semper petit, & appetit quod medulla sorgi, cui plumbi lamina subiecta sit, immo ipsæ quoque aues manifestant, quæ vti ijs leuiores partes ad dorsum attinentes sunt, ita sublimiores fiunt, leuiores autem dorsi partes sunt, quia magis excarnes, & quod maius est, pendula, & librantia organa, vt cor pulmones, venter, intestina, vesica, & alia ad inferiorem locum sua natura perpetuò inclinant, quod iam iugiter repleta sint, vt dixi. Multis autem de causis fœtus humanus in caput exit, & partus in caput fit: Nam cum exire possit aut in pedes, aut in caput, aut transuersè, certè neque in pedes exire debuit, quod ab inuicem diducantur crura, sepeque alterum duntaxat exeat, altero inflexo relicto, ex quo partus difficilis redditur. Alia causa est, quia natura perpetuò ponderosiori alicuius corporis parti exitum deorsum præbet, vt facit in ouo per obtusiorem crassioremque eius partem; & in fœcibus per anum emittendis, tamquam pondus valde adiuuans deorsum inclinationem seù propensionem. Quod si in pedes non exit, multo minus transuersè exibit. Alià ratio est, quod quamuis facilè in crura exiret, superfunt tamen brachia, quæ impedimento sunt ad exitum. Quarta ratio est, quia natura non solùm quod ponderosius est facit primò exire, sed etiam quod latius; latius autem primò caput est & humeri. Quinta ratio est, quod caput rotundum est, pedes verò angulares.

Quomodo fœtus maturus exeat.

Causa cur fœtus in caput exeat.

VBI igitur fœtus in faciem inferius, & deorsum superius conuolutus deorsum capite inclinat, quod, ni fallor, fit in dextrum latus, vbi, locus liber magis, & vacuitate donatus est, cum ea pars colo intestino careat, quod sinistræ non euenit. Iam cum prius esset brachijs retractis, hoc est vlnis ad humeros applicatis, & tibijs ad coxas, quasi in seipsum totus conglobatus, esset que insuper vmbilicalibus vasis ab vmbilico ad dorsum ceruicemq; reuolutis, alligatus; iam (inquam) conuolutus sese ab vmbilicalibus vasis explicare incipit, deorsumque rectà capite descendens caput ad vteri os inclinat, & peruenit, pedes contra explicati, & directi superius spectant: quo tempore membrana amnios tenuissima capitis pondere abrumpitur, sicque exeunt vrina, & sudor, quæ in ea continebantur, lubri-

Cur fœtus in dextrum latus cœuoluatur.

lubricaſque omnes fœtus vias reddunt, & laxas, faciliſq; partus paratur, brachijs ſimiliter, dum caput per anguſtas vias exit, explicatis, & directis, inde tandem conſequitur infans. Qui ſi hoc ſanè modo exit, naturalis partus ſit. Quod ſi contra accidat, tunc partus difficilis euadit, & tardus, vt ſæpenumero fœtus in vtero, cum exire non poteſt, emoriatur ex denegato tum alimento, tum refrigeratione, ni aliud concurrat; atq. huic ſuccurrere in præſentia propoſitum eſt, ne fœtans vnà cum fœtu pereat.

Cauſa fœtus in vtero retenti.

CVM verò ex Paulo multipliciter contingat fœtum, ob difficilem partum emori. vel culpa parientis, vel fœtus, vel ſecundarum, vel extrinſecùs aduenientium. Nos alijs omiſſis à fœtu cauſas petemus. Qui ob duplicem cauſam emortuus educi non poteſt: vna, cum nimis magnus, & auctus fœtus eſt, viæ autem anguſtæ, quo minus recipere fœtum poſſint: altera cauſa eſt, cum non in caput, ſed aut in manus, aut in pedes conuerſum corpus fœtus eſt, aut in tranſuerſum iacet, quod duplum conſiſtere dicunt. Ex quacumque cauſa ſit, omnino ante omnia perpendere oportet, num recens mortuus ſit fœtus, an per aliquot dies antea, ita vt corpus intumuerit, aut vires ſint imbeciles, aut vomitus adſit, aut mortifera neruorum ex inflammatione diſtenſio, in quibus caſibus abſtinere ab extractione Chirurgus debet. Sed ſi valens mulier ſit, & infans recens emortuus, tunc figurata muliere ita vt tibijs, coxiſq; retractis ſit. Si partus non eſt ſecutus propter fœtus magnitudinem, & viarũ anguſtiam, oportet prius vias latiores reddere inſertis intus in vuluam, & vterum digitis, videlicet vno poſt alterum, vt tandem tota manus ſenſim intrudatur. Quod facto, pertentare habitum, & ſitum fœtus oportet, & ſi quidem caput ad os vteri inclinarum habet, tum altera manu ſenſim inſerta apprehendere caput ambabus manibus oportet, & trahere, quod ſi non ſequatur, rurſus, & tertio conandum, quod ſi fruſtra conatus ſiant, tũc vna manu vncus vndique lævis immittendus aut in os, aut oculum, aut aurem, aut frontem, & foras fœtus trahendus. Quod ſi neq. etiam hac ratione exeat, tunc non ſufficit ampliara via, ſed imminuere fœtus molem oportet, ſumpto Celſi vnco, quod priori ſimilis ſit, in interiore tamen parte per totam aciem exacuatur, quo incidere aut caput, & cerebrum; oſſaque extrahere, tum verò etiam viſcera oportet, nam ex huiuſmodi inciſionibus tum ſanguis, tum ichores, tum flatus multi exhalant, & ita hac quoque ratione minuitur fœtus moles, in quo caſu ſi brachium foras trahi poteſt, ſcalpello humeri articulus ad vuluæ orificium excinditur, atque ita fœtus mole maior, quam vt exire valeat, mole imminuta extrahitur. Quod ſi partus non fit propter aliam cauſam, quia caput ad vteri orificium non ſe inclinauerit, ſed prius aut brachium, aut crus foras exiuerit, & denigratum fuerit, in eo caſu immiſſa intus manu, & retracto intus brachio, Chirurgus aptare caput fœtus ad exitum debet, & eo aptato, aut vna, aut vtraque manu, aut mauis vnco trahere. Quod ſi fœtus non ſequatur, (vt plurimum autem non ſequitur, quod omnia intus ſint anguſtata; etenim vterus perpetuò compreſſum tenet fœtum, vt ipſum expellat) in eo caſu nihil magis prodeſſe expertus ſum, quam fœtum ſenſim in fruſtula diſſectum ſubinde extrahere: Quocirca ego dextra manu ſcalpello breui, validoque ſumpto, quẽ ſchodighino vulgo dicunt, intus fœtus emortui membra ſenſim excidi, & extraxi. Quæ res ab alio quam ab Anatomes perito fieri certè neque poteſt, neque debet. Poteſtis vos videre Celſum & Paulum, & ſimiliter Albucaſim, ſed ego quæ experientia ſæpiùs comprobaui, communicaui, & vos docui.

Modus extrahendi fœtum emortuũ ob viarum anguſtiam retenta.

Modus extrahendi fœtũ mortuũ alia de cauſa retentum.

EX his patet, cur fœtus in vtero non per longitudinem, ſed tranſuerſè collocetur, cur conglobatus ſit, & inflexa extantia habeat, curque facie ſupina primo tempore conſiſtat, deinde faciem in pronum conuertat, & caput deorſum vergat, & per partem abdominis & lumborum dextram conuoluatur, & deſcendat, & inſtãte partu a vaſis vmbilicalibus ſeſe explicet, & rectà ad vteri os caput dirigatur, tuncque manus, pedeſque extendantur, manus, quidem ſeſe trunco corporis aptantes ipſumque contingentes, pedes autem & crura ſurſum porrecta.

De relictis secundis extrahendis:

Secunda quid

VAMVIS secundæ sint in omnibus aggregatū ex membranis fœtum obuoluentibus, & carnea substantia, tamen hæ non sunt in omnibus similes, sed in mulieribus carnea substantia est veluti crassa placenta fundo uteri maximè applicata, cui postea omnia alia appensa, & alligata sunt. Si igitur secundæ, quæ statim à partu solent exire, relinquantur, neque ex attractu vasorum vmbilicalium à manu obstetricis sequaces sint, & Chirurgus ad manum sit, statim fœtu edito, ego dextra manu inuncta, intus in uterum immissa, quod tunc, cum omnia patefacta sunt, non est difficile, secundas extraxi; etenim vbi manu ad uteri fundum peruenī, statim digitis inter placentam, & uteri tunicam interpositis, sic eam vnguibus parumper circumcisis & retusis, & sumis digitis ab utero totam separaui, & extraxi cum felici successu. In qua re oportet Chirurgum esse Anatomes peritum, & vidisse iam situm, figuram, & magnitudinem placentæ, quæ illa est, quæ utero adhæret, & cui omnes aliæ appensæ membranæ sunt. Quod si secundæ sint relictæ, & Chirurgus sit vocatus post aliquot dies, in quo spatio astrictas vias esse suspicandum est; tunc pertentare Chirurgum manu priùs oportet vuluam, & uterum, quæ partes, si aditum manui amplius non præbent, iā, ad alia confugiendum, nimirum ad spiritus cohibitionem, ad sternutamenta prouocantia, ad suffitum aromatum ex fictili euaporatum, ad conquassationes, ad clysteres emolientes, item insessiones, & balnea similiter mollientia. At si ne sic quidem exempte fuerint, terrere nos non oportet, ait, Paulus; quia intra paucos dies secundæ putrefactæ, & in saniem versę excident, quod ego vt plurimum secutum vidi. Licet interdum non consecutum, sed interijsse viderim.

Modus extrahendi secundas.

Modus extrahendi secundas aliquando tentatus.

DE ANI CHIRVRGIIS.

ANVS seu Anulus, siue podex septē desiderat Chirurgias, propter totidem affectiones curandas. Prima anum non perforatum aperit. Secunda ani procidentia remittit & condit. Tertia ani condylomata curat. Quarta carnes circa anum adnatas, vulgò cristas, exterit. Quinta & Sexta vlcera & ani fistulas sanat. Septima de ani hæmorrhoidibus agit.

DE ANO NON PERFORATO.

Quomodo Autheranū imperforatū curarit.



NTERDVM nascuntur pueri cum ano non perforato quod dupliciter contingit: vel enim in eo foraminis saltem vestigium apparet: vel nullum conspicitur: in apparente ego foramen paraui incidendo crucis modo ad angulos rectos musculum à sectione tuentes per totum vestigium apparētes foraminis, postea cannulam plumbeam, aut argenteam impositi cicatricem obducente medicamento oblinitam, donec cicatrix obduceretur: etenim etsi ani locus pellicula obductus est, tamen orificij vestigium apparet, & tangentibus persentitur vacuū intus Albucasis lib. 2, c. 79. à Paulo desumens lib. 6. c. 81. dicit digito ab obstetrice perforādū esse, sed melius est ferro id facere, vti ego proposui, quā vngue virulento ignaræ mulierculæ negociū committere. Nisi fortè pellicula obstruens adeò tenuis sit, vt Chirurgus digito membranam disrumpere, ac foramen parare nō difficulter valeat. Cæterùm Paulus sub ano perforato proponit quoq. Chirurgiam ani, qui per malam curam vlceris sit agglutinatus, quod ego (vt verum fatear) nūquam vidi, & vix credo, posse huiusmodi casum dari, propterea quod oportet anum frequenter aperiri ad fæces excernendas: glutinatio autem in tam breui spatio succedere non potest. Præterea ad huiusmodi partem colluuies humorum, & excrementorum perpetuò confluit, quæ gluti-

Alia Chirurgia ani ex Paulo improbata.

nationem

nationem prohibet. Hoc modo nos anum ab ipſo natali die non perforatum curauimus. Alterum verò, in quo nullum aderat ani veſtigium, incuratum reliquimus. Nam aliquando vidimus fœminam ortam ſine ano, & egerentem per vuluam fæces, facto intus, ſed prope os vuluæ, foramine; quam propterea ſic incuratam reliquimus, rati, nos fœcum inuoluntarium exitum excitaturos; aut etiam ne ſi foramen pararemus, læderemus muſculũ, quem ignorabamus vbinam poſitus eſſet. *Quãdo hæc Chirurgia non tentanda.*

De ani procidentia.

INTERDVM quoque accidit ani procidentia, quæ in egerendis fœcibus contingit, iiſque maximè, quibus muſculi ſurſum anum trahentes debilitati ſunt. Hoc ſymptoma interdum ita adaugetur, & ſæuit, vt viderim ego, patientes pati procidentiam ita longam, vt cubiti menſuram æquaret, atque ita craſſam, vt ambos cubitos ſimul iunctos metiretur: quæ interdum medicamentis, & ſuffumigijs, interdum quietè iacendo, vt plurimùm autem manu ſurſum adigitur; quam meliùs ipſemet patiens, quam vllus alius accomodat. Hippocrates libro de fiſtulis ad modicam ani procidentiam voluit ægrotantem eſſe è manibus deligatum ſuſpendendum ad modicum tempus, ſic enim omnia pondere preſſa ſurſũ vergunt, primoque crura, tum ſedes, & alia. In maiori verò prolapſu, neque intus manente inteſtino, laterum mollitudines hoc eſt, regionem lumborum ſub coſtis præcingere cum faſcia oportet; ſub qua cretam iuuare, ſi ad ſedem ponatur, exiſtimo. Sed Hippocrates ad ſedem ſpongiam imponit aqua calida imbutam, in qua loti ramenta incocta ſint. Sed ego nihil præſtantius habui, quam fructus immaturos ligni guaiaci contuſos. Rurſus Hippocrates præcipit, quod vbi aluum exonerare patiens velit, inter tabulas anguſtiſſimas inſidens id faciat, & crura, dum ventrem exonerat, extendat, ſic enim minimè ſedes exciderit, ait Hippocrates; tum quia exitum inteſtini tabulæ prohibent anguſtæ à lateribus natium poſitæ, tum etiã extenta crura. Sed ſi hæc non poſsũt, Aetius lib. 14. cap. 8. ex Leonide vſtiones proponit cum ferramentis, quæ ipſi cauteria nucleiformia dicuntur, per commenſurata interualla exteraam ſedis partem inurendo. quia vſtio ad peruincendum defluxum ſufficiet, quod ſuperueniens cicatrix ſedem circulatim conſtringat. *Curaparus ani procidentia. Cura maioris procidentia.*

SED ſæpenumero anus propter ſuperuacaneas humiditates, quibus ſcatet, ſolet tria pati, quæ in genere auctæ magnitudinis conſiſtunt: Sunt autem carnis excreſcentiæ, quæ vulgo (creſte) dicuntur, quòd gallorum criſtam emulentur; item tubercula, condylomata dicta; tertiò hæmorrhoides. *Tria alia ani mala.*

DE CONDYLOMATE.

CONDYLOMA verò, quod eſt tuberculum ex inflammatione obortum, vt ait Celſus lib. 6, cap. 18, tunc Chirurgia curatur, cum obduruerit, neque medicamenta ampliùs valent; eius hæc ratio eſt. Volſella tuberculum apprehenſum iuxta radices exciditur. Quod ſi capitulum habet exiguum, & tenuem baſim, adſtringendum lino paulùm ſupra eſt, quam vbi cum ano committitur. *Modus excidendi cõdyloma.*

De carne adnata, ſeu Mariſci, vulgo Creſte.

Vary modi tollēdi ma riſcas.

QVOD ad Criſtas pertinet, quæ, vbi magnæ ſunt, Chirurgia curantur, forfice ſtatim præciduntur, tum verò vruntur. Sunt qui etiam filo ſerico aligēt, & ita ſubinde ſtringant, donec mortuæ cadant. Sunt etiam, qui ferro candente vrunt, & abſumunt. Sunt tandem, qui ferro incidente, ſimulque candente tollant, vt ſanguinis profuſionem vitent. Qui verò Chirurgiam reſpuunt, cauſtico medicamento coguntur eas auferre.

DE ANI VLCERE.

Cauſa vlceris in ano.

FREQVENTER ſolent intus in ano oboriri vlcera, cum is locus ſit omnium corporis excrementorum veluti ſentina & cloaca. Maximè autem vlcera fiunt tum propter pituitam, tenuius ventriculi excrementum, illuc tranſmiſſam, & ex mora à calore ſalſam redditam; præcipuè autem propter bilem, quæ à poro felleo in inteſtina emittitur, quæ cum acris ſua natura ſit, acriorq. reddatur propter moram, quā trahit in inteſtino recto, propter muſculum ſphyncter a; ideo fit, vt interdum opus ſit huiuſmodi vlcera ſpeculari, ad qualitatē & quantitatem eorum perquirendam: ad quod præſtandum ars inſtrumenta excogitauit, quæ vulgo ſpecula dicuntur, quorum duplex habetur forma. Sed ego non admodum frequenter his ſpeculis vtor, propter noxam, quam inferunt partibus affectis ob dilatationem diſtentis. Et cum eorum vſus ſit tantùm quantitatem vlceris oculis contēplari, ego ſoleo vlceris quantitatem metiri & conijcere ex copia ſaniei excrementis miſtę, quanta enim eſt ſames, tantum eſt vlcus: Sicuti vlceris qualitatem ex qualitate ſaniei. Veruntamen ſi aliquid in anum immittendum, index gitus initius immittitur, quo non ſolum vlcus, ſed etiam durities & tubercula exquiſitiùs percipiuntur.

Author quā ratione quālitatem vlceris cognoſcat.

Cura vlceris in ano.

CVRANTVR poſtea ani vlcera non Chirurgia dumtaxat, ſed & Chirurgia, & medicamentis. Itaq. clyſteres infunduntur ex aquis thermarum Montis ęgrotorum, aut puris, aut, pulueribus admiſtis ex aloe, cornu cerui vſto, tutia, item myſi, ſori, chalcitide, maximè autem ex melanteria. Quia verò ferè ſemper pro ſingula vice bis ſaltem oportet clyſterem immittere, ſemel cum pura aqua, ad ſimpliciter vlcus eluendum & emittendum; altera vice cum pulueribus ad eos detinendos: neque commodum eſt inſtrumentum toties immittere, & foras trahere, quod locus vlceratus ſit & dolens; præterquā quod offendit ferè ſemper intus anum fiſtula ænea ipſius inſtrumenti, ideo immittitur primò in anum læuigata fiſtula, & intra illam poſtea inſtrumenti fiſtula. Alia cauſa eſt, quia fiſtulam ſine inſtrumēto ipſemet patiens poteſt intrudere ſine dolore. Fiunt itē inſeſſiones manè & veſperi per horam in ijſdem aquis, imponendo fiſtulam in anum aut argenteam, aut buxeam perforatam, vt aqua intus permeare poſſit.

DE ANI FISTVLIS.

Fiſtula duo rum ſit genera.

SOLENT prętera ani vlcera ſæpe creare fiſtulas exterius circa anū perforando rectum inteſtinum. Interdum verò circa anum oboriuntur fiſtulæ rectum inteſtinum haudquaquam perforantes, ſed circa anum conſiſtentes, & in carne terminum habentes: quæ ferè non ſanantur niſi inciſione; atq; hæc duobus modis, & duplici Chirurgia abſoluitur. Prima à Celſo proponitur libro 7. cap. 4. de ani fiſtulis, & eſt ille modus, qui paſſim vſurpatur ab omnibus Chirurgis, & fiſtulam incidit lino ſeu filo; & vtuntur eo omnes tum in fiſtula inteſtinum perforante, tum non perforante. Sed Celſus ipſum proponit in fiſtula non perforante inteſtinum, &

adeo

adeo eleganter, & exactè ab ipso hic modus proponitur, vt non inutile esse existimauerim eius verba referre. Inquit Celsus: In fistulam demisso specillo, ad vltimum eius caput, incidi cutis debet, dein nouo foramine specillum educi lino sequente, quod in aliã eius partem ob idipsum perforatam coniectum sit. Quæ celsi verba manifestissima sunt, neque opus habent alia explicatione, nisi vt ostendatur Celsi specillus linũ ducens. Quo loco nos Celsi modo addere possumus, videlicet, incisionem cutis, quæ fit ad vltimũ specilli caput, posse fieri dupliciter: Vel exterius, ex Celso, scalpello incisa cute: vel interius cũ eodem specillo sic efformato, vt caput eius non rotundum, vt Celsus proponit, sed aut simpliciter acutum sit, aut exiguam habeat, aciem, vt incidere ab internis, & exterius educi possit; qui modus tutior est. & magis expeditus. Cuspidi. tamen specilli minima pila cerea applicanda est, ne fistulæ latera acumine suo offendat, & liberiorem habeat transitum.

Duplex modus incidã di fistulã.

SEQVITVR Celsus, & proponit lini vsum: Ibi linum prehendẽdum, vinciendumque cum altero capite est, vt laxè cutem, quæ super fistulam est, teneat. Postea explicat Celsus, quid sit linum propositum: idque linum esse debet crudum, & duplex, triplexue, sic tortum, vt vnitas facta sit. Notetur, ab Hippocrate sæpenumero fieri mentionem de lino crudo, item à Mercuriale. Hoc lino etiam Hippocrates vtebatur ad vstiones efficiendas, de quibus suo loco. In præsentia autem discatis à celso, quid ex Hippocrate per linũ crudum intelligendum sit. Per linum crudum primò, mea sententia, intelligitur, quod non solùm verum linum, sed etiam cannabem generaliter comprehendit: Nam nostri artifices crassiores chordas ex cannabe conficiunt. Secundò per linum crudum intelligitur, quod coctum non est, & ignis vim non est expertum. Quod potest esse triplex: vel linum, quod nendo mulieres adhuc non contorsere, sed lini tantum filamenta pexa sunt: seu stramen: vel quod nendo tortum est. Non intelligitur linum crudum, quod tortum non est, quia lini filamenta seu fibræ non tortæ, non, vt expedit, tenent; sed intelligitur tantum linũ tortum, non tamen coctum: Quod tamen duplex est; vel simpliciter, vel multipliciter tortum; & ideo Celsus omnia breuiter explicans dixit: Idque linum esse debet crudum, & duplex, triplexuè, sic tortum, vt vnitas facta sit. Quasi dicat Celsus, per linum crudum intelligere oportet linum tortum non coctum, quod esse potest vel simplex, vel duplex, vel triplex: quodcunque potest esse idoneum, sed simplex minus est idoneum ad stringendũ, & tenendum sic vt citò non putrescat: at linum crudum tortum duplex, triplexvè est magis idoneũ ad vsum propositum, & ideo Celsus posthabito lino crudo torto simplici, dixit: Idq; linũ esse debet crudum, & duplex, triplexvè, sic tortum, vt vnitas facta sit. Quòd sanè ex eodem Celso lib. 5. cap. 26. acia dicitur, vulgo azza, seu refe.

Lini vsus in fistulis.

Per linum crudũ quid intelligatur.

NOS autem huic quoque loco adijcere aliquid possumus, quod confert ad faciliorẽ, & commodiorem Chirurgiam. Celsus & Hippocrates vtuntur lino crudo duplici, vel triplici, sed torto, vt vnum filum fiat, & hoc vt teneat, stringat, incidat cutem, & nõ facilè putrescat. At nostris temporibus ars vsurpat filum sericum, quod validius tenet, magis stringit, & non solum ex se, sed etiam ex colore propter chalcantum, & tincturam citiùs cutem incidit, & tardè ac difficulter putrescit: quod filum sericũ cũ mitiùs incidere volumus, & valentius stringere, cera oblinimus. Et est vsitatissimum remedium, & adeo opportunũ, vt verba Celsi, quæ ipse subiungit, sint quodammodo superuacanea. Nam filum sericum durat vsq; quo facta sit incisio, & ideo non est immutandum, vt immutari vult Celsus linum crudum, hisce verbis: Tantummodo id linum bis die saluo nodo ducendum est, sic vt subeat fistulam pars, quæ exterior fuerit. Neque committendum est, vt id linum putrescat, sed tertio quoq; die nodus resoluendus est, & ad caput alterum recens linum alligandũ, eductoq; vetere, id in fistula cum simili nodo relinquendum: Sic enim id paulatim cutem quæ supra fistulam est, incidit, simulque & id sanescit, quod a lino relictum est, & id, quod ab eo mordetur, inciditur. Subiungit adhuc Celsus, quod hæc ratio curationis longa, sed sine dolore est. Et reuera si expectemus a lino incisionem, si linum non vehementius stringatur, diutius protrahetur cutis incisio. At si festinare volumus, tunc, dicit Celsus, curatio erit dolorosa, & oportebit astringere cutem linò, quò celeriùs secet, noctuq; ex peni-

Filum sericum magis idoneum lino, & quare.

cillo

cillo tenuia quædam intus demittete, vt cutis hoc ipſo extenuetur, quo extenditur. Adijciturque celeritati, ſicut quoque tormento (inquit Celſus) ſi & linum, & id, quod ex penicillo eſt, aliquo medicamento illinitur, ex his, quæ callum exedunt. Nos autem vt arctiùs ſtringeremus, poſuimus feſtucam ligneam ſub filo medio, & ipſam contorſimus circa filū, vt filum aſtringeret arctiſſimè, vulgò (à modo di manganello.) Sunt tamen plerique ægro tantium, qui vt vtrumque extremum deuitent, videlicet aut indolentem, ſed nimis lōgam curationem, aut cum tempore nimis dolentem; eligunt potius dolentem & quaſi momentaneam, quæ ictu ferè oculi fit; & eſt ſecunda Chirurgia, quæ procedit ſimiliter inciſione: Sed inciſio ſit cum ferramentis, quam etiam Celſus innuit, cum dicit: Poterit tamen fieri, vt ad ſcalpelli curationē etiam illò loci veniendum ſit, ſi intus fiſtula fert, ſi multiplex eſt. Sed quæſo, notate modum ſecandi Celſi, eius verba & artificiū, inquit enim: Igitur in hæc genera demiſſo ſpecillo duabus lineis incidēda cutis eſt, vt media inter eas habena tenuis admodum eijciatur, ne protinus oræ coeant, ſitque locus aliquis linamentis, quæ quā pauciſſima ſuperinijcienda ſunt, omniaq; eodem modo facienda, quæ & in abſceſſibus poſita ſunt. Quæ Celſi verba aliqua indigent expoſitione, Sed prius illud ſcire conuenit, quod modus incidendi has fiſtulas, & qui ab omnibus paſſim vſurpatur, eſt, vt per totum ductū incidatur fiſtula, & fiat, inciſio peculiari inſtrumento, quod a Galeno Syringotomon dicitur, noſtri vulgo (falzettā) dicunt, quod ſit inſtar paruæ falcis. Ex his habentur quædam rudiores, quædam elegantiores; ſed inter elegantes aliæ ſunt ex altera extremitate acutæ, aliæ retuſæ, & globatæ, globulumq; efformant, vt globulo donatis fiſtulas penetrātes, acutis verò quæ non penetrant, perforemus; ad quem vſum etiam vna ex rudibus, quæ exiguā habet aciem ſubſtituitur. His nos ſolemus fiſtulas tum penetrantes, tum non penetrantes per totum feliciter & incidere, & curare. Sed Celſi curatio ad non penetrantes ſimilis non eſt, quia vult vt per totum ductum nequaquam fiſtula incidatur, ſed in medio ſuæ longitudinis ſeu ductus aliqua portio cutis integra relinquatur, & habena eijciatur. Ita.n. verba Celſi ſonare videntur: In fiſtulam demiſſo ſpecillo duabus lineis incidēda cutis eſt, vt media inter eas habena tenuis admodum eijciatur, ne protinus oræ coeant. Perquæ verba (nī fallor) Celſus vult, quod vbi fiſtula ferro incidenda eſt, & iam in principio & fine eius aditus patet, tunc nō tota incidatur, ſed in medio relinquatur aliqua cutis portio integra, ſub qua tenuis habena ponatur, ne protinus oræ coeant. Primò Celſus non totum fiſtulæ ductum incidit, ne nimis longa, proindeque ad curationem diuturna, & cicatrici obducendę latiori ac turpi cauſa inciſio ſit. Deinde habenam ponit; & hoc facit, ne protinus oræ coeant, quia inciſiones & abſceſſus omnes, vbi inciſi ſunt, curantur glutinatione; ſed fiſtula etſi curari debet glutinatione, tamen non tam citò glutinatio expetenda eſt. Cur vero protinus oræ glutinandæ non ſint in fiſtula, Celſus non dicit. Sed ego ex praxi dicam quid obſeruarim. Obſeruaui enim quod his inciſis fiſtulis inter curandum, dum caro carni glutinabatur, ſæpe inferius in eodem ductu carnem ſubnutriri, foramenque produci quaſi nouæ fiſtulæ: id quod prouenit propter partis prauum & longum habitum contractum; & niſi ego ſpecillo ſubinde eiuſmodi foramina & carnem laceraſſem, certè fiſtula ex toto non fuiſſet curata & glutinata.

Quomodo Author filū aſtringat.

Chirurgia fiſtularum per inciſio. nem.

Falcicite duorum ge nerum.

Cur in fiſtu lis ora non ſtatim glu tinanda.

FORTE Celſi verba alio modo explicanda ſunt. In fiſtulam demiſſo ſpecillo duabus lineis incidenda cutis eſt; id eſt, per totum fiſtulæ ductum, hoc ſcilicet, modo vt media inter eas habena tenuis eijciatur; hoc eſt, vt habena ponatur media inter ambas lineas factas, ne protinus oræ coeāt. Quæ expoſitio ſenſum priorem non mutat, quia etiam ſub hoc modo prouidendum eſt, ne protinus oræ coeāt, & relinquatur fiſtula. Quæ omnia libenter communico, quia pertinent ad praxim & experientiam, quam nō poſſunt aſſequi, niſi qui ſæpe & diutiſſimè fuere in artis operibus exercitati.

Alia verborum Celſi explicatio.

HAC experientia ductus, adhuc alia de his ani fiſtulis communicabo. Vti dixi, circa anum fiſtulæ ſunt genere duplices, aliæ interius habent ortum ab inteſtino; aliæ exterius à cute.

Cauſa fiſtularum.

QVAE interius oriuntur ab vlcere inteſtini, quod exedit & perforat, & inde exit exterius

rius per cutem ſanies. Si verò oriuntur exterius, non eſt neceſſe vlcus intus eſſe, ſed exterius oborto tuberculo, eoque in cute circa anum ſuppurato, ſubinde ſanies erodendo ſinũ efficit, quæ etiam inteſtinum interdum perforat, interdum non perforat, ſed ad inteſtinum finitur. Omnes Chirurgia curantur, nam medicamentis raro ſanitatem recipiunt, etiamſi fiſtula callum adhuc non contraxerit, quia hæ partes perpetuò fluxioni obnoxiæ ſunt, & quaſi excrementorum cloacæ; & ideo curantur inciſione, quæ in fiſtula penetrante fit ſyringotomo. Sed prius oportet nos ex ſignis dignoſcere, an inteſtinum penetrent, an non. Dignoſcitur, quod penetrans fiſtula ſit, ſi flatus per fiſtulam exterius exit; fæces item per exterius orificium exeunt, quæ interdum ex colore, interdum ex odore in ſanie commiſtæ percipiuntur. Præterea, certum quoque ſignum fiſtulæ penetrantis eſt ſpecillus, qui immiſſus, ſi maior portio quam loci reſpondent ingrediatur. His certius ſignum eſt vinum, aut dilutum infuſum per clyſterem aut in fiſtulam, aut in anum, quod ex altero extremo exeat. Omnium autem certiſſimum ſignum eſt, ſi digitus index in anum immittatur, tum verò ſpecillus exterius per fiſtulæ orificium, ſi ſpecillus nudus digito occurrit, iam exploratum eſt penetrare. Quod vbi certa res eſt, ſolemus digiti apice, & vngue quodamtenus circumciſo tenuem, argenteum, & flexibilem ſpecillum incuruare & inflectere, & per anum foras trahere, poſteà ad capulum rotundum ſericum filum alligare. & ſpecillum exterius trahere quouſque filum appareat, tum vtrumque fili extremum alligare, & quotidie ſtringere, ſic enim à filo ſerico quod medium eſt ſenſim eroditur & inciditur. Sunt qui ferrum pertimeſcant, & vniuerſi ſinus inciſionem à filo fieri expetant; quod non laudo, quia nimis moleſta & tarda eſt inciſio, & dolor aſſiduus, & longa curatio: Sed laudo vt ſyringotomo incidatur totus fiſtulæ ductus, quæ inciſio fit cum ſyringotomo globulum ex altero extremo habente. Facta inciſione curatur vulnus ijs, quæ carnem gignunt, & cicatricem inducunt.

Signa fiſtula penetrantis.

Modus inueſtigandi fiſtulas.

SED quæritur, quomodo curãda ſit fiſtula, quæ exterius à tuberculo in cute oborto habeat originem, & verſus anum permeet, non tamen inteſtinum penetret, ſed ad vſque eius tunicam pertingat. Quæritur, inquam, quid ſit agendum, videlicet, an perforandum ſit, an non? Per multum tempus ego veritus ſum perforare, & abſtinui à perforatione, ſed cũ viderem per multas curationes vel fiſtulas non ſanari, vel quam pauciſſimas, & maxima cum difficultate ſanari, quod neque glutinaretur, neque carne repleretur vnquam fiſtula. Tandem quando prope anum ſpecillum pertingeret, perforaui inteſtinum, & ita proſperè ſucceſſit curatio: Idque feci fretus verbis & ſententia Hippocratis in libro de hæmorrhoidib. ita ſcribentis: Rectum enim inteſtinum & ſecans, & reſecans, & conſuens, & vrens, & putre faciens, etiamſi grauiſſima hæc ſũt, nihil læſeris. Vti autem veriſſimũ Hippocratis dictum eſt, ita & illud pluſquam verum experientia confirmauit, quod inteſtinũ rectum longe ſupra ab externo inſtrumento perforatum mortale fuit. Quod accidit cuidam ſacerdoti, probo & literato viro, qui cum aluum naturaliter haberet exſiccatam, & fæces obduratas, aliquando immiſſo intus baculo acuto facto, vt fæces traijciendo foras eliceret, rectũ inteſtinum ſuperius perforauit, & ſpatio ſeptem, circiter horarum ex vehementiſſimis doloribus obijt: quam punctionem cum à principio patiens celaret, nos eiuſmodi dolores vt colicos curabamus; ſed confeſſione facta, nos poſtea mortuum diſſecuimus, & inteſtinum rectum verſus ſuam originem perforatum inuenimus.

Qua ratione curetur fiſtula à tuberculo extrinſecus orta.

Hiſtoria.

DE HEMORRHOIDIBVS.

DE hæmorrhoidibus agentes, non Chirurgiam tantum trademus, vt in alijs factũ eſt, ſed primò naturalem hæmorrhoidum hiſtoriam præmittemus. Deinde quis nam vſus hæmorrhoidum in medicina ſit, explicabimus. Vltimò Chirurgiam adminiſtrabimus.

Propoſitio.

AD primum quod attinet, Hæmorrhois eſt vox compoſita παρὰ τὸ αἷμα, quod ſanguinem, & ῥέω, quod fluo ſignificat, & ſanguinis fluxum ſeu fluuium ſonat. Quod licet ad venas referatur ſanguinem fundentes, non tamen omnes venæ ſanguinem fundentes hoc nomine appellantur, ſed tantum Celſus, & Galenus de theriaca ad Piſonem, capite 5. venas ſedis, & vteri hæmorhoidas appellarunt, fortè per excellentiam ita nominãtes, quid præ cæteris venæ tum ani, tum vteri frequenter fundere ſanguinem ſoleãt. vnde Celſus li-

Hæmorrhoidis etymon.

bro 6.cap.18.idem affirmans, & loquens de venis ſedis, dixit: ora venarum tãquam ex capitibus quibuſdã ſurgentia, quæ ſæpe ſanguinẽ fundunt, hæmorrhoidas Græci vocant. Et ſubiungit: Idq; etiam in ore vuluæ fœminarum incidere conſueuit. Idem quoq; ſenſit Paulus lib.3.cap.59. Quo loco aduertendum, Galenum, Celſum, & Paulum potiùs ora venarũ hæmorrhoidas appellare, quã venas, & meritò, quia ex oris sãguis effunditur: & quia eiuſmodi oræ ſanguinem ſæpe fundentes ſunt potiſſimum in vtero, & ſede, ideo in his tantùm partibus hæmorrhoidas eſſe cenſuerunt. Cauſa autem, cur in ſede capita venarũ aſſurgãt, & intumeſcentes ſint, & ora aperiantur, & ſanguinem effundãt, duplex eſſe poteſt: vna eſt, quãdò natura a sãguine craſſo irritata ad venarũ capita propellit, & ora aperit: Altera verò cauſa explicatur ab Hippocrate libello de hæmorrhoidibus his verbis. Cũ bilis, aut pituita ad venas recti inteſtini decubuerit (intelligatis vos bilem, quæ à poro felleo in inteſtina eructatur, & pituitã ſimiliter in ventriculo genitam, & quæ ad inteſtinum rectum tranſmittitur) & ex mora caleſcit, & ſalſa redditur, vtraq; ſanguinem, qui in venis eſt, calefacit: caleſcentes autem venæ ex vicinis venis ſanguinem attrahunt, & vbi replentur, interna ſedis pars intumeſcit, & capita venarum ſupereminent, & partim dum à ſtercore exeũte comprimuntur, partim dum à coaceruato ſanguine coguntur, ſanguinem eiaculãtur; atque hoc maximè quidem vnà cum ſtercore, aliquando verò etiã ſine ſtercore. Hæc ait Hippocrates. Nunc hæmorhoidum differentiæ proponendæ ſunt. Prima differentia hæmorrhoidum ea eſt, quia alij habent, alij non habent: quam differentiã poſuit primò Hippocrates, dũ dixit: Qui hæmorrhoidas habent, &c. Et ex ipſa experientia, & rei natura elicitur. Quę etiam differentia obſeruatur non ſolum in ſingularibus, ſed etiã in vna magis, quã in alia regione. Vnde qui ſeptentrionalem plagam habitant, pauciſſimi ſolent hæmorrhoidas habere; contra qui meridionalem. Puto ego id prouenire ex frigiditate, & caliditate aeris ambientis, quæ in illis quidem venarum ora aſtringit, in his verò humores, & ſanguinem exurit, funditque, & ora venarũ aperit. Secunda differentia ſit illa, quam Paulus innuit lib.3. cap.59. item Aetius lib.14.c.5. & ante ipſum Galenus in Iſagogicis introductionibus, quod aliæ hæmorrhoides ſint cæcæ, ſeu obcęcatæ, alię apparentes, & apertę. Apparentes notę sũt, etenim ſunt venarũ ora hiantia, & aperta. Cęcæ vero, ſeu obcæcatæ ſunt, vt puto, quarum alias ora aperta fuere, nunc verò obcæcata ſunt, & clauſa: etenim eius, qui nunquã hæmorrhoidas habuit, impropriè dicimus cæcas eſſe: Ideo Aetius cæcas hæmorrhoidas appellauit ſemper intumeſcentes, nihil aut parum admodum excernentes. Tertia differentia eſt, quia hæmorrhoides, aliæ sũt, quę ſanguinem fundunt, & tumidę non ſunt; alię ſunt, quæ ſanguinem fundunt, & tument. Quę non tument ſunt verę, & inculpatæ, ſi modò moderatè fluãt, Quę verò tument, ſignum eſt non omnem ſanguinem emittere, ſed craſſum in ſe cõtinere. Rurſus hæmorrhoidum, quæ cęcæ ſunt & tument, alię ichores effundunt, alię ſaniem; quę ſaniem, ſunt exulceratę, quę verò ichores, excoriatę non ſunt, ſed ex poroſitatibus propter intumeſcentiam adapertis fluunt, ideoque in nixu in egerendis fęcibus ichores effunduntur. Alias quoq; hęmorrhoidum differentias, videlicet quinq. adhuc propoſuit Galenus in lib. definitionum medic. qua à magnitudine, multitudine, figura, loco, & cõſtitutione deſumuntur. A magnitudine, cum aliæ magnæ ſint, alię paruę, alię mediæ. A multitudine cũ plures in alijs oræ hiantes, in alijs pauciores habeantur. A figura, quod nõnullę anguſtę, quędam latę ſint baſi. Item quędam vuę acinum referãt tum figura, tum magnitudine, tũ atro colore. A loco, quando alię in ano, quędam in ſphyncter, ideſt, ſtrictore, alię in recto ſunt inteſtino. A conſtitutione, quoniam aliæ mites ſunt, alię malignę, carcinodes dictę, & prętera alię gangrenoſę, alię nõ. His propoſitis hęmorrhoidũ varietatib. & differẽtijs, ea poſtremò proponenda eſt, vt ſciamus hęmorrhoidas alias quidẽ fieri à vena portę ſeu lienis alias a vena caua. A vena lienis hęmorrhoidas fieri omnes tum antiqu, tum recentiores teſtantur, & ipſa Anatome confirmat, quam cõmonſtrat à vena lienis à iporta deducta propaginem effatu dignam recta deorſum ad rectum inteſtinum produci, & retrò magis ad coccygem in ipſum inſeri, & propagari: At à vena caua, hoc eſt, à propaginibus venæ cauæ, quæ in magna cauitate ab oſſe ſacro & coxendice efformata producuntur, duo effatu digni rami antiquis ignoti, ad anum propagantur, à dextra, alter à ſiniſtra parte; qui per inteſtini & ſedis muſculos diſſemi-

Cauſa hæmorrhoidũ in ſede.

Prima hæmorrhoidũ differentia.

Secũda differentia.

Tertia differentia.

Alia hæmorrhoidũ differentia.

Alia hæmorrhoidũ differentia ab origine & propagine venarũ ſumpta.

diſſeminantur, & venas & ipſi conſtituunt hæmorrhoidales ſanguinem fundentes: & non ſine ratione ſanguinem fundunt. Nam venarum rectitudo primò confert, inde ſanguis ſuo pondere illuc influens, ac deſcendens venas implet, ac diſtendit; poſtea ſequitur muſculorum motus, qui conſtringendo exprimit, tum dilatatio inteſtini, & muſculi a fecibus ſuccedit. Omitto Hippocratis rationes ſuperius adductas. Quæ omnia aperiri ora venarum cogunt, & vtilem profuſionem promouent ad morbos tum præcauendos tum debellandos.

SED antequam id diſquiramus, videlicet quomodo hæmorrhoides morbos tum arceant, tum curent, non incommodum eſt ante omnia duarum propoſitarum venarum hiſtoriam exactè recenſere. Venæ hæmorrhoidales, quæ potiùs vaſa hæmorrhoidalia dici deberent, quod venæ à caua deductæ comitem habeant arteriam, non tamen ab antiquis vaſa, ſed venæ dictæ ſunt hæmorrhoidales, quòd vti opinor vena hæmorrhoidalis lienis arteriã non habet adiunctam. Vel potiùs dicamus, quia venarum ora non difficulter aperiantur, & ſanguinem fundant: arteriarum verò aut nequaquam, aut maxima cum difficultate, quia arteriæ corpus durum eſt, & ora aſtricta ſunt; tum verò arterialis ſanguis vacuatione non indiget, cum rarò quantitate, aut qualitate peccet, vt venarum ſanguis, ideo eum natura quaſi theſaurum ſibi conſeruat. Hic igitur venarum ſanguis hoc ſanè modò primum à porta ad ſedem deriuatur. Etenim à magno portæ ramo, qui ad lienẽ fertur, quaſi ab eius medietate propago effatu digna oritur, & recta per meſenterium ad rectum deſcendit inteſtinum, quæ longè ſupra in ipſum pertingit & diſcurrit, quam ad vltima inteſtini labra finiatur. Vltimò oris ſui terminum in inteſtini finem habet, multis, non tamen in totum exiguis propaginibus, præſertim cum tument, & ſanguinem fundunt. At alia vaſa hoc ſanè modo à caua vena, & magna arteria ad anũ deducuntur. Etenim à magna vtriuſque biſurcatione, (vt ſic loquar) in vltimis lumborum vertebris facta, duo maximi rami hinc inde, vnus tũ venæ, tũ arteriæ in crura propagantur, in qua parte priuatim arteria venæ ſuperſtat; ab his duæ effatu dignæ propagines producuntur, & ambæ obliquè ad rectum inteſtinum, nõ tamen in eius corpus inſeruntur, ſed in muſculum ipſum cingentẽ inteſtinum, ſphinctera dictum, applicantur, & per ipſum diſcurrunt; poſtea adhuc exterius excurrentes, podicem, & alium ſphinctera cutaceum, & ipſam etiam cutem intertexunt; atque in hæc finiunt. Podex enim, ſeu anus, hoc eſt, exterior anuli, ſeu ani pars ex muſculo, & cute conſtat, vtraq. pars tenuiſſima eſt. Nã muſculus ex tenuiſſimis membranæ carnoſæ fibris in orbem ad podicem circumductis conflatur; cutis autem propemodum labiorum cutem imitatur. Tenuiſſima autem oportuit eſſe hæc duo corpora, alioqui aſtringi examuſſim non poſſent: atq; cum hic ſphyncter ſuperficialis muſculus cõiunctionem habeat cum muſculo alio ſphinctere interno, qui exterius inteſtinũ obuoluit, fit, vt propoſitæ venæ cauę propagines, quæ ad internũ ſphinctera prius pertingunt, etiam ad reliquum podicem exterius perueniant: ex quo ſequitur, vt ſanguis omnis vtriuſq; ſphincteris, & cutis, venæ cauæ ſanguis ſit, & externæ hæmorrhoides iure appellari poſſint, quòd in exteriori, ſuperficie appareant, & finiant. Contra qui a vena lienis ad inteſtini corpus influit, & ipſum irrigat, omnis venæ portæ ſanguis ſit, tum verò hæmorrhoidales venæ internæ hæmorrhoides iurè debeant appellari, quod ad inteſtini oram perueniant; quam non ita promptè, niſi digitis eam exterius trahendo, coſpices. Duæ autẽ ſunt hæmorrhoidales venæ videlicet a porta, & caua deductæ, propter eam cauſam, quoniam vſus venarũ, quæ in ſede ſunt, generaliter ijdem ſunt, qui aliarum venarum, videlicet ad partes ſanguine enutriendas. Et quia in ſede duæ ſunt partes ab inuicem multò differentes, craſſum inteſtinum & muſculi, quæ anum conſtituunt; Nam quamuis Galenus tres partes in ſede conſtituat, anum, inteſtinum, & ſphinctera muſculũ: quia tamen per anum tortè muſculum in ſuperficie poſitum tenuem, & coriaceum, ipſum quoque ſphinctera intellexit, propterea verè dictum eſt, in ſede duas partes notari: quas diuerſo ſanguine nutrire natura cõſueuit. Nam inteſtinum craſſum, vti omnia in abdomine, & a peritoneo mẽbra cõtenta & cõcluſa, tanquã primæ & infimæ animæ, vegetali nimirum, famulantia, a portæ ramis & ſanguine, nimirum chyloſo, neq; ita puro, nutriuntur. Muſculi verò oſſ, & cutis, tanquã perfectoria organa, nimirum ſentienti mouentiq; animæ famulantia,

Hiſtoria & propago venarum hæmorrhoidalium.

Compoſitio podicis.

Venæ hæmorrhoidales duæ.

Duæ tantũ partes ani.

mulantia,à caua nutriuntur,nempe ſanguine defęcato & puro, vt cæteræ corporis partes. Propterea conſentaneum erat in ſede duplex genus venarum conſtituere, & portæ,& cauæ.

Non omnia membra in abdomine à peritonæo concluduntur.

NOTANDVM autem eſt,quod rarum vobis videbitur, quod etiam Galeni doctrinæ non conſentire apparet, qui omnia membra in abdomine contenta peritonæo obduci voluit,vt ventriculum,inteſtina,iecur,fellis veſicam,lienem, omentum, meſenterium, renes, veſicam,vterum,vaſa,& ſi quæ aliæ ſunt in infimo ventre contentæ partes:cum tamen hoc verum non ſit. Sed rei veritas ſic ſe habet, quod omnia membra in abdomine contenta, quæ à porta vena habent, & ab ea nutriuntur, tantùm à peritonæo comprehenduntur: quæ verò à caua,extra peritonæum ſunt etiamſi in abdomine continentur. Quocirca renes,qui à caua per emulgentes; & veterus,qui à caua,quæ apud os ſacrũ,& veſica:omnia, inquam,hæc à peritonæo non concluduntur.Id quod non difficulter experieris, ſi peritonæi ſeparationem à ſubiectis partibus ex Anatome ipſis digitis tentabis, liquidò enim apparebit,renes,& alia ſub peritonæo non conſiſtere. Quæ ſi vera ſunt, nil mirum,ſi in imo ventre,& recto inteſtino duas hæmorrhoidales venas conſtituamus,portæ & cauæ,poſteaquam & alię partes in hoc infimo ventre contentæ,etiam,& à porta,& à caua venas ſortitæ ſunt,non tamen pari ratione omnes. Nam renes ita à caua venas ſortiuntur, vt à portæ nequaquam recipiant:At rectum inteſtinum primò intuitu videtur tum à porta, tum à caua venas admittere:quod tamen verum non eſt, quia vena hæmorrhoidalis à porta ad inteſtinum ſolum defertur,à caua verò ad ſolos muſculos,vti paulò ſupra dictum eſt.

Partes ani à caua nutrię.

ITAQVE ad rem reuertentes,duplex genus venarũ hæmorrhoidalium cõſtituere oportet,portæ & cauæ.Et quia ani partes,quæ à caua nutriũtur,& numero plures,& mole maiores sũt; etenim quatuor ſunt muſculi,vnus ſphincter,qui craſſus eſt, & in orbem cingit inteſtinum:& alij duo, hinc inde vnus,inteſtinum attollentes: & quartus cutaneus anum cõſtringens:hinc factum eſt,vt venæ à caua deductæ duę ſint, à porta verò vna tantum, & à lateribus primæ producantur,qua hinc inde muſculi ſunt. Et quia muſculi nobiliores partes ſunt,ideo arteriam adiunctam habent,ignobiliores verò,vt inteſtinum, arteria ſunt deſtitutę;vti etiam plantæ hac eadem anima præditæ. Patet igitur, cur venæ in ſede duorum ſint generum,portæ ſcilicet,& cauæ,& cur vna à vena porta,duæ verò a caua ſint tranſmiſſæ: & quæ à caua hinc inde poſitę ſint, quæ verò à porta retro magis; denique quę à porta arteria deſtituatur,quę verò à caua arterias habeant.

Corollaria, quæ nec dictis colligũtur.

EX qua hęmorrhoidum hiſtoria,& venę cauę noua hęmorrhoidum cognitione & notitia,multa licet tanquam corollaria colligere, & veterũ decretis adijcere: videlicet venas hęmorrhoidales duplices eſſe,portę & cauę,vtraſque autem ad ſedem pertingere ac propagari: ſed portę hęmorrhoidas ad inteſtinum potiſſimùm deduci,cauę verò magis ad ſedis muſculos;quod eſt ſecundum corollarium. Tertiò,portę hęmorrhoidas retrò primum in inteſtinum ingredi,inde per totum diſſeminari: cauę verò ad latera primum porrigi, inde per ambos ſphincteres muſculos progredi & incedere. Quartò, ſanguinem à portę hęmorrhoidibus exeuntem craſſum eſſe, nigrum,& fęculentum:à cauę verò nonnumquam, imò ſępe tenuiorem & rubicundiorem apparere. Propter quam cauſam quinto elicitur, videlicet inſignes ſanguinis hęmorrhoidalis profuſiones maiores fieri è venis cauę, quam à venis portę, ideoque priores cum maiori periculo euenire, quod maiores & plures ſint rami cauę ad ſedem delati & diſeminati, quàm portę, & prętera propè cauę grandiores ramos poſiti. Sextò elicitur, hęmorrhoidas portę ſubuenire morbis à ſanguine melancholico propter communionem procreatis: cauę verò cæteris alijs. Item vbi craſſum,& fęculentum ſanguinem exire videris, à vena lienis, vbi verò rubicundiorem,à caua venire non perperam iudicabis. Vltimò licebit quoq; aliquid colligere circa hirudinum applicationem, videlicet vtilem, quinimo variam futuram: Nam ſi intentio eſt melancholicum ſanguinem educere à vena lienis, tum retro ſpinam, & coccygem verſus,tum intus magis ad inteſtinum applicare hirudines oportet,quò eiuſmodi venę propagantur:Si verò alium quemquam à caua, tum à lateribus, tum ſuperficie tenus, vbi venę eiuſmodi ſunt, applicandę

Primum.
Secundum. Tertium.
Quartum.
Quintum.
Sextum.
Septimum.
Vltimum.

plicandæ erunt. Quibus ita de hæmorrhoidibus,tamquam ad naturalem hiſtoriam pertinentibus,exploratis, nunc quis vſus hæmorrhoidum in medicina ſit, & quomodo faciant ad morbos tum præcauendos,tum debellandos,inquirendum.

CERTVM eſt,hæmorrhoidibus abuti naturam paſſim ad ſanguinem expurgandum.vt ſi quid praui,aut immoderati in ſanguine inſit, tum in portæ vena,tum in caua, extra corpus tranſmittatur,atque ita, oris venarum adapertis hæmorrhoides fiant.Quam porro expurgationem non per aliam partem, quam per anum commodius efficere natura poterat, tamquam per eam,quæ ab ipſa natura ceu ſentina & cloaca omnium excrementorum conſtituta eſt; vt propterea non ſit mirandum, ſi venarum oris adapertis, nonnulli inculpata fruantur ſanitate,nonnulli à grauiſſimis morbis tum liberentur,tum præſeruentur, vt dicit Galenus. Itaque hoc in præſentia diſquirere circa propoſitas venas opportunum eſt, nimirum quomodò,& quibus conferant,& ad ſanitatem conſeruandam, & ad morbos tum curandos,tum præcauendos propoſitarum venarum tum apertio,tum occluſio. Nam ſi aperiantur,vbi ſanguis in corpore eſt vitioſus aut immoderatus, ſanum corpus degit;ſi occludantur,vbi ſanguis in venis purus eſt,bonus, & moderatus, ſanitas ſimiliter conſequitur; contra fit ſi contrarium accidat: ſi itidem aperiantur,cum morbus adeſt,aut expectetur,ſanitatem pollicentur,ſi verò tunc occludantur,morbum præſentem auctum iri,& imminentem venturum certum eſt propterea Galenus in libro de curat.per ſang.miſ.aduerſus Eraſiſtratum cap. 5. dixit, hæmorroidas ſeruare hominem ſanum cuius rei ratio 3. de hum. & 6.de morb.vulg.com.ſt. ab ipſo affertur, quia per hæmorrhoidas ſuperuacui humores expurgantur.Ideoque Hippocrates 3 de humoribus dixit, qui hæmorrhoidas habent, nullis tandem morbis corripi poſſe propterea quod ſi maximus morborum prouentus ex ſanguine,& humoribus,qui in venis ſunt,prouenit, venæ autem duæ tantum in corpore ſint, porta,& caua,ſi per hæmorrhoidas vtraque expurgatur,cum ambæ ad ſedem concurrant, omnino vniuerſum corpus expurgabitur ex vtraque, & ita corpus nullis corripietur morbis,vt dicit Hippocrates.

Natura hæmorrhoidibus abuti.

Propoſitio.

Hæmorrhoidũ vtilitas.

VT autem hæc omnia luce meridiana clariora ſint, & vobis perſpecta, & ſimul quibus morbis hæmorrhoides conferant, vnum ante omnia vos addiſcere conuenit, & memoriæ mandare videlicet priſcos auctores nullam habuiſſe notitiam venarum hæmorrhoidalium in ſede,quæ à caua proueniunt.Quod veriſſimum eſſe patet ex eorum auctoritatibus, quæ omnes tantummodo venam,quę a ramo lienis fertur ad inteſtinũ,à qua ſanguis craſſus, & melancholicus expurgatur,reſpiciunt.Vna Galeni auctoritas eſt 6. Aphoriſ.12. & 47. Per hæmorrhoidas hepatis materia fęculenta vitioſa expurgatur. Secunda, in hęmorrhoidas atram bilem deſcendere ſecundo ad Glauc. teſtatur, & ob hanc cauſam dixit,naturam vas quoddam peculiare à vena lienis ad anum produxiſſe, per quod atra bilis,& omnino ſanguis craſſus,& melancholicus euacuatur.Tertia,4.Aphoriſ.21.& 25. Hęmorrhoides ſunt maximum remedium melancholię,ita vt ipſam etiam futuram prohibeant.Idem quoque dixit 6.de morb.vulg.com.3.& eſt quarta auctoritas.Quinta,Hęmorrhoides ſuperuenientes atra bile vexato bonum,6.Aphoriſ.11.idem 21.& 48. Sexta, Hęmorrhois ſanat atram bilem, & lienem induratum ſexto in ſextum de morb. vulg. com. 8. Septima melancholia fit ex atra bile ſicuti hęmorrhoides,quando ad venas,quę in ſede ſunt,cumulatius decumbit. 3. Aphoriſ. 30. Octaua, Atrabilarijs cum phrenitide occupatis,ſi hęmorrhoides oboriantur,bonum eſt,in libro de iudicationibus, car. 398. Et breuiter, ſi Hippocratis,& Galeni,& veterum volumina accuratè voluantur,nihil amplius inueniemus. Illud autem inficiandum non eſt priſcos ab ipſa experientia inductos, nonnumquam feciſſe de morbis mentionem, qui ab hęmorrhoidibus ſanantur, aut pręcauentur, quorum cauſa abſtruſa illis eſt,cum ignorent hęmorrhoidales venas cauę, vt eſt auctoritas Hippocrat. 2. libro de humor.& 6.de morb.vulg.vtrobique com. 3. Qui hęmorrhoidas habent, ij neque dolore lateris neque pulmonis inflãmatione,neque furunculis, neque phagedęna, neque terminthis,neque lepra,neque forte alijs corripiuntur. Neque enim vllam communionem hæmorrhoides portę cum pectore habent, & cum pleuritide, & peripneumonia. Similiter

Priſci hæmorrhoides à caua ignorarunt.

Prima authoritas.

Secunda:

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octaua.

Veteres multorum per hæmorrhoidas ſanari ſolitorũ paſſim mentionem faciũt ignorata cauſa.

cum

cum dicit Hippocrates 6. Aphoriſ. 11. hæmorrhoides ſuperuenientes renum paſſionibus, bonum: peto, quid renibus cum vena lienis? Neq; obſtat Galenum in Comento dicere, per hæmorrhoidas craſſum ſanguinem euacuari, qui nephritim facit, quoniam craſſus ille ſanguis ex vena caua per hæmorroidas expurgatur, cum qua communionem, & rectum, ac propinquum habet ductum; nequaquam ex portæ vena, quæ longinqua eſt, neque cum ea ſocietatem habet vllam. Vnde hoc loco ita Galenum excuſare licebit, ſicuti excuſauimus, cum Pleuritidem expurgari per vtinam docuit per læues arterias, cor, & magnam arteriã, cum commodiorem viam tutiorem, & faciliorem ignoraret, quæ eſt per venam ſine pari recta ad emulgentes propagatam, & pertuſam. Similiter ſi hæmorroidas febres ſanare paſſim dicant omnes, & id quoq; experientia quotidie cõprobemus, ac videamus quomodo ex prædicta vena lienis ſanentur intelligere non poſſumus. Deniq; ſi Hippocr. & Galenus 6. de morbis vulg. & 6. Aphoriſ. & alibi paſſim dicunt, varices furorem curare, aut varices & hæmorrohidas inſanis ſuperuenientes, inſaniæ ſolutionem ſequi: certè quomodo à vena lienis natura per varices, quæ in cruribus, & coxis ſunt, atram bilem tranſmittat, non licet ita facilè aſſequi, ſi modo veriſſimum eſſe ſupponamus, venam portæ cum vena caua communionem nullam habere per magnos earum truncos. At nos, qui iam callemus hæmorrhoidas venæ cauæ, iã promptiſſime poſſumus cauſam reddere, cur hæmorrhoides curent tum Pleuritidem, tum Peripneumoniam, tum Renum paſſiones, tum Febres, tum deinque alias pleraſque affectiones, & præterea quomodo varices atram bilem a capite reuellendo furorem ſanent, quod euenit propter maximam communionem, quam ſedis venæ habent cum caua, cum ab ipſa oriantur, & prope magnos venæ cauæ ramos ſint. Similiter crurum, coxarumque varices omnes a vena caua prodeunt, neque vllam cum porta habent colligantiam.

Qua ratione varicos furorem ſanent.

QVONIAM verò hæmorrhoides interdum ſanitatis cauſa ſunt, interdum morborum, nonnumquam etiam mortis, ex Galeno, propterea videre eſt, propter quas cauſas hęc eueniant. Eueniunt autem proculdubio quia vel fluunt, vel non fluunt: & ſi fluũt, vel moderatè, vel immoderatè; ſi vero non fluunt, vel non fluunt naturaliter, vel quia ſupprimuntur: nam ſi fluunt, & moderatè, ſanitatis cauſa ſunt. Ideoque dixit Galenus libro de venę ſect. aduerſus Eraſtr. capite 5. Venæ hæmorrhoidales ſanguinem fundentes ſeruant hominem ſanum. Quod ſi immoderatè fluant, morborum cauſa ſunt, interdum etiam mortis. Idcirco Galen. in libro de curat. per ſang. miſ. cap. 19. dixit: Quippe cum hæmorrhoidum euacuationem vereamur, ne in tantam euadat immoderationem, vt hominem vel protinus interimat, vel aquæ inter cutem obnoxium, aut cachexiæ, hoc eſt, mali habitus, reddat. Addit Aetius lib. 14. cap. 5. hæmorrhoidas cum deformitatem, tum vitam miſeram, tum interdum mortem afferre; deformitatem, quia nimia inanitione vniuerſum corpus decoloratur; vitam miſeram, quoniam perpetuæ imbecillitati occurrendum eſt; mortem, quia iocinore affecto aqua inter cutem ſuperuenit. Quod ſi non fluant, vel non fluunt, quia naturale alicui ſit non fluere, quod ſcilicet ſanguis neque qualitate peccet, neque quantitate immodicus ſit: tuncque ſanus degit homo, etiam ſi venæ ſedis apertæ non ſint: Vti plurimos videmus ſanos degere ſine vllo hæmorrhoidum efluxu. Quod ſi non fluant, quia aut curatæ, aut ſuppreſſæ ſint, & cæcæ redditæ, in eo caſu morbi expectandi ſunt. Vnde Hippocrates quarto de morb. popularibus ad finem dicit, quod Alcippus, cum hæmorrhoidas haberet, curatas in ſanijt. Ideoque Galenus 4. Aphoriſ. 25. formidat vtramque immoderationem, ſiue ſupra modum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur, propterea factum eſt, vt ſuppreſis hæmorrhoidibus, vel ſcirrhus lienis ſit obortus, vel melancholia, vel febris, vel renum dolores, vel alia. Ideoque Hippocrates in curatione hæmorrhoidum præcipiebat vnam eſſe apertam relinquendam. Cum verò Galenus ex Hippocrate vtramque immoderationem ſuſpectam habuerit, videlicet ſuppreſſionem, & nimiam euacuationem; ideo 4. Aphoriſ. 24. dixit, non eſſe aſſuefaciendum ei, quæ ſit per hæmorrhoidas, euacuationi. Ex quib. Galeni verbis vidi aliquos Medicos ita formidare vſum hirudinum, & ſanguinis euacuationis ex hæmorrhoidibus, vt non ſolum rariſſimè hirudines affigant, vbi hæmorrhoides innatę ſunt,

Commodorum & incommodorũ ex hæmorrhoidibus cauſa.

Non eſt aſſuefaciendum euacuationi per hæmorrhoidas.

neque

neque fluunt, aut parcè, ſed etiam vbi patiens numquam eas venas aut turgidas, aut fluentes habuerit, nullo modo admittant; dicentes hanc Galeni fuiſſe ſententiam, nõ eſſe aſſuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi. Vnde quæſtio hoc loco exoritur ad praxim & ſalutem ægrotantium maxime pertinens, Vtrum patiens, qui hæmorrhoidas in ſedis partibus numquam habuerit, hoc eſt, cui neque ſanguis fluxerit, neque turnidæ fuerint venæ ſedis, Medicus debeat per hirudines appoſitas eam euacuationẽ tentare in morbis curandis, vt puta in melancholia, pleuritide, peripneumonia, capitis dolore, febribus, liene affecto, renum paſſionibus, & alijs affectionibus ab Hippocrate, & Galeno memoratis. Solutionem huius dubij ex Galeno petamus, qui 4. Aphoriſ. 25. in com. hæc habet, ſanguis ſupra, id eſt, per os excretus, qualiſcumque fuerit, malum: infra verò, id eſt, per hæmorrhoidas, bonum, quando nigra euacuantur, hoc eſt, quando hominis natura multum talem accumulauerit ſaugninem aliter autem non eſt aſſuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi, vt quæ periculoſam habeat vtramq; immoderantiam ſiue ſupra modum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur: cauſa huius à Galeno redditur in libro de curandi ratione per ſanguinis miſ. cap. 19. vbi habet: Quippe cum hæmorrhoidum euacuationem vereamur, ne in tantam euadat immoderationem, vt hominem vel protinus interimat, vel aquæ inter cutem obnoxium, aut cacheſiæ, hoc eſt, mali habitus, reddat. Ex his Galeni verbis clare explicatur, ſanguinem melancholicum in corpore cumulatum per hæmorrhoidas eſſe euacuandum; neque hac in re Galenus vllam ponit diſtinctionẽ, ſiue ſint, ſiue non ſint innatæ hæmorrhoides. Huic rei rationes quoque aſtipulantur. Prima ratio, Natura per hæmorrhoidas ſolet ſanguinem euacuare, cum euacuat, homines à melãcholia liberat, & lienẽ induratum ſanat, & neque Pleuritide, neque peripneumonia, neque alijs corripi poteſt: ergo omnino promouenda, & inuitanda natura eſt ad hãc euacuationẽ efficiendam. Secunda, natura conſtruxit vas, immò vaſa huic muneri deputata, quæ vbi munere ſuo funguntur, ſanum degit corpus; ergo cum munere ſuo non funguntur, neque ſanguinem euacuant, eſt aperiendum, exiſtẽte materia in corpore noxia, quod ſupponendum perpetuò eſt. Tertia, euacuationes, quæ fiunt aut à natura, aut à Medico, quotieſcumque adeſt materia noxia, ſunt bonæ, quia morbos tollunt, per Galenum ex libro de conſuetud. capite 5. Quarta, ſi non ſunt aperiendæ venæ hæmorrhoidales, quando homo multum ſanguinem melancholicum cumulauit, & tumore duro lienis, aut melãcholia, aut ſimilibus afficiatur, neque etiam in alijs morbis eſt aut ſecanda vena, aut medicamentum purgans exhibendum, aut tale aliquid præſtandum, quia par ratio eſt. Quinimò illud aſſeueranter aio, quod maior ratio eſt vt euacuetur ſanguis per hæmorrhoidas, quã per venam ſectam: & quod ſi non licet aperire hæmorrhoidas, minus licet venam cubiti aperire: ratio eſt, quia natura rectè operans in morbis ex ſe aperit hæmorrhoidas, numquam autem ex ſe aperit venam brachij. Item, ſi natura ex Hippocrate eſt morborũ medicatrix, & ijs quidem medetur & curat adapertis venis ſedis, raro alijs: & nos quoq; potiùs has quã alias aperire debemus. Demum, ſi natura naſi venas aut frontis, quamquam rariſſimè aperiens, capitis dolorem è veſtigio ſedat: Item ſi in crure varicem aperiens melancholiã tollit: multò magis aperiens hæmorrhoidales venas, quas paſſim ſolet aperire, morbos ſicuti ipſa, ſic & nos curabimus. Vltimo loco vnum audeo adijcere, quod admiratione pignum iudicabitis, nimirum cum hæmorrhoides venæ cauæ nouum ſit inuentum, ideo noua erũt omnia, quæ ex his conſequentur: præcipuè autem vnum, videlicet ſanguinis euacuationẽ ex hæmorrhoidibus conferre magis malignis febribus, quam venæ ſectionem ex brachio. Quot etſi paradoxum prima facie videtur, ratio tamen huic aſtipulatur, quia in malignis febrib. putredo eſt in vaſis maioribus, vt cõſtat apud omnes; at venæ hæmorrhoidales magis ſunt vicinæ venæ cauæ, vbi maxima eſt, in lumbis, & ad os ſacrũ, quam in brachio, vbi longiùs abſunt à maioribus ramis, vt puta axillaribus, & venæ cauæ truncos; ergo magis loco putredinis ſubuenient. Sed quod appareat interdum non ſubuenire, & exiguũ profectũ commonſtrare, ea cauſa eſt quod fortè antiquorum tantum conſuetudinem inſequentes, qui ignorantes venas ſedis à caua prognatas, alias vſurparũt, quæ in artubus ſunt: Vel

Vtrum non aſſuefacto aperienda ſint hæmorrhoides.

Solutio ex Galeno.

Prima ratio, quod sãguis melancholicus deb& per hæmorrhoidas euacuari.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Vltima ratio.

Alia ratio

Cur euacuatio per hæmorrhoidas magis conferat ad febres malignas quam vena ſectio

fortè

fortè quia magis apparentes, & ſectioni magis obuiæ artuum venæ ſint: Vel tertiò quia non ea ſanguinis quantitas ex venis hæmorrhoidalibus extrahatur, quæ ex artubus, quæ vltima cauſa in culpam Medicorum eſt reijcienda, qui ſi vellent, ex hæmorrhoidibus tantundem ſanguinis emitterẽt, idque cum euidẽtiſſima vtilitate. Quemadmodum nõ ſemel, ſed iterum, ac ſæpius mihi in praxi obtigit: præcipuè autem in nobili muliere, quæ cũ ante quinque annos bis concepiſſet, & puellas duas peperiſſet, tum menſibus magna ex parte deficientibus ceſſauit à concipiendo: quam cum curarem, & manè hæmorrhoidas per hirudines aperirem, à prandio cum ſoli ſe dorſo ad dealbandos capillos exponeret, copioſum ſãguinis hæmorrhoidalis profluuium ſuperuenit, & ab ea hora menſtruę purgationes ſufficientes apparuere, & quater cõcepit, & quatuor maſculos filios peperit. Quã hiſtoriam paulò infra latiùs proſequar. Id quod etiam confirmari poteſt ex menſtrua ſãguinis purgatione, quæ fit per venas hæmorrhoidibus venæ cauæ vicinas, quæ ideo omnibus morbis mulieribus ſuccurrunt, & ipſas ſanas conſeruant. Quod ſi Galenus dixit, non eſſe aſſuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas, euacuationi: Huic reſpondetur, hãc Galeni auctoritatem nihil obſtare, quia Galenus ex Hippocratis ſententia duo dicit: Alterũ, quod cum hominis natura multum ſanguinem craſſum, nigrum, & melancholicum cumulauerit, tunc bonum eſſe ſanguinem per hæmorrhoidas euacuare: Aliter, hoc eſt, quando hominis natura talis eſt, vt ſanguinem craſſum non cumulet, tunc, inquit Galenus, non eſt aſſuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas, euacuationi. Reddit rationem Galenus, quia Hippocrates habet, periculoſam eſſe vtramque immoderationem, ſiue ſupra modum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur. Quorum verborum ſenſus eſt; quia ſi aſſuefacimus aliquem, qui natura non cumulet ſanguinem melancholicum, euacuationi ſanguinis per hæmorrhoidas, alterum duorum poteſt ſequi in progreſſu ex hac cõſuetudine; vel quia nimis excernatur; vel ex toto ſupprimatur. Vtrumque autem exceſſum periculoſum habet Hippocrates in iam facta conſuetudine. Qui ſanè locus noſtram confirmat opinionem, quoniam nos, ſi verbi gratia lien ſit induratus, aut aliquis melancholia laboret, neque habeat, neque etiam vmquam habuerit hæmorrhoidas innatas, volumus eſſe aperiendas hæmorrhoidas cum Galeno loco citato; quia cum ſupponamus, materiam noxiam eſſe in corpore cumulatam, igitur ex Galeno aperiendæ ſunt, & corpus eſt aſſuefaciendum huic euacuationi. At cum corpus natura non ſit, vt talem ſanguinem cumulet, neque etiam nos volumus, eſſe aſſuefaciendum corpus huic euacuationi, ne quandoque ad alterum duorum deueniatur, vel ad nimiam excretionem, vel ad integram ſuppreſſionem. Quomodo autem vna eademque cauſa, nimirum vna aſſuetudo euacuationi per hæmorrhoidas, poſſit contrarios producere effectus, videlicet aut nimiam excretionem, aut perfectam ſuppreſſionem, non eſt difficile aſſignare: Etenim ad nimiam excretionem deuenirur ex frequentibus actibus contractam, & incitatam; ad abſolutam autẽ ſuppreſſionem, quæ poteſt cõtingere, quia ex nimia ſanguinis euacuatione vaſa exinanita in ſe ipſa concidant, & hac ratione ex toto ſupprimatur. Quoniam vero Galenus nullam habens cognitionem hæmorrhoidum venæ cauæ, ideo ſemper reſpexit affectiones à melancholia prouenientes, & ſanguinem melancholicum à ramo lienis ad ſedem tranſmiſſum, quem voluit eſſe per hæmorrhoidas euacuandũ, vbi ſcilicet cumulatus in corpore eſt. Nos verò, qui ſcimus, hæmorrhoidas duplices eſſe, & portæ, & cauæ, adijcere oportet morbos à venæ cauæ ſanguine prouenientes, quibus ſuccurrere hęmorrhoides poſſunt, videlicet vbi ſanguis in cauavena exiſtens in immoderatus eſt, ita vt quantitate, aut qualitate peccet. Vnde Galenus 6. Aphoriſ. 47. dicit, per hæmorrhoidas excerni partem vitioſi ſanguinis, qui ſi per ſe non fluat, eſt euacuandus per hirudines appoſitas; ſic enim corpus ſanum conſeruabitur. Nam ſi duæ tantum in corporæ venæ ſunt, quarum ſanguis ſi probus eſt, homo inculpata fruitur ſanitate, porta, & caua; & vtramque habeamus in ſede ſanguinem prauum expurgantem, omnino ex ſijs ſanitatem totius corporis reſultare neceſſe eſt. Neque incommodum erit cauæ venæ hæmorrhoidas in viro, menſtruis mulierum, ſeu hæmorrhoidibus vteri in mulieribus, cum & ipſæ à caua proueniant, comparare, ita vt ſicuti per mẽſes moderatè, & naturaliter fluen-

Hiſtoria.

Galeni locus explicatus.

Quomodo eadem cauſa contrarios effectus producat.

Hæmorrhoides vena cauæ in viris vteri hæmorrhoidibus cõparantur.

tes,

tes,& vteri hæmorrhoidas mulieres ſanæ degunt,ijs autem ſuppreſſis,omnibus ſunt morbis obnoxiæ,ſic in viris hæmorrhoides ſe habent. Ex quo abſolutè concludendum eſt,hęmorrhoidas in omnib. ferè morbis tum præcauendis, tum curandis prærogatiuam obtinere, & primum habere locum. Ex his denique concludendum eſt, aſſuefaciendum eſſe ei, quæ fit per hæmmorrheidas,euacuationi;propterea quod euacuatur vitioſus ſanguis,tũ qui in abdomine,& partibus eius omnibus,& ſima iecoris conſiſtit,per venam hæmorrhoidalem à porta deductam;tũ qui in gibba iecoris, & reliquo toto corpore in caua redundat, per venas in ſede à caua deductas. Ita tamen tali aſſuefaciendum eſt euacuationi,vt vtraque vitetur immoderantia,ne nimium fluat,neque prorſus retineatur. Eſt quoque euacuandus ſanguis per hæmorrhoidas, quando ſuſpicio eſt obſtructionis tum in venis meſeraicis, tum in ſima, & gibba iecoris partes;vti in caſu Reuerendiſſimi Abbatis, qui ex arte adiutus eſt per hanc euacuationem. Patiebatur enim decem aut duodecim dierum interuallo dolores fluctuationeſque ad hypochondria & ventriculum, quæ quadamtenus leuabãtur tum ructibus emiſſis,& aliquo ſanguinis veſtigio ad hæmorrhoidas apparente;tũ verò prorſus recedebãt mictione vrinæ rubræ,& quaſi croceæ,& excitata alui deiectione biliоſa,& nonnihil æruginoſa. Ex quo coniecimus tum ſanguinis melancholici exuſti, à quo flatus & dolores mouebantur,redundantiam;tum obſtructiones in ſima iecoris parte & meſeraicis non ſolum adeſſe propter alui fluorem,& veſtigiũ hæmorrhoidalis sãguinis, ſed etiã eadẽ fubeſſe mala,hoc eſt obſtructiones tum in gibba iecoris,tum in caua vena vitioſi ſanguinis redundantiã,propter vrinas rubras redditas. Propter quas cauſas iure conſultum fuit, ſanguinem potiùs per hæmorrhoidas euacuare, vt quæ vtramque reſpiciant, & ſublevent partem, ab vtraque ſcilicet euacuando,quam per brachij ſectam venam, vt quæ tantummodo è caua euacuet,& gibbæ iecoris partis obſtructiones referet. Quoniam verò rarò accidit,imò verò numquam, vt ſanguis vitioſus & obſtructiones in ſima tantum iecoris parte & abdomine conſiſtant, quin etiam & in caua vena,& gibba iecoris, & in toto denique corpore redundent. Hinc tanquam corollarium eliciendũ eſt,ſanguinis per hæmorrhoidas euacuationem eſſe magis quam per venam ſectam affectandam, auſpicandam, & explendam;id quod & Antiquiores quoque aſſeruiſſent, ſi non ſoliùs portæ, ſed vtriuſque venæ hæmorrhoidalis portæ ſcilicet,& cauæ,notitiam habuiſſent. Libet huc afferre caſum,quem ſupra attigimus, de quadam nobili adoleſcente, quæ cum frigidi eſſet temperamenti, ventriculumque frigidũ obtineret,& menſtruas purgationes haberet diminutas, & duas ante quinque annos peperiſſet filias,ampliuſque non concepiſſet, cupiens non modo concipere, ſed mares parere, ſeſe meæ commiſit curæ. Ego autem primò totius corporis procurationem iniens,medicamenta atq; venæ ſectiones tum ex brachio,tum ex pede, adhibui;vltimò hæmorrhoidas aperui,à qua parte circiter ſex ſanguinis vnciæ euacuatæ ſunt;ſed paulo poſt incuria adoleſcentis, quæ ſtatim ſoli dorſũ appoſuit ad capillos dealbandos, rurſus ex hęmorrhoidibus promota profuſio fuit,& decẽ circiter vnciæ sãguinis exiuere,ita vt in totũ ſexdecim ſanguinis vnciæ,& amplius fuerint euacuatæ:ex qua ſanè larga euacuatione,etſi incommoda potiùs expectabamus,ſubſecuta tamen ſunt omnia hæc commoda. Primò n. cum prius menſes nõ ſingulo,ſed ſæpe tertio quoq; menſe fluere ſoliti eſſent,iam à larga hæmorrhoidum euacuatione proximo fluere menſe: deinde tribus diebus à conſueto tempore anticiparunt: Tertium commodum fuit, quod cum prius cum capitis dolore,cordis ſeu oris ventriculi anxietate,tum verò etiam hypochondriorum moleſtia ac rugitu,denique cum dorſi dolore ſuperuenirent,iam nunc omnia iſtiuſmodi ceſſarunt. Vltimò cum nulla expectarentur menſtrua,propter copioſas ſanguinis euacuationes factas,fluxere tamen vti prius fluere ſoliti erant. Ex quibus colligatis hæmorrhoidum euacuationem nedum menſes prohibere, ſed prouocare,faciliores,promptioreſq; reddere. Veriſimile eſt autem, hæmorrhoidas ſanguinem menſtruum prouocare, quod à venis vteri ipſum propter copiam & craſſitiem infarctum,& fixum (& vt ſic dicam) incuneatum ad ora venarum ſedis vi vacui retrahunt; aut potius deriuent,& ita vteri venas ab infarctu liberatas,& vacuas redditas referent. Itaque vt ad vſum omnia referantur, in liene tantum indurato iuſſi vt hirudines tum intrinſe-

Euacuatio ni per hæmorrhoidas quomodo aſſuefaciendum.

Hiſtoria.

Alius caſus de muliere.

Hæmorrhoidib. menſes prouocare.

Vbi affigenda hirudo.

cus,tum posterius coccygem versus,tum nonnihil ad sinistrã affigerentur. In obstructionibus autẽ ac tẽsionib.tũ in sima,tũ in gibba iecoris, vt in Abbate,tu exterius, tũ interius, tũ posterius,tum ad latera,atque vt summatim dicam,vndique ad podicẽ affigere iussi. In renum autem affectione,necnon in pleuritide,peripneumonia,insuper in externis effectibus vt lepra,furunculis,& id genus, commodum erit exterius magis, tum verò etiã ad podicis latera hirudines applicare. In febribus verò,in quibus ferè obstructiones tum in meseraicis & sima iecoris,tum etiam in gibba iecoris & caua vigent,tum exterius tum interius,atque vndique,vt supra dixi,hirudines affigantur. In mania tum interius, tũ exterius,si exusti humoris redundantia in toto consistit. In melancholia similiter. In phrenitide exterius magis, & ad latera. Vno verbo,prout euacuare superuacuos humores aut à caua,aut à porta oportet,seu affectiones,affectæqs partes aut magis a caua, aut à porta gubernantur;sic in podice locum eligere congruum oportet, aut exterius magis & ad latera, aut interius retroque magis. Quæ omnia ceu noua,etsi experientia comprobari hactenus exactè non potuerunt, comprobata tamen à me vtcumque fuere,qui multos passim de quacumque affectione curandos præ manibus semper habeo. Sed iam tempus est, vt ad nostrum institutum reuertamur,& Chirurgiam peragamus,quæ sanè hæmorrhoidas respicit,cũ non probè suo munere funguntur, quod est,vel cum ex toto supprimuntur, vel immoderatè fluũt; præterea & aliæ,videlicet cum nimium tumẽtes sunt,aut dolentes,aut inflammatæ,aut gangrænosæ factæ & exulceratæ, & alia id genus symptomata patientes. Quibus omnibus succurritur vel medicamentis,vel Chirurgia,vel vtrisque. Primoque de tumentibus hæmorrhoidibus agamus de quibus Hippocr. Chirurgiam proponit in libello de hæmorrhoidibus,sed tumorem Hippocrates videtur coniungere cum sanguinis fluxu, tametsi Chirurgia magis ad tumorem vertitur, tumorque intelligi debet neque dolens, neque durus, neque inflammatus, quem vult accidere hæmorrhoidibus sedis tum propter bilem, tum propter pituitam ad rectum intestinum transmissam,ita vt venis supercalefactis, & repletis tũ tumidæ fiant, tum sanguinem eiaculentur. Tumores autem seu tumidæ hæmorrhoides velut vuæ acini liuidi sunt, ait Hippocr. quos hac Chirurgia ferramentis candentibus audacter tollit,cum dicat Rectũ enim intestinum & secans,& resecans,& consuens, & vrens, & putrefaciens etiamsi grauissima hæc sunt, nihil læseris. Primo igitur Hippocr. præparat septem,aut octo ferramenta palmi longitudine,& crassitudine specilli crassi cum summa parte reflexa ac lata,ve luti in paruo obolo. Tũc fæcibus prius excretis, & hæmorrhoidibus foras aut per abdominis compressionẽ,spirituſq; cohibitionem, aut fæcum excretionẽ, aut aliter extrusis,ferramentis propositis candentibus vrẽdę hæmorrhoides omnes sigillatim sunt, donec resiccati tumores sint;ita tamen vrere oportet (notate) vt contingas ait Hippocrates: Græca dictio habent ὑπαλείφυς, quod significat irritare, vel ἀπο του ὑπολειπειν, quod significat sub relinquere,quod idem ferè est ac non contingere: Nam si non tanges, non irritaueris, propterea Hippocrates infra seipsum declarans ait: Vrito cauendo, vt ne contingas ferro, sed propè admotis ferramentis resiccato. In summa, Hippocrates vult ferramenta candentia propè hæmorrhoidas esse admouenda abstinendo à contactu earũ, propterea quod intentio Hippocratis est,tumores resiccare absq; eo quod irritentur, quod fiet si non tangantur,sed ferramentum tam propè hæmorrhoidas admoueatur, vt non irritentur, sed tamen vim ignis persentiant, ad bonam (vt puto) laborantis tolerantiam, quo hæmorrhoides tumentes resiccentur. Cognoscemus autem,inquit Hippocr. ipsas hæmorrhoidas,propè quas ferramenta admouere oportet, quia supereminent in interna recti intestini parte, veluti vuæ acini liuidæ, & simul vt sedes extuberat,& foras prorumpit sanguinem eiaculantur. His resiccatis tumentibus hæmorrhoidibus Hippocr. supra ipsas ponit lentem, & eruũ in aqua decocta,inde mollem spongiam ad consummatam exsiccationem circa imas ilium, seu lumborum partes abdomẽ in circuitu fascia obuoluit,postea vno capite reflexa inter coxas ad anum,quousque supra ad obuolutam fasciam applicetur præcingit. Et noteris quæso,quo modo Hippocr. manuũ opera, & ferramentis candentibus,quæ adurentia sunt,non tamen vrit,sed tantum exsiccat,& digerit,tum vero exsiccando & digerendo tumentes curat hæmorrhoi-

Hæmorrhoides in quacumque affectione.

Chirurgia hæmorrhoidibus quando conuenit.

Chirurgia hæmorrhoidum tumidarum.

Hæmorrhoides quomodo.

Hæmorrhoides vrendæ quomodo cognoscantur.

Cura Hippocratis post vstionem.

morrhoidas: est quippè modus rarus, & ab Hipocr. tantum excogitatus, qui non solum ex siccat, & digerit, & tumorē curat, sed partem quoq; laxatam roborat, ignis enim vim roborandi habet. Huic similis esse videtur quarta Hipocratis Chirurgia, quam eodem lib. proponit ad tumentes hæmorrhoidas reſiccandas, sumit arundinem sepiariam, phragmitē appellatam, quæ in sedem inditur, tum ferramentum candens arundinis cauitati congruum immittitur, ac frequenter eximitur, quo magis calefieri sustineat, & neque vlues ex calore habeat, & venæ reſiccatæ sanæ fiant. Notandum tamen est Hippocratis interpretem male vertere, clysterem facere oportet, velut arundinem sepiariam. Græcus codex habet καυνμαμ, quod est perinde ac si dicat cannulam, seu tubulum seu fistulam facere oportet, velut arundinem sepiariam, quasi dicat non ita crassam, seu latam vt communis arundo, sed vt ea, ex qua sæpe fit: Et hanc cannulam vult esse efficiendam ex ære, vt notat Galenus, Addo ego, opportere tubulum esse aut in fundo occlusum, ne ferramentum altius quam oportet perueniat; aut obstaculum feramentum candens habere, quod eundem prębeat vsum. Proponit deinde Hippocrates secundam Chirurgiam, quę tumentes hæmorrhoidas, vt ipse dicit, præsecat, non tamen ferro præsecat, sed erodente medicamento, ideoque proponit erodens ad secandum aptum; si in æreum vas mingas, & in vrinam æris florem tostum tritum leuem inspergas, deinde diluas, & vas agites, & in sole exsicces; vbi verò siccatum fuerit, eradas, teras, & læuigatum ad anum apponas, & splenia oleo imbuta addas, ac spongiam supra deliges. Rursus Hippocrates Tertiam proponit Chirurgiam ad curandas hæmorrhoidas tumentes, hoc modo: Adnascitur ad venam sangui fluam extuberantem, veluti mori fructus; & si quidem valde extra fuerit extuberantia, carnis tectorium circa ipsam nascitur, si igitur mollis sit, & sub tectorio cedat extuberantia, digito ipsam auferre oportet: Nihil enim plus difficultatis hæc res habet, quam si quis dum ouicula excoriatur, digitum inter cutem & carnem adigat. Quod si extuberantia penitùs intus delituerit, per catetherem inspecta, auferre postea ipsam oportet veratro nigro in anum sublito. Huic Chirurgiæ similes sunt duæ aliæ Chirurgiæ ab Hippocrate propositæ, eodem libro circa finem capitis, quæ neque veræ & simpliciter Chirurgiæ sunt, sed ex medicamentis compositæ, tumentes hæmorrhoidas exstirpant. Ait Hippocrates: Si vero neque vrere, neque reſeccare voles, vbi multa aqua proluisti, & sedem euersam extraxisti, myrrham tritam, læuigatam, & gallam, & alumen Aegyptium vstum vna & dimidia, ac reliqua parte, ac melanteriæ tantundem accipe, ac siccis his vtere, & dimidiæ chalcitidis mistæ pars idem efficiet. Hæmorrhois enim ab his medicamentis decedet, veluti corium combustum. Vltimo aliud medicamentum proponit Hippocrates, idem præstans, in formam suppositorij inquit. Si vero glandulis sanare voles, sepiæ testam, plumbaginis tertiam partem, bitumen, alumen, florem æris medicum, gallam, æruginem modicam commisceto, & mel coctum affundito, & formatam ex his glandem oblongiorem apponito, donec extirpaueris. Hæc sunt quæ hæmorrhoidibus tumentibus, nonnihilque sanguinis fundentibus, ex Hippocrate Chirurgiæ proponuntur, quarum nonnullæ difficiles factu sunt: Nam ego experientia non potui vnquam comprobare, rectum intestinum esse secundum, & reſecandum, & consuendum, & vrendum, & putrefacieadum sine vlla læsione, vt dicit Hippocrates. Quod si verum est Hippocratis dictum, quod sine vlla intestini læsione hæc peraguntur, non tamen a plerisque tolerantur, & sustinentur, enim ani pars sensu exquisito, imo verò si aliqua pars corporis est, quæ sensu exquisito prædita sit, hæc vna est, propter quam causam ego tumentes hæmorrhoidas potius medicamentis quam Chirurgia curaui, vt insessione in aquis thermalibus, & spongijs ex aqua thermali expressis, & arctè supra anum alligatis, & compressis. Item radicibus portorum in oleo communi, aut myrtino decoctis, scrophulariæ radice in aqua decocta, contusa, & imposita: spongia ex aqua calcis expressa, & alligata.

Alia Hippocratis Chirurgia.

Interpres Hippocratis corrector.

Cannulla qualis esse debeat.

Secunda Hipocratis Chirurgia ad hæmorrhoidas tumidas.

Tertia eiusdem Chirurgia

Medicamēta ad idē.

Aliud Medicamentū ad idem.

QVOD si exulceratæ hęmorrhoides sint, ne in fistulas degenerent, si superficie tēnus ex coriatæ sint, in aquis thermalibus, aut de Apono, aut Diui Petri, aut Montis ægrotorum

Cura hæmorrhoidū exulceratarum.

inſeſſio curat, aut quod his æquipolleat, vti alias dictum eſt. Quod ſi exulceratio profundior eſt, & maior, neque medicamentis cedit, non incommodum eſt ad Chirurgiam deuenire, quæ candentibus ferramentis peragitur. Quæ exigua futura ſunt, & ijs leuiter tangere partem exulceratam oportet, quæ neque etiam ſenſum exquiſitum habere debet.

Curahamorrhoidum inflammatarum.

QVOD ſi hæmorrhoides inflammatæ ſint, tumentes, & dolentes, medicamentis res peragitur potiùs quam Chirurgia: de quibus agere ad præſentem locum non ſpectat, ſed tamen vnum atq; alterum medicamentum expertum afferre nihil vetat, cuiuſmodi eſt plantago, parietaria, & malua, in aqua coctis, & cũ oleo roſaceo cataplaſmatis modo impoſitis; interdum cum exſiccare magis intentio eſt, farina milij, & hordei admiſcetur; ſi vero dolor vrgeat lac omne adijcitur.

Curahamorrhoidũ gangrana affectarum. Hiſtoria.

QVOD ſi gangræna iam ſint hęmorrhoides affectæ, eadem Chirurgia proficit, ſed ferrum candens valentius imprimitur, propter ſenſum partis obtuſum redditum. Quo loco illud mihi ſuccurrit, aliquando accidiſſe cuidam Medico non obſcuri nominis, qui curans ægrotantem febre, cæperunt hæmorrhoides dolere. Medicus autem olio roſaceo inungi iuſſit, neque locum affectum vnquam perſpexit: tandem poſt aliquot dies Medicus me duxit ad ægrotantem, ego autem ſtatim locum affectum volui inſpicere, & conſpiciens inueni ex omni parte multò antea ipſum fuiſſe gangræna affectum, & nonnihil in ſuperficie ſphacelo, quem ſeruaui ſtatim ferramentis candentibus. Hoc dico, vt vos admoneam, vt

Mala oculis inſpicienda.

partes affectas, & malum videatis, quando patientes de ijs conqueruntur, etiamſi obſcænæ ſint partes: ſic etiã in mulieribus. Fuit aliquando mulier nobilis, quæ peperierat, & de vlua conquerebatur, obſtetrix inungebat frequenter oleo amygdalino, & chamæmelino, & querelę indies augebantur, tandem vocatus, & videns locum, inueni labia vuluę multis in partibus ſphacelo obſeſſa, quę ſtatim ferramentis cãdentibus inuſta ſanaui, quę alioquin obijſſet, ſi cum oleis propoſitis perſecuta eſſet, & viſa à Medico non fuiſſet. Simili modo, vt ſupra audiuiſtis, alteram nobilem ſeruaui morti propinquam, inſpectione ſcilicet, quæ hymęnem habebat non perforatum. Non oportet igitur eſſe negligentem in re medica.

Alia hiſtoria.

Quæ in hæmorrhoidibus maximè formidanda. Fluxus immoderatus incommoda.

VERVNTAMEN quod in hęmorrhoidibus maxime formidatur, ex Hippocr. & Galeno, eſt earum tum omnimoda ſuppreſſio, tum immoderata ſanguinis fluxio, vtramque autem immoderantiam tamquam periculoſam habuit Hippocrates, fluxum quidem tamquã vel protinus interimentem, vel aquam inter cutem & cachexiam excitantem, vt dicit Galenus Actius autem libro 14. capite 5. ait nimium fluxum, tum deformitatem, tum vitam miſeram, interdum & mortem afferre: deformitatem, quoniam nimia inanitione vniuerſum corpus decoloratur: vitam miſeram, quoniam perpetuę imbecillitati occurrendum

Suppreſſionis incommoda.

eſt; mortem, quia frequenter iocinore ob excedentem euacuationem refrigerato, aqua intercus ſuperuenit: Suppreſſionem verò tamquam omnem morborum turbam ſuſcitare potentem, ſcilicet febres, melancholiam, lienis ſcirrhum, pleuritidem, peripneumoniam, maniam, & alia id genus tum ſymptomata, tum morbos, qui reſpondeant vitioſis humoribus detentis, vt dicit Galenus 3. de humoribus, nimirum humores detentos ſymptomata, & morbos parere, eoſque eiuſmodi, cuiuſmodi ſunt humores, qui redundant. Et quamuis Paulus, & alij ſuppreſſas hęmorrhoidas curare non videantur, quòd ab immodicę fluentibus ſuppreſſio plerumque fiat, tamen Hippocrates curat, dum prȩcipit apertam vnam eſſe ſeruandam. Docet autem perbelle Celſus lib. 6. cap. de hęmorrhoidibus, quo ſigno fluxus moderatus ab immoderato ſit diſtinguendus, tum verò, quando, ſupprimendus, quando permittendus inquit. Parum tutò ſupprimitur, qui ſanguinis profluuio imbecilliores non fiunt. Habent enim purgationem hanc, non morbum: ideoque curati quidam cum ſanguinis exitum non haberent, inclinata in prȩcordia, ac viſcera materia, ſubitis & grauiſſimis morbis patientes correpti ſunt. Igitur ſi immoderatus ex hęmorrhoidibus fluxus ſanguinis ſit, qui noceat, & imbecillum hominem reddat, coercere ipſum oportet primo medicamentis, quę à Celſo lib. 6. afferuntur: quod ſi his profuſio non ſiſtatur, Chirurgia opus eſt. Vna eſt, quam proponit Hippocrates in lib. de ratione victus in morbis acutis, quę vinculis procedit, filum lanę ſuccidę craſſiſſimum, ac maximum, in acum immiſ-

Quomodo hæmorrhoides immoderata ſuppreſſio curanda.

ſum

ſum tranſmittas,ex vna primum parte hæmorrhoidis,inde ea comprehenſa ex altera acũ, & filum trajcias, & ab eadem parte extenta fila aſtringas, mox medicamentum erodens imponas, donec hæmorrhoides decidant, & ſemper vnam relinquas,ait Hippocrates, ne omnibus obſtrictis patiens contrarium incidat affectum, id eſt, in omnimodam ſuppreſſionem, & accidat quod dicit Hippocrates 6. Aphoriſ. 12. Hæmorrhoidas ſananti diuturnas,ſi non vna ſeruata fuerit,periculum eſt hydropem,aut tabem accedere: cuius ſentẽtiæ reddit rationem Galenus in Commento:quia obſtructis ex toto hęmorrhoidibus,per quas hepar tranſmittebat ſanguinem fęculentum, non eſt mirandum ſi ſcirrhoſum reddatur, & calor iecoris,à quo ſanguis gignitur,extinguatur,vnde hydrops ſuperueniat,ſanguinis generatione fruſtrata. Quod ſi iccur exuſtam materiam ad pulmones refundat, & venas rumpat tabes ſeu phtyſis. reſultet,vt Hippocrates dicit.Huic tamen Hippocrat.legi de ſeruanda vna hęmorrhoide aperta,ſe ſe opponit Aetius lib. 14. cap.5.qui ex Hippocrate affirmat.non eſſe relinquendam vllam hæmorrhoidem apertam dummodo ſeruetur cõgrua victus ratio,& ſanguis ex brachio mittatur.Quæ opinio neque Hippocrati,neque Galeno conſentit.Nam licet æger & cibi paucitate,& aquæ potione detineatur,& aluus ſubducatur,& vena cubiti incidatur, vt Aetius dicit,tamen quia hæc non poſſunt ſemper fieri,conſeruari,aut frequenter repeti,neque viſcera corrigi,quo minus ſuperfluus ſanguis gignatur; ideo tutius eſt Hippocratem aliter non exponere ac verba ſonant,& Galenus expoſuit,vt ſcilicet vna relinquatur aperta.

Ratio Aphoriſmi.

Aetius contradicit Hippocrati.

SED ad Chirurgiam redeamus.Galenus in Iſagogicis Chirurgiam hæmorrhoidum his verbis tradit: Hęmorrhoides lino duplici per ipſarum baſim tranſeuntes,aſtringenteſque poſt horas duas abſcindimus. Celſus vero lib.7.capite 30.de condylomatis, ait: ſi hęmorrhois capitulum exiguum baſimque tenuem habeat, adſtringendum lino paulum ſupra eſt,quam vbi cum ano committitur; deinde ſupra nodum capitulum exulcerãdum eſt, vt euacuato ſanguine,ac ſpiritu ibi contento, celerius id emoriatur, & decidat, quod niſi factum eſt;magni dolores ſubſequuntur,interdum etiam vrinæ difficultas. Quod ſi hęmorrhoidis capitulum maius eſt, & baſis latior, hamulo vno aut altero excipiendum eſt,paulumque ſupra baſim incidendum, neque relinquendum quicquam ex eo capitulo, neque quicquam ex ano demendum eſt;qua inciſum eſt, acus debet immitti,& infra eam lino id capitulum alligari;ſi duo tria vè ſunt, imum quodque primum curandum eſt,ſi plura non omnia ſimul,ne eodem tempore vndiq; teneræ cicatrices fiant;ſi ſanguis profluit,excipiendus eſt ſpongia, deinde linamentum imponendum; poſt quinque aut ſex dies auriculario ſpecillo linamenta educenda,ſi capitula ſimul non exciderunt, digito promouenda, tum lenibus medicamentis,vt puta ceratis vtendum. Hæ ſunt Celſi Chirurgiæ ad ſedis venas ſanguinem fundentes.Sed idem Celſus libro 6.cap.de hæmorrhoidibus, ex Dionyſij ſententia proponit vſtiones per cauſticum medicamentum, quando alia medicamenta non proficiunt,hoc modo:Inſpergenda ſandaracha eſt,deinde imponendum,quod ex his conſtat,ſquammæ æris,auripigmenti, fingulorum partes quinque, ſaxi calcis partes octo, poſtero die capitulum venarum acu compungendum. Aduſtis capitulis fit cicatrix,quę ſanguinem fundi prohibet.Vltimo non eſt prętereunda Pauli Chirurgia, quę ad venas ſedis ſanguinem fundentes proponitur lib.6.capite 79. primoque pręcipit,clyſterem copioſiſſimum immittendum compreſſione facta, quo anus inuertatur, & hęmorrhoides extra anũ exeant,& appareant, ſolent autem non difficulter apparere interdum capita, & ora venarum ſanguinem fundentia,interdum venę nigricantes,& tumidę, quę lino, quod quintuplex ſit, vinciendę ſigillatim ſunt, vna dumtaxat relicta, qua ſanguis ſuperfluus emanet, vt pręcipit Hippocrates. At vbi hęmorrhoides ex vinculo conſtrictę, vt mortuę exciderint,linamentis vino madefactis cicatrix,inducitur.Leonides autem(vt refert Paulus) non ſolũ deligat,ſed forcipe prehenſas ampliter hęmorrhoidas ſcalpello excindit. Alij tandem (inquit Paulus) cauſtico medicamento repleto concauo inſtrumento ad vrendam vnam accomodato,ipſaſque ſimiliter hęmorrhoidas vſſerunt. Hęc ab antiquis deprompta ſunt,qui(vti audiuiſtis)& vinculis,& inciſione,& erodẽtibus.& adurentibus medicamẽtis

Chirurgia hæmorrhoidum ex Galeno.

Ex Celſo.

Alia Celſi Chirurgia.

Pauli Chirurgia hæmorrhoidũ.

vſi

Ferramẽta candentia cauſticis tutiora.

vſi ſunt. Miror, quod nullus antiquorum ferramenta candentia propoſuerit, cum tamen cauſticis tutiora eſſe videantur, quod his vrere quantum opus eſt poſſimus, illis legem vllam imponere non valeamus: inſuper cauſtica partem putrefacere & corrumpere paſſim videmus, contra ferrum candens corroborare pro comperto habemus. Niſi forte antiquos ferrum candens ſilentio præterijſſe dicamus, quod profuſionem potius adaugeat, cum profluenti vaſi admouetur, vt patet: Sed inducta cruſta iam ſanguis cum his quoque coercetur. Propter quas cauſas ego ferrum quoque candens probo, punctualibus ferramentis ſingulis venarum orificijs adapertis, admotis vt cruſta excitetur: ſatius autem eſt goſypij flocculum ad venæ orificium apponere, inde vero inurere, goſypium enim ita inuſtum duo præſtat, & valentiùs hæret, & minus patientes dolent. Sed vt ingenuè fatear, potior ratio, & tutior ea eſt, quæ medicamentis pugnat, quæ valenter adſtringentia futura ſunt, ex Galeno 5. de comp. medic. per genera. In quo caſu nihil magis valere expertus ſum, quam immaturi fructus contuſi plantæ ligni guaiaci: omitto oui albumen cum bolo Armena, ſanguine draconis, maſtiche, thure, & gypſo ſubactum, & goſypio vſto exceptum, & impoſitum, omitto præterea, quæ per os aſſumuntur, aut reuulſionis gratia peraguntur, tamquam ad hunc locum non ſpectantia.

Author quo modo hæmorhoides inuat.

Medicamẽta hæmorhoides vrẽtia.

Cura hæmorrhoidũ ſuppreſſarũ.

QVOD ſi hæmorrhoides ex toto ſint ſuppreſſæ, vel id contigerit ex nimia, quæ præceſſerit, profuſione, exinanitis venis, vti dictum eſt; vel quia non fuerit ſeruatum, aut ſeruari non potuerit Hippocratis præceptum in curatione, quia non eſt ſeruata aperta hæmorrhois, aut alia de cauſa ſuppreſſæ penitus ſint, omnino venarum ora aperire oportet: quod multipliciter fit. Primo ijs, quæ ſanguinem calefaciunt, & fundunt. Vina potentia, aromata, ſalita, acria denique omnia per os aſſumpta hæmorrhoidales venas aperiunt, vti experientia quotidie docet, Celſus lib. 6. capite de hæmorrhoidibus ait, quod quoties ſuppreſſus eſt ſanguis, ne quid periculi afferat, multa exercitatione digerenda materia eſt: præterea, & viris & fœminis, quibus menſtrua non proueniunt, interdum ex brachio ſanguis mittendus eſt. In quo caſu ego ora venarum aperire tento pilulis de aloe lota in ſucco roſarũ, & fonticulum in coxa paro.

Celſus li. 6. cap. de hæmorrhois.

Author quo modo ora venarum aperiat.

Quomodo vena fluida reddenda.

QVOD ad partem affectam pertinet, Galenus multa proponit medicamenta 9. de comp. medic. ſecundum locos, cap. 7. ad hæmorrhoidas prouocandas. Sed quod ad Chirurgiam attinet, ſunt qui anum, aut inteſtinum perfricando aſpero corpore hæmorrhoidas cæcas & ſuppreſſas fluidas reddant, vt linteo nouo, aut fici folio, aut herba aparinæ, vulgo aſperella dicta. Razæ piſcis cortex nimis aſper eſt, & potius excorians. Cæterum ad venarum ora aperienda, non ſolum obſtructa, verum etiam vbi inde ſanguinem euacuare propoſitum eſt, ea eſt in vſu Chirurgia, qua hirudinibus admotis ſuppreſſum ſanguinem euacuamus, de quibus tria proponenda ſunt. Primum ad electionem ſpectat: eligendæ enim ſunt hirudines, quæ diu in aqua limpida ſeruatæ ſint, & frequenter aqua ſit mutata, alioquin partem, quam mordent, praua quadam qualitate afficiunt, vt etiam inflammatione tententur. Secundum inquirendum ad locum pertinet, in quo hirudines applicandæ ſint: Qui locus in genere vnus eſt, videlicet circa ſedem, in ſpecie verò duplex, ſcilicet inteſtinũ & muſculoſa pars, nam ſedes ex his duobus conſtat; quamuis Galenus in libr. definit. medic. tria conſtituere ſedem voluerit, inteſtinum, ſphinctera muſculum, & anum; & anum vocat (vt puto) orificium ſedis in ſuperficie corrugatum, ſeu ſedis ſuperficiẽ, quæ eſt vti anus corrugata, quæ tamen pars muſculoſa cum ſit, & ex coriaceo muſculo confecta, idcirco muſculoſæ annumerari poteſt. Ad rem alias cum nulla eſſet diſtinctio inter venas hæmorrhoidales neque de loco, neque de ſanguine fluente cura vlla habebatur, ſed ſemper, vt ſanguis efflueret niger & fæculentus, exoptabatur, & ſanguinem videre rubrum effluentem ægre ferebant. Vnde Galenus 4. Aphoriſ. Sanguis intra per hæmorrhoidas excretus bonum, quando nigra euacuantur. Nunc verò cum ſciamus duplices eſſe hæmorrhoidas, portæ, & cauæ, & à portæ hæmorrhoidibus atrum & craſſum ſanguinem; à cauæ verò rubicundiorem, & tenuiorem fluere; inſuper portæ hæmorrhoidas retro magis tranſmitti, cauæ verò ad latera vtrobique eſſe; tertio portæ ad inteſtinum ferri, cauæ

Tria attendenda in apertione venarum. Primũ ſpectat ad electionem.

Secundum ad locum pertinet.

Differentia hæmorrhoidum venæ portæ & cauæ.

verò

verò ad muſculos;quarto portæ interiores magis eſſe,cauæ autẽ exteriores: Vltimo portæ hæmmorrhoidas melancholicis ſuccurrere affectibus,& lieni indurato;cauæ verò febribus, renibus,peripneumoniæ, & alijs expedit in hirudinibus applicandis diſtinctionem in loco talem deſumere,vt ſi ſanguinẽ craſſum euacuare velimus, vt lieni obdurato ſuccurramus, retro verſus ſpinam & interius ad inteſtinum hirudines applicentur. Quod ſi à vena caua ſanguinem educere conſilium ſit,vt febri,aut pleuritidi,aut renibus opem feramus, ad latera, & exterius magis applicaadæ hirudines ſunt, quæ ab hæmorrhoidibus cauæ ſanguinem eliciunt. Quæ omnia etſi noua omnino ſunt,probabilia tamen,neque à ratione ſunt aliena, immò rationi maximè conſentanea. Vltimum inquirendum pertinet ad modum, quo ſanguis ex hæmorrhoidibus educitur: Triplex enim eſt modus exeuntis ſanguinis ab ano ex hirudinibus repletis & ſeparatis,vbi turgidæ factæ vel ex ſe deciderunt,vel ſalis momento oris admoto decidere coactę ſunt. Primus modus eſt, vt repletis hirudinibus & decidentibus ſinamus ſanguinem exire, donec ex ſeipſo ſiſtatur: quem modum vſurpamus vel cum tument hæmorrhoides,& periculum eſt ne plus ſanguinis exeat,quam oportet: vel cum intentio eſt modicam ſanguinis quantitatem euacuare. Secundus modus eſt,vt æger ſupra ſolium aquæ feruentis deſideat,cui vaſculum innatet, quod ſanguinem percolantem recipiat, interim æger aquam non attingat,ſed vapore calido ſanguis trahatur. Tertius & vltimus eſt,vt cum æger non poteſt ſurgere, vt corniculi affigantur, quibus ſanguis vi vacui attractus in debita copia euaiuetur.

Tertiũ ſpectat ad modum.

Primus modus.

Secundus modus.

Tertius modus.

De artuum Chirurgÿs.

SVPERSVNT artus,videlicet brachia & crura, in quibus duodecim ſolent Chirurgiæ adminiſtrari. Prima agit de fonticulis. Secunda, quomodo ſphacælus præcidatur,aduraturque docet. Tertia,digitos cohærentes ſeparat. Quarta digitum curuum ex vlcere & cicatrice relictum diſtendit. Quinta rigidos articulos relictos emendat: Sexta Varos curat. Septima valgos ſanat. Octaua vnguium curam agit. Nona de pterygio ſeu panaritio vnguium tractat. Decima de vnguis pollicis pedis interius intruſione agit. Vndecima varices curat. Duodecima articulos inurit.

Fonticulorũ vſus.

DE FONTICVLIS.

FONTICVLI vulgo appellati ſunt parua vlcera dedita opera facta,ad morbos,qui infeſtant,aut infeſtaturi ſunt tum curandos,tum cauendos; id quod præſtant tum euacuatione, tum reuulſione, tum deriuatione humorum,qui in corpore ſuperuacui ſunt. Morbi autem, quos præcauent aut curant fonticuli,longi ſunt,non breues & acuti: ratio eſt, quia cum euacuatione humorum id præſtent,quæ omnino exigua ab exiguo vlcere prouenit, ideo ſenſim & in tempore vtilitatem præſtant. Quare neque in phrenitide, neque in acutis febribus, neque in alijs & repentinis morbis fiunt, ſed in chronicis tantum, tum quæ ex abundantia ſuperuacuorum humorum,tum maximè ex fluxione fiunt.

Quibus morbis cõueniant.

CONFERVNT autem primò euacuatione,quæ etſi exigua eſt,& ſenſim facta,quia tamen continua eſt, & continuo tempore fit ideo proceſſu temporis tantum iuuat, quantum quæuis alia euacuatio;quod aliæ per longa fiant interualla, hæc continuè euacuet, & corpus ſanum cõſeruet. Ideoque ex natione Sicula plerique, etiamſi ſani ſint, ſibi tamen fieri fonticulum volunt,vt ſani conſeruentur. Propter quam cauſam,cum in omni corporis parte fieri poſſit fonticulus,ad ſimpliciter humores ab vniuerſo corpore euacuandos, vt plurimum tamen non fit,propterea quod non ſolum generaliter euacuandi cauſa,ſed etiam reuellendi,& deriuandi adminiſtrationis ratio ex his elicitur. Nã cum humores in corpore ſuperua-

Siculorum mos.

Cur non vbiq; ſãt fõticuli, ſed tantum in peculiaribus partibꝰ

peruacui alij quieti sint, alij in fluxu, & motu, cum fonticuli fiant & euacuationis, & reuulsionis, ac deriuationis causa, meritò non indifferenter in omni corporis parte, sed potissimùm aut vbi quieuerunt & fluxerunt humores, vt in parte affecta, ad eos simpliciter euacuandos: aut cum in fluxu sunt, & reuulsionis & deriuationis causa, vt in contraria parte, aut vicina: nonnumquam etiam interceptionis fluxionis gratia fonticuli fiunt, videlicet in parte ante aduentum ad partem affectam. Veruntamen potissimum vsus inualuit, vt in contraria parte fluxione laborante administrentur: propter quam causam fit interdum in occipitio, ad reuellendas ab oculis fluxiones anterius retrò: interdum in futura coronali, ad retrahendos humores, qui intus sunt extra in brachijs, ad reuellendos humores, qui a capite descendunt in fauces, laryngem, & pectus: sic in cruribus, ad renes, lienē, vterum, & alia id genus membra iuuanda, & humores tum deriuandos, tum reuellendos. Seruatur quoque rectitudo partis affectæ, aut mittentis, ideoque in liene obdurato in sinistro crure, in iecore affecto in dextro paratur: sic sinistra capitis parte dolente, aut aliter affecta, in sinistro brachio, dextra verò, in dextro: quæ omnes sunt probæ reuulsionis conditiones, vt fiant fonticuli & in parte cōtraria, & e directo. Quia verò dictum est, fonticulos deriuationis causa fieri, ideo auribus affectis non incommodum est in occipitio fonticulum parare. Fonticulum ergo felici successu in eadem parte fluxione laborante, tum ad euacuandum, tum ad intercipiendum humorem influentem ante aduentum ad partem affectam potissimùm, cum humor fluens crassissimus est: Vnde in sene in tibia valde tumida, & vlcere affecta, facto fonticulo supra genu in coxa sanatus est, quòd humor propter sui crassitiem & segnitiem neque reuelli ad alterum crus posset, neque interea trahi vlterius ad locum affectum valeret. Vltimo fonticulum aliquando non quidem paraui, sed reliqui in parte affectâ aut vlcere, aut fistula, quæ esset diuturna & prope modum incurabilis, vt in fistula in pectore, aut vlcere cum osse corrupto, tractu enim temporis locus tandem sanatus est tota materia noxia euacuata. Itaq; conferunt fonticuli generaliter & perpetuò euacuatione, specialim verò euacuatione & reuulsione, euacuatione & deriuatione, euacuatione & interceptione: denique sola dumtaxat euacuatione. Sed hoc adhuc non est satis ad fonticulū recte parandum: sed cum hi fonticuli sint vlcera, quæ indigent custodia & detersione, vt plurimum bis in die, matutino scilicet & vespertino tempore, propterea consueuerunt ipsos parare potissimùm quò manus possunt commodè attingere, & oculi prospicere; propterea non in dorso, non in pede, sed in brachijs tantum, vt plurimum, & cruribus fieri solent, hoc est, vel supra cubitum, vel paulo supra, aut infra genu.

Partis rectitudo seruanda in fonticulo parando.

Quæ ratione fonticuli iuuent.

Fonticuli in locis cōmodis parādi.

Cōditio prima boni fonticuli.

QVIA verò humores superuacui, quos aut euacuant, aut reuellunt, aut deriuant fonticuli, in duobus locis consistunt, vel in vasis, vel extra vasa, vt plurimum autem consistunt, humores superuacui in vasis, aut magnis, aut minoribus, aut minimis, præcipuè vbi tumor in aliqua parte non est, propterea bonus fonticulus exigit vt sit propè vasa, & quo maiora sunt, eo melior est. Ex quibus colligo, quod cum fonticuli fiant tum in brachijs, tum in cruribus, non tamen indifferenter in omni parte aut crurum, aut brachiorum parandi sunt, sed (vt paucis comprehendam) vbi & venæ maiores sunt, aut propagines earum, & vbi commode à manibus regi & mundari possunt, in venis, inquam, hoc est, propè ipsas, non supra venarum corpus.

Altera boni fonticuli conditio.

RVRSVS altera conditio boni fonticuli est, vt cum brachia & crura sint admotum destinata, hæc verò sint vlcera, quæ cutem prætereunt, & in musculos descendunt, & cū diutiùs aperta detinere oporteat, quod pila, aut ex cera, aut piso, aut ex hæderæ radice fiat, hæc corpora sæpe numero sua duritie musculos comprimunt, & motum propter dolorem impediunt, ideo requiritur hæc conditio, vt locus seu spatium, seu interstitium inter musculos eligatur, nequaquam in corpore musculi, & eius carnosa parte; multò minus in neruosa ac tendinea. Qua conditione deficiente, multi coacti fuerunt claudere iam factos fonticulos. Confert etiam efficere fonticulum in interstitio musculorum, vt humores, qui in spatijs sunt facilius euacuentur. Quod sanè interstitium in brachio quidem ex cubiti valida tum flexione, tum extensione, in crure autem ex genu si supra; si verò infra fonticulus fit, ex pe-

Locus fonticuli quomodo explorandus.

dis

dis ſimiliter tum flexione, tum extenſione exploratur; interea apice indicis digiti in muſculorum inteſtitio compreſſo, in brachio quidem inter delthoida muſculum, & ſuperiorem cubitum flectentem; in crure vero, vbi interſtitium digito comprimitur, vt in foſſea. Vltima conditio eſt, vt cum deligare locum fonticuli oporteat, quo pila ſeu globulus detineatur, ideo neceſſarius eſt locus, vbi deligatura commodè conſiſtat, neque decidat, ideoque vitamus omnem loci decliuitatem; quo fit, vt in decliuitate muſculi delthoidis non detineatur fonticulus. Sic ſupra genu. Itaque vt ſummatim omnes boni fonticuli conditiones referantur, fieri debent vt plurimum in partibus oppoſitis partibus affectis; interdum in vicinis; nonnumquam in parte affecta, & hoc dupliciter, vel paulo ſupra, vel in ipſamet parte affecta: tum in ijs, quos oculi & manus poſſunt proſpicere, attingere, & mundare; tum propè venas maiores, tum in interſtitio muſculorum, vbi deligatura contineri poteſt.

Vltima conditio boni fonticuli.

PROPTEREA vſus inualuit, vt fiant in brachijs & cruribus fonticuli, & vt iudicium faciatis de exacto & congruo loco, in brachio fieri conſuerunt quatuor locis; vel poſterius ad fines delthoidis muſculi, vel in medio; vel anterius; vel inferius; & alias ab omnibus fiebant aut in medio, aut poſterius, aut in fine. Ego autem locum anteriorem elegi & ſubſtitui, quod alia loca opportuna non ſint, vt ex conditionibus deficientibus patet, vna tamen primo in omnibus ſpectatur contrarietas. Nam ſi poſterius, deſunt tres conditiones, prima, quod ligatura & faſcia non conſiſtit, ſed decidit. Secunda, quia propè venas non eſt. Tertia, quia aſpici oculis, & manibus mundari non poteſt: ſi verò fiat in medio muſculi corpore, nota non caret, quia non in interſtitio muſculorum fit, neque propè venas, neque faſcia conſiſtit. Quod ſi in fine muſculi delthoidis fiat, diu detineri non poteſt, quod propter pilæ grauitatem deorſum excurrat, & ſupra muſculos veniat ac tendines, quos cum dolore comprimat, & ita detineri non poſſit. Quod ſi anterius fiat, vti ego ſoleo inter delthoidem & aliam, qui cubitum flectit, & vulgo vocatur il Peſcetto, hic exactus eſt fõticuli locus, quod videri & attingi poſſit, quod inter muſculos, quod propè venam cephalicam fiat, & deligatura permaneat.

Quis locus fonticuli in brachio commodus.

IN crure autem effici fonticuli conſuerunt tum infrà, tum ſupra genu, tum extra, tum intra; ſi extra fiant, deeſt vna conditio, quia non habet venas vicinas; in interna verò habet ſaphenam. Igitur melius eſt vt fiant in interna aut coxa, aut tibia, ea ſcilicet parte, quæ deligari poteſt, & deligatio contineri. Nam nimis ſupra genu decliuitatem regio habet; ſi nimis deorſum, articulo & tendinibus nimis vicinus locus eſt: præterea interna pars non habet latum tendinem, quam vitare oportet, alioqui graues inflammationes ſuperueniunt. In mulieribus ſiue ſupra, ſiue intra genu fiant, perpetuò propter vterum & menſes intus parabutur. Atque hæc de loco.

Locus commodus fonticuli cruribus.

FIVNT fonticuli vel cauſtico medicamento, vel ferro. In ſuperiori ætate ferè omnes fonticuli cauſtico parabantur: Sed experientia oſtendit tandem cauſticum non eſſe tutũ, quod non ſolum mala qualitate præditum eſt, ſed etiam quòd ſæpe magis comburat, quam par eſt, ita vt non raro vis eius pertingat ad muſculos, tendines, & neruos; ob quam cauſam excitati ſunt dolores & inflammationes, inde gangrænæ, & ſphaceli, & magna vlcera, ita vt nonnullis fuerit opus crus excidere totum, nonnulli quoq; ex ea re interierunt: quæ omnia hic Patauij contigere. Propter has cauſas vſus iam diu inualuit, vt ferramento candente fiant. Sed nonnulli ſunt, qui ferramentum ignitum adeo formidant, vt nolint illud admittere, & cauſtico vti neceſſe ſit. De quo oportet primò vires habere reſpectas, inde in loco opportuno poni, cauereque ne ſpargatur, & maius vlcus quam oporteat paretur; quod fit operculo glandis ſupra poſito. Sunt qui oleo de ſulphure, aut de vitriolo, intincto in eo ſpecilli mucrone, ſpecilloque conuoluto ſupra cutem fonticulum excitent. Sed quomodocũque cauſtico fonticulus paretur numquam poſtea butyrum apponatis, quod ſub cauſtico putrefacit, & gangrænam excitat, tum etiam vbi in hydrope in cruribus fonticuli fiunt, a butyro omnino abſtinendum, ſed ſolum diapalma vtendum & vino.

Quo inſtrumento fiant fonticuli.

Qua ratione cauſtico parãdus ſit ſticulus.

Butyrũ quãdo non conueniat fonticuli.

Quomodo fiat fonticulus per inciſionem.

SED potior ac tutior modus eſt, qui ferramentis procedit, quæ duplicia ſunt, alia candentia, alia incidentia. Sunt qui incidentia vſurpant, duplicando cutim, & ita incidendo, &

pilam statim imponendo. Sed ne dolor excitetur dum inciditur, ego paraui duas ferreas laminas, quæ in medio scissuram habent. Eleuatur cutis, & duplicatur, & inter duas laminas stringitur arctè, vt sensus ferè obstupescat, tum scalpello ad scissuram inciditur: & ita fit fōticulus per incisionem. Sed cum minori molestia fit fonticulus cum ferramentis candentibus quam incidentibus, quia incidendo dolor excitatur & inflammatio. Ferramenta autem varia sunt. Nam tria quidem habentur, quæ tamen ad duo reducuntur. Etenim ex duobus sibi ipsis similibus alterum nota interdum non caret, quod partes circumstantes sub eo vim ignis persentiant, dum ex compressione circum circa attolluntur, & incalescunt, quod tamen sub altero non succedit. Itaque duo sunt instrumenta, quæ commodè vsurpantur. In his vtendis duo præcauere oportet, ne scilicet vis ignis & dolor persētiatur, aut certè quam paucissimè persentiatur. Præterea ne ignitum ferramentum videatur, nam propter hæc duo multi formidant ferramentum ignitum, & propter dolorem, & propter aspectum ignis. Tria enim sunt incommoda, quæ molestant hominem, cui fonticulus efficitur, calor, dolor, & ignis aspectus. Ad hæc tria vitāda ars primo excogitauit laminam ferream latam & crassam, in cuius medio sit foramen eius latitudinis, vt admittat cannulam instrmenti, quod sinistra manu detinetur & comprimitur: quæ lamina ex inferna parte, quæ corpori applicatur, circulum habet cum supercilio tenui, & quadamtenus acuto, & ponitur supra locum fonticuli signatum atramento. Hæc lamina primo refrigerat partem circumstantem, & cōsequenter calorem ferramenti candentis. Inde dolorem mitigat, obstupefaciendo ipsum, quem obstupefacit tum frigiditate, tum compressione marginis acuti circuli. Cui postea circulo si supponatur instrumentum, quod ignem abscondit, erit plenè satisfactum tribus incommodis iam relatis. Habetur enim instrumentum, quod aspectum ignis tollit, quod candens ferramentum intrusum, & occultatum habet in tubulum aut ligneum, aut osseum, aut argēteum, quod ex altero extremo orbiculare foramen habet, quod parti apponitur, ex altero verò operculum candenti ferro coniunctum; quod deorsum comprimitur.

Ferramenta ad fonticulos inurendos qualia.

Eorū vsus.

Vsus lamina substernenda.

Instrumentum ignem abscondens

MODVS vrendi est, vt ferramento candente cutem vramus, & ipsam tantùm attingamus, & leniter comprimamus. Neque in omnibus par comprimendi modus requiritur, sed variat pro cutis varietate, videlicet mollitie, & durie, tenuitate & crassitie. Ideoq; in puero minus, in adulto magis, in sene adhuc magis; item in brachio, vbi mollior & tenuior cutis est; minus; in crure, vbi durior & crassior, magis comprimendum ferrum est. Item variat, prout pars vrenda integra est, aut affecta: propter quam causam in hydrope & cruribus aqua tumentibus vix attingitur cutis, & a butyro abstinetur. Item in cacochymo corpore, aut crure fluxione laborante, mitius adigitur ferrum, & butyrum non apponitur, sed diapalma, & linteum vino nigro austero expressum vsurpatur.

Modus vrēdi fonticulum.

COMBVSTO loco, si quis velit fonticulum parare sine vllo dolore, & sine vlla loci alteratione seu irritatione, quæ interdum causa est, vt fonticuli cum molestia gestentur, non est festinandum globulum præproperè imponere, sed cerea primum pila tunc imponenda est, cùm crusta & nigra & alba decidit, & caro rubra bonaque apparet, quæ omniuo sit expers tum doloris, tum inflammationis, & labiorum, & partium circumstantium. Tunc enim ceream primò pilam paruam apponere: & supra duriusculum puluinar ex linteo factum fascia angusta astringere, & comprimere oportet, quousque descendat in profundum, & sedem congruam sibi paret: quo tempore iam hederæ folium non rotundum, sed fissum, & inter duo linteola auersum ponere supra fonticulum oportet, & quotidie mundare. Sed quę cura post factum fonticulum ei conueniat, scheda mea multos iam ante annos facta dilucidè explicat.

Quæ cura conueniat fonticuloiā facto.

De Sphacali Chirurgia.

GRAVISSIMVS affectus, & aſpectu horribilis eſt, cum aliqua corporis pars emoritur, multoque grauior & horribilior, cũ planè emortua eſt (priorem gangrænam, poſteriorem ſphacælum Græci vocant) ſiue ex præcedente inflammatione, ſiue vulnere, ſiue oſſis fractura ſiue contuſione, & attritione, ſiue venenato telo, ſiue alia cauſa hæmam pars ſphacælo affecta nigrum colorem contrahit, fœdum & cadaueroſum odorem ſpirat, & ad tactum mollis ac flaccida euadit, & ſine ſenſu eſt. Huic niſi quam celerrimè ſuccurratur, inquit Paulus lib. 4. cap. 19. facile affecta pars, quatenus vicina comprehendit, mortis habitum repræſentat, & hominem iugulat.

Sphacali cauſa varia.

Sphacali quantitas.

AT quod ſit huius mali remedium, audiatis Celſum libro 5. capite 26. In hiſce caſibus miſerum, ſed vnicum auxilium eſt, vt cætera pars corporis tuta ſit, membrum, quod paulatim emoritur abſcindere, quamuis id cum periculo ſummo fiat, inquit Celſus, quia ſæpe ægri in ipſo opere vel profuſione ſanguinis, vel animi defectione moriuntur. Ideoque Galenus ſecundo ad Glauc. monebat, in abſcindendo membro, vt tutiùs agatur, naturam corporis & partis etiam naturam attendendam eſſe: cui auctoritati reclamant verba Celſi lib. 8. cap. vltimo, cum pulcherrima ſententia, videlicet, omnino ſectionem eſſe faciendam, quia nihil intereſt an ſatis tutum præſidium ſit, quod vnicum eſt.

Sphacali remedium.

QVOD ſi dicatur perperam Galenum præcepiſſe, attendendam eſſe naturam ægrotantis, & vires, ſi ſine vlla exceptione præcidenda pars eſt. Huic tandem reſpondendum ex Celſo eſt: Si res omnino deplorata eſt, ita vt ſimus aduocati, vt pluries mihi contigit, cum vires iam adeò imbecilles ſunt redditæ, vt in ipſo opere certi ſimus ægrum defecturum, in eo caſu abſtinendum à ſectione eſt; etenim ego in his caſibus dicere ſolitus ſum, quod à præceptoribus dictum audiui: ſatius eſſe ægrotantem ſinere mori quam ipſum occidere. At ſi caſus periculoſiſſimus, ſine certa tamen deſperatione eſt, tunc eſt faciendum quod elicitur a Celſo lib. 2. cap. de ſang. miſſione. Fieri quidem poteſt, vt ſphacælus membri præciſionem deſideret, corpus autem vix pati poſſe videatur; ſed ſi nullum tamen appareat aliud auxilium, periturúſque ſit, qui laborat, boni Medici eſt oſtendere quam nulla ipes ſine membri amputatione ſit, fateriq; quantus in hac ipſa re ſit metus, & tum demum, ſi exigatur, membrum abſcindere.

Galenus & Celſus reconciliati.

DE quo dubitari in eiuſmodi re non oportet, ſatius eſt enim anceps auxilium experiri quam nullum, ait Celſus. Quæ ſententia confirmatur ex Albucaſi, qui refert, in huiuſmodi caſibus aliquando noluiſſe propter metum mortis cuidam manum abſcindere, cum tamen ille alium admoneriſſet, qui excidit. ſanus ad ipſum reuerſus eſt paucis diebus, qui omnino periſſet, ſi non fuiſſet inciſus.

Quid medicus agat ãte præciſionem membri.

AD inciſionem præſtandam antiquiores monuerunt, eam faciendam eſſe in confinio partis viuæ & emortuæ, ita vt potius aliquid viuæ excidatur quam mortuæ quidquam relinquatur: ratio eſt, quia ſtatim contactu emortuæ viua moritur, & ita ſemper corruptio ſerpit, donec hominem necet.

Vbi faciendæ inciſio.

SED in hac operatione duo ineuitabilia ſymptomata ſequuntur, ſanguis profuſio ex præciſione magnorũ vaſorum, & dolor intolerabilis, cui ſtatim adiungitur cõuulſio ex præciſis maioribus neruis & chordis: propter quæ duo ego dũ eſſẽ iunior, & addiſcendi cauſa alios operantes viderem, interdum vidi ægrotantes interea dũ inciderentur perijſſe, quod Celſus quoque dixit lib. 5. cap. 26. videlicet, quod ſæpe in ipſo opere patiẽtes vel profuſione ſanguinis, vel animi defectione moriuntur. Quæ duo propterea Chirurgi vitare ſtuduerũt multipliciter: Nam alij ſtrictura vna, duabus, & tribus ſupra per interualla factis vtrũque prohibere tentarunt, vinculis v.g. in coxa quatuor digitis a ſphacælo diſtantibus, inde totidem ſupra bis; ſic enim obſtupeſcit pars, & ſanguis cõprimitur ex conſtrictis neruis & vaſis. Qui tamẽ modus tutus nõ eſt, tũ quia ſtringẽs vis vix neruos & interna vaſa ampliora

Duo ſymptomata à hac Chirurgia euenientia.

attingit,propter muſculorum mollitiem,& oſſis duritiem: deinde etiamſi clauderet, tamen cum oporteat ſtatim peracto opere vincula reſoluere & laxare,ne & ipſa moriatur,ſanguinis profuſio proritabitur: vt interim omittam periculum gangrænę excitandæ à quacumq; ſtrictura in parte,quæ iam ad mortem diſpoſita eſt.

ALII idipſum tentarunt incidendo cum ferramento vehementer candente, vt vno tempore tum ſecetur,tum cruſta ſupra vaſa inducatur. Qui modus neq; etiam valet,quod ferramentum candens tam cito in magnis vaſis cruſtam efficere non poſſit,& ſuo vehemẽti calore valenter ad ſe trahendo proritat potius ſanguinis profuſionem vt experientia patet.

Alius modus.

SVNT qui potionem ſoporiferam præbeant,quò dolor & conuulſio deuitetur. Sed hæc vt periculo non vacat,ita profuſionem ſanguinis non tollit.

Alius.

ALII denique ſpongias madefactas in Opiato quopiam medicamento ſupra viuam partem imponunt, ſine vllo fructu, cum neque vis medicamenti poſſit profundos neruos obſtupefacere. Præterea periculum ſit,ne pars viua ad corruptionem diſpoſita emoriatur: interim omittam nihil proficere ad ſanguinem profluentem.

Alius modus.

IGITVR cum nullus prædictorum modorum tutus ſit,accipiatis nunc quid ego excogitauerim, quod mihi ferè ſemper feliciſſimè ſucceſſit, cum omnibus occurat difficultatibus. Hunc modum,quem ego fui imaginatus, vidi poſtea propoſitum à Ioanne de Vigo in libro de Vlceribus,cap. Vltimo. Quem tamen oſcitanter proponit, neque omnia obſeruat, quæ obſeruanda ſunt. Tres ſunt ſcopi in hac operatione,corruptionem firmare,profuſioni,atque dolori reſiſtere. Ego igitur incido in parte emortua, quæ ſit viuæ vicina, quanta eſt craſſities digiti pollicis,atque ita duo,videlicet & profuſionem,& dolorem ex toto deuito;pro tertia autem deuitanda,ſcilicet corruptione ne ſerpat,ego deinceps comburo ferramentis candentibus totam partem emortuam,ita tamen (notate) vt ſemper patiens vim ignis perſentiat;ita enim pars tota emortua in cruſtam degenerat,quæ eſt operculum ipſis vaſis, & pars viua propter vſtionem ita ab igne corroboratur, vt ſpatio tridui,aut ad ſummum quatridui appareat ſeparatio mortui à viuo;& ita ſiſtitur mortificatio (vt ſic loquar) ſine dolore,& ſine ſanguinis profuſione. Ioannes de vigo libro de Vlceribus,cap. vltimo, videtur ponere eundem modum, ſed non aduertit,quod dixi, vt patiens ſentiat vim ignis.

Modus quo Author ſolicitè vſus eſt.

De digitorum Chirurgia.

DERTINET quoque ad artus ea Chirurgia,in qua digiti vel manus,vel pedis, potiſſimùm autem manus inuicem cohærẽſcunt, quã Celſus quoque proponit,& ego vidi ſæpius,in combuſtis,& accidit vel in vtero, vel ex vlcere vtriuſque digiti à lateribus facto, & negligenter curato. Quos ſanè digitos inuicem ego ſeparaui eo modo, quo dicit Celſus. Sed priùs attentè totam cohærentiam ſecundum longitudinem digitorum diligenter tetigi,præcipuè in naturali coalitu, num aliqua durities, aut nerui ſuſpicio, aut vena appareret, quam vitare oporteret,poſtea attramento ſectione efficienda per longitudinem notata,ſtatim primo à dimidio vltra ad digiti apicem,ſubindeque à dimidio citra, videlicet a digiti radice ad dimidium diſſecui,& ſectionem ſcalpello quidem, ſed ea ſcalpelli ſpecie, quæ anguſtum oblongumque cultrum imitatur,molitus ſum,& cum linamentis & diapalma cicatricem induxi.

Cauſa cohæſionis digitorum.

Author quo modo digitos cohærẽtes ſeparet.

De curuo digito ex vlcere & cicatrice relicto.

ALTERA in digitis Chirurgia, quam ſimiliter proponit Celſus loco citato, eſt in digito, qui curuus ſub cicatrice duriore craſſioreque inducta ex vlcere remanſerit, quam curuitatem medicamentis primo tollere oportet mollientibus, vt eſt ceratum citrinum, aut ex oxelæo dictum, aut luta thermarum, aut balneum molliens, aut lotura lanarum, ſed vbi hæc parum proficiunt, ad Chirurgiam recurrimus. In qua Celſus conſiderat, id eſſe proſpiciendum, neruine id vitium, an cutis ſit: ſi digitus curuus remanſit propter nerui vitium, attingi Chirurgia non debere præcipit, quod ſanabile non ſit. Addatis vos, ne neruorum diſtenſio ſubſequatur: in quo caſu ego tantùm medicamentis propoſitis diutiſſimè inſiſto. At ſi cutis culpa, quæ calloſa ſit, curuitas remãſit, monet Celſus, totam cicatricem excidendam, & rectum digitum figuratum ad nouum cicatricem perducendum eſſe: addoque ego, id eſſe perpetuo mollientibus præſtandum, ne iterum dura inducta cicatrice curuus ſiat: ad quod melius numquam quam ceratum meum citrinum adinueni mollitum, & pinguedine Gallinæ ad vnguenti formam redactum.

Curuitas digitorum medicamẽtis primo iuuanda.

Quomodo Chirurgia emendetur ex Celſo.

De rigidis articulis relictis.

DIGITI rurſus, & alij quoque articuli, quorum media figura angularis eſt, vt cubitus, genu, poſt vulnus, aut vlcus, aut tumorem, aut humorum antiquum defluxum recti, rigidique remanent, id quod actioni impenſius incommodat quam ſi curui remanſiſſent: de qua re auctores nullam fecerunt mentionem, cum tamen ſæpiſſimè id ſymptoma viderim. Si vitium ex diuturna mora & habitu, quem membrum ſeu articulus in poſitura contraxit, dum aut fractura, aut dolens inflammatoriumque vlcus, aut vulnus curatum eſt, curabile omnino eſt: Nã mollientibus, laxantibuſque medicamentis, perfuſionibuſque potiſſimùm, & balneis præmiſſis, tum parte ad motum reuocata, ſenſim & motus, & figura partis reſtituti ſunt. Sed ſi vitium difficilius ſit, & vix curabile, quod aut nerui antea læſi ſint aut articulus repletus, ob duratuſque remanſerit, aut quapiam alia cauſa id factum ſit: & intentio tantum ſit, poſt habitis motibus, partem duntaxat ad commodiorem figuram reducere, vt puta digitos rigidos, aut cubitum rectum, rigidumque factum ad curuam angularemq; figuram ſenſim, ſenſimque reflecti ac redire: In cubito, vbi multa ex balneo amollitio præceſſit, alligamus inſtrumentum ſeu ferramentum, quo ſenſim quotidie & ſine vlla violentia cubitum incuruamus: ſic in digitis, ſi conſimile paretur, idem præſtabimus. Quæ tamen omnes molitiones & dolore, & violentia vacare omnino debent. Quod ſanè inſtrumentum in omni quoque alio articulo valet, qui obduratus remanſerit, vt ſenſim pertentetur, ſi fortè fortuna materia obturata hac ratione ſaltem quadantenus dimoueri poſſit eo modo, quo aliquando vidi caſum penè incurabilem curatum ex commota materia.

Rigiditas ex mora & tractu curabilis eſt.

Rigiditas difficilior quomodo curari debeat.

CAVSA autem ad praxim maximè conducens hic eſt. Nobilis vir in ætate adulta cõſtitutus, incidit aliquando in genu tumorem durum, qui omnem motum ipſi ademerat, ita vt immobilis prorſus eſſet articulus: habita conſultatione cum Excellentiſſimo Capiuaccio, exiſtimauimus, caſum eſſe propemodum incurabilem, tamen luta thermalia volebamus experiri, & dum præpararetur corpus, interea ab Empirico impoſitum eſt emplaſtrum caliditſſimum, quod ego credidi eſſe confectum ex flammula, quod eleuauit genu in tumorẽ longè maiorem, & efferueſcentem inflammationem, & grauiterque dolentem, quibus paulum remiſsis cæpit articulus alioqui immobilis moueri; vel id factum fuerit, quod reuocata ſit materia ab internis ad externa, vel quia frigida & coacta, & calefacta & attenuata fuerit:

Caſus de articulo rigido.

omni-

omnino per hoc medicamentum tamquam ex bona origine tandem curatus eſt morbus. Hoc dictum eſt, vt ſi materia quieta a medicamento mota eſt, ab inſtrumento quoque moueri poterit, & hanc Chirurgiam non eſſe deſpiciendam in his caſibus.

Authoris inſtrumentum.

HVC quoque referri poſſunt Chirurgiæ aliæ conſimiles. De vna habeo ego inſtrumentum quod puto a me fuiſſe paratum in puero, cui os femoris propter ligamenti laxitatem facilè ſurſum prorumpebat, pro quo factum eſt hoc inſtrumentum, quod ſenſim deor ſum caput impellit, & detinet.

Quomodo Author tibias incuruatas emendarit.

ALIAE adhuc conſimiles Chirurgiæ fiunt in tibijs: Nam ego aliquando vidi cuidam Patrifamilias nobili naſci filios cum tibijs incuruatis, & exterius gibbis, arcumque referentibus, vti ferè contingit pumilionibus, qui tamen non erant pumiliones; quas ego direxi cum laminis quibuſdam ferreis per longitudinem tibiæ applicatis & aſtrictis, interius tibias comprimentibus & impellentibus: quæ tamen impulſio ſenſim facta eſt, & proſperè ſucceſſit, quia puerorum oſſa ſunt mollia, & ſequacia, & facile reflectuntur, ac diriguntur, Quæ ſanè inſtrumenta apud me non ſeruaui.

DE VARIS.

Vari qui.

VRSVS cum his enumerabimus quoq; Chirurgias, quæ fiunt ad varos & valgos, qui a Græcis βλαισοὶ & ῥαιστοὶ appellantur, vti habetur Com. 3. de fracturis 69. qui affectus ad pedes pertinent, cum diſtorſionem patiuntur, vel mauis dicas imperfectam luxationem: quamuis Galenus valgos ad coxæ & genu diſtorſionem quoque referat: & ſimiliter ad lingnam referatur blæſam, ad talos tamen maximè pertinent. Nam vari dicuntur, quorum pedes diſtorquentur ad talos, & obtorti introrſum ſpectant, vt Hippocrates monuit & Galenus.

Infantes vari quomodo corrigendi.

QVAE affectio interdum contingit ab ipſa prima natali die, interdum poſtea ex aliqua externa cauſa. Si ita vari oriantur infantes, non difficulter reſtituuntur, ſi ſenſim, dum faſcia obuoluuntur, pedes retrorſum agantur, aliquod exiguum puluinar inter vtrumque pedem inferendo: ſolent enim omnes embriones in vtero matris habere pedes introrſum flexos, quod plùs minùs accidit; ſi negligentes nutrices ſint, facilè ſic adoleſcunt, & vari remanent; ſed ſi diligentiam adhibeant, vt pedes in contrarium ſenſim abducantur, dum faſcijs inuoluuntur, facile corriguntur. Quòd ſi ab externa cauſa articuli pedis diſtorqueantur, & vari fiant, ſtatim, non ſenſim reſtituemus ipſiſmet manibus, vt facimus in luxationibus, de quibus infra.

Varorũ ab externa cauſa Chirurgia.

DE VALGIS.

Author quomodo valgos reſtituat.

ALGI autem, qui ſunt contrario modo affecti, videlicet in quibus pedes exterius ſpectant, magis ab externa cauſa, quam à natiuitate fiunt, propterea reſtituere ſtatim ipſos oportet. Nam ſi ita diutiùs perſiſtant, accurrit humor in articulo, obduratur, & non amplius emendari, niſi ſenſim affectus poteſt. Ego in his caſibus tibias quaſdam ferreas paro, quæ pedem etiam ferreum obtinent, & intra pedem laminam, quæ per longitudinem exterioris partis pedis producta ſit, quæ ita interius impetum faciendo inclinet, vt exteriorem pedem intra ſemper propellat, quia impulſione ſenſim per introrſum conuerſus tandem dirigitur, & valgus affectus aufertur.

De vnguium Chirurgia, videlicet de tondendis, & aſperis. lauigandis vnguibus.

QVAMVIS vngues pauciſſimi vſus eſſe videantur, quòd ferè non nutriantur, & corporibus partibus vix annumerentur, tamen quadruplicem Chirurgiã requirunt: quarum duæ neceſſariò omnino ſunt, quod vſum vnguium deperditum reſtituant, & cum eo quoque digitorum actionem per vitia ablatam; cuiuſmodi eſt Græcis Pterygium, Albucaſi & vulgo Panaritium dictum; tũ verò etiam vnguis pedis, potiſſimũ digiti pollicis, ad angelos introrſum in carnem incrementum: & intruſio, quæ duo circa vngues vbi excitantur, non modò vnguium vſum, ſed etiam digitorum, immò totius quoque cruris non rarò actionem labefactant, quamuis prima facie pauci momenti eſſe videantur. Nam panaritium vbi increſcit, tum vnguem totum corrumpit, tum ſæpe os, & articulum ei proximum vitiat. Altera verò affectio, quamuis pulilla appareat, hoc eſt, vnguis intra carnem intruſio, actionem tamen totius cruris prohibet, videlicet ambulationem, & ego præter alios propemodum innumeros à me curatos, quemdam aliquando Nobilem Gallum curaui, qui palam fatebatur, ſe plus mihi debere quam proprio genitori, propter reſtitutam digiti ſanitatem ex vnguis pollicis pedis inſinuatione, intruſioneque in carnem ad eius ſcilicet latera.

Vnguium Chirurgia quattuor.

Pterygij incommoda.

DVAE verò aliæ circa vngues Chirurgiæ potius decoris gratia adminiſtrantur. Eſt autem vna inciſio, ſeu vnguium commoda, concinnaque tonſio: altera verò vnguium eſt ſcabrities, ſeu aſperitas, ſeu teſtacea, rudiſque ſuperficies ac ſubſtantia, a polita vnguium natura in totum declinans, quæ correctione per Chirurgiam indiget. Quæ duæ Chirurgiæ decoris potius gratia, quã ſanitatis, vt dixi, fiunt, quamuis (notat,) nulla eſt Chirurgia, quæ quã tumuis ad decorum pertineat, tamen vſum, & actionem quodam modo non reſpiciat, & reſtituat. Etenim vera pulchritudo, vt Galenus notauit, non in alio quàm in incuſpata conſiſtit. Sicuti enim pulchram faciem eam dicimus, quę tum bona temperie donata eſt, ex qua & rubra, & bene carnoſa, & perpolita efficitur; tũ verò etiam, quæ alias partes obtinet, decenti magnitudine, exacto numero, & concinna figura, ac congrua poſitione præditas, ita vt naſus, verbi gratia, neque maior, neque minor ſit, quam totius faciei proportio requirat: ita ſimiliter ſanam perfectè faciem non aliã cenſemus quam propoſitam, vt propterea verã pulchritudinẽ eum ſanitate, & viciſſim ſanitatẽ cũ pulchritudine reciprocari Galen. voluerit. Quæ ſi vera ſunt, illud quoque veriſſimum erit, Chirurgias, quæ decoris, ſeu pulchritudinis gratia fiunt, ſanitatis quoque gratia fieri neceſſarium eſſe, & cum ſanitate perpetuò coniungi; latere autem nos non rarò ſanitatem, decorem autem non latere, propterea quod ex minima quaque conditione deficiẽte pulchritudo minuitur, & labefactatur, ſanitas autem nequaquam ad ſenſum iacturam pati conſpicitur; quod natura de ſanitate, quæ vſum & actionem comprehendit, in primis ſollicita eſt: tum verò pulchritudo idea eſſe videtur ſanitatis, idea autem rerum in particularibus non reperitur, & ex minima quaque re iacturam ſuſcipit; ſanitas autem latitudinem habet multam. Itaque actio & vſus partium ex pulchritudinis exigua offenſa multo minus tollitur quam ex ſanitatis offenſa. Itaque ſi in cęteris quidem facies commenſurata, naſum habeat maiorem quam conueniat, deformis dicetur, cùm tamen ſana adhuc cenſebitur, quòd ad ſenſum naſi vſus offendi non conſpiciatur. Sic Chirurgias, quæ decoris tantum gratia fiunt, vſus quoque offenſio aliqua conſequitur, quamuis ad ſenſum non pateat. Vnde ſi alias duas illas Chirurgias reprobauimus, in quibus glans detecta tegitur, aut tecta detegitur, tamquam quæ actioni penis nequaquam officiant, ſed decoris tantum gratia fieri videantur: tamen ea cauſa reprobatæ a nobis ſunt, quòd crudeles nimis eſſent, periculoſæ, & factu difficillimæ, neque cum vſus offenſa comparatas liceat eas adminiſtrare, quod damnum, & incommodum multum, vtilitas autem pauca reſultet & emergat: vnde eas Celſus & ego cum ipſo, decoris tãtum gratia fieri dimus,

Chirurgiã vnguiũ decoris gratia adminiſtrata.

Decor ſanitatem quoque reſpicit

Pulchra facies quæ dicatur.

Chirurgiæ decoris etiã ad ſanitatẽ faciunt.

Idea in particularibus non reperiturs

Cur quadã Chirurgiã ab Authore reprobata ſint.

mus, propterea quod actioni, id est, erectioni penis non officiunt, quamuis non prorsus decoris gratiâ, sed sanitatis quoque causâ fieri ex eo patet, quòd qui glandem perpetuò detectam habent, ij non ita in coitu delectãtur, vt alij, quod sensus ille glandis exactus hebetatus in ijs ab externo aeris cõtactu & frigore sit. Audio similiter mulieres quoque magis oblectari, & facilius semen emittere, si cum alijs coeant, quam cum circumcisis, quod forte his glans detecta frigidior, duriorque sit, aut præputij sursum deorsumque recursus ac confricatio desit. Pariter quoque etsi ad tectam glandem detegendam decoris gratia Chirurgia paratur, tamen non prorsus pulchritudinem id respicit, sed vsum quoque, cum semen neq; confertim totum, neque longius eiaculari in his possit. Vnde neque etiam mulieres, quæ in viri seminis emissione maximè delectantur, oblectari, vt solent, possint.

QEAE omnia si in præsentia ad vngues quoque referamus, itidem euenire conspiciemus. Nam tametsi vngues continuè tondere, quod passim omnes faciunt, decorem tantum videtur afferre, quòd & nimium longi relicti, & nimium propè carnem tonsi indecorum afferant. Galenus tamen primo de vsu par. capite 8. ex Hippocratis sententia, hanc vnguium Chirurgiam ad vsum transtulit commodum, & actionem digitorum, nimirum ad apprehensionem.

Vnguium longorũ aut nimis breuium incõmoda.

ETENIM vngues aut oblongiores dimissi, aut nimium præcisi, & propè carnem tonsi, pusillum corpus rotundũ, vt acum, pilum, festucam, filum, & alia eiusmodi colligere & apprehendere non possunt. Id quod moderata longitudo, quam Galenus & Hippocrates lib. de Artic. ὀλομελίαν nuncupãt, potest, & facit. Sic quoq; vngues asperi, crassi, & vt testa rudes, & si indecorum videntur oculis afferre non mediocrem, tamen quia & ipsi ad apprehendenda pusilla corpora minùs videntur idonei, propterea Chirurgia indigent, quæ perpolitos, ac tenuiores reddat. Quod si à natiuitate tales sint vngues; curatio frustra suscipitur, quod id vitium temperamenti proprietate partis proueniat, quæ mutari non potest: at si postea succedat ex humorum talium, aut talis nutrimenti eiusmodi affluxu, ego soleo primum vitro totum penè vnguem scalpere ac deradere, mox balneo rerum emollientium vti, tum demum imposito molliente cerato, cuiusmodi citrinum est, sic deformitatem corrigo. Ad quod etiam lutum emolliens facit, & cera noua. Sed alias duas potiores vnguium Chirurgias exsequamur.

Curatio asperitatis vnguium.

De Pterygio, seu Panaritio vnguium.

Pterygij nomenclatura.

PAVLVS Pterigion (ita enim interpres vertit, quamuis ex Gorthæo Pterygion, & Paronichia idem sint) latini Reduuiam, Albucasis verò sic vti vulgus Panaritium vocat, in vnguibus carnis incrementum partem vnguis operiens: quod malum potissimùm pollices offendit tum pedis, tum manus, interdum ex interna fluxione, interdum ab externa causa excitatur. Vbi enim pedis pollex in quidpiam offendit, primò inflammatur, deinde suppuratur, postea pus vnguem putrefaciendo, & humectaedo carnis incrementum subsequitur, quòd vnguis amplius non resistat, comprimat, ac detineat. Quod si malum progrediatur, temporis tractu non modò vnguem totum corrumpit, sed etiam ipsum os, ideoque aliquando totum os, quod vnguem sustentat, exiuit. In quo casu digitus in eius summitate dilatatur, & inflammatorium incrementum suscipit effatu dignum, & per totum tempus vehementer dolet, & odor grauis, & color liuidus consequitur. Vitium hoc inter initia, cum scilicet incipit digitus dolere, hoc est, in prima doloris inuasione, neque adhuc in digito tumor vllus, aut rubor apparet, mulierculæ statim curant digiti extremum in ebullientem aquam ter, aut quater infundendo, ita tamen vt vix digitus aquam attingat, est enim remedium, quod materiam exiguam fluxam statim dissipando euacuat. Sic Celsus libro 8 capite 13. cucurbitulam scarificatam in abscessu affigebat ad extrahẽdam colluuiem. Sed si fluxio ingruat, tunc alijs est vtendum. At vbi vnguis iam corruptus est, Chirurgia opus habet, quæ est, vt scalpello

Pterygij causa.

Pterygij incipientis cura.

Chirurgia pterygij grauioris.

ſcalpello aut forfice excidatur vnguis: poſtea candente ferramento, exiguo quidem, at bene rubro inuratur caro excreſcens, & tota exulcerata pars: inuſtio enim firmat malum, quod Paulus putat eſſe de genere depaſcentis cum putrefactione, νόμας Græci dicunt.

QVOD ſi os quoque corruptum ſit, multo magis ferramentum candens eſt neceſſarium, quod pluries quoque repetendum eſt, ſi ſit opus.

DE VNGVIS POLLICIS *pedis interius intruſione.*

QVOD ſi altera affectio vnguem prehendat, quæ eſt vt os ſit ſanum, & vnguis ſana, ſed caro in angulo digiti excreſcat, quod vnguis incrementum interius ſumat, & in carnem infigatur cum inflammatione, & dolore continuo, & fermè intolerabili, in eo caſu monet Albucaſis libro 2. capite 91. & Paulus quoque libro 6. cap. 85. de pterygio, vt ſpecillo vnguis attollatur, deinde caro præcidatur; poſtea reliquum conſumatur corroſiuis medicamentis.

EGO autem dicam vobis, quomodo eiuſmodi vngues in angulum & carnem infixos & intruſos curauerim; Primùm ego ſpecillo vnguem à carne ſeparo, & linamentis ſiccis inter vnguem & carnem arctè intruſis ſic locum diduco, dilatoque; quo facto forfice vnguis portionem ſecundum longitudinem incido, quouſque carni inhæreat, poſtea volſella portionem vnguis inciſam apprehendo, & ſine vlla vi à reliqua auello, ſicq; quotidie eamdem rationem repeto, primum quidem dilatando, mox incidendo, tertiò auellendo, donec totus vnguis intruſus, & infixus ſenſim excidatur, & auferatur. Sunt qui vnguem cauſtico medicamento comburant, & ita auferant: quæ ratio non probatur, propterea quod cauſticum poteſt quandoque tendines comburere, & gangrænam excitare cum maximo periculo.

Quomodò Author hoc vitium curet.

De varicum Chirurgia.

Varix quid

Causa varicum.

Locus varicum.

VARIX ex Paulo venarum dilatatio est, in qua tamen non simpliciter dilatantur venæ, sed etiam quodammodo intorquentur, subindeq; ceu nodos quosdam contrahunt, & efformant, & nigro colore afficiuntur: cæterùm causa dilatans non alia quam sanguis melancholicus, niger, crassus, & ponderosus est; at quod intorti, & nodosi varices fiant partim ex membranosis nexibus venis adiunctis, partim ex venarum ostiolis intus positis, & ipsis dilatatis, & crasso refertis sanguine prouenit. Oriuntur ex Celso & Paulo tum in temporibus, tum in imo ventre, tum nonnumquam in testibus, quibus in partibus venæ flexuosæ sunt, girosque faciunt, ac sanguis stagnat & immoratur; maximè autem fiunt in cruribus, propterea quod sanguis crassus & feculentus facile suo pondere deorsum descendit, longè autem facilius cũ à calore attrahitur; ideo Auicen. varices accidere cursoribus, baiulãtibus, & stantib. prodit: vnde Plin. lib. 11. præ nimio labore nasci dixit, ideoq. in cruribus viro tantum, mulieri ratò nasci voluit.

Duo modi curandi varices ex Celso.

QVORVM omnium ratio per Chirurgiam eadem ferè est. Propterea nos imprimis crurum varices nunc curabimus. Celsus duos proponit curandi modos: vnus ferramentis candentibus, alius excisione procedit. Sub ferramento candente adustus contabescit varix ex Celso, & vstio fit in varice recto, aut simplici, transuerso. & exiguo. Cutis superinciditur, tum patefacta vena, tenui & retuso ferramento candente modicè premitur, vitaturque ne plagæ ipsius oræ adurantur, quas reducere hamulis facile est; id interpositis ferè quaternis digitis per totum varicem fit, & tunc superimponitur medicamentum, quo adusta sanantur. In hac Celsi proposita Chirurgia duas habeo difficultates: Altera est, quòd sub ferramento candente Celsus vult venam contabescere: Ego autem puto venam per totum contactum & pressum vri, erodi, & exulcerari, & sanguinis profusionem sequi, etiamsi modice prematur, quia venæ tunica tenuis admodum est, nisi fortè parum candens fiat ferramentum. Altera difficultas est, quod Celsus facta adustione vult reducenda esse labia cutis incisa ad mutuum contactum hamulis, quos per totum varicem quattuor ferè interpositis digitis imponit: primum dubito de hamulis, an acutis, an retusis sit vtendum, retusi enim adducere labia cutis non possunt, quia non tenent; acuti verò, si in cutim infigantur, & dolores, & inflammationes mouebunt Huic Celsi locus reuocat in memoriam hamos similes a Guidone propositos, ipse falsò fibulas esse censuit, & hamos appellat, & ex vtraque parte cuti infigit, & ita trahit vulneris labia mutuo, sicuti faciunt reconditores pannorum, ait Guido. Qui Celsi modus asper est, & non consentit ipsius verbis, cum dicit, in cruribus orti varices non difficili ratione tolluntur. Si antiqui glutinum cognouissent, ni fallor, id proposuissent hamis posthabitis.

Duo dubia in curatione Celsi de adustione varicum.

Hami Guidonis.

Alia varicũ Chirurgia per excisionem.

ALTERA Chirurgia, quæ excisione varices curat, cutem supra varicosam venam incidit, deinde hamulo oras cutis excipit, & scalpello vndique à corpore venam diducit, cauetque, ne scalpello vena lædatur: tum hamulo attollitur vena, & primò ex vno, mox ex altero extremo præciditur, euellitur, & foras trahitur; Vltimò inuicem plagæ oræ committuntur. Optassem Celsum vinculo excipere vasorum extrema, vt sanguis non profunderetur, vti quoque Paulus præcipere videtur, qui similem, sed vnicum ponit curandi modum, videlicet excisione, quem similiter exequitur vt Celsus nisi quòd Paulus primò ligat funiculo superiorem femoris regionem (quia inferius varices in plures ramos funduntur, sicque magis difficilem aggressionem exhibent) vt varix quantus est appareat, præcipitque, vt patiens inambulet: inde signat varicem atramento scriptorio, postea ægro iacente alterum funiculum supra genu astringit, postea scalpello, quà atramenti nota facta est, cutem diuidit intacta vena, inde totam venam à membranis & circumiacentibus partibus diducit, hamo apprehendit, & eleuatam per longitudinem incidit, funiculos soluit; & sinit sanguinem plus

Modus Pauli excidendi varices.

minus

minus exire, dum tutum ſit. Vltimo vinculo vtrimque hoc eſt, ſupra & infra ad eius extremitates venam ſtringendam acu duplex filum trahente ſubtus venam traiecta labia ad cõtactum retrahit. Sunt qui, ait Paulus, inter veteres, funibus non vſi ſunt; alios inde vas denudatũ excindere; alios altè ipſum eleuatũ cũ violentia extrahere abrumpentes, ſoliti sũt: Sed potior ratio prima eſt. Hæ ſunt ad varices curandos antiquorum Chirurgiæ, quæ vti videtis, adeò difficiles, & aſperæ ſunt, vt vnum tantùm Caium Marium, qui ſepties Romæ Conſul fuit, ſtãtem ſibi extrahi paſſum fuiſſe, Plinius ex Appio auctore teſtetur. Vnde ego conſiderans, varicum curationem per extractionem, ſeu exciſſionem, non modò aſperam eſſe, & difficilem, ſed etiam plerumque non feliciter ſuccedere, propter ſanguinem exeuntem, qui opus impedit, alia ratione longè mitiori, nimirum abſque ipſorum extractione, varices curaui.

Antiquorũ aſperæ Chirurgiæ pro varicibus.

TRIA igitur ſunt conſideranda, quæ ad varicem conſtituendum concurrunt, ſanguis fluens, fluxus, & venæ dilatatio: itaque tria indicantur, fluentem ſanguinem inhibere ſeu intercipere, fluxum euacuare, & venam ampliatam aſtringere. Ad curſum ſanguinis intercipiendum, in principio, & fine varicis vinculum inijcere oportet; quod fit volſella recurua ta, aut hamo, aut duobus ſummis digitis vena apprehenſa, & eleuata, inde acu filum trahente per infernam venam tranſmiſſa & alligata, inquam partem inciditur cutis, vt vena appareat, & ligari poſſit, & non inciditur cum extra eminet. Poſſemus quoque eum modum ad intercipiendum adminiſtrare, quo vtuntur fabri in ſanguine in equis intercipiendo ad comprimendam venam cum parua lamina ferrea ad venam forcipe aſtricta. At verò ad iam fluxum ſanguinem euacuandum Hippocrates docet, quomodo id faciendum ſit, in libro de vlceribus, ad finem, quo loco præcipit, non eſſe ſecandam varicoſam venam magna fiſſura, ne fiat magnum vlcus propter varicis influxum; ſed varicem ipſum aliàs atque aliàs compungendum eſſe, vbi opportunum eſſe viſum fuerit, ait Hippocrates, ex quibus compunctionibus ſanguis, qui iam fluxit, & replet, euacuatur, idque ſenſim fit, non autem confertim, & cum periculo; euacuatur autem, ſi non totus, ſaltem pro maiori parte, ita vt vena etiam aliqua ex parte ſubſideat. Quo facto ad tertium ſcopum deueneniendum eſt, qui eſt venæ dilatationem aſtringere. Soleo ego medicamentum conficere ex tragacanthis in vino granatorum aut omphacio maceratis, inde vero puluere addito ex bolo Armena, maſtiche, & ſanguine draconis, paribus portionibus, donec liquati ſeu emolliti tragacanthi craſſeſcant vt cera, ita vt manus vola ad candelæ conformationem reducantur: quo facto, imponitur medicamentum per longitudinem varicis, & ſuper id arundinis cortex, qui ſua cauitate medicamenti conuexitati reſpondeat, & medicamentum comprimat, per varicis longitudinem apponitur, & vinculis, aut faſcia anguſta circum crus aſtringitur: ita enim compreſſione tum faſciæ, tum arundinis, & medicamenti aſtrictione aſtricti varices fuere, vt quaſi contabeſcere videantur. Interdum ſucco hypociſtidis condenſato fui vſus. Vltimò adhuc mitiori vſus ſum Chirurgia præſertim in exiguo varice; ſiquidem dimiſſis vinculis, & Hippocratis compunctionibus, tantummodo vſus ſum medicamento propoſito, per longitudinem varicis, & portione arundinis deſuper aſtricta: aut ſpongia contorta oblonga craſſitie quantus varix eſt filo circumducta, & in ſucco granatorũ aut hypociſtidis expreſſa, & faſcia anguſta arctè alligata: cui rei benefaciunt quoque fructus immaturi ligni guaiaci contuſi & impoſiti; quæ omnia aſtrictione ſanguinem intercipiunt, & venas aſtringũt, exſiccando vero euacuant. Poſtremò ad præſeruationem caliga vſus ſum expelle canina confecta exactè quę circum crus aſtringatur & induatur.

Tres ſcopi in varicum exciſione cõſiderandi.

Primus ſcopus.

Alter ſcopus.

Tertius ſcopus.

Alia mitior Authoris Chirurgia.

Præſeruatio.

De articulorum vstione.

RE incias non oportet, quod ſicuti ego Chirurgicas antiquorũ operationes truces, & non neceſſarias paſſim recuſo, ſic noſtris temporibus nõ laudo homines ita timidos, & delicatos, qui Chirurgias tolerabiles & neceſſarias non admittunt, cuiuſmodi ſunt articulorum vſtiones, quæ hac noſtra ætate rariſſimè adminiſtrantur, quamuis ãtiquitus ab illo parente omnis medicinæ Hippocrate, & ab alijs veteribus, & à me quoque perpetuò ſummo cum fructu vſurpatæ ſint: præſertim cum alijs omnibus ahibitis medicamentis, tamẽ vitiati articuli non reſtituuntur. Vruntur igitur articuli in tribus potiſſimum caſibus, aut ad dolorẽ leniendum, ait Hippocrates, aut ad tumorem euacuandum, aut ad deciduum & prorſus relaxatum articulum contrahendum, ac reſtituendum. Quæ vitia in primis ignem expoſtulant, cum à cauſa frigida & humida dependeant. Nam interdum articuli, hoc eſt, capita oſſium a proprio ſinu exturbantur non ab alia cauſa quam à pituitoſo humore vel influente, vel in articulo congeſto: qui duplici nomine caput oſſis excidere à propria ſede facit, vel enim coactus, coaceruatus, & ſenſim in ſinu obduratus id propellit, quod a pituita craſſa & lenta prouenit; vel ad ligamenta circumpoſita influens, eaque humectando ac relaxando tantum diſtendit, vt caput oſsis ex ſeipſo excidat, quod potiùs à tenui pituita contingit, cui rei ferè perpetuò dolor coniungitur, maxime autem cum luxatio à prima cauſa fit. Nam tametſi Galenus ſecundo de compoſ. medic. per loca, cap. primo, negauerit a pituita dolorem excitari, id tamen intelligendum eſt ratione humiditatis, hæc enim quatenus frigida, doloris haud expers eſt. Nam ego aliquando vidi paulò ſupra carpum in interna parte in muliere paruum abſceſſum paruæ caſtaneæ magnitudine, mobilem, & nullam cõpreſſionem efficientem, quotidie ſtatis quibuſdam horis dolorem adeo intolerabilem excitaſſe, vt mulier in animi deliquium incideret: quæ cum ad me acceſſiſſet, & ego extraxiſſem, ſtatim curata in poſterum fuit, & materiam extractam contemplatus, inueni concretam pituitam vitream ad tactum frigidiſſimam, quæ in internis tendinibus ſolo cõtactu dolorem excitabat: ex quo conieci, quantum poſſet ſola intemperies frigida ad efficiendum dolorẽ. Quod verò certis horis quotidie dolor reuerteretur, eam puto fuiſſe cauſam, quod dolore vrgẽte, natura, vt dicit Galenus, ad partem dolentem accurrit vna cum ſanguine, vt dolenti parti auxilietur, à quo nimirum ſanguine, parte affecta per tempus illud intermedium calefacta, dolor ceſſabat.

Quando vrendi articuli.

Pituitoſus humor dupliciter articulũ ladit. Qua ratione pituita dolorem inferat. Hiſtoria.

AD rem igitur redeundo. In duplici caſu propoſito vitiati articuli tum ex dolore, tũ ex luxatione Hippocrates proponit Chirurgiam per aduſtionem in dupliei Aphoriſ. 6. Aphoriſ. 59. & 60. dicens: Quibus longo coxendicum dolore conflictatis femoris ſummum coxa excidij, rurſumq. recidit, ijs mucoſa ibidem pituita colligitur. Duobus modis, vt ſupra dixi, ſolet articulus, ſeu vt melius dicamus, os, quod mouetur excidere, propria ſede: vel ex ſe, ſcilicet ſuopte pondere: vel ab alio, videlicet ſi cõpellatur. Ex ſe quidem, videlicet, madefactis & relaxatis, ſeu diſtentis ligamentis. Ab alio autem, quod accidit cum Pituita craſſa, & lenta in cauitate articuli coaceruata ſuperexſiccata atque obdurata, os, quod mouetur, è propria ſede expellit, extruditque Hippocrates, vt patet, tantùm primæ cauſę mentionem facit, quia vult, os excidere, & rurſus redire in cauitatem, quod non accidit in ſecundo caſu, videlicet, quando pituita obdurata in cauitate eam replet, & ita è propria ſede os compellit. In quo Aphoriſmo Hippocrates cauſam aſſignat vitiati articuli femoris, quod excidat, & recidat, quam in pituitam reijcit mucoſam: & eſt, vt puto, ille mucus, qui naturaliter ſolet contineri in articulorum cauitate, ſed tamen in copia plus iuſto adauctus, ideoq; Paulus ait, vel humiditatis ſuperantis vitio, & hoc propter articulorum imbecillitatem: nam omnes articuli frigidi ſunt, & ex frigidis, & exanguibus componuntur partibus, nimirum oſſibus, cartilaginibus, ligamentis, & muco: vnde mucus copia plus iuſto auctus, primò quidem

In caſu duplici vruntur articuli.

Duobus modis articulus excidit.

Aphoriſmus Hippocratis explicatur.

Articuli omnes frigidi.

quidem ligamenta refrigerat,& diſtendit, inde tendines & neruoſa corpora ſuperpoſita afficiuntur; quo tempore dolore affici ægrotantes par eſt, qui maior ſubinde redditur, cum mucoſa materia os, quod mouetur, è propria articuli compage compellit, & compreſſione tendines afficit; & ita dolor impenſius adaugetur, concurrente ad ipſum excitandum non ſolum intemperie frigida mucoſæ pituitæ & articuli, ſed etiam ſolutione continuitatis ex contuſione oſſis, quod è propria ſede excidens neruoſas partes comprimit, & contundit,& pondere ſuo neruoſa copora diſtendit: quibus omnibus adiungi par eſt, tenuioris pituitæ confluxum aliunde ad debilem articulum tranſmiſſum, à quò ligamenta, vt dicit Galenus in commento imbuta,& permadeſcentia laxiora redduntur; atque ideo facilè articulus cauitate ſua excidit, & rurſus haud difficulter recidit: quo tempore iam dolor remittit ob cõſummatam & factam omnium ligamentorum & tendinum relaxationem. At in primo ſequenti Aphoriſmo Hippocrates remedium vſtionis proponit, his verbis: Quibus diuturno dolore iſchiadico vexatis coxa excidit, ijs femur contabeſcit,& claudicant,niſi vrantur Quos Aphoriſmos Galenus ſimul exponens ait, ſæpe in articulis pituitoſus humor coacer uatur, quem mucum Hippocrates appellat, à quo imbuta, & permadeſcentia articulationis vincula laxiora reddũtur, atq; ideo facile articulus cauitate ſua excidit, & rurſus haud difficulter recidit: id quod Hippocrates non ſolùm coxendicis articulo, ſed etiam humero in libro de articulis in principio, contingere ait. Et exponens rurſus Galenus ſequentem Aphoriſmum dicit, quod ſub illo muco coacceruato femur non ſolum excidit, ſed etiam contabeſcit,& claudicant,niſi anteuertat vſtio exferramento candente,quæ tum mucoſam illam humiditatem exſiccet & abſumat, tum etiam cutis laxitatem, in quam articulus labebatur, per aduſtionem firmet, & intendat, & ita articulum arctet, & loco moueri prohibeat;& vnde ſimiliter humerum eſſe adurendum aſſeuerat. At Actius ex ſententia Archigenis, Antilli, & Ruffi dixit, illud idem eſſe præſtandum in talo.& digitis pedum,& manus: ex quo infere poteſtis eſſe idem in omnibus ferè articulis efficiendum in quibus laxata sũt ligamenta, & os,è ſinu decidit. Nam & ego vidi aliquando medicum, qui habebat carpi-articulum adeò laxatum, vt non ampliùs alterum os alterum contingeret, ſed erant mutuò diſtantia,& ſeparata oſſa articuli carpi,id eſt,caput,& ſinus,ita vt liberaretur articulus propter inſignem laxitatem a pituita factam.

Dolor quomodo augeatur.

Remedia articuli relaxati ex Hippocrate

Ex Galeno.

Ex Actio.

Hiſtoria.

HVIC igitur duplici caſui,videlicet & dolori leniendo, & materiæ pituitoſæ exſiccandæ & abſumendæ, & cutis laxitari contrahendæ,vſtio meritò ex vſu eſt,ex veterum ſentẽtia, vt puta, quę tum intemperiem frigidam articuli corrigit, tum mucoſam pituitam euocat,exſiccat,& abſumit,tum præterea cutem relaxatam,& extentam corrugat,& in ſe contrahit,tum maximè quia totum articulum roborat: propter quam cauſam cum vſtio fieri poſſit & ferramento candente, & adurente medicamento, Hippocrates tamen perpetuò intellexit ferramentum candens, aut ignem,quia cauſtica medicamenta non faciunt,quod candens ferrum. Nam non corrigant, aut criſpant ipſam cutem,neque articulum firmant vt ignis, & ideo Actius lib.12.cap.25.dicit longe eſſe præſtantius ferramentum,quam medicamentum; ſed ſi patiens ferre recuſet, tunc inuitus adhibet medicamentum. Ideoque non incommodè omne cauterium moderni diſtinguunt in potentiale,& actuale;& potẽtiale cauterium medicamentum eſſe volunt,quod vrendi vim habet,etſi actu frigidum eſt:actuale vero cauterium ignem intelligunt,& quodcumque ignitum corpus, quod actu calidum & vrens eſt.Quod actuale cauterium ſeu ignis, adhuc duplex eſt:vel ferramentũ candens,vel alia materia ignita,vt eſt aut linum crudum,ex Hippocr.aut buxei fuſi,ex eodem Hippocrate in libro de internis affectionibus,vbi ait: Vrito autem per buxeos fuſos in oleũ feruens tinctos:aut fungus,ex Paulo,& ante ipſum ex Hippocrate loco citato,vbi ait: Aut per fungos octo cruſtas inurito:aut ſtruthij, & ariſtolochiæ radix ignita,vt Actius libro 12. cap.3. ex Archigene; & hoc ex veterum ſententia proponit in libro de articulis Hippocrates, & ita puto velle in Aphoriſmis citatis,ad coxendicis articulum exurendum vbi ferramento vtitur, ac in libro de affectionibus,vrit coxendicis articulum lino crudo:Vrito quocumque loco fuerit dolor: vrito autẽ lino crudo, ait Hippocrates. & Paulò poſt: Si verò in

Vſtionis vſus.

Ferramentũ candens præſtantius quam cauſticum medicamentũ

Potentiale cauterium quid.

Actuale cauterium quid.

Varia cauterij actualis materia.

digitis

digitis dolor relinquatur, vena paululum ſupra articuli in digito nodum inurito: Vrito autem cum lino crudo Itaque ex Hippocrate ad articulorum dolorem vruntur articuli igne, hoc eſt, actuali cauterio, vt puta tum ferramento candente, tum lino crudo. Per linum crudum, vti ſupra Celſi teſtimonio dictum eſt. cap. de ani fiſtulis, puto, Hippocratem intelligere linum ignitum, atque, vt vno verbo dicam, chordam factam ex lino crudo interro, vt eſt chorda ſclopeti, quæ ignita ſeruat ignem, niſi quod ſclopeti chorda cocta eſt; quæ verò ab Hippocrate vſurpabatur, erat chorda non cocta: Nam & apud Turcas ſeruatur hic modus viendi cum linteo implicito & intorto. Aetius ex Archigene articulos vrit, vti ſupra dictum eſt, ſtrutij & ariſtolochiæ radice ſimiliter ignita, ſed proponit etiam ad idem multa cauſtica medicamenta. Et opinor, antiquos vti alia materia ignita, quando volunt mitius inurere quam cum ferro ignito; ideoque forte inſita dixit Hippocrates ferramenta oportere eſſe non craſſa, quæ valentiùs comburunt.

Quid intelligatur per linum crudum.

Locus inuſtionis quis ex Hippocrate.

POST hæc indagandum eſt, in qua articuli parte inuſtio facienda eſt: De qua redoctè Hippocrates loquitur in libro de articulis non longè ab initio, vbi reprehendens eos Medicos, qui humeri articulum frequenter excidere in alam ſolitum, ipſum tamen vrebant in altiori parte ad ſummum humerum, vbi cauitas adeſt, in qua caput oſſis naturaliter degere ſolebat; qui enim ita vrunt, cutim ea parte denſando, & corrugando potiùs naturalem ſedem oſſi adimunt, ipſam anguſtando, quo minus os inibi poſſit commodè contineri: contrà verò relinquunt partem ſub alam laxatam, & extenſam à capite oſſis, vt facilè rurſus illud os labatur. & ideo Hippocrates dicit potius oportere inurere alam, in quam ſæpè caput promouetur, vt inibi firmata, & contracta cutę a ferramento candente, illuc amplius humeros promoueri prohibeatur. Vnde Paulus libro 6. capite 24. & 76. locum Hippocratis aſſumens. dixit oportere inurere maximè locum illum, in quem articulus excidit; ſic enim humor deficcabitur, & locus cicatrice denſatus non ampliùs os ſuſcipiet, quare etiam penitius illic vſtionem moliri conuenit. Ante vſtionem in brachij articulo Hippocrates apprehendit & attollit cutem ſub ala ſecundum longitudinem, quod facit, vt cutis diſtet à ſubiectis partibus, ne glandulæ, & vaſa ſubiecta, & nerui vim ignis cum periculo perſentiant: inde cutem apprehenſam vrit pluribus aduſtionibus, ſaltem tribus ſub ala, & duabus extra alam. Vnde Paulus numerum aduſtionum definitum ex Hippocrate ponit libro 6. cap. 42. & ſunt ferè quinque. Sed ferramenta congrua Hippocrates vult eſſe non craſſa, neque valde calua: & per non valde calua, vt puto, intelligit non valde polita, nam polita cicatricē & cruſtam politam faciunt, quæ commoda non eſt, quia inæqualem eſſe oportet & aſperā. Inſuper Hippocrates vult ferramenta eſſe pellucida, hoc eſt (ni falor) ita, ignita, & candentia, vt diaphana ferè ſint. In ſumma oblongis ferramētis inurere alam oportet. Multas Hippocrates loco citato de articulis ponit animaduerſiones, quæ breuitatis gratia omittimus, vt lectorem ad ea remittamus.

Ex Paulo.

Ante vſtionem quid agat Hippocrates.

Ferramenta qualia eſſe conueniat.

QVOD verò ad coxendicis articulum vrendum attinet, ſi os femoris à pituita craſſa, & in acetabulo ſuperexſiccata obdurataque à cauitate deturbatum eſt, ferramentum candens adigere qua excidit oportet, in cauitate ea, quæ à femore excidente efformata eſt; ſic enim materia inibi ſubiecta euocabitur: ſed ſi femur elapſum eſt à copia humiditatis ligamenta relaxantis, ita vt femur & excidat, & recidat, oportet perpetuò comburere eam partem, ad quam prolapſum femur eſt, vbi prius repoſitum femur eſt in ſuam cauitatem. Quod verò Paulus libro 6. cap. 76. ex recentioribus ſubdit, oportere vnam vſtionem facere in coxendice, alteram in genu, & tertiam in talo, non ſatis percipio,

Articulus coxendicis quomodo obduratur.

RESTAT nunc vt videamus, quomodo articulus obduratus & tumidus. & ita immobilis redditus, vſtione curetur. Hūc ego plurib. vſtionibus cum lato & orbiculari ferramento tandem curaui. Si quidem cum diu genu tumidum & obduratum medicamentis mollire & diſcutere fruſtra tentaſſem, tandem latis ferramētis, quinque, aut ſex locis genu adactis, tandem ſanitati eſt reſtitutus æger. Sed neque piget adhuc caſum recenſere ſcitu non minus dignum, quam in praxi vtilem. Nobilis vir in conſiſtenti ætate conſtitutus, cum ex fluxione pituitoſa & frigida genu haberet valde tumidum, & ita obduratū, vt penitus immobile

Articulus immobilis quomodo vſtione curetur.

Hiſtoria.

bile factum esset,& inflexibile,vocati ad huiusmodi curam Capiuaecius,& ego, existimauimus casum esse incurabilem,sed vt aliquid tentaremus, solatij potiùs ægrotantis grátia cæpimus ipsum purgare, vt luta administraremus; interea à quodam Empirico emplastrum ex quadam herba confectum, quam ego puto flammulam fuisse, impositum fuit, quod statim inflammationem insignem in genu excitauit,cum rubore,calore,& dolore, & ab ea hora cępit æger aliquantulum genu mouere,sensimque ita processit,vt tandem sanus factus sit : & quamuis ego non ausus essem id moliri, tamen ex ratione sanitas consecuta est, propterea quod materia frigida,coacta,& obdurata,& profunda,à causticò ferè medicamento calefacta est,attenuata,& violenter à profundo ad superficiem attracta, & tandem dissipata, inde sanitas consecuta est.

De Carnis Chirurgia,quæ ad tumores pertinet, & inciſio dicitur.

HACTENVS eas docuimus Chirurgias,quæ in singulis partibus, quas instrumentarias appellamus,peraguntur,atque etiam in affectibus, qui certas sedes habent;nūc ad eas veniemus,quæ in qualibet corporis parte fiunt. Et sicuti propositæ organorum sunt, ita hæ partium potissimè similarium propriæ censentur. Cùm verò similares partes sint cutis,caro,os,cartilago,vena,arteria,neruus,membrana, & ligamentum, ideò Paulus libro 6. capite 10. diuidebat Chirurgiam in duas partes, quarum vna carnis vitia tractat, altera ossium. Sed Paulus nomine carnis omnem mollem corporis substantiam comprehendit, exceptis ossibus, siue caro musculosa sit, siue vena, siue arteria, siue neruus, mebrana, & ligamentum. Nos autem in præsentia per has Chirurgias, quæ vbique & in toto corpore fiunt, vsum affectarum partium reparabimus, ipsa Chirurgia multimodè administrata, prout multiplices, variasque pati affectiones vnamquamque partem viderimus. Nam caro, & cutis tribus præcipuè vitijs subijciuntur, quæ Chirurgiam desiderant, vt sunt tumores, vulnera, & vlcera, quibus Chirurgiæ similiter propriæ constituuntur : Tumores enim incidere, vulnera consuere, fibulis astringere, & deligare, vlcera comburere: præterea in vulneribus priuatim tale, sagittas, globulos,& quam Celsus plumbeam glandem vocat,extrahere oportet. Quin etiam venæ, & arteriæ solutione continui afficiuntur, cum vulnerantur, si non salutis causa fiat vulnus: quarè ad sanguinis profusionem sistendam Chirurgia proponitur. Sin autem salutis causa venam aperiri contigerit, tunc ratio mittendi sanguinis ad Chirurgiam spectat. Interdum quoque venæ plus æquo intumescunt, & capreolorum more intorquentur, varicesque oboriuntur,quibus Chirurgia auxilio est. Denique ex sanguinis copia venæ aliquando turgent & sua sponte aperiuntur, vel per anastomosim, vel per diæresim, hoc est,vel ruptis tunicis,vel dilatatis orificijs. Similiter neruus, vel tendo conuulsione tentatus Chirurgiam ex incisione exposcit. Sic ligamentum laxatum,ex vstione. Sic membrana in abscessibus, sui extractionem. Sic ossa fracta deligationem, coaptationem,ferulas aliaque plura: Sic luxata repositionem, & Chirurgiam ex extensione per laqueos, instrumenta, & machinamenta requirunt. Sic ossa cariosa vstionem, & derasionem. Sic gummata in ossibus per vstionem, aut abrasionem, aut excisionem sui ablationem requirunt. In summa, nulla pars est similaris,quæ à tertia hac medicinæ parte auxilium non desideret. Et quaquàm quæ cuique parti propria sunt, etiam aliarum partium communia interdum fiant, vt in vulneribus non solum suturæ, sed interdum quoque incisiones tumorum propriæ requiruntur: sic in tumoribus vstiones vlcerum peculiares, vt in emphysemate, videlicet tumore genu flatuoso, impuro,qui vritur quoque ferramentis candentibus : & in vulneribus, vt in luxatis & fractis, deligationes & fasciæ:& in cauernosis vlceribus non modò vstiones, sed etiam incisiones tumorum propriæ:& in humeri luxatione vstio in ala. Denique aliæ in alijs promiscuæ quodammodo fiunt Chirurgiæ, vt plurimum tamen propriæ partium affectiones proprias &

Partes similares quæ sint.

Vitia carnis quæ.

Venarū & arteriarum affectiones.

Ossium affectiones, quæ Chirurgia iuuare.

Chirurgia propria aliquando fiūt communes.

certas

Cur id fiat. certas habent operationes Chirurgicas: quod si interdum altera ad alteram transeat, vti dictum est, id aut ex affectus complicatione fortè contingit, vt cum vulnus & sutura, vt vulnus, & incisione, vt alia parte inflammatum, & suppuratum indiget: aut prouenit, quia consentaneum sit confluxionem & compassionem vna esse, & mutuis se omnia iuuare officijs. De his igitur sigillatim nunc agendum est, initio sumpto à Chirurgijs, quæ in carne fiunt, primamque ab ea, in qua caro tumore afficitur, tumorisque gratia Chirurgia desideratur.

Galenus & Celsus suppurationem & incisionē tumoris vicant. TVMORES in carne oborti cum suppurantur, & in abscessum vertuntur, sectione iuuantur, quod puris euacuatio sequatur; id quod apud omnes & constat, & vsurpatur. Sed in hoc quasi primo vestibulo scire licet, quod Galenus vnà cum Celso vbi fieri potest, vtrumque renuit, videlicet tum tumoris suppurationem, tum sectionem; etenim in libro de inæquali intemperie, capit. 3. dicit: factæ inflammationes duplicem habent curationem, nimirum, vt materia, quæ fluxit, aut digeratur, aut concoquatur: sed ipsam digeri longè optabilius est. Nam concoctionem duo consequuntur, puris nimirum generatio, & huius in aliquem locum abscessio; propter generationem puris in longum protrahitur curatio; ratione verò abscessus non curatur, sed migrat inflammatio in alium morbum. Propterea Celsus libro 7. capite. 2. pro euitanda puris generatione, vnam proponit Chirurgiam, quæ est, vt priusquam indurescat abscessus, & locus, hoc est, in prima tumoris inuasione, seu generatione, cutem incidere, & cucurbitulam accomodare oporteat, quæ quidquid illuc malæ corruptæque materiæ coijt, extrahat, idque iterum, tertioque recte fit, donec omne inflammationis indicium recedat. Quæ ratio quamuis à nemine ferè obseruetur, quod in principio parum tutum sit corpore non purgato hæc moliri, dissentanea tamen non est, vbi corpus purum est. Cæterum, hæc Celsi ratio mihi nunc in mentem reuocat, quod in superuenientibus panaritijs, seu paronychijs (qui sunt pessimi, & diuturni affectus in vnguibus digitorum oborientes, & os identidem corrumpentes) plurimi vt caueant, faciunt: Intingunt enim pluries digiti apicem, qui iam incipit dolere, in aquam bullientem, statimque auferunt; quod quidem remedium non est graue, neque molestum, cum sit momentaneus contactus, ita namque dissipatur materia, ac præseruantur. Hoc monet Celsus ad præcauendum abscessum: at sæpissimè euenit, vt nullis ingenijs suppuratio prohiberi possit, quarè necesse est ad incisionem, & apertionem deuenire quæ tamen non in omnibus suppuratis tumoribus necessaria est, ex Galeno 13. Meth. cap. 5. vbi habet: Quod si pus aliquod notabile in suppurante particula sit contentum, non expedit (quod nonnulli faciunt) protinus incidere, immo exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus. Vnde ego hoc Galeni præcepto admonitus, in incidendis, aut non incidendis, sed dissipandis abscessibus, dicam vobis quid tutò & feliciter fecerim. Vbi abscessus sensim, & longo tempore fiunt, & aut nullum, aut exiguum habent dolorem, solent oboriri vt plurimum ex congestione humorum, & ferè sine inflammatione, quos ego vel etiam maximos ferè semper curaui sine apertione, sed per dissolutionem, & exsiccationem insensibiliter euacuando pus, arctè scilicet desuper alligata spongia in aqua calcis viuæ expressa. At vbi abscessus ex fluxione est, & citò fit, & cum magno dolore, & inflammationem sequitur, hunc sanè non oportet curare tam valido medicamento, vt calx est, sed aliquo medicamento digerente mitiore tentare oportet dissolutionem puris, vt est, verbi gratia, spongia expressa in aqua thermali Aponitana, aut in aqua scabiosæ, cui sal sit admistus.

Quomodo multi pterygion curēt.

Quomodo Author abscessus soleat curare.

Triplex abscessus aperiendi modus. CAETERVM sæpe euenit, vt abscessus per medicamenta non dissipetur, quia puris copia vim eorum superet, in quo casu intentio est ipsum aperire, & pus sensibiliter euacuare. In aperiendo autem abscessu triplicem inuenio modum, Galeni, Celsi, & nonnullorum Chirurgorum. Galenus aperit ferro, & incisione, inquit enim 13. Meth. cap. 5. Vbi pus notabile in suppurata particula sit contentum, neque medicamenta videntur in totum digerere posse, secare exitum ei, quod digestioni non cessit, oportet; qui modus passim vsurpatur. At nonnulli Chirurgi aperiunt abscessum caustico medicamento, quæ ratio pessima est, quia causticum maiorem excitat inflammationem, prauam imprimit in parte affecta qualitatem, & interdum gangrænam, & foramen maius efficit, quam par est, & maior, turpisque

Primus Galeni.

Alter quorundam per causticum.

piſque conſequitur cicatris. Quod ſi cogamur propter formidoloſos, ac timidos ad inciſionem vti cauſtico, oportet Chirurgum ibi aſſiſtere & commorari, donec cauſticum operetur, quod breui temporis ſpatio facit: & propterea ne ſpargatur, latiuſque procedat, expedit glandis ſuper culum opponere aut quid ſimile, ne quis error committatur. Tertius modus ipſius Celſi eſt, qui lib. 7. cap. 2. vult, vt abſceſſum, ſi ab ægrotante non cogamur, ſinamus ſponte ſua aperiri, atque dehiſcere, iuuando adapertionem cataplaſmate maturante. Quæ ratio à multis obſeruatur, præcipuè pertimeſcentibus inciſionem; & imponunt butyrum cum fermento, & alia huiuſmodi, quibus pus moueant, & cutē extenuent. Reddit rationem Celſus, cur expectare oportet abſceſſum aperiri ex ſe, non autem cum ferro, quia (inquit) ferè ſine cicatrice eſt is locus, qui expertus ferrum non eſt, ideoque maximè in mulieribus obſeruatur, vbi abſceſſus eſt in facie, aut collo, aut in externa manus parte, ne cicatrix appareat. Verum tamen ſub hoc Celſi modo aperiendi abſceſſum, interdum in nimis longum tempus curatio protrahitur, & abſceſſus interim ſerpit, ac nimium dilatatur propter puris moram intus erodentis, in quo caſu neceſſe eſt ipſum aperire, antequam ſponte rumpatur. Præterquam quod (accipite præceptum perpulchrum quidem, & huic propoſito ferè contrarium) non ſemper expectare fas eſt ſpontaneam apertionem, quinimo interdum neceſſe eſt aperire crudos abſceſſus, hoc eſt, antequam in pus verſi ſint, quod præcepit Paulus lib. 6 cap 34. ex Galeni & Hipp. ſententia, videlicet vbi pus, aut puris vapores aliquam propiorem partem offendere poſſunt maioris momenti, vt qui in artic. ſunt, ne ligamentum, aut aliquod eis neceſſarium aſſidua putredine contabeſcat. Sunt præterea qui prope anum proueniunt, quos Hipp. antequam in totum ematuruerint, diſſecari præcipit, veritus ne putredo rectum inteſtinum erodat, & ani perforationem faciat. Sunt tertiò abſceſſus crudi ſecãdi, qui ſubiectam habent partem aliquam præcipuam, quæ periculum eſt ne vitietur, & ſunt qui in abdomine oriuntur, maximè ſub muſculis, & imo abdomine, ne putredo peritonæum tenuiſſimum erodat, & corrupta materia ſubiecta inteſtina perforet, quod nos non ſemel adnotauimus. Quarto & vltimo abſceſſus crudiores, & qui ex toto in pus verſi non ſunt, ſecare oportet, cum per viam criſis oboriuntur Sic Auic. parotidas crudas, hoc eſt, non in totum in pus verſas ſecari iuſſit, ne materia critice fluens in caput retrocedat: ſic bubones Gallicos, ne virulentia intus in corpus recurrat, crudos ſecamus. Ad rem igitur redeuntes, ex tribus modis iam propoſitis aperiendi abſceſſus, Celſi modus, qui expectat vt ex ſe aperiatur, ſæpenumero à pleriſque renuitur, quod in nimis longum tempus protrahitur curatio, & lateſcit abſceſſus. Alius verò modus Chirurgorum, qui cauſtico aperiunt, nõ ita probatur, propter rationes adductas. Reſtat igitur, vt Gal. modus recipiatur abſoluaturque, qui inciſione, & ferro abſceſſum aperit, & pus euacuat, qui modus etiam à Celſo probatur, qui monet in abſceſſuum inciſione diſtinguēdum eſſe abſceſſum in eum, qui tunicam habet, quã vulgò folliculum dicunt, in quo includitur materia: & in eum qui folliculo caret: de primo Chirurgia inferius proponetur, nunc de ſecundo agendum, & videndum, quomodo faciēda ſectio eſt in abſceſſu, qui folliculo caret. Hæc Chirurgica operatio ex Gal. Paulo, & ex omnium conſenſu eam perpetuò habere conditionem debet, vt fiat per fibrarum rectitudinem. Et quia inciſiones potiſſimum in cute fiunt, in qua nulla fibrarum figura, aut rectitudo adnotatur, tametſi omni fibrarum genere eſt inrertexta, ſed implicitè permixtæ & confuſæ apparent, propterea per fibrarum rectitudinem nil aliud intelligere poſſumus, quam ſubiectorum corporum fibras, videlicet muſculorum, tendinum, vaſorum, neruorum, & aliorum corporum, maximè autem muſculorum. At vbi fibræ ſubiectæ nullæ ſunt, vt ſub cute capitis, & naſi, & in frontis medio, & pectoris medio, nunquam tranſuerſæ, ſed per lõgitudinem facienda ſectio eſt, ne labium inferius ſuo pondere vulnus diducat, & curationem diuturnam faciat, & latam cicatricem. Ideoq. vbi fibræ cuti ſubiectæ nullæ ſunt, ita efficienda ſectio eſt, vt nullum ſectionis labium propendeat, & deorſum ſpectet; quod euenit, ſi ſectio fiat per longitudinem partis. Quamobrem in capite vbi os ſubiectum eſt, quod carere fibris prima facie apparet, non tamen caret, vt patet in ſincipitis oſſib. puerorum, quæ ſequũtur capillorum ductum, propterea per longitudinem ſecundum capillorum ductum ſectio fit. In temporibus per longitudinem pro muſculi temporalis fibrarum ductu. In fronte ſecũdum muſculi frontis fibrarum rectitudinem, & progreſſionem, quæ eſt, vt vel per longitudi-

Tertius Celſi.

Quando nõ oporteat expectare ſpõtaneã apertionem. Primò.

Secundo.

Tertio;

Quarto.

Reiectis aliorum modus Galeni recipitur.

Conditio huius operationis.

Quid intelligatur per fibrarum rectitudinẽ.

Quomodo facienda ſit ſectio in capite.

In temporibus.

In fronte.

nem frontis, scilicet in medio frontis, quia musculus nullus est, vel quadantenus obliquè sur sum priora versus aures & sinciput fit sectio, alioqui supercilium supra oculum cadet sectis tranuersè fibris. In palpebris transuersè, seu orbiculariter propter musculum transuersè positum. In naso per eius longitudinem, quia musculum subiectum non habet. In collo tum propter musculos, tum maximè propter iugularium venarum, & arteriarum ductum, similiter per longitudinem efficienda sectio est: nam, vt dixi, non solum musculos, sed non minus vasorum ductum prospicere licet: vnde in alijs obliquè secundum ductum vasorum, quæ eo loci contemplari oportet, facienda sectio est. In pectore, vt puta in medio sterno, vbi musculus subiectus non est, per longum, hinc inde verò obliquè secundum musculi subiecti fibrarum incessum. In dorso per longitudinem paulò inferius, paulo verò superius obliquè, secundum musculi scapullaris situm. In abdomine obliquè, secundum musculi obliquè descendentis incessum. Sic in brachijs, & cruribus per longitudinem semper efficienda sectio est. In articulis, si alicubi vnquam, maximè per longitudinem efficienda sectio est, nequaquam transuersè, tum propter venas & arterias, quæ in articulis magis sunt apparentes, tum maximè propter tendines & neruos, quibus articuli referti sunt. In inguine tamen Galenus præcipit sectionem fieri transuersè, quod ex inflexione femoris facilius mutuò labia applicantur, & saneſcunt, quamuis Celsus lib. 7. cap. 11. in alis & inguinibus rarò secandum esse duxerit: puto ego propter valorum timorem, quæ cum periculo mortis offenduntur; & ego interdum vidi in inguine vice bubonis dissecta fuisse vasa cum maximo discrimine; interdum vice bubonis dissectum fuisse intestinum, non enim putabat Chirurgus esse herniam.

In palpebris. *In naso.* *In collo.* *In pectore.* *In dorso.* *In abdomine.* *In brachijs & cruribus* *In articulis.* *In inguine.*

HOC igitur modo sectiones in singulis corporis particulis variè, & diuersè veluti in figura designatæ sunt, in qua re quantum oporteat esse Anatomes peritum qui secat, & habere exactam notitiam eorum, quæ cuti subiecta sunt, vos ipsi iudicetis. In summa, in secando abscessu perpetuò perspicere oportet musculorum subiectorum, venarum, arteriarum, denique ad articulos tendinum ductus; alioqui multa sequentur incommoda, & pericula, quæ modò recensenda sunt. Non facimus autem sectionem secundum fibrarum ductum, quando sic fieri deberet, sed per longitudinem, vt in musculo flectente cubitum fiat transuersè, & vice versa, cum efficienda est transuersè, vt in palpebris fiat per longitudinem, tũc enim non sequitur ductum fibrarum, & omnino musculi subiecti fibræ secantur. Vbi autem musculus subiectus incidatur, omnino eius fibræ transuersæ inciduntur, & ita duo euenient mala, motus læsio, quia pro quantitate incisionis fibrarum sic quantitas deperditur motus; tum verò inflammatio cum periculo conuulsionis succedit, quæ a fibris sectis ad non sectas communicatur, vt dicit Galenus. Hæc sunt prima duo incommoda, & pericula sectionis, quæ non fit secundum rectitudinem fibrarum. Tertium incommodum est dolor, qui inter curandum excitatur: nam facta per transuersum sectione musculi, qui modo contrahuntur, modò laxantur, & ita modo sursum, modo deorsum mouentur cogunt toties cutem sursum, deorsumque moueri: qui motus in parte vlcerata dolorem excitat, qui cura attrahit affert quartum absurdum, & est curatio diuturna ipsius vlceris, quod in longius protrahitur tempus, & propter dolorem, & propter motum. Quæ omnia adhuc duo alia consequuntur incommoda post inductam cicatricem, quæ in transuersa incisione tum latior, tum cum impedimento motus succedit, nam cum interius labia inclinantur, & duram inducunt cicatricem, omnino plus minus motũ contractionis musculi impediũt, vt patet in vulneribus, quibus cutis per cicatricem cum subiectis musculis coniungitur, & cohæret. Præter alia, illud quoque accedit incommodi ex sectione non per rectitudinem fibrarum, sed transuersè facta, quod vasa facile inciduntur, & nerui, quæ partes solent passim per longitudinem musculorum fieri. Vltimò est decor, qui ex Paulo lib. 6. cap. 34. obseruandus est, vbi maius quod vrgat non impedit, & vos omnes conspicitis, quantum oculis omnium afferant turpitudinis indecoræ cicatrices, quæ in his incisionibus solent succedere latiores, & solent ita euadere maximæ, propter situm decliuem ipsius cutis. Ideoque in quacumque sectione, vt dixi, generatim prospiciendum est, ne cutis portio dissecta decliuem situm habeat, quia pondus deorsum trahens latam efficit cicatricem.

Incõmoda ex mala sectione resultantia. *Primum incommodũ.* *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.* *Alia duo Incommoda.* *Aliud incõmodum.* *Decor obseruandus in incisione.*

QVAE verò figura incisioni sit opportuna, Galenus passim ad myrtei folij similitudinem incisionem faciendã esse præcepit; Celsus idem prorsus sentit, cum scribat excidendam

Qua figura incisionis cõueniat.

esse

eſſe cutem, vt plaga ad ſimilitudinem myrtei folij fiat, quò facilius ſaneſcat. Paulus autem adhuc clarius, locupletiuſque ita ſcribit. Illos ſanè abſceſſus, qui plurimum faſtigiantur, quique crudi, tenues, & emortui ſunt, præcidimus trianguli, aut myrtei folij, aut alterius anguli figura, cum circularis ad cicatricem recipiendam minimè ſit idonea; qui verò non in faſtigium attolluntur, eos ſimplici duntaxat linea diſſecamus. Quo loco non ita patet, quid intelligat per ſectionem ad myrtei folij ſimilitudinem, nam vnam, & ſimplicem non eſſe ſectionem ex eo patet, quod Paulus diſtinguat ſimplicem ſectionem ab ea, quæ eſt ad myrtei folij ſimilitudinem. Vt autem rem hanc intelligatis, illud ſcire conuenit, quod ſectio fit inſtar lineæ, vnde Celſus & Paulus lineæ vocabulo eam nominant, & ſicuti ex lineis figuræ reſultant, ſic ſectio figurarum aliquam repræſentat: lineæ autem figurarum efficientes ſunt curua, caua, recta: vnde reſultant figuræ vel rectilineæ, vt puta triangulæ, quadrangulæ, vel circulares, ſeu gibbæ, vel concauæ. Igitur vel ſectio fit per ſimplicem lineam, quæ figuram repræſentat nullam, vel perplures, & ita figuram aliquam imitatur. Antiqui igitur ex figuris à tribus lineis factis recuſarunt primò figuras omnes, & ſectiones orbiculares factas, nimirum à curua & caua linea, quod & circularis figura ex Celſo difficilius ſaneſcit, & ex Paulo, cicatricem recipere non eſt idonea, propterea quod non habeat angulos, quibus committi poſſit: Ideoq; laudarunt, & receperunt potius angulares figuras & ſectiones, vt vel triangulam, vel ad myrtei folij ſimilitudinem, vel alterius anguli, vt dicit Paulus, ſed in primis, & ante omnes, & præ cæteris probarunt eam ſectionem, quę fit per ſimplicem lineam, quod præcipiatur ab omnibus. quam minimum eſſe ſecandum in corpore humano, non enim ſecatur corium inſenſile ſed caro ſenſilis. Vnde Celſus, Paulus, & Galenus vbi vitare ſectionem poſſunt, vitant, cum Galenus non prorinus incidere tumorem ſuppuratum, ſed exhalationem primò tendandam eſſe dicat; ſic Celſus medicamentis aperiri dixit, vt cicatrix deuitetur, propterea idem libro 7. cap. 2. dixit: Semper autem vbi ſcalpellus admouetur, id agendum eſt, vt quam minimæ, & quam pauciſſimæ plagæ ſint, cum eo tamen vt neceſſitati ſuccurratur, & in modo & in numero: nam ſub ſectione & cicatrix reſultat, quæ ſemper oculis turpis ſit, & a grotãtes non dici poteſt quam ægrè ſectionem admittant. Quò ſanè conſtituto antiqui, vt dixi, primò ſimplicem lineam in ſecando affectarunt, quæ ſit ſiue ſubſtantiæ ablatione, & quam promptiſſimè ac citiſſime: deinde vbi opus ab hac ſimplici linea recedere, & per inciſionẽ figuram aliquam repræſentare, ſubinde Auctores præcipiunt eam, quæ ad myrtei folij ſimilitudinem fit, conſequenter alias ſemper minus compoſitas, vt plaga quam minima ſit, cum eo tamen vt neceſſitati ſuccurratur, vt ſunt hæ figuræ.

Varia figure ex lineis reſultantes.

Figura quæ veteribus potiores iudicata.

Quæ ſectionem antiqui potiſſimum elegerint.

PRIMA enim eſt per ſimplicem lineam, ſecunda ad myrtei folij ſimilitudinem, tertia triangula, quarta quadrangula, quinta & ſexta circularis facta à curua & caua linea, quę vitanda eſt.

SED dubium adhuc reſtat, quomodo fiat ſectio ad myrtei folij ſimilitudinem; ſcimus enim futuram eſſe ſimilem folio myrti, quod oualem imitatur figuram, & ex Actio ſerm. 2. cap. 33. eſt longa, & anguſta, ſed quomodo fiat, ignoramus, neq; Auctores, quod ſciam, ipſam edocuerunt. Quapropter nos conſideramus omnes modos, quibus excogitare illam poſſumus. Poſſumus autem conijcere omnibus hiſce modis, hanc poſſe fieri ſectionem, quę myrti folio ſimilis videatur; etenim ſectio ad myrtei folij ſimilitudinem fieri poteſt per ſimplicem lineam, quæ tam longa fiat vt labijs ab inuicẽ propter ſectionem diductis, apertis, atque hiantibus imitetur figuram folij myrti, quæ expoſitio non quadrat, quia Paulus diſtinguit ſectionem per ſimplicem lineam ab ea, quæ fit ad myrtei folij ſimilitudinem: dicit enim Paulus: Vbi abſceſſus plurimũ faſtigiantur, quique crudi, tenues, & emortui ſunt, præcidimus aut trianguli, aut myrtei folij, aut alterius anguli figura; qui verò in faſtigium non attolluntur, eas ſimplici duntaxat linea diſſecamus. Quorum verborum ſenſus hic eſt, abſceſſus qui plurimum in faſtigium attolluntur, habent collectam plurimum puris copiam, & ideo crudi, tenues, & emortui ſunt, & faſtigiati, quia propter faſtigium cutis maximè attenuata eſt, & veluti emortua, & propterea indiget ſectione latiore, quam

Dubitatio, qualis ſit ſectio ad myrtei folij ſimilitudinem.

Primus intelligendi modus.

sit ea, quæ fit per simplicem lineam, quæ si fiat per rectitudinem fibrarum, non dilatatur, neque ampliatur, ideoque composita futura sectio est, & angularis, nempe triangula, aut myrtei folij, aut alterius anguli figura. Vel secundò ad myrtei folij similitudinẽ, intelligitur sectio facta cum deperditione seu ablatione substantiæ, ita enim refert aliquam figuram, quæ dupliciter fieri potest, vel cum scalpello, vel cum forfice; cum scalpello ita vt fiãt duæ incisiones ab imo ad summum, dupliciter secando, vt sic ⟨ qui modus nimis difficilis est, & vix possibilis vt imitetur folium myrti: vel secundo fiat cum forfice, & ita excidatur portio cutis, vt foramen imitetur folium myrti, quæ expositio neque eam patitur instantiam, nã si acuminatus est abscessus, facile procidi potest cum forfice, neque etiam satisfacit, quia non videtur auctores, cun nominant sectionem ad myrtei folij similitudinem, intelligere efficiendam esse cum deperditione substantiæ; neque percipere possumus vt tã difficulter fiat, vti duæ propositæ, cum antiquitus passim, ac frequentissime fieret, & promptissimè, quæ ad myrtei folij similitudinem fit: quamuis Celsus vtatur vocabulo excidere, quod apud ipsum significat in totum præcidere, libr. 7. capite secundo, & Actius secundo serm. 33. scribit: Si pars suppurati loci putrida videbitur, eã necessariò rescindenda est, resectio autem ad myrtei folij forman fiat, longa videlicet, & angusta, quod sanè in axillarum & inguinum abscessibus faciendum est. Quæ auctoritates videntur attestari sectionẽ ad myrtei folij formam esse cum deperditione substantiæ. Vel tertiò intelligenda est sectio ad myrtei folij similitudinem, si fiat primò per simplicem lineam, mox verò in medio & a lateribus simplicis lineę fiat hinc inde vna exigua sectio, cuius causa latescens sectio euadat similis folio myrti; quæ expositio fortè magis consona est, quia primò distinguitur sectio hæc à simplici sectione, quæ fit per simplicem lineam, propter laterales incisiones, quarum causa hæc sectio figuram habet, dicit Paulus. Secundò non difficulter fit, neque autem substantiam, & angularis est, vt prodit Paulus, & non est circularis, maximè conuenit abscessibus tastigiatis, qui exposcunt latiorem sectionem, quo pus copia exuberans facilius, & copiosiùs euacuetur. Hæc Pauli sententia est, cui non planè acquiesco, quoniam magis inclino, vt sectio ad myrtei folij similitudinem intelligatur per simplicem lineam, in qua retrahitur ex vtraque parte pars vtraque atque ita diducuntur in medio labra, & latius foramen paratur, quod pro inde imitatur myrtei folij similitudinem, si non admodũ longa fiat sectio, qualem solemus communiter moliri in omni abscessu potius exiguo seu moderato, quam magno; in qua re vos cõstituo iudices, nam transuersa sectio præter quam quod expeditissima non est, molesta etiam est, & dolens, turpemque cicatricem efficit; quas conditiones alienas ac diuersas esse à myrtei folij similitudinem ex omnibus probatis auctoribus colligitur, maxime autem ex Celso libro 7. capite secundo cuius verba hęc sunt: Sed excidi ita debet, vt plaga ad similitudinem myrtei folij fiat, quo facilis sanescat. Sed illud tamdem scire conueniet quod Auicenna libro 3. Fen. 21. tractat. 2. cap. 23. in fine, omnem eius modi tollit difficultatem, si per myrtei folij similitudinem intelligatur instrumentum factũ folio myrtei simile, non autem sectionis forma, dicit enim, scindendam esse secundinam instrumento simili follijs myrti, quod aliqui linguam vocant, passim autem lancoela nũcupatur. Sed tamen Celsus & Galenus cum dicant efficiendam esse sectionem ad myrtei folij similitudinem, potius sectionis formam, quam instrumentum denotant, hęc mea sententia est de sectione efficienda ad myrtei folii similitudinem, in qua tamen re vos omnes iudices constituo.

Secundus intelligendi modus.

Excidere quid sit Celso.

Tertius intelligendi modus.

Pauli sententia correcta.

Auicenna quomodo hãc difficultatẽ tollat.

POST hæc indaganda est instrumenti ad incidendum accomodati figura, & nomen. Hoc scalpellus à Cello & omnibus appellatur Latinis passim, à Græcis μαχαίριον, ab Arabibus Spatumil. Rursus à Celso instrumentum ad incidendum accomodatum spatha dicitur, vulgo spada, a Paulo verò σπαθοειδὲς, quia imitatur os pectoris, quod spatham imitatur, quia ad mucronatam cartilaginem finit, vt spatha acutum. Rursus Paulus libro 9. cap. 71. accomodat ad incidendum instrumentum, quod ipse vocat dimidiam spatham. Vt autem huius nominis & instrumenti plenam notitiam habeatis, sciendum est scalpellũ esse nomen generale, quod significat quodcunque instrumentum ad incidendum idoneum,

De instrumento incisioni apto.

Scalpellus quid significet.

neum, ſpecies autem ſub hoc nomine, & genere contentæ plures ſunt, deſumptæ ſcilicet ex uaria ſcalpellorum figura. Etenim ſcalpellus alius eſt rectus, alius recuruus, qui falcatus etiam dicitur. Item rectus duplex eſt, alter anceps eſt, & ex vtraque parte habet aciem, alter ex vna tãtum. Scalpellus rectus & ex vtraque parte incidens habet vſum cum eſt opus cita operatione Chirurgica, & eſt quod vulgò lanceola dicitur, quæ a Celſo libro ſecundo capite 6. nomine generis, id eſt, ſcalpelli appellatur, quod vtimur in venis ſecandis ad mittendum ſanguinem, ſub qua ſpecie etiam ſpatha continetur, à Celſo & Paulo paſſim ſic appellata, quia referat figuram extremitatis inſtrumenti, quę vulgò ſpada dicitur. Scalpellus verò rectus, & ex vna tantum parte incidens, ex altera rectus, habet vſum, cum partium ſubiectarum habenda ratio non eſt, & eſt hoc, quod vulgò dicitur ſcodeghino, atque etiam ille eſt, qui vulgò raſoio appellatur, quo vtimur maximè in cute capitis incidenda vſque ad oſs in quo ordine dimidia ſpatha continetur, cuius meminit Paulus libro 6. cap. 71. qua vtimur cum vtraque acies poteſt offendere, vt in vuluæ carunculis incidẽdis. At ſcalpellus recuruus omnis ex vna tantum parte incidit, ex altera retuſus eſt: etenim propter tutelam ſubiectarum partium tum recuruus eſt, tum ex vna tantum parte incidens, interna ſcilicet; quæ duæ conditiones ſi non adeſſent, ſubiectas partes læderet, & duplæx, aut triplex, quadruplexque eſt, varians pro varietate vſus. Vnus enim eſt qui vulgo dicitur Gammaut, qui incidit ex parte caua, retuſus eſt ex parte gibba, quo vtimur frequentiſſime ad omnem inciſionem, quæ paſſim fit in omni apoſtemate, maximè in paruis inciſionibus. Hic ſcalpellus habet manubriolum oſſeum ad vſum commodum ad ſeparandum ac diuidendum aliquid ab aliquo abſque incidendi munere. Vnde Celſus lib. 7. capit. 6. & ad extrhaendum abſceſſum, id eſt atheroma, vbi cute inciſa, tunica ſe oſtendit. dicit, cum ſcalpelli manubriolo diuidenda a cute, & carne tunica eſt; Et capite de vngue oculorum dicit, manubriolo ſcalpelli diducere.

Scalpelli varie differentia.

Scalpellus ſcodeghino dictus.

Scalpellus Gammaut dictus.

SECVNDVS ſcalpellus ſimiliter recuruus, & ex altera tantũ parte incidens, imitatur gladiolum, & eſt prædicto longior, recuruus ad mucronem, ſed curuitas variat in maioris minoriſque ratione ſimiliter longitudo; ſed quanddo inſtrumentum exiguam habet curuitatem ad mucronem, σκολοπομαχαιριον a Paulo & Græcis dicitur a ſimilitudine ſcoloeacis auis, quæ habet roſtrum ſimile, & hoc vtimur in maioribus, ideſt longioribus inciſioni bus moliendis, vt in fiſtulis, magnis abſceſſibus, in aqua hydropicis emittenda, in thorace perforando, alijſque id genus.

Alia ſcalpelli ſpecies.

TERTIVS ſcalpellus pariter recuruus eſt, qui vulgò falcetta dicitur, Græcè ſyringotomum, quo vtimur potiſſimum in ani fiſtulis incidendis.

Scalpellus falcetta dictus.

QVARTVS ſcalpellus pariter recuruus, ille eſt, qui in annulo argenteo, aut aureo, aut alterius materiæ abſconditur, quo vtimur in incidendis apoſtematis in facie, aut gena puerorum, ne conſpicientes inſtrumentum perterrefiant, & ita inciſionem prohibeant. Quod ſi aliæ ſcalpelli differentiæ oſtenduntur, omnino ſub his comprehenduntur, ad haſque reducuntur, vt ſunt vaſti illi qui ad incidendum, ſimulque comburendum facti ſunt, qi ſub recuruis, & vnam aciem habentibus continentur.

Scalpellus in annulo.

POST hęc de modo vtendi ſcalpello dicendum. Aliqui, immo bona pars Chirurgorum ſcalpellum infigunt in cutem, & impellendo ſecant, & ita inciſionem magnam, indefinitam, & interminatam faciunt, quæ non probatur, quia ſub hac aut minus, aut plus iuſto ſecatur, vnde aut iterari debet ſectio, aut turpis fit cicatrix; vtrumque autem in corpore humano vitandus eſt. Propterea ego perpetuo ſtudeo, vt fiat ſectio certa, & terminata: deinde in inciſione effatu digna primum noto quantitatem inciſionis efficiẽdæ atramento, poſtea vt definita ſit ſectio, cuſpidẽ ſcalpelli immitto quo vſq; ad cauitatem ventum ſit, ad quam vbi diuenimus, tũc cuſpide ſcalpelli ad finem lineæ perforamus, retro ad nos ipſos ipſum ſcalpellum retrahentes, & ita cutis interſtitium ſecamus. In priore & vulgari modo impellitur ſcalpellus, non ad ſe retrahitur, & hic modus potior eſt, quod non excedit notatam quãtitatem, in priori verò, vti dictum eſt, incidere exactè quantum volumus, non putamus. Quo loco ſubit inquirere, cur in ſectione efficienda, quæ omnino requirit anatomes peritum,

Modus vtendi ſcalpello.

Author quo modo incidat.

Cur tuto incidant etiã Anatomes ignari.

peritum, omnium eorum, quæ cuti subiecta sunt, passim non fallant in sectione efficienda anatomes ignari: id quod sit dictum propter ignorantium consolationem, non errant propter puris copiam, quæ attollit partem, & facit membra subiecta tuta ab incidente instrumento; sed tamen non pauci decurtati fiunt sub incisionibus ab imperita manu factis.

De loco sectionis faciendo.

VLTIMO loco ex Celso notare oportet, quod si locus neruosus non est, candēti ferramento abscessus aperiendus, quod diutiùs pateat ad pus euocandū, si verò nerueus locus abscessus est, ne vel distendantur nerui, vel membrum debilitetur, scalpello aperiēdus abscessus est; item vbi neruosus locus est, vltima expectanda est maturitas, quę cutem extenuet, vt in manibus, & pedibus: semper autem vbi scalpellus admouetur, id agēdum est, vt quam pauciſſimæ plagæ sint, cū eo tamen vt necessitati succurramus, & in modo, & in numero. Ergo in minori abscessu vna sectio sufficit, in maiori plures requiruntur, si ita locus exigit quò recte expurgetur sinus. Rursus vbi vna fit incisio in editissimo loco, vbi tenuissima cutis est, ex Galeno 13. Meth. cap. 5. interdum tamen inferiorem potius eligimus ad cō modam abscessus purgationem, ne superius facta linea humor intus subfidat, qui proxima, & adhuc sana rodendo sinuet.

De numero

Cura abscessus folliculo contenti. Cur quidā abscessus folliculū habent, quidam non.

POSTREMO dicendum est, quomodo curetur abscessus, cuius materia continetur in tunica, seu folliculo, seu velamento, quam distinctionem affert Celsus lib. 7 cap. 2. Quod si primò quæratis, cur abscessus alij folliculum habent, alij carent; ego statim sic respondeorem, id propter materiam accidere, quæ in abscessu folliculum habente est ex toto genere præter naturam, quia nulli eorum, quę in corpore sunt, similis est, sed fit similis alicui externo corpori, vt pulticulæ, seuo, melli: interdum etiam in abscessibus reperiuntur carbones, testæ, amurca, lutum lapides, & aliæ id genus corporum proprietates, quæ omnes præter naturam toto sunt genere. Vnde cum materia in his contenta sit toto genere præter naturam, idcò natura eam separat, quantum fieri potest, a contactu partis viuentis, ne propter tantam dissimilitudinem contactu suo afficiat, quod facit ipsum includēdo in tunica, quam fabricat, & assumit à membranis circumiacentibus. Alij verò abscessus, vt qui fiunt à materia, quæ naturalis est, aut si præter naturam est, tamen reducitur ad quatuor humores, & dissimilitudinem tantum non habet, ideo non habent propriam tunicam.

Chirurgia abscessuum cum folliculo.

SED nos videamus quomodo Chirurgia curentur abscessus cum folliculo. Multipliciter curātur, & varietas dependet maximè à varia abscessuum magnitudine, secundū quam alij exigui sunt, vt nuces auellanæ, alij vt nuces iuglandæ, alij denique sunt maiores, ita vt aliqui peponem interdum æquent. Omnes penè abscessus sectione curantur, sed qui magnitudine sunt nucis auellanæ, aut etiam maiores, ij curantur vnica sectione per longitudinem abscessus facta, quæ sufficit ad extrahendum abscessum cum folliculo; illi verò, qui accedunt ad magnitudinem fructus nucis iuglandis, cruris modo inciduntur, vt abscessus integer extrahatur. Quod si magnitudo abscessus adhuc excedat, modus incidendis diuersus est, & fit cum instrumento, quod recipit & constringit totum abscessum ad eius radices, qui postmodum candentibus, & incidentibus ferramentis persecatur totus supra instrumentum ferreum, absque eo quod cutis ab eo excorietur; postea curatur pus mouentibus, purgantibus, implentibus, & cicatricem inducentibus. Alij verò abscessus a cute diducūtur ac separantur, in quibus vnum præ cæteris est obseruandum, vt scilicet folliculus integer extrahatur, alioqui si rumpatur, tota curatio labefactatur, quoniam rupto folliculo materia contenta effluit, & folliculus nō amplius extrahitur, sed remanet, & cum eo etiam remanet sinus, concauitas, & vlcus fædum, ac fermè incurabile, quod ego aliquando factum vidi a circumforaneo, qui cum simplici punctione totam materiam extraxisset, deinde tumore subsidente ipsum tanquam curatum dimisisset, populumque lusisset, postmultas septimanas ad me venit, vlcere fędo & ferè incurabili affectus. Ego tamen dicā vobis quid aliquādo feci, qui vocatus fui, quando abscessus erat ex se ruptus biduum antea, & erat abscessus in capite satis magnus, ex quo iā erat materia euacuata, & cutis depressa: Ego labia intuitus, & videns distinctionem cutis à tunica, seu folliculo per albedinem, statim sumpto tenui, sed lato specillo, imposui inter cutem & folliculum, & cæpi sensim vnum ab altero di-

Folliculus integer est extrahendus.

Quomodo folliculum euacuatū extraxerit Author.

ducere,

ducere,& ſic ſubinde proſequi,donec totam ſeparauerim,& abſceſſum breui ſpatio curauerim,qui alioqui ſine folliculi extractione in vlcus ſedum & ferè incurabile migraſſet; ſed ſi per aliquot dies perſtitiſſet abſceſſus apertus, non potuiſſet amplius extrahi, quia validè coniunctus eſſet cuti Et memoria teneatis hunc caſum. Igitur magna adhibenda eſt diligẽtia, vt folliculus integer cum tota materia extrahatur, quod fit, ſi facta per medium abſceſſus inciſione,aut vna,aut crucis modo labia inciſa, acie oculorum acri diſtinguatur ſubiecta tunica,quæ à cute diuerſa eſt,quod alba ſese oſtendat:tum ſiniſtra manu, & ſummis digitis,pollice,& indice apprehendantur,dextra verò aut ſcalpelli manubriolo, aut ſi hoc nõ eſt ſatis, ipſomet ſcalpello ſeparemus cutem a folliculo ita dextrè, vt integer ſeruetur folliculus. Quod ſi ſanguis effluens opus obſcuret,aut goſipio vſto, aut linamentis ſiccis cohibetur:poſtea lato ſpecillo, aut vt Celſus monet manubriolo ſcalpelli diducitur vndique cutis a folliculo:quæ operatio difficilis non eſt: quoniam ferè ſemper abſceſſus cuti non coniungitur,niſi per membraneos nexus tenuiſſimos,& ſeparatu faciles,præter quam in fundo, vbi folliculus cuti coniunctus eſt per venam, quæ continenter nutrimentum & fomentum porrigit ipſi abſceſſui:ad quam venam vbi ventum eſt(quod ex obſtaculo manubrioli percipitur)tunc foras extracto quantum fieri poteſt abſceſſu,ipſam venam tranſuersè præcidimus,magna cura adhibita,ne portio folliculi ipſi venæ coniuncta relinquatur,quia reuerteretur abſceſſus. Quo folliculo integro extracto,labia vulneris ſimul iunguntur. Celſus fibulis iungit,ſed ego vbi opus non eſt,cicatricis tantum habere rationem ſoleo, & à fibulis abſtinere, & futura conſuevi, & labia vt fieri poteſt, coniungere mutuò, videlicet cerato diapalma,vt purgetur locus ab humoribus circumiacentibus. Atque ita curantur abſceſſus, quorum materia eſt velamento proprio incluſa.

Quomodo folliculus integer extrahatur.

Vena folliculo nutrimentũ præbens abſcindenda.

Labia quomodo vniantur.

De Chirurgia, quæ in carne fit, vulnerum curandorum gratia.

ARO non ſolùm tumore,ſed etiam vulnere afficitur,quod manus auxilium deſiderat: vnde in carne quoque fiunt Chirurgiæ, quæ pertinent ad vulnera curanda,de quibus in præſentia.

Vulnus quid ſit. Quotuplex.

VVLNVS eſt ſolutio continui in carne ab externo inſtrumento facta;quod vel eſt ſimplex, id eſt, ex ſimplici inciſione factum ſine deperditione ſubſtantiæ,vel compoſitum,id eſt,cum amiſſione ſubſtantiæ.Simplex dumtaxat expoſcit curationem per Chirurgiam: etenim ſoluta vnitas,& quod diſiunctum eſt, nil aliud, quàm vnionem deſiderat,quæ ab ipſa natura fit,quia coaleſcere facit ea,quæ inuicem diſtant, ac priſtinam reſtituit vnitatem ipſa natura,dicebat Galenus de art.med.cap.90.Cum verò vnio haberi nõ poſſit,niſi labia ad mutuum contactum adducantur,& adducta conſeruentur, neque natura hæc probè facere ex ſe poſſit, ideo ars Chirurgicas aduocat operationes propoſitas ex plentes ſcopos. Sunt autem quatuor materiæ,ſeu inſtrumenta,deligatura,ſuturæ,fibulæ, & glutinum:deligatura,ſuturæ,& fibulę,ſunt materiæ antiquitus inuentæ,glutinum verò,ſiue gluten, eſt materia à poſterioribus excogitata.Omnia ſigillatim,primò quæ ſint,& quomodo fiant explicabimus;poſtea verò de ſingulis iudicium feremu, vt puta quæ præſtantiores,quæ minus præſtantes ſint.

Quatuor inſtrumenta ad vnionẽ requiſita.

QVOD ad deligaturam attinet,Guido tres ſpecies ponit deligationis,primam appellat ſanguinis ſuppreſſoriam, de qua ſuo loco:ſecundam medicamentorum contentiuam ad tempus,quæ communis eſt, & fit circumuoluta ſimpliciter ex vno capite faſcia:tertiam appellat glutinatoriam,quæ pro nobis facit: hæc enim adducit labia ad mutuum contactum, & adducta conſeruat, ſed valet tantum ad vulnus per longitudinem, non tranſuersè factum,fitque ex faſcia primùm lintea,ne ſi ex duriore materia fiat,vt puta ex corio, propter duritiem ægrè circumducatur:aut ſi ex molliore,vt puta ex panno laxeo,laxetur; neque nimis noua,ne duritia premat:neque nimis detrita,ne rumpatur; neque tam anguſta,vt vulneris

Tres ſpecies deligaturæ.

Deligatura quomodo fiat.

ris oras totas vna circumuolutione non comprehendat, alioqui laxabitur, neque conſtringet: tertiò ex duplici initio circumdata, ſic vt ex oppoſita membri, videlicet aut brachij, aut cruris parte incipiatur, & ſupra vulnus capita ex aduerſo trahantur, quo labia applicentur, ac vltimò pluries faſcia circumducatur: Satius enim eſt ſæpius circuire, quam aſtringere, vt ait Celſus. Quæ vt plurimum ſicca vſurpatur: interdum ex vino nigro auſtero expreſſa, cũ ſcilicet patiens aut debilis eſt, aut pars vulnerata imbecillis, & calore depauperata: fines faſciæ ſimul alligantur, ita tamen vt nodus nõ ſupra vulnus, ſed lõgè ab eo ſit: aut ſuis extremitatibus faſcia conſuatur. Hoc modo deligatura fit.

Sutura quo modo fiat.

SVTVRA verò habet vſum in vulneribus & per longitudinem, & tranſuersè factis, ſitque eo modo, quo ſutores vt plurimum veſtes, aut qui paſſim pelles conſuunt, tranſmiſſa ſcilicet acu per vtrumque labium, tum ſupra vulnus reuoluta: & hoc toties ſubinde facto, donec vniuerſum contuſum vulnus ſit, & labia diſſita ad mutuum cõtactum ſint adducta. Quæ neque nimis rara, neque nimis crebra eſſe debet. nam prior non continet, & ſub ea hiat vulnus: altera propter crebras punctiones, & fili morſum inflammationem mouet. Itaque, vt Celſus ait, ita interuallum inter vnam, & alterum punctum futurum eſt, vt cutis ducentem quaſi ſua ſponte ſubſequatur, quod vt plurimum ſolet eſſe digiti indicis tranſuerſi ſpatium. Profundior fit in profundo, & alto vulnere, ſed ferè ſemper cutem tantum prehendit. Item ex filo fit, non ſerico, quod cutem facilè perrodit propter fibrarum tenuitatem,

Sutura quo filo fieri debeat.

multò minus ſerico colorato, vt a plerisque fit, quia propter chalcanti tincturam adhuc citius labia eroditſed ex lino, eoque duplicato, ne rumpatur, & firmum ſit, & non nimis torto, vt capreolũ efformet, aut durũ euadat, & inæqualiter ſtringat: & difficulter perſuadat, & excurratiac cera oblinito, ne punctum laxetur, ſed adhæreat, & impenſius teneat, neque tam

Quali acu fiat futura.

prompte perrodat. Fit cum acu non omnino recta, & rigida, ne ſubiectas partes lædat, ſed quadantenus inflexa, & modice incuruata, tum verò triangulari cuſpide donata, quæ citius pertranſit, quam ſi rotunda eſſet, & vniformis, quòd in angulis aciem habeat. Et cum acus extrahitur ex altero vulneris labio, ne labium ſublequatur, & ab altero nimium diducatur,

Vſus cannulæ feneſtratæ.

inſtrumentum exterius ponitur, quam cannulam feneſtratam appellant, vt per feneſtram acus pertranſeat, & inſtrumentum labio innixum interea ſeparationem alterius labij prohibeat. Quæ feneſtrata cannula multiplex eſt, & varia prout ratio vulneri exigit. Nam videtis alias rectas eſſe, alias recuruas: & quæ rectæ ſunt, aliæ vno modo, aliæ alio fẽeſtram habent. Ego ferè ſemper quod ab his inſtrumentis, & cannulis peragitur, ſummis digitis, indice videlicet, & medio exequor, ſi modo per vtrumque labium facilis, & expeditus ſuccedat fili tranſitus: quod fiet, ſi filum proportionem cum acu habeat penes craſſitiem, & per acus foramen facilè ingrediatur, excurratque: in quo caſu expedit acum apud ſuum foramen exiguam habere vtrinque cauitatem, quaſi vallem. Hæc igitur eſt antiquorum futura.

Alia neotericorum futura ſpecies

POSTERIORES autem, vt Guido, alias propoſuere futuras. Vna hæc eſt: iunguntur tot acus, quot puncta volumus facere, quæ traijciuntur per vtrumque vulneris labium, & inibi relinquuntur; deinde circa vnamquamque acum reuoluitur filum in modo, quo faciunt mulieres, cum volunt in manicis, aut alibi acus aſſeruare. Altera futuræ ſpecies fit traiecta acu per vtrumque labium, ita vt filum trahat ad partem oppoſitam, deinde eadem acus per idem foramen rurſus traijcitur, & anſula relinquitur, in qua apponitur feſtuca, aut fruſtulum calami ſcriptorij, aut fili contorti, & duri, & ex alia quoque parte alia feſtuca ap-

De electione futurarum.

ponitur, & ſtringitur. Duæ quoque aliæ recenſentur à Guidone futuræ, quæ tamen non ſunt futuræ, neque hoc loco apponendæ. Harum futurarum ea potior eſt cæteris, quæ facilius, & melius labia adducit, & minorem affert dolorem. Vnde prima antiquorum eſt cæteris potior, prima vero Guidonis deterior, quia relinquere tot acus in carne, certè eſt carnẽ vehementer afficere: item ſtringere filum ſupra labia, eſt ipſa omnino irritari. Altera adhuc Guidonis eſt ſecunda deterior, quòd bis acum per idem foramen traijcere, eſt duplicem cruciatum afferre: præterea hæc futura, quæ à lateribus ſtringit, permittit labia in ſuperficie diſſita.

HAE futuræ ſunt communiter, & indifferenter in omni corporis parte, ſed tamen varie-

tatem

tatem ſuſcipiunt pro varietate partium affectarum, ſeu vulneratarum: vnde à Galeno 6. Meth. proponuntur quoque peculiares futuræ ad vulnera abdominis, de quibus, ſi rectè memoria teneo, alias dictum eſt, ſed & nunc repetita placebit oſtenſio: proponuntur quoq; ab auctoribus ad vulnera inteſtinorum. Ad vulnera igitur abdominis penetrantia, Galenus triplicem proponit futuram Prima eſt, quæ communiter fit in cæteris partibus, tranſmiſſa .ſ. acu per vtrumq. labium, vti in prima dictum eſt futura. Secũda futura magis artificioſa eſt, & conſuit abdomen, id eſt, muſculos cum abdomine, id eſt, & cum muſculis, & peritonæum cum peritonæo, & fit tranſmiſſa acu per abdomen, poſtea reuocata, & tranſmiſſa per vtrumque peritonæum, tertio loco ab interiore parte tranſmiſſa per aduerſum abdomen, id eſt, per muſculos aduerſos. Tertia futura illa eſt, quæ conſuit peritonæum cum abdomine, & abdomen cum peritonæo, fitque tranſmiſſa acu per abdomen intacto peritonæo ex vno latere, indeq; per peritonæum, & abdomen alterius lateris perforandum eſt, & ita proſequẽdum. Proponit autẽ Galenus priuatas in abdomine futuras, quia in abdomine periculum imminet exitus inteſtini per vulnus, vt ſanato exterius vulnere per peritonæũ non glutinatum prorumpant indecorè inteſtina. Quod ad fibulam attinet, tria de ea ante omnia inquirenda ſunt, materia, ex quia fibulæ fierent; quæ forma eis competeret; & quis vſus eſſet fibularum. Ex tribus vnus tantum vſus nobis eſt perſpectus, & cognitus. Et cum fibula ſit vox communis, competens non ſolum vulneribus, ſed etiam multis alijs artificijs, omnes tamen fibulæ quotquot ab auctoribus, & ad vulnera, & ad alia proponuntur, ac recenſentur, conſtringũt, & ad conſtringendum comparatæ ſunt: vnde ἐγγυτῆρες Græcis appellantur, ab ἐγγύω, quod ſignificat conſtringo, & conſtringendo ſuffoco: id quod Galenus confirmauit pluribus locis, & 2. de med. per loca cap. 1. Poſtquam vulneris labia fibulis impoſitis conſtrinxerimus. Et eodem loco loquens ex ſententia Archigenis: In capitis mediocribus vulneribus pilos rademus, fibuliſq. impoſitis conſtringemus. Et in lib. de articulis cap. 90. Fibulæ vtiles ſunt ad applicationem partium. Item 3. Methodi, cap. vltimo, & alibi paſſim Galenus fibularum vſum ad conſtringenda labia vulneris eſſe protulit. Sed non modò in vulneribus fibulæ ad conſtringendum ſunt comparatæ, ſed in alijs quoque quibuſcumque eundem vſum præbẽt, vti mox audietis. Igitur vſus fibularum cuique eſt notus, & perſpectus, ex altera verò parte duo alia omnino ignota ſunt, videlicet ex qua materia fierent, & quæ forma competeret fibulis ad vulneribus labia conſtringenda idoneis: & difficultas ex eo prouenit: Nam vtraque non vnica, & ſola, ſed varia ab antiquis proponitur. Interdum aurea erat materia, & forma anulo ſimilis in cingulo, aut in veſte. Vnde Liuius: Fibulis aureis donabantur antiquus milites, & Virgilius: (Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem:) Et eſt quæ nunc corrupto vocabulo fiuba appellatur Interdum materia erat lignum, & forma ea, quam fabri lignarij adhibent in lignis compingendis, quam vulgo in ædificijs clauem vocant, vt Vitruuius. Sic Cæſar de bellico Gallico: Fibulis tigna coniuncta. Interdum materia fibularum erat ex ære, aut ferro, vt Oribaſius in libro de machinamentis cap. 4. protulit. Cum igitur antiquitus, neque vna eſſet materia, neque forma eadem fibularum, ſed in ſingulis artificijs varia, & diuerſa, non ſine ratione ignotum nobis remanſit, & quænam eſſent fibulæ, quibus vtebantur antiqui in vulneribus, quas tamen tanquam notiſſimam, non deſcripſit. Cum igitur propter has cauſas dubij eſſent moderni Chirurgi de vulnerum fibulis, duo tamen extitere celebres Chirurgi ex recentioribus, Guido, & Fallopius, qui hãc fibularum notitiam relinquere poſteris conati ſunt, qui tamen omnino diuerſi inter ſe, tum in materia, tum in forma earum tradenda fuerunt. Nam Guido fibulas ad vulnera conſtringenda aptas hamos nominat. Committuntur, inquit, inuicem labia vulneris cum hamis, qui eſſe debent parui pro rõne mẽbri, ab vtraq. parte curuati; & infigendo in vno labio ducatur laſiũ ad aliud labiũ, & in illo ẽt figatur, vt faciunt reconditores pannorum. Fallopius verò antiquorum fibulas in vulneribus voluit eſſe eam futuram, quæ paſſim noſtris temporibus fit a Chirurgis per puncta data, quã futuræ nomine paſſim appellant, quę à fibula Guidonis admodum diſtat, tum in forma, tum in materia. Nam materia fibulæ Guidonis eſt ferrea, & forma hamitat ex Fallopio materia eſt filũ, & forma quaſi oualis, valde à Guidone diuerſa.

Triplex futura in abdomine. Prima. Tertia.

Cur Galenus futuras abdominis proponat. Quæ in fibulis inquirẽda. Vſus fibulare eſt ſtringere.

Materia & figura fibularum ignota.

Fibulas Guido hamos vocat. Fallopy fibula quæ ſint.

Author ætatem in qua scripsit hæc.

EGO aliàs, dum essem iunior, in hac difficultate primò vtramque fibulam, tũ Guidonis tum Fallopij damnabam (& notate quæso priorem meam opinionem de fibulis, quę etsi vera non erat, tamen ex ea aliquid addiscere fortè poteritis & in primis vera magis corroborabitur, quia mea opinio non solum probabilis est, sed proximè accedit ad veritatem) damnabam igitur prius vtramque opinionem, Guidonis quidem in totum, quòd tot aculeos pungentes intolerabiles inibi seruare: Melius autem fortè Guido fecisset, si contrario modo, videlicet sursum spectantes cuspides posuisset, quę tamen labia vulneris non probè adduxissent, sed dissita reliquissent. Itaque omnino Guidonis opinio damnanda. Fallopij autem opinionem ægrè admittebam, quòd non legissem apud veteres, materiam fibulari tũ esse filum, sed ex materia fieri duriore, vt est aurum, ferrum, auricalchum, lignum. Secundò fibulam ex filo non fieri eo argumento persuadebar, quod a Celso elicitur l. 7. c. 24. vbi agẽs de modo infibulandi adolescentes, quam operationem facit cum filo, & fibula, habet hæc verba: Exempto filo, fibula inditur; igitur fibula non fit ex filo. Tertium argumentum est, dicit Celsus lib. 5. c. 26. fibulam fieri ex acia molii, & in exemplari quodam Lugduni impresso legitur in margine, ex acu molli: igitur ex acu, non ex filo fibula fit.

Quomodo Author à Fallopio dissentiebat

QVIBVS rationibus aliàs persuasus, in eam deueni sententiam, vt fibula fieret cum Celso ex acu molli, hoc est, ex acu ferrea, aut ænea, at flexibili, & molli; atque in materia tantum à Fallopio dissentiebam, nequaquam in forma. Nam materia Fallopij erat filum, mea verò flexibilis acus ferrea, aut æs supra ignitos carbones flexibile redditum, præterquam in extremitate acuta. Itaque curaui, vt mihi pararentur multæ acus flexibiles cum cuspide tantum duriore, quas infigens in vtrumque labium vulneris, postmodum extremitates supra labia sinistras quidem ad dextras, & vicissim dextras ad sinistras retorquerentur, & duobus modis supra vulnus aptarentur, finirentque vel rectè & planè: vel postnodum factum, vt faciunt qui vulgo conza lauthi, ibiq. seruarentur, donec vulnus glutinatum ferè esset: quod

Quib. argumentis author in sua opinione roborabatur.

argumentum eo efficacius esse credebam, quod roborari adhuc ex arte veterinaria, à qua fortè medica professio defluxit, viderim. Vidi enim ferrarios fabros, vbi venam dilatatam, & apertam, sanguinem fundentem in equo habent, illam clauo flexibili constringere, & claudere. Quam opinionem eo probabiliorem existimabam, quòd primùm eiusmodi fibulas nullam inferre noxam posse, vt propositas videlicet, neque esse aculeos pungentes, vt Guidonis sunt, neq. mordere, & perrodere cutem, vt fortè Fallopij filum existimarim; ideoque videbatur esse opinio media inter vtramque propositam; nam ex ferro fibulas facit etiã Guido, sed non similiter, vt mea astringit, sed mea fibula astringit, vt illa Fallopij. In summa à Fallopij fibula mea non variabat, nisi quia mea ex acu molli, sua verò ex filo fiebat; in reliquis, videlicet in figura, & modo non variat: nam vtraque eadem forma donatur, vtraq; eodem temporis spatio conseruatur, vtraque similiter expedita est. Quod si licet aliquando paradoxum vobis afferre, dixero potiùs meam fibulam potiorem esse, propter rationes ex comparatione desumptas à iuuantibus, & nocentibus, si quidem fibula Fallopij ex filo facta, mordet vbique carnem, quia filum asperum est, & inæquale, cum sit tortum, acus verò leuigata est, & perpolita. Rursus filum mordendo labia vulneris transuersè ea perrodit, quod experientia passim patefacit, & confirmat: at acus flexibilis, cum rotunda sit, & læuigata, nihil istiusmodi facit: exemplo sint annulli aurei, aut ferrei, qui auribus perforatis diutissimè gestantur, vtcumque penduli sint. Rursus si filum valentiùs stringatur, interdum rũpitur, quo non patitur acus mollis, ferrea, aut ænea. Amplius filum est materia, quæ facilè tenditur, & laxatur, ferrum verò flexibile neutiquam laxatur. Amplius laxitas ex filo dupliciter succedit, tum ex laxa fili natura, tum ex perrosis labijs, vnde etsi à filo labia vulneris ad mutuum contactum adducuntur, non tamen adducta conseruantur, quia propter fili naturam dupliciter laxantem disiunguntur, & hiant; sed neutram laxitatem ex acu flexibili rotunda, & perpolita expectare oportet. Vltimò filum non difficulter putrescit à sanie, & ichoribus, at acus ferrea, aut ænea, immunis eis ab huiusmodi labe. Quod si tãdem addatis, æs, & ferrum habere vim refrigerandi, & adstringendi, vulneris glutinationi consentaneum erit: & hoc est argumentum veritatem paradoxi omnino comprobans, & confirmans.

Fibula Authoris potior illa Fallopij, & quare. Prima ratio. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

HAEC quamquam mea alias erat opinio, tamen quia non est discipulus supra magi-

strum,

ſtrum, ideo melius conſultus ſententiam mutaui, & Fallopij opinioni inhæſi, vt fibula fiat ex filo, quam puto veriſſimam eſſe, & Celſi opinioni, & verbis ex amuſſim conuenire, qui ſolus, & vnicus inter veteres fibulas deſcripſit, propter has rationes mox adducendas, à quib. quoque argumenta in contrarium adducta ſoluuntur.

Ratio prima ex Celſo.

QVANDO Celſus lib. 5. cap. 26. loquitur de ſutura, ſimul etiam de fibulis loquitur; ideoque dicit: Vtraque fit ex acia molliſi illa dictio, ex acia, interpretetur acus, nihil faciet ad rem. Nam ſutura non fit ex acu, ſed ex filo, ergo neque fibula. Etenim illa dictio, ex acia, quæ difficultatem facit, nuſquam inuenitur, niſi ſemel in Celſo; hoc videlicet loco, & ſignificat quod vulgò hic dicitur azza, hoc eſt, filum, ſeu linum intortum; rete apud nos. Hoc autem verum eſſe patet ex eo, quod Celſus ſubiungit, non nimis torta: quæ eſt conditio, quæ tantum filo congruit, acus enim non contorquetur, ſed flectitur, & incuruatur; filum verò torquetur, quia vbi nimis tortum eſt filum, & durum euadit, & inæquale, ſeu aſperum, & capreolorũ modo circumuoluitur, & ita difficulter peruadit, & excutit per carnem, & cutem.

Secunda ratio ex Celſo.

PRAETEREA ſubiungit Celſus: Vtraque (ſcilicet ſutura, & fibula) neque nimis rara, neque nimis crebra injcienda eſt; nam ſi nimis crebra, inflammationes mouet, quia quo ſæpius acus corpus tranſiuit, quouè plura loca iniectum vinculum mordet, eò maiores inflammationes ſequuntur. Igitur tam in ſutura, quàm in fibula, acus corpus tranſit, & vinculum injcitur; ergo fibula eſt quoddam vinculum, ſicuti etiam ſutura; ergo ex eadem quoq; fit materia.

Tertia ratio ex Celſo.

RVRSVS Celſus lib. 7. cap. 22. loquens de fibulis in ramice, dicit: Tum fibulæ oris ſic vinciendæ, vt ſimul quoque venas comprehendant: vincire, & comprehendere non pertinet niſi ad filum, & ideo paulo poſt ait: Et filum comprehenſas illas abundè tenet: Videtur Celſus confundere filum cum fibula, & alterum pro altero ſumere, & ideo rurſus ait: Soluendi fibulas tempus eſt inflammatione finita, & purgato vulnere: ſoluere autem fibulas, ad filum tantum ſpectat, nequaquam ad acum: ex quibus locis clariſſimum eſt, fibulas ex filo fieri, nequaquam ex acu.

Alia ratio ex materia & forma fibularum ſumpta.

AMPLIVS cum fibula in genere non habeat materiam propriam, ideo antiqui dummodo vſum conſtringendi præberet, non curabant ex qua materia fieret, neque quæ forma ei competeret, ob id modò ex auro, modò ex ferro, modò ex ære, modò ex ligno, fiebat, ſic etiam formam pro vſu variabant; aliam enim formam obtinebat fibula, quæ erat cinguli ornamentum; aliam claues ædificiorum; aliam Cæſaris fibulæ pro ponte conſtruendo, aliam adhuc machinamenta: demum aliam, qua adoleſcentes infibulabantur: nihil igitur prohibet fieri quoque ex filo, tanquam ex materia conuenienti vulneribus, & formam ſimiliter peculiarem vulnerum fibulam obtinere. Neque obſtat, quod dicebamus ex Celſo, exempto filo fibula inditur: quia fibula, de qua eo loci loquitur, qua adoleſcentes infibulabantur, habet diuerſam materiam, & diuerſam formam ab ea, qua vtimur in vulneribus.

Vltimo rõ.

VLTIMO cum Galenus 6. Meth. c. 4. viciſſim vtatur fibulis, & futuris, dicendum eſt, parum inuicem diſtare, & ferè eaſdem eſſe, proindeq; ex filo fieri, & eodem modo vulnus ſtringere.

Quartũ inſtrumentum eſt glutinũ. Quomodo glutinum applicetur.

QVARTVM inſtrumentum, ſeu materia, qua labia vulneris inuicem adducuntur, à modernis excogitata, eſt glutinum. Dicitur autem glutinum, ſeu gluten quòd operatio Chirurgica indiget glutino, & ſine eo effectus adducendi labia ſuccedere non poſſit. Parantur primò pro quoque vulnere vt plurimum duplicia, & ſeparata lintea inter ſe æqualia, neque nimis noua, neq. nimis detrita, vel triangula, vel quadrangula, vel alterius figuræ, prout rõ vulneris exigit, & linteis extremis fila quędã duplicata, tum verò, & in profundo, & magno vulnere ét multiplicata, & craſſiora, firmioraq. reddita, & intorta, ceraq. oblinita, quæ veluti habenulæ appenduntur, & pendent, & tanto interuallo inuicem diſtantia, vt paulò minus quàm in fibulis, & ſutura ſpatium intercedat, & longa ſint, vt commodè cum habenulis ex aduerſa parte poſitis alligari per anſulas poſſint: quib. paratis lintea ex vna parte glutino illinenda ſunt, & vtrinque propè vulneris labia, vt interuallum fit tranſuerſus digitus, &

aliquanto minus, per totam vulneris longitùdinem applicanda: adhærent enim ſtrenuè cuti intra horæ dimidium ſpatium applicata: tuncque licet trahere inuicem habenulas ex contrarijs partibus, & per anſulas alligare, ſubſequuntur enim ſubinde labia vulneris, & ad mutuum contractum adducuntur. Fiunt lintea modò triangula cum ſcilicet à vulnere copioſior ſanies expectatur, quo ſpatium maius ſit, ne linteum ſanie contingatur, & ſeparetur. Sed ſi hoc non timeatur, quadrangula efficienda ambo lintea ſunt, & habenulæ, & filum, aut habenulæ arte per acum tranſmiſſæ, modò quidem in extremo linteo ad vulnus vinciendæ ſunt, modò verò per totam linteorum latitudinem aſſuendæ, ſi robuſtius inhærere, & vulneris labia trahere volumus. Vltimò lintea ad vulnus ea parte reſpiciant, cum ea parte ſint, quæ vulgò la cimoſſa dicitur, præſertim ſi habenulæ in ſummitate appendantur, ne a linteis habenulæ laxentur, difiunganturque. Hoc modo parantur lintea cum ſuis filis, & habenulis, & vtrinque vulneris labijs applicantur, atque adhæreſcunt: adhærent autem beneficio glutini, quod ex multiplici materia paratur; ſed omnis glutinoſa eſt tenax, aſtringens, cuiuſmodi ſunt pulueres ex thure reſinoſo, maſtiche, bolo Armena, ſarcocolla, & ad prohibendam madefactionem ex ſanie, oportet admiſcere aut colophoniam, aut piceam reſinam, aut aliud, de quo latius dictum eſt in libro noſtro Chirurgico. Sed pulueres excipiuntur ſemper cum oui albumine ad mellis craſſitudinem, & linteis propoſitis applicantur.

Quãdo lintea triangula.

Situs linteorum.

Materia glutini quæ

IAM quatuor materias propoſuimus, quibus labia vulneris ad mutuum contactum adducuntur, & adducta conſeruantur, vt puta deligaturam, futuras, fibulas, & glutinum. Sed quia his indifferenter non eſt vtendum, ſed determinatum determinato ſemper eſt applicandum, ideo audiatis quid Galenus, & Celſus de his dicant, & quomodo, ac quibus vulneribus ſingulæ vſurpandæ ſint. Nam varius eſt horum vſus, quia alia alijs imbecilliora, robuſtioraque ſunt: Vnde Galenus 3. Meth vltimo primum dicit deligaturam eſſe futura imbecilliorem; & rurſus Celſus libro quinto, capite 3. dicit, futuram eſſe fibula imbecilliorem: ergo indifferenter his vti non debemus. Rurſus variant pro varietate vulnerum, nã vulnera alia ſunt per quam exigua, & puſilla, vt quæ in digitis interdum fiunt à paruo gladiolo, quæ natura ex ſe ipſa glutinat; aut ſunt exigua quidem, ſed paulò his maiora, quæ Galenus neque deligatura, neque futuris, neque fibulis opus habere, ſed vniri prodidit tantum glutinante aliquo medicamento, vt eſt ſola aranea, raſura corrigiorum, aut goſipium vſtum, aut tela illa aranearum polline conſperſa, aut aliud tale. Quod ſi vulnus ſit aliquanto maius, vt præter medicamentum aliquid videatur expoſtulare, quod labia leniter adducat, id præſtare anguſtis, & oblongis baltheis oportet. Quod ſi vulnus ſit adhuc maius, vt puta duos, aut tres digitos longum, ſed per longitudinem membri factum, ſola deligatura ex duplici initio circumdata ſufficit. Quod ſi aliter deligare placet; inquit Galenus, futuris vtendum erit, ſed ſufficiant omnino pauciſſimæ futuræ inquit Galenus. Rurſus ſi vulnus ſit tranſuerſum, non tamen admodum longum, nec profundum, in eo caſu futura vtimur, ſed ſpiſſiore. Quod ſi maximum, & profundum; ac tranſuerſum vulnus ſit, futura quidem aliena eſt, quia non tenet, ſed laxatur, & hiat vulnus, ponendæ verò fibulæ ſunt, quæ valentius adducant, inquit Celſus lib. 5. cap. 26. Ita enim Galenus, & Celſus deligaturam, futuras, & fibulas cum ratione, & delectu vſurpant, & de his iudicium ferunt.

Qua varione vſurpanda ſingulæ materiæ propoſita.

Varietas vulneris variat inſtrumenta.

EGO autem modo Galeni auctoritatibus innixus, meũ ferã iudiciũ circa quatuor propoſita vſurpanda, quod vobis iuuenibus prudentiſſimis omnino, relinquo iudicãdum: dicam verò quæ longa experientia à me fuere obſeruata, vt ſciatis quænam ex his quatuor memoratis, & ad labia ſimul adducenda propoſitis, aut imbecilliora, aut robuſtiora, aut magis, aut minus idonea, aut denique potiora, melioraque, aut peiora ſint. In qua re illud primò ſtatuendum eſt, omne vulnus duo incommoda ineuitabilia neceſſario ſequi: alterum eſt dolor, alterum cicatrix. Rurſus dolor duplex eſt, alius qui in ipſo vulnerandi actu excitatur, qui ineuitabilis eſt; alius qui poſt accedit, vel cum futuræ, & fibulæ imponunt, vel ab acus ſtatione. Dolor, qui excitatur ab acus tranſmiſſione, recedit acu à traiectu recedente. At dolor, qui permanet per totum tempus, non aliunde prouenit, quàm à filo, ſeu a vinculo,

Authoris de his quatuor inſtrumentis iudicij.

Duo incommoda omne vulnus ſequentia.

culo, vno verbo, à ſutura, & fibula, quæ tum ſtringendo dolorem infert, & inflammationē mouet, tum maxime cutem tranſuersè perrodendo, incidendoque dolorem ſimiliter continuum affert; ideoque Celſus ait: Quo ſæpius acus corpus tranſit, quoque plura loca iniectū vinculum mordet, eo maiores inflammationes ſequuntur. Propter quam cauſam, vt videtis, ſuturæ, & fibulæ tantopere ab antiquis, & modernis celebratæ, vſurpataeq; vno hoc nomine culpa non vacant, quia dolorem perpetuò inferunt, & inflammationem, & conſequēter vulneris vnionem, aut glutinationem prohibent, aut ſaltem in longius ſanationem protrahunt: quæ etiam alia de cauſa diutius protrahitur, quia vulnus ſimplex, quod ſaniem, & omnem humiditatem ex Galeno abhorret, tum ex acus multiplici perforatione, tum ex fili perroſione ſaniem copioſam gignit, ac ſegregat, quæ glutinationem impedit. Sed vt alio quoque nomine, ac propter aliam cauſam futuræ, & fibulæ in vulneribus alienæ videntur, videlicet ratione cicatricis, quæ in vulneribus prouenit neceſſario propter vulnus illatum, tum verò etiam fortaſſis maior, ac turpior ratione futuræ, & fibulæ prouenit. Nam primò acus vbicumque perforat, cicatricem poſtea relinquit in quolibet foramine; deinde filum, ſi non ſtringit, mutuò labia non adducit; ſi ſtringit, perpetuò cutem tranſuersè perrodit, & nonnumquam etiam totam ſubinde incidit: in quo caſu vt plurimum plurimæ, turpiſſimæque reſultant cicatrices, vel in ſimplici vulnere quoque tranſuersè, quæ ipſomet vulnere longè ſunt turpiores, quas in facie ſæpe indecorè iſtiuſmodi vidi. Quibus de cauſis perſuaſus ſum, ſuturas, & fibulas alienas omnino in vulneribus eſſe, ſed potiorem his eſſe deligaturam, vt puta quę neque dolorem inferat, neque nouas cicatrices faciat: quod Galeno conſentit, qui Meth. vltimo ait: Vbicumq; ſola ſufficit deligatura, eam ſanè adhibemus poſt habitis ſuturis, & fibulis. Nam in vulnere per longitudinem facto, Galenus ſolam ſufficere deligaturam prodidit ex duplici initio circumdatam, ſubditque; Quod ſi aliter deligare libeat, ſuturis quoque vtendum eſt. Subiungitque rurſus: Quod pauciſſimæ omnino ſuturæ ſufficient. Itaque ipſe quoque Galenus ſuturas vbi poteſt vitat, & deligaturam tāquam potiorem eligit. Sed ſi rurſus deligaturam cum glutino conferamus, longè ea glutinum vtilius eſſe comperiemus, multis de cauſis. Prima; quia deligatura non eſt prorſus doloris expers, ſi enim adducere labia ad mutuum contactum debet, omnino ſtringere, & comprimere labia vulneris ipſam oportet, ac dolorem aliquem inferre. Secundò, deligatura dum reſoluitur (tum verò vulnus aut quotidie, aut ſaltem alternis diebus deterſionis exſiccationiſq; gratia detegitur) neceſſariò labia vulneris rurſus diducuntur, & ab inuicem ſeparantur, idque prohiberi non poteſt. Tertiò, deligatura neque in omni vulnere, neque in omni corporis parte commoda eſt, ſed ſolum vulneri per longitudinem, & ei quidem aut in brachijs, aut cruribus facto, vſui eſt: at in tranſuerſo vulnere, & in dorſo, aut clunibus, aut alibi illato, deligatura nihil valet: At glutinum neque vnquam labia comprimit, aut dolorem aliquem infert, neque dum detegitur vulnus, labia dehiſcunt, cum miniſter interea hinc inde labia mutuò applicata à lateribus teneat. Tertio loco glutinum vulnus quodcumque ſiue per lōgum, ſiue tranſuerſim factum, & in omni corporis parte conſiſtens adſtringit, & ſimul adducit.

Incommoda futurę & fibulę.

Incommodum ratione cicatricis.

Sutura & fibulę alienę in vulneribus.

Glutinum deligaturę vtilius.

Prima cauſa.

Tertia cauſa.

SED quiſpiam dicet, propter duo glutina culpa non vacare. Alterum eſt, quod à ſanie exeunte madefit, neque amplius inhæret, ſed cadit: cui ſupra iam prouiſum fuit per congrua medicamenta, in quo caſu licet quoque paulò exterius nouum glutinum, & noua lintea applicare: Alterum, quod cum glutinum in tempore ficcetur, & adhęreſcat, ex altera verò parte fit omnino neceſſarium illato vulnere ſtatim labia eius mutuò applicare, ne fortè aut à ſtrigore contacta, doloreque oborto, aut diſſita relicta ex mora, aut ingruente fluxione difficulter adducantur. Ego libentiſſimè vobis, quid feci in hac vltima ætate, communicabo. In nobili puero ex caſu in fronte tranſuerſè vulnerato, glutinum ſtatim applicui, præcepique vt miniſter digitis hinc inde comprimentibus, & labia adducentibus, tantiſper ea ſeruaret coniuncta, donec glutinum exſiccaretur, & adhæreſceret; ſolet autem id ſuccedere intra dimidiam, aut ad ſummum horam integram: & proſperè ſemper ſucceſſit. Sic vobis in quoque fermè vulnere faciendum eſt. Ex quibus elicere licet, ex quatuor inſtrumentis propoſitis

Obiectio de glutino Reſponſio.

Alia obiectio.

Reſponſio.

Quomodo inſtrumenta quatuor vſurpanda.

ſitis perpetuò quidem eſſe in vulneris mutuò applicandis glutinum vſurpandum, frequenter deligatura, ſatius autem ſuturas, & fibulas; quæ etſi fiunt, nunquam tamen omittendum gluten eſt, & tanquam adiuuans labiorum adductionem, & fili, ſeu vinculi perroſionem prohibens. Atque hæc eſt mea tum ſententia, tum iudicium de his vobis communicatum, quod puto eſſe veriſſimum.

De telis, ſagittis, & globulis plumbeis, à corpore extrahendis.

Alia Chirurgia in vulneribus

OPERATIONES Chirurgicæ, quæ in ſimplici vulnere ex ſimplici inciſione facto, ad adducenda ſimul labia vulneris, & adducta conſeruanda fiunt, iam explicatæ, & adminiſtratæ ſunt; cæterum non hæc tantum in vlneribus Chirurgica opera expetuntur, ſed cum vulnera interdum infligantur à quibuſdam inſtrumẽtis, quæ aut tela, aut ſagittas, aut globulos plumbeos, aut etiam ligni, aut pali, aut cuſpidis pugionis fruſtula rupta in vulnere relinquunt, quæ natura ex ſe ipſa extrahere potis non eſt, neque dum intus inhærent, & perſiſtunt, ſanari vulnus poteſt, ideo ars Chirurgica modum inuenit, quo infenſa hæc corpora è corpore ducantur. Et quamuis non ſit par neceſſitatis ratio extractionis omnium, cum tela, & ſagittas omnino extrahere ſit neceſſarium, tum propter venenum ipſis vt plurimum inditum, tum quia aſſiduè continuum ſoluunt, & quaſi aculei pungentes perpetuò affligunt, globuli verò plumbei vbi extrahi facilè non poſſunt, relinquuntur ſæpe ſine multa corporis noxa; idcirco ars plura prouidit inſtrumenta, quibus ſagittæ, & tela potiſſimum, tum verò etiam globuli extraherentur. Sed vnum ſcire licet, in his regionibus Chirurgicas operationes, quibus tela, & ſagittas extrahimus, obſoleta fermè eſſe, quæ alioqui vetuſtiſſimis temporibus paſſim eueniebant, vnde Homerus ſic cecinit:

Tela neceſſaria extrahuntur.

Cur præcepta veterum de telis extrahendis parum valeant.

Vir medicus multis alijs præſtantior, vt qui
Corpore tela trahens, medicamine vulnera curet.

NVNC quòd ferè ſemper per ſclopetos vulnera infligantur, propterea maior neceſſitas nobis impendet globulos extrahendi, quàm tela, & ſagittas: vnde non eſt vt in præſentia præcepta a Celſo, & Paulo tradita in medium afferantur ſagittas trahendi niſi in quantum ea globulis plumbeis extrahendis conferunt, videlicet num ab ea parte, qua venit, aut ab ea, in quam tetendit telùm, & alienum corpus, extrahere ſatius ſit; & quomodo magnæ venæ, & neruoſa corpora vitanda; & quomodo ſectio ex oppoſita parte facienda; itemque quæ differentiæ inſtrumentorum, & aliæ pleraque, quæ in Celſo libro ſeptimo, capite quinto, & in Paulo libro 6. cap. 88. videre poteſtis. Sed quod ad inſtrumenta attinet, facit mentionem Celſus de hamo retuſo, quod ad apprehendendum telum vſurpat item de inſtrumento ad ♆ Græcæ litteræ ſimilitudinem facto, quod ad dilatandum ſumit; tum verò de focipe, quo telum apprehendit, & attrahit. Nos autem fortè potiora vſurpamus inſtrumenta, quæ tum apprehendunt, tum dilatant, tum foras telum, & ſagittas trahunt. Alia verò inſtrumenta priuatim circa globulos plumbeos idem præſtant, in quibus nos potiſſimùm inſiſtemus, cum vti dictum ſit, quod ad ſagittas, & tela extrahenda pertinet, Chirurgica operatio iam obſoleuerit, cum paſſim vulnera fiant à ſclopetis, qui, (notate) etſi vi ignis operentur, & globulos longius mittant, non tamen ignis effectus in vulnere conſpicitur, niſi admodum vicinum ſit inſtrumentum vulnerans, & vulnerum corpus. Nam ego ſępenumero obſeruaui, globulum preterijſſe goſipium, ſeu laxum bombicem, quo erat ſubductum induſium, zippone vulgò dictum, goſipium autem eſt materia facilè inflammabilis, & incenſibilis, cum tamen nullum ignis veſtigium, neque in goſipio, neque in vulnere appareret, ſed læſio omnis prouenit ex ruptione, ſeu contuſione, ſeu attritione: atterit enim,

Inſtrumenta ad extrahenda tela veterum.

Neotericorum.

Ignis ſclopetorum in officit vulnere.

Quid in vulneribus ſclopetorum lædat.

nim,contundit,& rumpit,& lacerat, & ita penetrat, & perforat globulus plumbeus à violento illo ignito ſpiritu emiſſus,corpus, cuicumque occurrit: & propter hanc cauſam vulnera omnia ſclopetorum periculoſiſſima ſunt, vt ſæpenumero gangrænæ, ſphaceluſque eis ſuperueniat cum periculo mortis,quæ non propter aliam cauſam fiunt, niſi propter inſignem labefactationem,ſed deſtructionem caloris partis, & propter vehementer attractam partis ſubſtantiam;quæ etiam adhuc magis expectanda,pertimeſcendaque eſt,ſi globulus plumbeus ſit veneno imbutus;ſolent enim,vt audiui,venenati reddi globuli,ſi inunguntur, aut inuoluantur materia quadam,quam,vt Chriſtianus, eos, qui eam non callent, edocere nolo,ſed ſatis mihi erit congrua antidoto vobis cõmunicata veneno obſiſtere. Sunt non nulli,qui negant arma poſſe veneno infici, & venenatam contrahere qualitatem, corporique impartiri;ſed hoc inter omnes conſtat, & eſt axioma multis ſæculis confirmatum, de venenatis telis, & ſagittis,& nos quoque experientia id ſæpius comprobauimus,qui quando veneno proſpeximus, euaſerunt ægrotantes, cum verò neglecta eſt veneni ſuſpitio,periere. Itaque hoc loco fortè Chirurgica aliqua operatio ſeſe offert ad quæcumque vulnera venenata curanda,ſiue ſint è globulis ſclopetorum facta,vel ab inſtrumento incidente,vel alio, vel tandem ab animali venenato per morſum illata. Hæc enim præ cæteris operatione indigent Chirurgica,quæ,vno verbo,candente ferramento abſoluitur: vnde nos ſolemus comburere vulnera illata à canis rabidi morſu,ab ictu,id quoque in vulneribus ſclopetorum facimus,cum gangrænam minantur. Solemus quoque idem præſtare in alijs vulneribus ab inſtrumento incidente factis,cum aut ex ſignis,videlicet dolore inſigni,prauæ ſaniei,inflammatione circumſtante,malo odore,& colore vulneris,videlicet aut nigro, aut liuido, aut ex relatione,veneni ſuſpitio habetur. Signum præcipuè autem dubitandum eſt, cum conſulto factum eſt vulnus necis,non cicatricis gratia, & cum inſtrumento ad necandum idoneo, vt eſt anguſtiſſimus ſtylus. In eo caſu ſemper ſuſpicandum eſt de venenato inſtrumento: de quo ſi certi ſumus, tutiſſimum eſt,ſtatim deuenire ad candens ferrum,& id nudæ carni adijcere. Quo ſi locus fortè dolens id non perferat,per canulam,quæ totum vulnus permeet, inſerendum eſt,ſed ſatius eſt cannulam ſicco linteo obuoluere, quo virus abſorbeat, quam cannulã læuigatã vſurpare. Quod ſi de venenato inſtrumẽto certi nõ ſumus, mitius agendũ eſt,recurrimus tunc ad theriacã,medicamẽtũ ſcilicet ad omnia venena efficaciſſimũ, tũ interius aſſumptũ,tum exterius adhibitum;quod etiam priuatim, paſſimque vſurpamus in vulneribus à ſclopeto illatis,quæ etiamſi non ſint veneno affecta, prodeſt tamen exſiccãdo valenter carnes illas attritas,atque eaſdem in pus vertendo,cum omne contuſum, & attritum ex Hippocrate putrefieri neceſſarium ſit. Vnde ego ſoleo vti theriaca cum reſina abietina, & oleo Hiperici, quod medicamentum exſiccat magis quàm pus mouet, quoniam in his,in quibus gangrenæ timor eſt,nequaquam ſimplicibus,& prius pus mouentibus,ſed quoque exſiccantibus vtendum eſt, ideoque abſtinemus a butyro,oleo communi, & alijs id genus. Inter initia autem feliciter vſurpaui theriacam oleo roſaceo, & vino albo dulci admixtam, & remollitam, ita vt etiam per pyulcum poſſit,veluti per clyſterem per totum ductum vel longiſſimum infundi;quo dolore lenito dulce vinum in auſterum commutatur, & procedente proſperè curatione,ſublatoque gangrænæ,& inflammationis timore, oleum quoque roſaceum autertur, & curatio cum theriaca, & vino auſtero procedit vſquequo rubra,& viua caro apparuerit: quo tempore vnguentum de betonica ad gignendam carnem turundæ adhibetur. Interdum etiam feliciter vſus ſum oleo Hiſpano theriacæ admiſto. Cæterum plura afferre medicamenta in periculoſis caſibus non oportet etiamſi locus id exigeret,ſed tutiſſima, & experientia comprobata tantum vſurpare tutiſſimum eſt. In alijs autem vulneribus non attritis,ſed nihilominus venena ſuſpicionem habentibus, eadẽ theriaca vel pura vtendum eſt, aut myrrha cui oui vitello, & theriaca ſimul miſtis. Quando autem vulnera ſclopetorum profundiſſima ſunt, ita vt per turundam immittere in vniuerſum vulneris ductum theriacam non liceat, in eo caſu nos theriacam ipſam puram vino albo, non admodum oligophoro liquatam per ſiphonem, veluti per clyſterem, valentiori impulſu inijcimus, ita vniuerſum vulneris ductum, atque in profundum medicamentum

Anarma veneno in ſtringuntur.

Chirurgia in vulnere but venenatis.

Quando ſuſpicio ſit veneni.

Quid agendum in huiuſmodi venenis.

Author quo modo theriaca vtatur.

In periculis medicamenta tutiſſima vſurpanda.

Quid agendũ in vulnere profũdo.

contin-

contingat, eique adhæreſcat: ſic enim non difficulter gangrænam, ſphacelumque, pernicioſiſſima mala, vitamus, & ægrotantes curamus. Neque eſt quòd quiſquam in principio vulneris theriacæ vſum propter eius calorem pertimeſcat, quoniam magis pollet, & vrget indicatio obſiſtendi imminenti gangrænæ, præterquam quod in eo caſu theriaca aliquo medicamento frigido, quod tamen inſigni vi putredini obſiſtat, permiſcenda, & moderanda eſt: cuiuſmodi eſt aut ſuccus acetoſæ, aut ſuccus citri, vinum etiam album acidum. Sed iam nos quomodo globuli plumbei extrahantur, doceamus.

Occurritur obiectioni.

GLOBVLI plumbei à ſclopetis emiſſi, ſolent vt plurimum in carne remanere, & ſtatim indicatio oboritur eos extrahendi. In quo caſu perpendere oportet, num globulus tam altè in carne inſederit, vt oppoſitæ parti magis ſit vicinus, & per cutem, aut etiam ſubiectam carnem exterius tangatur, ſolet enim ad tactum fieri conſpicuus ex duritie, & figura, in quo caſu incidere partem oppoſitam opportet, & globulum ita recipere. Quod ſi tam alte non inſederit, ita vt eius exitus ex parte oppoſita commodè haberi non poſſit, tunc ſpecillo per vulneris foramen, & globuli ingreſſum pertentetur, & globulo reperto, vtcumque longum ſit ſpatium, tentandum eſt extractio inſtrumentis, quæ plura ſunt, non ſolum variantia penes magnitudinem, ac longitudinem maiorem, & minorem, ſed etiam penes figuram: omnia tamen quatenus forcipes ſunt, tum vulnus dilatant, tum globulum apprehendunt, tum demum foras trahunt, cum apprehenſa non difficulter à manibus ad ſe foras trahantur. Hæ enim ſunt intentiones à Medico explendæ in globulis extrahendis, tum verò inſtrumenta reſpondere his ſcopis debent, viam ſcilicet, & vulnus dilarando, globulum apprehendendo, denique foras trahendo, ordine enim neceſſario ſeſe conſequuntur. Primò enim inſtrumentum viam dilatat cum ductus vulneris aſtringatur ſemper, quod facit quatenus forceps eſt. Secundo loco globulum apprehendit, qui ſcopus cæteris pollet, ideoque duplici nomine recipit, aut ſerrata extremitate apprehendit. Tertio loco ſuccedit globuli foras extractio, quæ operatio à manu Chirurgi non difficulter abſolvitur. Ideoque inſtrumentorum varia ſunt genera, quorum alia apprehendunt, & foras trahunt, quatenus in globulis infiguntur; alia in ſe globulum recipiunt, quatenus latiora, & caua in extremo fiunt; alia deniq; apprehendunt, quatenus ſerrata in ſummitate ſunt, quorum alia figuram rectam, alia recuruam habent, prout iter globuli rectè aut obliquè proceſſit; quorum omnium à maximo ad minimum multa intercedit latitudo, ita vt tandem ad volſellam deueniatur, qua ego aliquando pali fruſtulum ex oculi cauitate extraxi, & è gena ſclopeti calcem foras tandem eduxi. Quod ſi tertio globulus ſpecillo non pertentetur, quod euenit in profundiſſimo vulnere, aut in abdomine, aut in clunibus, aut alibi facto; in eo caſu nos per ſitum decliuem, & per foramen vulneris apertum diutiùs cum ſuppurantibus globuli exſitum ex proprio pondere, & pure procuramus: qui ſi neque etiam hac ratione foras exeat, tunc poſt poſita globuli cura, vulnus ad cicatricem perducimus. Nam globulus intus detentus ſolet à multis geſtari annos integros, ſine vlla ferè corporis, ſed fortè animi tantum moleſtia: nonullis tandem ſuapte pondere ad cutem deſcendit, & leui negotio, videlicet ſimplici inciſione, exiuit.

Quid deſiderandũ in globulo infixo.

Tres ſcopi in globulo trahendo ex Primus. Secundus.

Tertius.

Quando globulus non poteſt pertẽtari, quid agendum.

De carnis Chirurgia, quæ ad vulcera pertinet.

Vlcera maligna quæ dicuntur.

VLCERA quoque Chirurgiam deſiderant, vbi medicamenta ad ea curãda parum valent; quod euenit in malignis, immo ſupra modum malignis vlceribus, quorum Chirurgia à ferramento candente, & vſtione petitur; cur vero petatur, ratio hæc eſt. Vlcera maligna dicuntur, quæ nõ modo fluxione vexata, ſed ẽt intemperie aliqua affecta ſunt, & malo ſucco vitioſa: ſolent autem in primis humida affici intẽperie, quia vlcus perpetuò madet, & humidum eſt, ex Hippocratis ſententia in lib. de vlceribus, in principio, vbi ait, ſiccum ſano vicinius eſſe, humidum verò non ſano. Et Galenus quoque, & experientia quotidie comprobat,

probat,propter quam cauſam vlcus perpetuò indiget exſiccatione, dicebat Hippocrates & Galenus. Quo fit, vt cum excluſione, tum ex humiditate aſſiduò affluente facilè vlcus ad eam deducatur laxitatẽ & humiditatem,vt cũ medicamenta amplius tam exſiccantia non inueniantur,quæ tantam exſiccent, & abſumant humiditatem : ideo Chirurgia ſuppler,& medicamentis prępollet,& ad ferramentum candens confugit,quod valentiſſimè exſiccando vlcerum omnem ſuperuacam abſumit humiditatem ; & ita tum carne impleri, tum cicatrice obduci poſſunt, quæ alioqui ſine hac Chirurgia non poterant. Sunt autem vlcera ſqualida, flaccida,molliſſima,& humidiſſima,ideo Hippocratis oraculum eſt : Quæ medicamentum non ſanat,ferrum ſanat:quæ ferrum non ſanat ignis ſanat:quæ ignes non ſanat, inſanabilia ſunt. Quod ſi vlcera non modo humida intemperie afficiuntur,humiditatibuſq; copioſis affluentibus ſcatent,ſed etiam calor extraneus & putredinalis eis coniungatur,vnde fiant vlcera,quæ cũ putrefactione ſubſtantiæ aſſocientur,ac ſerpant,quæ Galenus. Nomas appellauit: in quo ordine & cancroſa,& gangrænoſa quoque connumerãtur:in eo caſu adhuc longe magis ferramento opus habemus candente, quod impenſius omnem abſumat humiditatem,putredinemque tollat:ideoque ſi in priore vlcere ferramenta candentia lenia futura ſunt,quæ etiam omne vlcus leniter tangant, ſic in his peioribus craſſiora vſurpanda ſunt,vt valentius igneam facultatem imprimant.

Ferrũ candens vlcerum Chirurgis.

VTCVMQVE autem ferramenta candentia varia ſunt in his vlceribus neceſſaria,atq; vt plurimum craſſiora,nonnulla tamen adſunt impedimenta,quæ prohibent. Primum eſt exquiſitus partis ſenſus, qui non tolerat. Secundum eſt timor patientis, qui ferrum non permittat. Tertium interdum aſtantes & conſanguinei, interdum etiam Chirurgi timidi ſunt,& abſtinent libenter à ferramentis candentibus. Quibus ex cauſis euenit,vt vlcera non curentur, ſed in diutiſſimum tempus protrahantur. Nos autem his impedimentis obſiſtemus ex ijs quæ tot annorum curriculo experientia obſeruata à nobis ſunt, ſi vlcus in quocumque ſtatu nobis offeratur, perſpiciemus. In ſumma, vlceribus omnibus,incipientes ab ijs,quæ exquiſitiſſimo ſenſu prædita ſunt,vſque ad ea,quæ aut hebetem,aut nullam habent ſenſum, ita ferrum eandens admouebimus,& varietate inſtrumentorum vtemur,& ferri timorem ab ægrotantibus excutiemus.

Impedimẽta,quæ vſtionem vlceris prohibẽt

Authoris induſtria.

SI igitur vlcus ſit exquiſitiſſimi ſenſus, quod valida admodum exſiccatione non indigeat, & patiens ferramentum valde pertimeſcat, ita vt ferri contactum non toleret,neque tamẽ à medicamentis curari poſſit, tunc ferramenta candentia tenuiora vſurpanda ſunt, quæ ſupra vlcus admoueantur: ita tamen vt vlcus non contingant,vt præcipit Hippocrates in hæmorrhoidibus: quo in caſu ſi de moleſto & nimio calore patiens adhuc conqueratur, circumſtantes partes refrigerabimus impoſito linteo madefacto in vino nigro auſtero,actu frigido, aut poſcat,aut,vt Turcæ faciunt, vti proditum eſt,lamina ferrea læuigata partibus circumſtantibus admota. Quod ſi vlcus exquiſiti adhuc ſenſus ſit,& patiens ferri timidus, & maiori vlcus indigeat exſiccatione, in eo caſu ferrum candens admouere oportet, ita vt vlceratam partem tangat,ſed ad timorem ab ægro tollendum,vix primo ferro pars attingẽda, quod ſubinde auferendum eſt:ſic enim vix ignea vis preſentitur: interea verò æger pauorem deponit,& aſſuefit,& maiorem poſtea ignis impreſſionem tolerat. Quod ſi adhuc vlcus & maius ſit,& maioribus humiditatibus ſcateat,maioreque indigeat exſiccatione,necnon ferri candentis impreſſione,ac æger timeat,& ſenſus partis vegetus ſit,in eo caſu cũ eo quod vix attingi locus debet,vti dictum eſt,ac ſtatim ferrum amouendũ, etiam mutandus locus eſt, ita vt numquam ferrum eumdem attingat locum,ſed diuerſum & longinquum; quod ego ferè ſemper molior. Sed ſi neque ferri pauor, neque partis ſenſus obſtat,tunc hoc expedit faciendum,potiſſimumque ferrum craſſum & valenter ignitum eſt imprimendum, cũ vleus ſqualidum, hebes,& valde humidum,putridumque eſt. Etenim iſtiuſmodi vlcera ſolent ſua natura eſſe aut penè inſenſibilia,aut hebetis ſenſus. Iam igitur liquet,quomodo ſint ferramenta candentia vſurpanda,in quocumque ſtatu vlcus offeratur.

Chirurgia vlceris exquiſito ſenſu præditi.

Quid agendum in vlcere magis ſenſibili.

Quid ſiniſtrobſtet.

PRÆTER hæc fiunt quoque vlcera maligna cauernoſa, & profunda valde,in quibus conducit oppoſitam partem aperire, vt exitus ſaniei decliuior paretur. In eo caſu nos ferrum

Cura vlceris cauernoſi.

rum acutum vſurpamus, cuiuſmodi acus magna eſt, quæ incidat, ac perforet. Interdum etiã in lato ac profundo ductu ferramentum ſumitur, quod in cuſpide ſagittam æmulatur, quam cum vulgo ſagittellam nuncupare ſatius eſt. Vtraque autem vel acu, vel ſagitta per canulam pertranſeunte, oppoſitam partem perforamus; quorum inſtrumentorum plura habenda ſunt maiora minoraque, quæ vſui ſufficiant, & non candentia vſurpantur.

Quomodo fiſtulæ curentur.

VSTIONIBVS quoque gaudent fiſtulæ, & fiſtuloſa vlcera, & ipſa maligna, non ſolum ad humidam intemperiem, & humiditatem affluentem abſumendam, ſed etiam ad callum exterendum ac tollendum: in quo caſu immiſſa prius cannula per totũ fiſtulæ ductum, deinde intra eam ferramento, videlicet ſtylo candente, comburimus, fiſtulaſque curamus. Quod ſi callus hebetis ſenſus partem efficiat, ferramentum candens nudæ parti afferendum, aliter per cannulam ſeu fiſtulam immittendum. Dum verò per cannulam æneam aut argenteam, & ferramentum candens in eam immiſſum comburitur callus in fiſtulæ ductu, ne qua pars calli expers aduratur, primò ferramentum ita parandum eſt, vt in ſua extremitate teres, craſſius, & oblongum ſit, quanta eſt digiti tranſuerſi latitudo, in reliqua verò parte ſuæ longitudinis tenuiſſimum eſſe oportet; tum verò capite tantum ignito intromitti in cannulam debet, atque vbi æger moleſtiam ignis perſenſerit, ſcito inibi callum non adeſſe, & ferramentum eò loci nequaquam detinendum, ſed vltro citroque dimouendum, atque ibi adigendum: vbi ferramentum dolorem non excitat, ibi callum adeſſe comburendum certò ſcies.

Ignis duplex, actualis & potentialis.

VLTIMO illud ſcire conuenit, quod in malignis his, & putredinoſis vlceribus curandis igne vſi fuimus, & cum ignis duplex ſit, actualis & potẽtialis, vt iſti dicunt, ego actualẽ, hoc eſt, ferramenta tantum candentia propoſui, ſilentio interim omnino obuoluens, & penitus vitans potentialem ignem, hoc eſt, cauſticorum medicamentorum vſum, tamquam magis lædentem, interimentemque ægrotantes, quam eorum vlcera curantem. Nam cauſtica medicamenta vim habent putrefaciendi partem ſanam, ideoque experientia quotidie comprobat, gangrænam ſæpenumero excitare: at ferramenta candentia roborant ipſam partem, & natiuum eius calorem fouent atque cuſtodiunt. Quarere darguendi ſunt, qui in vlceribus ijs paſſim vtuntur. Quod ſi à probatis auctoribus interdum proponuntur, id accidet, cum patientes ferrum timent, vti ex Aetio in hæmorrhoidibus audiuiſtis. Vnde ea ratione, qua Galenus tertio Meth. Meconium, & Mandragoram, tam etſi exſiccent quantum ſit cauo vlceri ex vſu, tamen ceu ſupra modum refrigerantia fugienda eſſe cenſuit: hic nos cauſtica etſi ad vlcera valenter exſiccanda ſunt idonea, tamen ceu partem putrefacientia monemus, vt vitentur; id eoque eorum vſus redarguendus. Sed magis adhuc deteſtandi ſunt, qui non ſolum cauſticis vtuntur, ſed etiam cauſtica eligunt, quæ præterquam quod cauſticam habent facultatem, etiam ſua facultate & natura deleteria ſunt, vt eſt arſenicum ſeu auripigmentum, ſandaracha, & alia: vnde audiui, ex arſenico exterius à quodam Medico in cancroſo vlcere tantùm impoſito ægrotantem periiſſe, obortis in toto eius corpore magnis & nigris maculis, cum tumore & totius corporis fœditate, & putredine, & alijs ſymptomatibus, qualia accidere ſolent ijs, qui arſenicum ſumpſerunt. Quod propoſui, vt vos admoneam, iubeamq; ſemper ea medicamenta vitare, quæ cum notis qualitatibus venenatam quoque habent qualitatem coniunctam. Sic etiam bona pars Medicorum veſicãtia facit cum cantharidibus, quibus aduerſaria facultas eſt & deleteria ad renum & veſicæ vitia, quo factum eſt, vt plures mortui ſint ex vrinæ ſuppreſſione ex tali veſicante cruribus aut brachijs admoto. Et ego dum eſſem iunior curaui quendam, cui impoſitis cantharidibus in capite ad euacuandã materiam, quæ dolorem capitis inſuperabilem excitabat, ſtatim vrinæ ſuppreſſio conſecuta eſt. quæ ſuccedit, non quia cantharides habeant facultatẽ vrinam ſupprimendi, imò potius contraria earum vis eſt, per eas partes vrinam etiam vſq; ad ſanguinem euacuare: ſed ſuppreſſio euenit, quia tam copioſa vrina illuc vi medicamenti trahitur, vt præ copia repleta veſica reſoluatur vis eius excretix, & ita quaſi per accidens vrina ſupprimatur. Conualuit tamen propoſitus patiens congruis remedijs vrinam cientibus, tum ad veſicam poſitis, tum intus exhibitis. Sed in febre affectis, præcipuè acuta & mali-

Cauſticorũ medicamẽtorum quæ litas.

Cauſticis non eſt temerè vtendum.

Cantharidum effectus.

gna,

gna,omnes penè pereunt; & Princeps quoque aliquando perijt,etiamsi duo Medici ipsum curantes fuissent prius à me tunc ægrotante admiti. Si non reperiretur in orbæ terrarum aluid vesicans medicamentum,quam cantharides, deberemus non minùs esse cauti in earum vsu; sed cum infinita propemodum reperiantur, quæ tutissima sunt, & non deleteria, furor est deleterium vsurpare.Ego flammulam Iouis adhibeo cõtusam,quod valentius est siccans,quam cantharis,& longè tutissimum. Sic etiam sunt quidam,qui hydrargyron in medicamentis externis ad gummata,& vlcera Gallica vtuntur, & alij, quod adhuc deterius est,interius exhibent, quod inter deleteria connumeratur: Quo fit, vt sæpe etiamsi exterius alicubi admoueatur,tamen vlcera putredinosa in ore sæpenumero excitet,& ægri magis torqueantur ab vlceribus oris,quàm ab vlcere aut tumore cruris, aut alterius partis. Memoria igitur mandate obsecro huiusmodi præceptum. *Author quid loco cantharidi vtatur.*

DE CHIRVRGIIS, quæ ad ossa pertinent.

MODO ossium affectionibus, quæ manum operam pro ijs curandis desiderant, dicendum est. Manuum autem opera varia est, prout contingit ossa vario modo affici. Etenim ossa maximè afficiuntur solutione continui, quæ si à causa interna fiat, resultat ossis caries, seu corruptio; si ab externa, fractura, quæ modò sit simplex,& sine vulnere, modò cum vulnere: præterea ossa in suis articulis patiuntur morbum in situ; & fiunt luxationes. Adhæc ossa patiuntur tumores duros, ac scirrhosos, quæ gummata appellantur,& vt plurimum Gallica sunt. Et his quinque eliciuntur Chirurgicæ operationes, quæ in ossibus exercentur. Vna fit infractura ossis primò sine vulnere, deinde cum vulnere: Secunda fit in fractura malè coaptata. Tertia in luxatis. Quarta in carie ossis. Quinta in grumma tibus. De omnibus dicemus ossi à fractura. *Affectiones ossium quæ.* *Operationes in ossibus quæ.*

DE OSSIVM FRACTVRA.

FRACTVRA ex Paulo nihil aliud est, quam solutio continuitatis in osse ab externo instrumento facta, cum impedimeato motus: cuius plures sunt species, transuersa,obliqua, & per longitudinem facta, cum vulnere,& sine vulnere, recens, & vetusta. Generaliter de omnibus loquemur, sed priuatim humerum fractum in exemplum interdum sumentes. Fracturarum omnium curatio penè tota pendet à manu Chirurgi; vnde verè tractatio Chirurgica hæc est. Ideoque Galenus ait, tum primo de fracturis, comment. primo, tum 3. de ijs, quæ fiunt in medicratina, comment. 21. à manu pendere protulit, his verbis: Quatuor sunt operationes,quæ in fracturarum curatione exercentur, extensio,conformatio, deligatio, depositio: quæ omnes à manu Medici tantumodo dependent. Quod si aliquid natura facit illud solum est, quod ad callum pertinet. Etenim cum fractura ossium fit solutio continuitatis,& penè dixerim vulnus ossis, omnis solutio continuitatis,& vulnus, vnionem expostulat, quæ in carne,& omni molli corpore fit per primam intentionem, hoc est, sine aliquo medio,vt cera ceræ,vel mel melli,& lac lacti vnitur,& coniungitur. At os ossi,testa testæ lapis lapidi, & omnino durum duro corpori hoc sanè modò non vnitur, sed alicuius medij beneficio colligatur potius, quàm vnitur: & ossa non aliter vniuntur, quàm be- *Fractura quid sit.* *Quatuor operationes in fracturis requisita.* *Vnio quomodo fiat.*

Ossa quomodo alligantur.

neficio calli ſupernati partes fractas circumalligantis, non aliter ac quando nos inſerimus plantæ ramum, cum perfractæ plantam ſeu arborem arbori per cretam circumpoſitam alligamus: Sic oſſa vniuntur beneficio humoris, qui roris modo à labijs effluit,& exterius oſſis fracturæ adhærens indureſcit, & fit callus, qui fractas partes circumligat, & ita vnit. Quæ operatio eſt ipſius naturæ: at reliquæ operationes, quæ multæ ſunt, & quæ requiruntur ad fracturas curandas,omnes à Medici manu pendent,& ſunt,vt ex Galeno dixi,extenſio,conformatio,deligatio,depoſitio; quæ ordine quodam neceſſario ſeſe conſequuntur, quamuis omnium præcipua ſit conformatio,ſeu coaptatio ipſius fracturæ,quæ ceu finis expetitur. Nam oſſe coaptato tum callus efficitur,& ita vnitur,& curatur fractura: reliquæ verò Chirurgicæ operationes vſum tantummodo præbent, hoc eſt, vtiles ſunt, vel vt melius coaptatio fiat,vt extenſio; vel pro cuſtodia, & conſeruatione coaptationis, vt deligatio, ac depoſitio.

Coaptatio præcipua in fracturis operatio.

Duo ſcopi in fracturis abſoluendi.

VT autem hæc omnia probè percipiatis,& neceſſitatem quatuor iam propoſitarum operationum habeatis, ſciendum vobis eſt,conformationem oſſis paſſim ſuccedere, ſi duo abſoluantur ſcopi,ex Galeno 6.Meth. Primo,vt partes fracti oſſis,quę è directo non iacent, in directum agantur,& vt eminentiæ in ſuas cauitates recondantur. Nam ſi os,cum integrum eſt,ſua rigiditate,& duritie rectitudinem membri ſeruat, procul dubio illo fracto rectitudo labefactatur, & inflectitur, membrum incuruatur,ac diſtorquetur: vnde indicatio exoritur,vt partes oſſis, quæ è directo non iacent,in directum agantur. Præterea,cum os propter ſui duritiam,rigiditatem,& aſperitatem rumpi,ac frangi non poſſit, quin alibi cauitates, alibi eminentiæ plus minus reſultent, proculdubio ſuccedere proba conformatio non poterit, niſi eminentiæ in ſuas cauitates recondantur. Iure igitur his duobus expletur conformatio fracturæ, videlicet vt partes oſſis fracti, quæ è directo non iacent,in directum agantur,& exſtantiæ in proprias cauitates recondantur: propter quæ duo vna ac cæteris prior Chirurgica operatio deſideratur, quæ ἔκτασις, hoc eſt extenſio appellatur. Ratio hæc eſt. Nam cum os fractum à ſua continuitate ſit dimotum,& vacillet, muſculi,ſi partes fractæ è regione fracti oſſis inuicem amplius non ſint,tractu ſuo ſurſum alterum os trahunt,& ita breuius redditur membrum; ideoque tanta neceſſaria eſt extenſio, quanta facta breuiatio eſt à muſculis. Quod ſi partes fractæ è regione ſint, nihilominus tamen neceſſaria eſt extenſio, alioqui ſi in oſſe coaptando partes fractæ mutuò affricentur (id,quod neceſſariò ſequetur, propter muſculorum ſurſum attractionem, quæ contactum mutuum efficit) rumpentur extantiæ,& ita in ſuas cauitates recondi non poterunt; vnde vel exterius ad oſſis parietes exeant,vel inter oſſa fracta remaneant, perpetuò coaptatio impedietur, & nos fine propoſito fruſtrabimur. nam ſi extra fracturam fruſtula exeant,locus vacuus ab ijs relictus ſanie replebitur,quæ totam coaptationem labefactabit, totumque membrũ corrũpet: ſi verò intra permaneat,tunc non amplius glutinabitur, & ita ſeparatæ inuicem partes fractæ in perpetuum permanebunt, & membrum vacillans & quaſi libratum ſemper erit. Quòd ſi extenſio membri fiat,ita vt partes fractæ per aliquod ſpatium inuicem diducantur, & ſeparentur, commodè eminentiæ in ſuas intrant cauitates, & ita coaptatio ſuccedit. Iam igitur patet neceſsitas extenſionis in coaptatione perficienda.

Primus ſcopus.

Conformatio duobus expletur.

Ratio.

Extenſio vndique neceſſaria.

Ratio.

PROBA igitur facta per extenſionem oſſis coaptatione, ſi ita coaptatum aliqua arte non detineatur, & congruum tempus perſiſtat, breui temporis ſpatio ſuoprè pondere rurſus rumpetur, ac diſiungetur: quod ſanè prohibet deligatio,quæ etiam,vt ſcribit Galenus, immotum conſeruat membrum,tum in motibus, qui non animaduertuntur, tum vigilantibus, tum dormientibus nobis, & dum ad deſidendum ſurgimus, deligatura omnino conformationem ſtatim ſequitur, & coaptata oſſa conſeruat, & labefactari prohibet. Neque ſolum indigemus præſidio,quod conſeruet fracturam coaptatam, ſed, vt dicit Galenus 6. Meth. 5. quod membrum immotum ſeruet: quod probè deligatura facit. Sed habet etiam alium vſum deligatio,vt infra patebit. Sed ſi his probè factis ita demum collocetur membrum,vt in ea poſitione vel inæquali, vel decliui diutiùs conſiſtere non poſsit, ſed moueri cogetur,omnino conformatio deſtruetur, ac labefactabitur. Itaque iure ex Galeno quat-

Alter ſcopus, qui eſt deligatio.

tuor

tuor ſunt Chirurgicæ operationes, quæ in fracturarum curatione exercentur, ordine quodam neceſſario ſeſe conſequentes, extenſio, coaptatio, deligatio, depoſitio.

Quæ præterea in fracturis proſpicienda.

CÆTERVM adhuc alia ſunt proſpicienda in fractura curanda, vt coaptatio feliciter ſuccedat, quæ à Galeno inter proprofita non connumerantur, quòd ſeorſim ab aliis non ſeparentur, ſed cum propoſitis conſiderentur, & abſoluantur. Suntque duo, aut ad ſummum tria. Vnum eſt imminens inflammatio, ſeu periculum inflammationis ſuperuenturæ, quæ proinde in toto curationis tempore proſpicienda eſt, & in ſingulis operationibus præuidenda, & arcenda. Itaque ſi extenſio fiat, inflammationem proſpicere oportet, ſi coaptatio ſimiliter, ſi denique deligatio, & depoſitio perpetuò inflammationem futuram, & imminentem vitare oportet. Ideoque Celſus lib. 5. cap. 26. dicebat, in omni vulnere duo ſtatim proſpicienda eſſe, ne ſanguinis ſit profuſio, neue inflammatio interimat. Profuſionem in ſimplici oſſis fractura rarò timemus, quòd oſſa venas habent perquàm exiguas, & exanguia ferè ſunt. At inflammatio omnino expectanda eſt, niſi prohibeatur. Vnde Celſus lib. 8. capit. 11. loquens de motis oſſibus, dicebat: Quidquid loco ſuo motum eſt, ante inflammationem reponendum eſt. Si illa occupauit, dum conquieſcat laceſſendum non eſt. Summatim, vt inferius patebit, tum Hippocrates, tum Galenus, in omnibus fracturarum operationibus perpetuò inflammationem proſpiciunt, & vitant, tanquam quæ neceſſariò ſuperuenit omni fracturæ propter multas cauſas. Nam fractura, quæ fit ab externa cauſa, non ſolùm os, quod in profundo eſt, rumpit, ſed etiam ſuperpoſitos muſculos contundit, & nõ rarò atterit; ex quo dolor excitatur, qui attrahit, & fluxionem, atque inflammationem mouet. Altera cauſa eſt, quia os fractum vacillat, & modò huc, modò illuc à muſculis, qui in circuitu ſunt, mouetur; dum verò mouetur, perioſtia, & muſculos contiguos, quæ ſunt partes ſentientes, tangit, atque interdum pungit, vnde dolor, & inflammatio excitatur. Tertia cauſa eſt, quòd ſanguis, qui ex oſſe fracto effluit, cum præ oſſis imbecillitate foras tranſmitti, & exire non poſſit, ibi putreſcit, & inflammatur. Quarta cauſa eſt, quia in quacunque propoſitarum operatione excitatur dolor, in extenſione ſcilicet, conformatione, deligatione, & depoſitione, præcipuè ſi non omnino examuſſum adminiſtrentur, ſed in extenſione, etiamſi exactè efficiatur, dolor vitari non poteſt, ideoque & abſolutè, & in omnibus ſigillatim operationib proſpicienda inflammatio eſt, vti infrà adhuc clarius patebit, tamquam quæ oſſis coaptationem prohibeat, & alia ſymptomata excitet.

Inflammatio præcauenda.

Cur inflammatio fracturis ſuperueniat.

Secunda cauſa.

Tertia cauſa.

Quarta cauſa.

ALTERVM, quod ſimiliter in omni Chirurgica operatione proſpicere oportet, eſt debita, & cõgrua membri figuratio. id quod etiam Galenus monuit primo de fracturis, Comment. primo his verbis: Quatuor ſunt operationes, quæ in fracturarum curatione exercentur, extenſio, conformatio, deligatio, depoſitio. Mox verò ſubiungit, vnam communem in omnibus eſſe oportere figurationem, dum enim extenditur membrum, & coaptatur, & vbi coaptatum eſt, ſtatim ſeruata eadem figuratione deligatur; quam rurſus in membri collocatione ſeruari neceſſarium eſt. Hæc Galenus.

Congrua membri figuratio molienda.

VT autem ex hoc quoque exactè intelligatis, videlicet cur membri figuratio proſpiciẽda eſt, & quæ ſequantur abſurda, ſi deſpiciatur, prius quid congrua membri figuratio ſit, præmittere oportet, & quomodo in omnibus operationibus ſit obſeruanda, & (vt ita dicam) conſummanda. Congruam membri fignrationem dupliciter intelligere poſſumus, vel quæ paſſim à Galeno media cuiuſque membri figura dicitur, quæ ad articulos pertinet: vel eam membri figurationem, quæ ad muſculos ſpectat. Vtramque declaro. Illa dicitur media figura cuiuſque membri à Galeno paſſim, & articulis competit, quæ indolens eſt, & in qua, cum ociamur, ſingula mẽbra continere conſueuimus, & in ea præterea muſculi nulli agunt: & in ſumma eſt illa, quæ æqualiter diſtat ab extremis articulorum moribus, id eſt, flexionibus, & extenſionibus, quæ in omnibus articulis vniformis non eſt, & vna, quin immo varia, & multiplex, & variat penes figuras angulares, rectas, & curuas, ad quas prona, & ſupina reducuntur: quam ſanè mediam cuiuſque membri figuram non difficulter nanciſcemur, & obſeruabimus, ſi omnes cuiuſque articuli extremos motus, videlicet flexiones & extenſiones moliamur, deinde punctum medium inter eas conſtituamus. Verbi gratia. In

Congrua figuratio mẽbri duplex.

Media figura quæ.

Quomodo media figura deprehendatur.

cubito

In cubito. cubito media figura angularis est angulo ferè recto, quia factis extremis cubiti motib. hoc est, summa sua flexione, tum retensione, & puncto in ijs constituto, si in medio spatio extremorum motuum punctum similiter constituamus, & cubitum ad hoc punctum transferamus, inueniemus angularem angulo recto esse cubiti mediam figuram: In carpo autem diuersa est. Nam factis extremis motis, vt dictum est, & notatis tribus punctis, rectam esse mediam carpi figuram inueniemus. In genu verò eadem animaduersione vsi, reperiemus mediam figuram angularem esse angulo obtuso: similiter in digitis: In dorso verò erit curua. Nam si extremos spinæ motus moliamur, videlicet curuos, & cauos, prospiciemus maiorem motum esse cauum, quam curuum, quia animal omne anterius magis inflectitur, quam exterius retro incuruetur: similiter & homo, & sic de singulis dicendum est. Itaque media cuiusque membri figura est illa, quæ æqualiter ab extremis cuiusque articuli flexionibus, & extensionibus distat; quæ etiam illud proprium, ac peculiare habet, vt si indolens, & cum ociamur diutissimè continere singula membra in ea consueuimus. Quæ omnia sunt ex Galeno deprompta, tum ex libro de motu muscul. tum de fracturis, tum de ijs, quæ fiunt in medicatrina. Altera membri figuratio à proposita non valde distat, quia in multis conuenit, attamen differt, quia hæc ad musculos pertinet, prior verò ad articulos; prior consistit in puncto medio extremorum articuli motuum, hæc verò in musculis, & musculorum fibris, quas requirit in vna parte integras, & similiter musculos ex vna membri parte integros esse seruandos præcipit in quacumque fracturæ operatione, & manus moliticne; id quod dixit Galenus expresse primo de fracturis comment. primo, vbi loquens de congrua extensione, quæ fit in fracturis, dicit, eam esse, in qua separata, & fracta ossa, sine magna intensione conformantur; quod sanè ex ea figura eueniet, quæ in rectum fibras musculorum intenderit: in rectum autem intendit, quæ in vna membri parte totum musculum seruat, & in summa, procurat, & prohibet, ne musculi fibræ, & totus musculus distorqueatur, vt alibi vna eius pars exterior, altera interior fit. Ex quibus apparet differentia intermediam figuram membri, quæ ad articulos pertinet; & congruam figurationem membri, quæ ad musculos spectat. Prima enim in puncto medio consistit extremorum motuum, & est aut angularis, aut recta, aut curua; Secunda ad musculos spectat, & consistit in seruando integrum musculum, & fibras eius integras in vna membri parte, ne fibræ, aut totus musculus distorqueatur: quæ duæ membri figurationes conueniunt postmodum, quod vtraque indolens est, & in vtraque continere membrum, cum ociamur, consueuimus, & in vtraque demum nulli musculi agunt, sed omnes ociantur. Et quamuis Galenus 3. de ijs, quæ fiunt in medicatrina comment. 20. aut 21. videatur confundere congruam membri figurationem cum media cuiusque membri figura, quòd communicent inuicem, & quatenus indolentes ambæ sunt, & continere membrum in ambabus cum ociamur consueuimus, & in ambabus musculi ocientur; tamen inuicē distingui eo argumento persuademur, quod vna sine altera consistere potest, quòd alioqui, si eadem esset, effici non posset. Nam ponatur casus fracturæ in humero, in quo quatuor illæ operationes à Medico absoluantur, & in omnibus, vti dictum ex Galeno est, congrua membri figuratio obseruanda sit, si extensio fieri debet, omnino in media illa membri figura efficienda est, quæ ad articulos pertinet, & cubiti propria est, videlicet angularis. Itaq; si fiat extensio, omnino explenda est in angulari cubiti figura, aliter si extendamus, vt puta cum brachio toto erecto, musculi vel omnes erunt in opere tensi, vt in motu tonico, & ita extendi non poterit membrum, nisi summa cum difficultate, & maxima vi; vel saltem ex vna parte intensi erunt, & ita contranitentes erunt extensioni musculi, extensionem non nisi maximā, & cum maximo dolore expectatur. In quibus casibus Galenus scribit loco citato, primo de fracturis, comment. 1. aliquando diuulsos musculos exnimia extensione fuisse. Itaque seruandam esse mediam articulorum, & membri figuram, vt puta propriam cubiti angularem, manifestum est. Intelligatis vos non fracti ossis, sed musculorum, qui circa fractum os consistunt, & articuli, cui deseruiunt. Verbi gratia. Si humerus sit fractus, non prospicimus humeri musculos, & humeri articulum, sed cubiti musculos, qui in humero sunt, & eorundem articulum scilicet cubiti,

In carpo.

In genu.

In dorso.

Media figura qualis.

Differentia alterius figuræ à media.

Quomodo diferant & conueniant hæ duæ figuræ.

Galenus explicatus.

Extensio in humori fracturæ qualis esse debeat.

Media articulorum figura seruanda in fracto humano

quem

quem muſculi mouent: ſic in carpo, & cæteris dicendum. In quo caſu interea membri figuratio congrua, quæ ad muſculos pertinet, & vult muſculum ex vna parte integrum eſſe ſeruandum, ſtare poteſt. Nam ſi cubitus ſeruetur in media figura angulari angulo recto, vt decet, interea verò muſculus cubiti internus diſtorqueatur, manum retro reuoluendo, erit ſeruata media articuli figura, nequaquam autem membri figuratio congrua, quæ ad muſculos pertinet, quòd non ſeruetur ex vna parte integer muſculus, ſed diſtorqueatur. Propter hanc cauſam opinor diuerſam eſſe articulorum mediam in membris figuram, ab ea, quam muſculorum congruam figurationem cenſemus. Quod ſit verum, patet: quia ex figuratione muſculi non ſeruata, ſed diſtorto muſculo figurato, & curuato, ſequitur diſtorta membri figura, & fractura malè coaptata, cuius fiet operatio Chirurgica. In ſumma, eſſentia mediæ figuræ articulorum conſiſtit in medio puncto extremorũ motuum. At eſſentia congruæ figurationis membri & muſculorum conſiſtit in ſeruando muſculum ex vna membri parte integrũ, ita vt non diſtorqueatur. Reliqua, in quibus ambo conueniunt, duo priora conſequuntur, vt indolens eſſe, & ea, in qua cum ociamur ſingula membra continere conſueuimus. Et in qua muſculi nulli agunt, ſunt omnia conſequentia eſſentiam vtriuſque. Quæ tandem ſi non ſeruetur in quatuor operationibus à Galeno propoſitis, & ſimul ea, quæ ad articulos pertinet, omnino fiet, vt in extenſione dolor inſignis excitetur, & ex Galeno ſequantur diuulſiones muſculorũ, febres, conuulſiones, reſolutiones, ita vt minimum omnium ſit fracturam inconformatam remanſuram: priuatim autem ex non ſeruata debita membri figuratione reſultabit fractura malè coaptata, & diſtorta, cuius, vt dixi, operationem Chirurgicam in ſequentibus tractabimus: atque ex media figura articuli non ſeruata nihil tale ſequitur, quod ſignum eſt manifeſtiſſimum, omnino vnam ab altera diuerſam eſſe.

In quo a parent figurarum diuerſitas.

Confirmatio dictorũ.

Eſſentia vtriuſque figuræ in quo conſiſtat.

Incommoda non ſeruata debita figura.

SED modò tempus eſt, vt hæc tria, quæ in omnibus quatuor propoſitis operationibus obſeruanda eſſe ex Galeno diximus, videlicet inflammationem, mediam membri figuram, & congruam eiuſdem figurationem, in ſingulis exerceamus operationibus à Galeno propoſitis, quod nil aliud eſt, quam ſingulas, quæ ad fracturas pertinent, Chirurgicas operationes obire.

PRIMA Medici operatio in membro fracto curando extenſio eſt, quæ ſi proba fiat, ſine multo labore coaptatur fractura: ſi verò improba, hoc eſt, valentior, aut mitior, quàm par ſit, non ſuccedit fracturæ coaptatio. Nam ſub mitiori non extenditur pro neceſſitate membrum, vt & dirigatur, & eminentiæ in ſuas cauitates recondantur. Sub violenta verò, & valentiore, quàm par eſt, extenſione fruſtramur ſimiliter coaptatione, quia ex nimia diſtenſione & dolores, & inflammationes, & febres, & conuulſiones, reſolutioneſque accidunt, ex Galeno 2. de ijs, quæ fiunt in medicatrina, comment. 23. etiam teſtimonio. Eraſiſtrati: demum ex nimia extenſione factum aliquando eſt, vt diuulſi muſculi fuerint, inquit Galenus: propterea 3. de ijs, quæ fiunt in medicatrina, comm. 22. & 23. ſcribit, non eſſe in omnibus tracturis vnam, & eamdem extendendi rationem, ſed aliam, atque aliam: Etenim in quibuſdam mitior, in alijs valentior, in alijs mediocris fieri debet extenſio. Vt autem iuſta in ſingulis fiat extenſio, perpendenda in quaque eſt bona laborantis tolerantia, ex Rhaſi, ita vt vel ſine dolore fiat, vel cum pauciſſimo. Et quia omnis dolor prouenit à nimia muſculorum & partium ſentientium diſtenſione, quæ ſanè partes continui ſolutione aut vera, & ſenſibus obuia, aut vera ſimiliter ſed ratione contemplabili periclitantur, ideo hæc nimia muſculorum extenſio vitanda eſt: quod vtique faciemus, ſi primum ea figura membrum extendamus, in qua muſculi non agunt, ſed otioſi ſunt, & omnes laxati, videlicet ab omni opere quieſcentes. tunc enim extendi vtcumque non difficulter, & ſine dolore poſſunt, id quod ſuccedit ſub ea membri figura, in qua cum ociamur, ſingula membra ſine dolore diutiſſimè continere conſueuimus, atque, vt vno verbo dicam, ſi omnino membrum, & muſculos conſtituamus, & extendamus, tum in media figura ipſius articuli, quæ æqualiter diſtat ab extremis motibus, tum in debita muſculorum figuratione, quæ ſeruat ex vna parte integrum muſculum, ita vt non diſtorqueatur. Vt eſt (exempli gratia) in humero fracto cubiti figura angularis angulo ferè recto, muſculum ſeruans internum rectum, & integrum, in

Operatio prima extenſiua eſt. Qualis eſſe debeat extenſio.

Quid attendendum vt iuſtiſſima extenſio.

Iuſta extenſio qualis ſit.

Extenſio ſis humero fracto qualis requiratur.

qua

qua figura ſi extendatur humerus fractus, proba ſuccedet extenſio. Quod ſi aliter extẽdatur mẽbrum fractum, tantum abeſt vt proba, facilis, & ſine dolore, & inflammatione ſequatur extenſio, vt potius æger in periculum adducatur diuulſionis muſculorum, propter difficilem, laboriosam, & violentam diſtenſionem, continuique ſolutionem; ita vt horum omniũ minimum ſit conformationis fracturæ fruſtratio. Vt ſi, verbi gratia, in humero fracto fiat extenſio diſtento brachio toto, vt paſſim ab imperitis hominibus fit, iam muſculi cubiti vel erunt in opere omnes, vt in motu tonico, ſi conſultò fiat; vel exteriores contracti, interiores diſtenti, & ita extenſioni erunt rebelles, neque ſine inſigni dolore fieri extenſio poterit. Similiter euenet, ſi hac media cubiti articuli figura perſpecta, muſculi poſtmodum figura deſpiciatur, extenſio vtique proba non ſuccedet, quòd muſculi diſtorſio membrum extendi ſine multo dolore non permittet. Quod ſi permittat, ſuccedet omnino malè coaptata fractura, & diſtorta, quam corrigere alitet non eſt, niſi cum iterata oſſis fractione. Iraque multum intereſt, in extenſione molienda, primum mediam reſpicere articulorum figurã, & quoque muſculi congruam figurationem.

Alia requiſita in proba extenſione.

SED tamen proba extenſio adhuc requirit alias animaduerſiones, propter quas variat extenſio per maiorem, & minorem intenſionem: vt eſt fracturæ tempus, ætas patientis, oſſa fracta magna an parua ſint, & alia id generis. Nam recens fractura minorem exigit extenſionem, ſimiliter in corpore duro minorem tolerat extenſionem, ſed maiorem requirit, quam puerile, mulicbre, & omne molle, & humidum corpus. Lora enim quo molliora, & humidiora, eo promptiùs extenduntur, ait Galenus; ſimiliter oſſa fracta maiora maiorem deſiderant extenſionem, propter magnos muſculos robuſtè ſurſum trahentes: vt ſunt primùm femur, deinde brachium, & tibia, tum cubitus, poſtea quæ in ſumma manu, ſummoque pede ſunt. Præterea vbi vtraque oſſa fracta ſunt, vt cubitus, & radius, maiorem expoſtulant extenſionẽ, ait Galenus. Ex eo autem quòd alia oſſa mitiùs, alia valentiùs, alia mediocriter extendi poſtulant, priſci auctores plura excogitarunt inſtrumenta, quib. mitior, maiorque extenſio fiat. Vnde Galenus 6. Meth. cap. 5. in extenſione molienda interdum manibus ſolis, vt in mitiore; interdum funibus, habenis, & laqueis, vel linteis faſcijs, vt dicit Celſus, vt in valentiore; interdum inſtrumentis, & machinamentis, vt in vehementiſſima extenſione vtuntur. In recenti autem fractura, & paruo oſſe, ſolemus ferè vt plurimum ſemper manus ſolas adhibere, & membrum extendimus ſub & ſupra, dicebat Celſus lib. 8. capite 10. Intendere autem digitum, vel aliud quoque membrum, ſi adhuc tenerum eſt, etiam vnus homo poteſt, cum alteram partem dextra, alteram ſiniſtra prehendit; valentius membrum duobus agat, qui in diuerſa contendant, hoc eſt, cum miniſtris, manu ſupra membrum fractum, & in fracturam ſimiliter manibus ſurſum, deorſumque trahentes, vt dicit quoque Galenus 6. Meth. cap. 5. Quod ſi os magnum ſit, vt femur, tibia, non ſolis manibus, ſed manibus, habenis, & laqueis, & interdum inſtrumentis extendimus; quod eatenus facimus, vſquequo dirigantur, ac ponantur oſſa è regione inuicem, quod dignoſcemus ex membri directione facta, & ex æqualitate partis fractæ exterius vndique apparente, vltimo ex vacuitate, quæ perſentientur vndique in circuitu partis fractæ: quod indicat non ſe contingere mutuò fracta oſſa, & tempus iam eſſe fracturam coaptandi.

Muſculi qui valẽtiores.

Extenſio qualis conueniat recenti fractura.

Qualis oſſibus magnis Membri directi attendenda.

IGITVR vbi his conſideratis congrua facta ſit extenſio, ſeruata, vti dictum eſt, media articuli figura, verbi gratia, angulari in cubito, & ſeruata non minus figuratione muſculi, vt ex vna parte integer ſeruetur, tunc adhuc exactiùs conſideranda membri directio eſt, num ſcilicet aut retrorſum, antrorſum, dextrorſum, aut ſiniſtrorſum inclinet. Et ita ſi retrorſum, prorſum impellimus; ſi ad dextram inclinat, ad ſiniſtram ducimus, & in ſumma, quæ è directo exactè non iacent in directum examuſſim dirigimus. Quando igitur membrum directum eſt, & è regione fracta oſſa ſint poſita, & ſimul ſe non contingunt; quod euenit, vbi extenſio paulò longius quàm naturaliter eſſe debet, membrum diduxit: tunc ſecunda operatio coaptationis, ſeu conformationis expletur, quæ oſſis extantias in ſuas cauitates recondit; & proculdubio ſuccedet, ſi examuſſim cõgrua membri figuratio, quæ membrũ dirigit, & muſculum integrum ex vna parte ſeruat, obſeruetur. Nam facta muſculi diſtor-

Quomodo fiat bona conformatio.

ſtorſione, impoſſibile eſt oſſis fracti eminentias in ſuas cauitates intrare. Sunt verò intrudendæ eminentiæ in ſuas cauitates non cum impulſu, ne rumpantur, ſed potius ex ſeipſis manu & habena, aut laxata extenſione, quaſi ſua ſponte intrudantur, ac recondantur. Dignoſcemus autem fuiſſe eminentias in ſuas cauitates reconditas, ſi os vtcumque firmatum comperiatur; ſi præterea digitis exterius, qua fractura eſt, cutem tangendo, & pertractando totum æquabile perſentiatur ſpatium, & loci fracturæ circumpoſiti æquatio (ut iſti dicunt,) facta eſt.

Eminentia quomodo intrudenda.

Coaptatio facta vnde cognoſcatur.

FACTA oſſis fracti conformatione, deligatio ſequitur, quæ coaptatam fracturam conſeruat, & motum malum tenet, & faſciis complet. Hippocrates duabus potiſſimum vtitur faſcijs, quæ præ cæteris ad fracturam pertinent; tertiam quoque circumducit, quæ non ita proximè fracturam reſpicit. Dicamus primò de duobus prioribus, quæ quòd cæteris alijs ſubjiciantur, & ſubligentur, Subligamina ab Hippocrate appellantur. Primò enim Hippocrates primo de fracturis, primam faſciam circumuoluit ter ſupra fracturam, inde vult eſſe ſurſum ducendam, cum aliquibus circumuolutionibus in ſuperiori membri parte finiendam. Secundam faſciam duplo ferè longiorem circumducit Hippocrates contrario modo, vt quantum à prima faſcia versùs vnam partem muſculus diſtortus fortè ſit, à ſecunda dirigatur, & emendetur. Igitur primò circa fracturam ſemel, inde deorſum ipſam circumuoluit aliquibus circumuolutionibus, poſtmodum ſurſum de fractura reuerſa finit tandem paulò ſupra, vbi prior terminauit. Conſideretis mecum quæſo, quàm admirabilis ſit Hippocrates in deliganda fractura coaptata per has duas faſcias. Intentiones deligationis duæ tantum ſunt ex Hippocrate primo de fracturis, comment. 21. & ex Galeno 6. Meth. 5. nimirum fracturam coaptatam ſeruare firmam, & ſtabilem, ac totum membrum immobile, vt dicit Galenus; tum verò inflammationem arcere. Vtrumque autem & belliſſimè, & exquiſitiſſimè duabus præſtat faſcijs propoſitis. Nam ſi de fracturæ, & totius membri ſtabilitate loquamur, primò ad loci fracti ſtabilitatem ter circumducit ſupra fracturam primam faſciam, & ſecundam ſemel tantum: quoniam de fractura reuerti debebat, & ipſam iterum circũire. & ſufficiunt quinque conuolutiones ſupra fracturam; ne ſi plures eſſent, ea parte altiores, & eminentiores eſſent faſciæ, & in alijs magis depreſſæ. Poſtea ad tenendum reliquum membrum firmum & immotum, circumducit ambas faſcias ſurſum & deorſum per totam ferè membri longitudinem: plures autem circumuolutiones ſuperius datæ ſunt, inferius pauciores, quoniam ſupernè incipit membri, & muſculorum motus, vt in ſuo principio per plures circumuolutiones, & ſtricturas compreſſi muſculi omnis prohibeatur motus. Itaque ſi hac vna ratione duæ faſciæ parentur, videantur hac vna ratione datæ, vt firmetur fractura, & immotum membrum ſeruetur. At idem de alio ſcopo, qui eſt arcere inflammationem, eſſe dicendum & aſſeuerandum compertum mox erit. Prouenit inflammatio ex fluxione ſanguinem ad fractum os mittente. ergo inflammationem arcere nil aliud eſt, quam fluxionem abſcindere, & fluxum ſanguinem è parte fracta tollere. Subſcinditur fluxio vel reuellentibus, vel intercipientibus, vel repellentibus: videatis modò quã belliſſimè duplex faſcia propoſita omnes expleat ſcopos. Prima faſcia, quæ circa fracturam ter circumuoluitur, fluxum iam ad partem fractam humorem exprimit, & alio propellit; quatenus vero ſurſum fertur, ſimiliter ſurſum, vnde fluit, humorem repellit, neque modò repellit, ſed etiam veluti in itinere detinet, & ita intercipit, quo minus vlterius influat. Secunda verò faſcia ſemel circa fracturam conuoluta, fluxum ſanguinem à fractura ſimiliter exprimit, quæ quatenus inferius fertur, ſanguinem iam expreſſum longius à fractura adhuc deorſum propellit, vti ſurſum, ſimulque ſanguinem, qui influere infernè ſurſum poteſt, intercipiendo prohibet: quatenus verò ſuperius finẽ facit, vt prima faſcia, reſpicit omnino vnde. Profluit ſanguis, & fluxio irruit, ac mouetur. Etenim fluxio maior ad partem fractam irruit ſuperne, vbi maiora vaſa, & eorum radix, & fons ſanguinis eſt, quàm infernè, vbi minora; propterea Hippocrates adhuc præcipit, vt pluries ſecundæ faſciæ faſciarum circumuolutiones ſurſum inijciantur, quàm deorſum. Fluxio enim, vti dictum eſt, longè magis à ſuperiore parte finietur, quàm inferiore. Patet igitur quàm exactè duæ faſciæ duplicem abſoluant ſcopum, continendi ſcilicet fracturam coaptatam ſtabilem,

Deligatio.

Faſcia Hippocratis.

Prima.

Secunda.

Deligationis intẽtiones duæ.

Quomodo faſcia intẽtiones expleant.

Quomodo eadẽ faſcia inflammationem arceant.

Prima faſcia.

Secunda faſcia.

Proba figuratio vndique obseruanda.

& firmam, totumque membrum immotum, & arcendi inflammationem: quorum tamē nullum sequetur, nisi in deligatione media figura articulorum, & figuratio musculorū seruetur: vt si, verbi gratia, in deligando humero media figura spernatur articuli cubiti, ita vt humeri fracturam deligemus cum toto brachio, & cubiti articulo extento, dolebit paulò post patiens; quia in ea figura paruo temporis spatio membrum continere poterit, propterea quòd musculi omnes cubiti, qui in humero sunt, in opere sumpto, & fatigantur primò, inde dolebunt, & fluxionem, inflammationemque excitabunt. Quod si facta deligatione cum brachio extento, postea ipsum ad angulum rectum transferas, & ad mediam figuram, tunc nihil deligatio valebit, cum mutato situ fasciarum, quæ antea alicubi stringebant, fiunt laxiores, & contra. Nam circumuoluta fascia cum extento brachio, musculi operantes crassiores redditi, ac rigidiores, laxi postmodum fiunt, si membrum ad mediam figuram transferatur. Itidē ferè propemodum eueniet, si figuratio musculorum in deligatione non seruetur, sed distortè membrum, aut musculus deligetur: dolor enim insignis excitabitur.

Quæ vlterius in deligatione adhibeat Hippocrates.

SED adhuc vlterius procedamus. Hippocratis deligatio non completur duab. fascijs, sed post has, & supra has in magnis ossibus adhibet circa fracturam, & totum membrū, per eius scilicet longitudinem, lintea quædā multiplicata, non longa, at angustiora ad modū splenis animalium; vnde splenia à Galeno dicuntur, scilicet de ijs, quę fiunt in medicatrina: ab Hippocr. verò plagulæ appellantur, quasi parua fracturarum stragula; quarum Hippocrates neq. longitudinem, neq; latitudinem, neque multiplicitatē definit, propterea quòd hæc omnia variant pro magnitudine ossis fracti: femur enim fractum maxima in omnibus distensionibus desiderat, vt verbi gratia, lata trium digitorū latitudine, & magis, & multiplicia, & longiora: humerus verò, & tibia minores; radius, & cubitus adhuc minores; digiti verò propter eorum paruitatem nullas, sed fascia sufficit. Plagulas Hippocr. leuiter cerato oblinit, & ita circa fractum membrum ponit, vt vna alteri non superponatur; tum verò neque interuallum tum amplum sit, vt vna ab altera distet spatio effatu digno, sufficiet autem dimidius digitus transuersus. Ratio harum plagularum hæc est. Primò Hippocrates videns in magnis ossibus fractis duas iam circumuolutas fascias ad fracturam continendam debiliores esse, voluit eam fulcire, & impensius stabilire cum his plagulis, per membri lōgitudinem impositis. Imponit plagulas Hippocrates per membri longitudinem, quoniam membri fracti pondus, quod incuruare, & peruertere fracturā potest, à tota membri longitudine prouenit, idoq; membri longitudo sustinenda est, quòd faciunt plagulæ per membri longitudinem positæ. inde quas habet tertia fascia ex duplici initio data, & supra fracturam inchoata, & stabilis alligata. Quas sanè plagulas Hippocrates oblinit cerato, quod ex Galeno vicem exhibet glutinantis, & stabilientis, & prohibet fracturæ cōpressionem. Præterea ceratum inflammationem arcet, ex Galeno 6. Meth. cap. 5. quatenus dolorem inhibet; Ideoq; nos passim cerato rosaceo vtimur, quod magis inflāmationem arcet, quàm simplex. Deniq. Hippocrates leniter cerato inungit, ne cerati copia plagulæ molliores redditæ excurrāt, & minus stabilem fracturam detineant. Scire præterea licet, quòd huiusmodi plagulæ interdum cum cerato proposito apponantur, interdum ex vino nigro austero exprimātur; in imbecilli membro fracto ad maius robur, interdum eas ex vino, & oleo rosaceo simul mistis, vbi & roborare, & dolorē lenire oportet. Et si quādo dolor nullus vrget, sed omnino fracturæ stabilimēto opus est, ex vino, oleo, & oui albumine plagulas exprimere oportet, & interdū ex solo oui albumine, idq; facimus cum in altera deligatione ferulæ, seu hastellæ apponendæ sunt: quæ sanè plagulæ ex oui tantū albumine expressæ, aut ex vino primum, deinde ex oui albumine subacto, quassatoque solent duritiem, & rigiditatem cōtrahere, quæ tamen inferior est hastellarum, aut ferularum duritie, & congruæ sunt ad fracturā ferularum vsui disponendā. Notandum rursus ex Hippocrate, plagulas vsurpandas esse vsq; dum tempus inflammationis durat, postea verò Hippocrat. vt stabilimento fracturæ magis incumbat, ferulas plagulis non admodū dissimiles circumponit, quæ fiunt ex ferulæ caule; & sunt leues, rigidæ, & nō durę, ne premant, aut grauent, aut inflectantur. In ferulis autem eligendis consideranda est Hippocratis & priscorum solertia: fortè in mundo nō poterat Hippocrates eligere post plagulas meliora instrumenta ad stabiliendam fracturam, quam ferulas,

Quomodo plagulas adhibeat Hippocrates.

Cur Hippocrates adhibeat plagulas.

Cur plagulas cerato obliniat.

Quibus rebus plagulæ imbuantur

Tempus plagularum.

Ferularum electio.

quia

quia hęc inſtrumenta in primis futura erunt rigida, hoc eſt, inflexibilia, quia quæ flectũtur, idonea non ſunt, cum non teneant fracturam ſimul coaptatã, & directam. Vnde Hippocrates 3. de fracturis, & ferulis, membrũ fractum dirigentes ferulę rigidę futuræ ſunt, vt coaptatam fracturam teneant, & dirigant viam, quæ incuruant, & inflectunt. At ferè rigida omnia corpora ſunt tum ponderoſa, tum dura, quæ conditiones fracturã premunt, & offendũt. Inuenit igitur Hippocrates ferulas, quæ rigidæ ſunt, & inflexibiles, ex alia verò parte ſunt leues, & non duræ, ideoq. & tenent, & non premũt. Dixi autem ferulas inflexibiles eſſe, etiamſi madefiant, & hoc propter rigiditatem, & ſiccitatem corticis, maximè autem propter ſolidi-
tatẽ exterius. A quo incommodo non ſunt immunes noſtræ. Noſtri enim, cum ferulæ deſi-
tuamur, in eius locum quædã alia ſubſtituunt. Nonnulli enim id, quod vulgò dicitur, il car-
tone adhibent, quod eſt infirmiſſimum, & omnino damnandum, propterea quòd ſi ab oleo, aut vino, aut ſudore, aut alio liquore madeſcat, inflectitur, & non tenet. Alij tenues ligneas tabellas nudas vſurpãt, quas vulgari vocabulo haſtellas dicũr, le ſtocche, quæ quatenus rigidæ, tenent, ſed vt duræ, & nudæ, cõprimũt. Propterea melius faciunt, qui tabellas, ſeu haſtellas ſtupa inuoluunt, ſic enim & rigidæ permanẽt, & duricies cõprimens eis tollitur. Sunt qui ad hũc vſum laminas eas ligneas tenuiſſimas vſurpant, & ex quibus vaginæ enſiũ mueſtiuntur: ſed hæ flexibiles ſunt, & firmum membrũ non tenent. Similiter & in faſcijs varius vſus obſeruatur, qui etiam antiquo tẽpore erat. Nam Galen. 1. de fract. com. 21. dixit: Duo ſunt deligationis vſus vnus eſt, vt fractum os coaptatũ firmiter teneat; alter, vt lintea ſucco aliquo tincta, aut medicamentum impoſitum, aut quod inflãmationem ſedet, & vetet, ſupra affectas partes conſeruet. Similiter Celſus, vti mox patebit, lintea, & faſcias intingit in oleo & vino, propterea multi faſcias exprimunt ex vino nigro auſtero; nonnulli oleum roſacẽ quoq. admiſcent. Sunt tandem, qui cum dolor nullus adeſt, ad maiorem ſtabilitatem cũ vino, & oleo, oui albumen miſcent, & faſcias exprimunt: & ſunt modi non damnandi. Hic igitur eſt deligationis Hippocratis modus, certè eximius, & abſolutiſſimus. Propterea nunc reliqua, quæ de faſcijs ſuperſunt, dicenda ex Hippocrat. afferamus. Deligata hoc modo fractura, ſequitur vt videamus num probè ligata fuerit, an non: nam ſi laxior fiat non tenet; ſi ſtrictior, dolorem, & inflammationem mouet; propterea dicebat Galenus, dandam operam eſſe, vt vtriuſque vitato incommodo, vtroque fruamur cõmodo. Signa bonæ deligationis petuntur tum inter deligandũ, tum poſt factam deligationẽ. Interea, dũ deligatur patiens, ex ſentẽtia Rhaſis com. 14. eſt bona laborantis tolerantia. Dum enim æger ſe premi ſufficiẽter dicit, tũc nõ eſt amplius ſtringendũ: in quo caſu etiã peritus Medicus poteſt & ipſe iudicium ferre ex multis factis experimẽtis. Poſt factã verò deligationem Hippocrat. affert ſigna bonæ deligationis factæ, quorum alia ſtatim à deligatione facta petuntur, alia poſtea, hoc eſt, eodem, & ſequenti die. Igitur ægro deligato, ſi ſtatim eum rogaueris, nũ prematur, & reſponderit ſe premi quidem, ſed leniter, eoq. præſertim loco quo fractura eſt, ſignũ eſt, deligatum fuiſſe os fractum, & à fractura humorẽ expreſsũ fuiſſe. Quod ſi rurſus æger perſentiat ſe valẽtius ſtringi eadẽ die, ac nocte, poſtridie verò tumor in manu oriatur mollis, & cedens, & paruus, ſignũ eſt, bene deligatã fuiſſe fracturã. Etenim cùm nullus tumor appareat, ſignum eſt, non fuiſſe humores à fractura deorſum expreſſos, neque aſtrictum iuſtè fuiſſe: contra ſi tumor durus in manu apparuerit, indicio eſt, nimium fuiſſe aſtrictum, & inflãmationis indicium eſſe: & quòdcumq. horum contigerit, oportet fracturam reſoluere, & ite rũ deligare. Sed ſi probæ deligationis ſigna adfuerint, monet Hip. tertia die à deligatione facta, eſſe faſcias reſoluendas, & eodem modo rurſus deligandum, & ita perſiſtendum vſq; ad ſeptimum diem, aut ad ſummum 11. ex Celſo lib. 8. c. 10. quo tempore plagulæ inferulas permutãdæ. Cur verò Hip. poſt tres dies membrũ fractũ reſoluat, ea ratio eſt: Cauſę reſolutionis mẽbri duæ ſunt, prima faſciarũ laxatio, ſecunda pruritus: propter has duas cauſas cogimur rurſus fracturã deligare, alioqui nequaquã eſſet reſoluenda, quia intentio eſt ſeruare perpetuò membrũ immotum: quod ſi toto curationis tempore id fieri poſſet, id vtique eſſet optatiſſimum, & optimum: ſed vbi laxantur faſciæ, periculum eſt, ne fractura peruertatur, & diſſideat, propterea rurſus deligamus. Altera cauſa eſt, quia experientia comprobat,

Quid noſtri ferularũ loco vſurpet.

Faſciarum vſus.

Deligatio probaque.

Signa bona deligationis vade petantur.

Signa bona deligationis poſt factam deligationem.

Duæ cauſæ quæ cogunt ligaturam ſoluere.

membrum præter ſolitum coopertum, ligatumque detentum, ſæpe pturitu infeſtari, propter humores, & halituoſos tranſpiratus concluſos, & acriores redditos: qui propterea non ſolum pruritum, ſed etiam aliquando excoriationem faciunt, quæ eſt cauſa, vt æger membrũ mouere ſæpius cogatur, ideoque cogimur hac quoque de cauſa membrum religare. Tertia autem die deligat Hippocrates, quia prima die ſe ſtringi perſentit æger, & itidem ſecunda die, vſque dum incipiunt relaxari faſciæ, & ob id Hippocrates in tertia reſoluit, & iterum ligat, tum vt faſcias arctius ſtrĩgat, tum vt exitum præbeat humoribus ac vaporibus ſub cute contentis, qui, vt diffluentur, ſi pruritus infeſtet, vult Hippocrates aqua calida membrum eſſe perfundendum, vt pori aperiantur, diffluatur humor. Nos autem vtplurimum in reſoluendo membro ſolemus diutius rem protrahere, videlicet ad quartam, & multò ſæpius ad quintam diem, quo tempore neque pruritus infeſtat: quia primis diebus vtplurimum ferè pruritus non ſuperuenit, & faſciæ vſque ad quintam diem ſtrictæ permanent. Vtraque ratio proba eſt. Sed dicendum eſt, quod ſi faſciæ ſiccæ, vt Hippocrat. vult, circumducantur, eas in tertia die relaxariat ſi aut ex vino, aut ſucco granatorum, aut oui albumine exprimantur, vt paſſim nunc à Chirurgis fit, ſolere diutius ſtringere, & vſque ad quintam diem aſtrictas conſeruari. Vt autem hæc ſoluendi ratio primis diebus, vbi timor inflammationis magis vrget, ſeruanda eſt, ita in progreſſu, quo tempore ſtabilitati fracturæ incumbendum eſt, rarius ſoluitur membrum, videlicet ſexto, & ſeptimo quoque die; atque vt ſummatim dicam, vbi faſciæ laxatæ conſpiciuntur, idque tantiſper efficiendum eſt, donec ex toto curata, firmaque reddita fractura eſt, & callus vndique circum fracturam obductus: quod ſanè tempus idem omnibus non eſt. nã magna oſſa, vt femur, quadraginta dies deſiderant, humerus, & tibia triginta, radius, & cubitus viginti, oſſa digitorum quindecim. Quod tamen ſpatium adhuc certum non eſt, ſed variat tum per ætatem: nam citiùs coaleſcit fractura in iuuene, quàm in ſene, citiſſimè autem omnium in pueris, in quibus naturales operationes magis vigent. Rurſus variat per anni tempus; verno enim citius quàm æſtiuo, & æſtiuo quàm hiemali curatur. Item ratione habitus corporis; firmus enim citius, & facilius, infirmus contra tardius curatur; item citius vna, quàm duplex fractura; & quæ habuerit ægrotantem obſequentem, quàm ſecus. Sed age alium deligandi modum à Celſo propoſitum doceamus.

Cur tertia die ſoluẽda deligatio.

Quouſque continuanda deligatio.

CELSVS verò lib. 8. cap. 10. hanc Hippocrat. deligaturam docet, & clarius explicat, aliquid addit, & in aliquo variat. Inquit Celſus, eſſe injicienda lintea circum fracturam in vino, & oleo tincta. Ferè verò faſcijs ſex opus eſt, inquit Celſus. Sed tamẽ Celſus in primis verbis de quatuor tantum videtur facere mentionem: ſed, vt paulò poſt Celſus ſcribit, in prima medicatione quatuor faſcias proponit, in ſecunda quinque, in tertia ſex. Ratio huius eſt, quia ſicuti in primis diebus valet timor inflammationis, & intentio eiuſdem arcendæ, ſic in progreſſu, finito inflammationis timore, ad fracturæ ſtabilitatem conuertitur: igitur ad Celſi verba redeundum. Prima faſcia breuiſſima adhibenda, quæ circa fracturam ter voluta, ſurſum verſus feratur, & quaſi in coehlea ſerpat; ſatiſque eſt eam ter hoc quoq; modo circumire. Altera dimidio longior, eaq; parte os eminet ab ea, ſi totum æquale eſt, vndelibet ſuper fracturam debet incipere priori aduerſa, deorſumque tendere; atque iterum de fractura reuerſa in ſuperiore vltra priorem faſciam deſinere. Noteris, Celſum velle hãc ſecundam faſciam vltra priorem deſinere, quia ſecunda faſcia plures circumuolutiones priore efficere debet, ob cauſam vobis ſupra allatam. Sequitur Celſus: Super has injciendum latiore linteo ceratum eſt, quod eas contineat; ac ſi qua parte os eminet, triplex ei pannus objiciendus eodem vino & oleo madens. Noto hic, Celſum vnum dicere, quod etiã paulò ſupra dixerat, quod reuocat in mentem Hippocratis dictum, videlicet, obſeruandum eſſe, in qua figura æger Medico membrum fractum curandum exhibeat, vt puta ſi inclinet magis ad dextram, quam ad ſiniſtram partem, aut in pronum magis, quàm ſupinum, ita vt alicubi emineat os fractum. Nam ex praxi ſciatis, quòd vbi os frangitur, ſtatim membri directio peruertitur, & membrum fractum cadit, & quo membrum cecidit, aut inclinatum, diſtortumque eſt, ſemper fractum ad illum ſitum propenſionem habet; ideoque hãc propenſionem

Alius modus deligationis ex Celſo.

Ratio.

Prima faſcia vſus.

Secunda.

Obſeruatio digna in fractura.

ſionem reſpicit Hippocrates in omnibus operationibus,& in extenſione,& maxime in deligatione. Propterea ait Celſus: Ac ſi qua parte os eminet, triplex ei pannus obijciendus eodem vino,& oleo madens. Nos autem parua puluinaria,aut ex linteo,aut ex ſtupa vino nigro,aut etiã oui albumine expreſſa, & ſub faſcijs poſita, qua eminet os,ſtringimus,vt eminentia obtundatur,& in naturalem cauitatem ſenſim recurrat. Subiungit Celſus: Hæc tertia faſcia comprehendenda ſunt, quartaque,ſic vt ſemper inſequens priori aduerſa ſit (ſupple, ne trahatur, diſtorqueaturq; ad vnam partem muſculus) & tertia tantum in inferiore parte,tres in ſuperiore finiant: quia ſatius eſt ſæpius circumire,quàm aſtringi. nam vſq; dum durat inflammationis tempus, ſatius eſt fracturæ ſtabilitatem procurare cum multis circumuolutionibus,quàm cum multa aſtrictione faſciarum. probatiſſimum munimentum. Hæc eſt Celſi deligatura, in qua videtis eum ab Hippocrate differre,quia Hippocrat. tres, Celſus verò ſex faſcias obuoluit,quamuis prima vice quatuor adhibeat, in ſecunda,videlicet tertia die,quinque, in tertia ſex,ſcilicet quinta die, vt fractura in progreſſu magis ſtabiliatur. Rurſus Hippocrates plagulas accommodat,Celſus verò latius linteum,quod quartę faſciæ adiunctum plagulis Hippocratis ferè reſpondet. Hippocrates tantum plagulas cerato inungit,Celſus omnia in vino,& oleo tingit,quæ æquiualentia ſunt. Itaque parum adeò variant inter ſe Hippocrates & Celſus,vt vtraque opportuna cenſenda ſit deligatio. Probati enim auctores, vbi poſſunt, volunt aliquid de ſuo marte adiungere, vt ditior euadat profeſſio: quemadmodum facere quoque auſi ſunt recentiores, qui & ipſi in multis modis variarunt tum deligationes, tum medicamenta ad fracturas pertinentia, quos ſanè modos in præſentia recenſere operæ pretium duximus,quòd probabiles ſint,& vtiles, & meus etiam cum his connumeretur curandi modus.

Curatio Authoris in oſſe eminente.

Deligatura Celſi quomodo differat ab Hippocratis.

AVDIVISTIS igitur antiquos ad fracturas curandas pauciſſimis vſos fuiſſe medicamentis: Nam Hippocrates tantum cerato,& vino: Celſus verò tum cerato,tum oleo,& vino: at moderni præter hæc plura vſurparunt. Primò ſunt quidam, qui ab antiquis non recedentes,ſuper partem fractam nudam ante omnes faſcias ex latiore linteo ceratum roſatum imponunt,poſtea faſcias circumducunt. Secundò alij ſunt,qui circa fracturam linteum vino nigro auſtero,& oleo roſaceo tinctum extendunt. Tertio ſunt alij,qui ſimiliter nudę parti ante faſcias circa fracturam primò ceratum roſaceum ex latiore linteo, tum deinde linteum ex vino nigro auſtero,aut ſucco granatorum expreſſum circumuoluunt. Et alij ſunt qui pariter ſtupas pexas,& extenſas,& ex oui albumine ſubacto parumper expreſſas circa nudam partem fractam conuoluunt. Alij ſunt,qui nudę parti prius vnam,atque alteram faſciam obuoluunt, & ſupra eas ſtupas propoſitas circumducunt,quas ſimiliter faſciæ ex duplici initio aſtringunt. Et alijs adhuc,qui ſtupas propoſitas prius ex vino auſtero expreſſas, poſtea oui albumine oblinitas ſimiliter circumponunt. Vltimo alij ſunt,qui ſtupis pexis oui albumen,quod habet pulueres adſtringentes admiſtos, ſcilicet ex paribus portionib. boli Armeni,ſanguinis draconis,myrtillorum, balauſtiorum, ad mellis craſſitudinem redactis, imponunt Et alij tandem,qui prius ſtupas ex vino nigro expreſſas,propoſito oui albumine puluerib. admiſtis admouent. Tot ferè ſunt modi imponendorum medicamentorum à recentioribus vſurpati,quos vſurpant vſque dum timor inflammationis durat,& fractura iam ſtabilis eſſe incipit,poſtea admouent,ſi æſtas ſit, diapalma emplaſtrum, ſi hiems barbarum, quæ aſtringentia ſunt, & fracturæ ſtabiliendæ, & firmandæ ſunt opportuniſſima medicamenta. Alij paſſim vtuntur emplaſtro oxycroceo appellato,quod in maximo frigore vſurpari poteſt: quibus etiam fractura,ceratis ſolis vtuntur ſine faſcijs per multos dies.

Recentiorũ inuẽta quædam in curatione fracturæ.

Primus modus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Sextus.

Septimus.

Octauus.

Vltimus.

QVOD verò ad faſcias pertinet,ſunt qui faſcias ab Hippocr. propoſitas vſurpant. Alij, qui omnes faſcias, vt puta duas,aut tres, omnes (inquam) ex duplici initio circumuoluũt. Alij,qui vnam,atque alteram faſciam ex Hippocrate injiciunt, tertiam, & quartam ex duplici initio circumducunt. Nos autem,qui ſcimus omnes propoſitos modos vtiles eſſe,& ad fracturas curandas idoneos,omnibus vſi fuimus: at non promiſcuè, ſed cum delectu & præmiſſis congruis indicationibus,quæ ſunt ſtabiliendi. firmandique fracturam,& arcendi inflammationem: tum verò oſſibus fractis perpenſis,& ſenſu partis,& magnitudine fracturæ,

Quibus faſcijs neceſſarijs vtendum.

& cor-

Quomodo Author parua fractura deliget.

& corpore ægrotantis,& anni tempore,medicamenta propoſita vtiliter,ac felici cum ſucceſſu vſurpauimus. Nam ſi fractura parua ſit, & dolens, & corpus, ac membrum fractum imbecille,& puerile,& æſtas ſit, primum medicamentum,videlicet ceratum roſatum,ex latiore linteo vtiliter imponitur: in quo caſu,& feeundum quoque medicamentum, vt puta linteum vino, & oleo roſaceo tinctum feliciter vſurpatur; in quo caſu ſi fractum in iuuene ſit, vtrumque medicamentum,videlicet tertium ex latiore linteo ceratum,& aliud latius linteũ,vino,& oleo expreſſum circumponitur. Vbi verò dolor nullus adſit,& parua ſit fractura,& in paruo oſſe facta, vt puta indigito,& debilis pars, ſufficit linteum ex vino nigro expreſſum,ſi hiems ſit; ſi vero æſtas, ex vino granatorum ſimiliter expreſſum circumponere, & faſcia alligare.

Quomodo deliganda maior fractura.

IN fractura verò maiore,& in maiori oſſe facta,cui dolor non ſit ad iunctus,vt eſt cubitus,vtiliter ſtupæ pexæ cum oui albumine imponuntur, videlicet,quartum medicamentũ. Quas ſanè ſtupas, ſi corpus debile ſit,& brachium non admodum firmum,prius ex vino expreſſas, poſtea oui albumine oblinitas vſurpamus; quod quintum eſt medicamentum ſupra poſitum.

Curatio in fractura cũ dolore.

QVOD ſi fractura magna ſit, & in magno oſſe, dolorq; vrgeat,tum ratione doloris ceratum roſatum exlatiore linteo prius nudæ parti imponendum, inde aliud latius linteum in vino,& oleo roſaceo tinctum inuoluendum,poſtea faſciæ circumducendæ,vltimò,ſtupę cum oui albumine,& pulueribus fulciendæ, deſuperq; ligandæ ſunt; hoc enim modo pugnantibus indicationibus ſubuenitur: etenim, dolor ſtricturam reſpuit,& lenientia poſtulat:ex alia verò parte magna fractura,& in magno oſſe facta,validiorem ſtricturam deſiderat;meritò igitur prius lenientia,inde ſtabilientia fracturam vſurpantur.

Cirurgia in oſſis magni fractura.

VLTIMO ſi fractura in magno ſit oſſe,vt puta in femore,tibia,aut humero; & magna, aut duplex ſit,& ſine dolore,tunc vſurpandæ ſunt ſtupæ prius ex vino expreſſæ,deinde deſuper impoſito oui albumine cum pulueribus conſtrictionis vulgo dictis. Quod ſi ſub prima medicatione à pulueribus,& ſtupis pruritus excitetur,quod corpus ſero ſalſo,aut acrioribus ſcateat humoribus,& fractura in magno oſſe ſit, ſtabilimentoque indigeat, ſupra faſcias priore loco poſitas,ſtupę,& pulueres circumponuntur,& faſcia ſuper ligantur,& multa aqua calida in quaque fracturæ ſolutione membrum perfunditur ad pruritum ſedandũ, ex Hippocrate & Celſo.In ſumma, vbi indicatio ſtabiliendi fracturam pręualet,& dolor,

Quibus ſtabiliatur fractura medicamentis.

& inflammationis timor eam non retundit,neque refragatur,aut contraindicat,& vino vtimur,& oui albumine,& pulueribus tandem aſtringentibus,quæ tamen non ſolum fracturã ſtabiliunt, ſed etiam ſua aſtrictione procul humores repellunt, & inflammationem prohibent,& arcent.At vbi dolor vrget,ceratum,& oleum roſaceum magis vſurpamus,& quoq; vinum,quod ad vtrumque explendum ſcopum commodum eſt.

Faſcia quæ les adhibẽda.

QVOD verò ad faſcias attinet,vbi ſtupæ admouentur, faſciæ ex duplici initio circũdatæ magis idoneæ ſunt, duplici nomine, tum quia magis ſtringunt,& continent,& propter ſtupas ſuppoſitas,quæ exſiccantur, valentius ſtringitur fractura; tum quia æqualiter ſtringunt faſciæ,neque ad vnam partem trahitur membrum,& muſculus non diſtorquetur,vt in faſcia ex vnico initio circumdata. Sed ſi ſtupæ non vſurpentur, aliæ faſciæ ex vnico initio conuolutæ cum propoſitis vtiliter vſurpantur. Atque hæc ſint dicta de medicamentis, faſciisque, ac linteis circa fracturam admouendis,& de tertia fracturæ operatione.

Depoſitio.

QVARTA operatio, quæ in fracturis curandis competit, eſt depoſitio, ſeu collatio, ſeu ſitus membri fracti, quam Hippocrates tribus verbis comprehendit,dum 3. de ijs, quæ fiunt in medicatrina, tex. 17.dixit: Poſitio mollis,æqualis,& ſurſum verſa,in extantib.corporis partibus optima eſt,cuiuſmodi ſunt caput,brachia,& crura.Mollis,vt Galenus in cõmento,ne partem fractam ea parte comprimat,ita vt & inflammatione ob dolorem periclietur,& dum poſitionem æger immutare cogitur, fracturam deſtorqueat, quæ immobilis multa cum quiete ſeruanda eſt. Debet deinde eſſe æqualis, quia inæqualis poſitio ſimul & dolorem affert,& membrum diſtorquet,cum aliquibus in partibus ſine ſtabilimento remaneat,in aliquibus comprimatur;vnde meritò æqualem laudat Hippocrates. Tertiò ſurſum

Collocatio fracturæ qualis eſſe debeat.

Cur mollis.

Cur æqualis.

verſa

vesa esse debet pars fracta, ac totum membrum: quia sic pars fracta absque fluxione cõseruatur, sicuti quæ deorsum est versa, cum fluxiones prouocet propter humores suopte pondere deorsum decumbentes, inflammationis est causa. Meritò itaque positio membri fracti mollis, æqualis, & sursum vasa futura est. Sed non est hoc nosse satis, at ante omnia meminisse oportet eorum, quæ supra diximus, videlicet in omnibus operationibus mediam articulorum figuram, & congruam musculorum figurationem esse obseruandam; quæ est, vt in ea figura collocetur fractura, & membrum fractum, in qua ptius extensa, coaptata, & deligata fuerat. Vt in humero fracto in figura cubiti angulari angulo recto. Proptetea boni Chirurgi nostrum temporum, vt id probè exsequantur, solent parare loculos, seu capsulas ex tabulis, vt in cubito angulares, vt positio seruet mediam articuli figuram, & congruam musculorum figurationem. Atque ita per totum curationis tempus membrum immotum seruant: quæ positio vt mollis sit, multa stupa in omnibus internis partibus suffulciunt. Sunt aliqui, qui non ligneam capsulam, sed veluti canalem efformant, ex charta illa crassissima, cartone vulgò appellata, in quod membrum deponunt: qui deponendi modus improbatur, quia inflectitur, & vicissim membrum fractum inflectit, vti supra dictum est. Igitur lignea capsula construenda. At in minoribus ossibus fractis, vt in vlnæ fractura, deligato membro per totam cubiti longitudinem, tabellam longam, & rectam multa stupa, aut gossipio suffultam supponunt, eamdem cum fracto membro tribus locis alligantes. Similiter in fracto digito efficitur: quæ capsula, & suppositæ tabellæ alioqui sunt necessariæ propter motus, quos incautè obimus, & in desidendo necessarii sunt, & in somno sine voluntate fiunt. Et de fracturæ transuersæ recentis, & sine vulnere curatione hactenus, in qua si diutius, quam par erat, fuimus immorati, consulto factum est, vt scilicet nosceretis, an hæc professio, & materia baiulorum, rusticorum, & muliercularum, qui passim hanc professionem impudeter exercent, propria, ac digna esse videatur. Nunc de fractura per longitudinem facta, & de fractura cum vulnere loquemur.

Cur sursum versa.

Quomodo membrum immotũ seruandum.

Cur capsulæ adhibeãtur.

QVOD si fractura per longitudinem ossis facta sit, dicit Galenus, duo priuatim indicare; prædicta ossa fracta quæ recesserunt, esse introrsum retrudenda, vt scilicet partes fractæ coaptentur, & in suum locum recondantur; deinde vt ita coaptata, & commissa seruentur. Pro primo explendo scopo, tum extensio necessaria est, tum media articuli figura, & similiter congrua musculorum figuratio, quæ musculum integrum ex vna parte seruat, neque ipsum distorquet. Pro secundo verò scopo, qui conseruat partem iam coaptatam, deligatione succurritur, quæ in huiusmodi fractura, vt monet Galenus, est magis cõprimenda, quàm in transuersa fractura factum est, quòd ossa per latitudinem recessere, & ab inuicem magis sunt diducta, vt meritò compressione indigeant valentiore, quò ad contractum, & actum simul veniant. In reliquis autem ea omnia sunt agenda, quæ dicta in transuersa fractura sunt.

Chirurgia fractura ossis per longitudinem.

SOLET non rarò os frangi, & fractura vulneri coniungitur, & fit fractura cum vulnere: quæ quomodo curanda sit, exactè docet Hippocrates 3. de fracturis, tex. 2. Sed prius recensendæ quot species fracturarum cum vulnere sint. Alia est, in qua os denudatum non est: Alia, in qua est denudatum. Rursus alia, in qua os aliquod, aut ossis frustulum abscessurum expectamus. Quæ cum variæ sint, variam expostulant curationem. Agemus primò de simpliciori, in qua neque os nudatum est, neque aliquod ossis frustulum abscessurum opinamur.

Fractura cũ vulnere.

Species fracturæ cum vulnere.

HIPPOCRATES loco citato ponit quinque modos curandi eiusmodi fracturam: quorum quatuor erant peculiares aliorum Chirurgorum, quintus verò suus est. Nonnulli erant, qui censebant, inter initia vulneris tantum esse rationem habendam per sua congrua medicamenta; deinde eo ad sanitatem spectante, volunt tunc fracturæ incumbendum esse per deligationem, ferulas, & alia; atque ita inter initia medentur perinde, ac si solum vulnus haberent. Quem curandi modũ Hippocrates partim laudat, partim damnat: laudat quidem in eo, quòd vulneri non malè prouideat; sed error in eo consistit, quia fracturam inter initia negligit: ex quo errore accidit primo, quia ossa nõ similiter coaptãtur pluribus dieb. trãsactis,

Curatio fractura cum vulnere osse non denudato.

Primus modus.

Eius incommodum.

ctis, veluti à principio essent coaptata. Deinde inquit Hippocrates, tumidiora ossa euadunt propter affluxum humorum, vnde segniora postea redduntur ad coaptationem: ex quo eliciatis mentem Hippocratis esse, inter initia vtriq; esse attendendum, videlicet tam vulneri, quam fracturæ.

Secundus modus. ALII sunt (inquit Hippocrates) qui huiusmodi fracturas linteis statim curant, atq; hinc & inde linteis, hoc est, facijs conuoluentes, qua vulnus est intermittunt, & nudum esse vulnus patiuntur, deinde supra vulnus aliquod ex detergentibus saniem imponunt, & plagulis vino imbutis, & lana succida medentur. Quem curandi modum multum damnat Hippocrates, tum quia ignorant fasciarum vsum, & vbi comprimendū est, & fascia ordienda, tum quia multa symptomata consequuntur hunc paruum curandi modum. Primò enim tumor accedit: quod probat Hippocrates ex parte sana, quę si hoc modo hinc inde deligetur, procul dubio in medio intumescet, ergo multò magis ægra, & vulnerata pars, quòd humores ad vulnus trudantur, impinganturq; à deligatura hinc inde facta, & tumor oborus erit inflammatorius: ideoq; Hippocrates ponit consequenter omnia inflammationis accidentia, quæ sunt mutatio coloris in vulnere, labiorum inuersio propter vehementiam inflammationis. Item lacrymat vulnus perinde ac oculus in Ophthalmia: item nō suppurat, quia nulla concoctio in vulnere visitur; item contingit ossa abscedere, quæ alioqui non erant abscessura, ait Galenus, quia noxam contrahant ex incoctorum humorum affluentia, & mora. Vltimò vulnus pulsu afflligetur, & febrile, siue igneum efficietur propter vehementiam inflammationis. Quæ omnia cum vident, tunc fascias resoluunt, & cataplasma vulneri superponunt, quod nil aliud est, quàm inutile pondus addere ipsi vulneri. Ex his eliciatis mentem Hippocratis esse, vt non relinquatur vulnus nudum, sed vbique supra ipsum fasciæ circumuoluantur. Eliciatis etiam, quanto in errore versentur Auerroes 7. Quodlibet cap. 36. & Albucasis, scribentes, in fracturis cum vulnere oportere vulnus relinqui nudum, & apertum. Quod ego apud imperitos non semel, sed iterum, ac sæpius factum vidi.

Eius incommoda. *Inflammationis accidentia.*

Tertius modus. TERTIVS curandi modus à quibusdā vsurpatus, videtur esse communis tum fracturis cum vulnere, tùm sine vulnere. Volebant igitur nonnulli membrum fractum non esse primis diebus extendendum, neque coaptandum, sed potius mitigandum oleo, lanis succidis, & alijs id genus; & vbi per duos, aut tres dies mitigauerint, tum demum tertio, aut quarto die ad extensionem deueniunt. Quem modum Hippocrates damnat, & ostendit, id, quod maximè huic est contrarium, conuenire, vt scilicet in principio membrum extendatur, & coaptetur, tertio verò, & quarto die, quo tempore viget inflammatio, & pars exagitanda non est, quietè degat. Ex quo eliciatis Hippocrat. mentem, in primis diebus esse membrum fractum extendendum, postea si ob inflammationem, & dolorem opus erit, esse blanda, & mitigantia vsurpanda.

Eius incommoda.

Quartus modus. QVARTVS modus est eorum, qui volunt fracturam esse curandam lanis succidis, oleis, & mitigatorijs, blandisq; medicamentis, quousque septima dies sit præterita, & post septimam, membrum extendunt, dirigunt, fracturam coaptant, & deligant. Qui modus non ita ab Hippocr. damnatur veluti prædictus. Ratio est: quia hi sinunt præterire tempus inflammationis. Sed tamen bonus non est, quia interea repletur fractura humoribus, quæ & probam tum extensionem, tum coaptationem impediunt. Quod si fractura magna sit, periculum imminet ne os sideretur; vt interim omittam, quod in longius tempus omnino protrahitur curatio. Ex quibus eliciatis mentem Hippocratis esse, à principio esse fracturam coaptandam. Itaque Hippocratis sententia est, vt in fractura cum vulnere inter initia sit tum fracturæ, tum vulneri incumbendū; & nequaquam nudum vulnus esse relinquendum, sed fascijs obuoluendum ferè perinde ac si simplex esset fractura: id quod Hippocrates quoq. affirmauit 3. de fracturis, tex. 2. & clarius adhuc tex. 8.

Eius incommoda.

Locus Galeni precurrendo tum vulneri, tū fractura. SED nos ex Galeno quoque in libro de Arte medicinali cap. 91. fundamēta depromamus, quomodo tum vulneri, tum fracturæ sit attendendū, & à quo ordienda curatio sit; inde verò quomodo vicissim intentiones vtriusq; sint explendæ. Inquit Galenus, quod si os frangatur, & vnà cum ossis fractura etiā musculi, & corpora adiacentia vulnerata, aut pas-

ſa ſint, tunc curationis intentio oritur duplex, quarum altera quidem circa oſſa fracta, altera verò circa corpora adiacentia vulnerata verſatur. Vtriq. ergo ſimul proſpiciendum eſt, & vulneris & fracturæ. Indicationes, ſeu operationes, quæ exercentur in curatione fracturarũ, ſunt quatuor, vt ſcitis ex primo de fracturis, comm. 1. extenſio, coaptatio, deligatio, depoſitio: vulneris vero intentiones ſimiliter quatuor ſunt, ex Galeno lib. de arte med. c. 1. labia vulneris ad mutuũ contactũ adducere, & ſimul adducta conſeruare, tũ verò præcauere ne quid labris vulneris intercidat, & quarto vulneratæ partis ſaluti conſulere. Quæ omnes intentiones explendæ ſunt, ita vt ab ea ſemper exordiamur incipiendo, cuius curatio alteram præcedit. Præcedunt autem duo primi ſcopi, qui ad fracturas pertinent: Nam ſi prius vulnus curandum ſuſciperemus, fracturã poſtea curare non ita facile poſſemus, cum ſæpenumero nobis neceſſe ſit ad coaptanda fracturæ labia intra vulnus digitos immittere: quod ego niſi aliquando feciſſem, iuuenis, qui nunc ambulat, ambulare non poſſet. Nã cum aliquando ad nobilem puerum eſſem aduocatus, cui ex caſu magni ſaxi ſupra tibiam fractura inſignis, & multiplex facta in oſſe vtroq; eſſet, eaq; cum maximo vulnere, quaſi per totius tibiæ longitudinẽ illato, è quo fracturæ oſſium fruſtula interim deſiderent; dum ego digitis immiſſis fracturam tangens oſſis tibiæ latitudinem non inuenirem, ſolum alterius oſſis repertum acumen cum altero aduerſo ſimiliter acuto adiunxi (nam alia oſſa, quę in terram deciderãt, à rure poſtridie delata ſunt) & ita per acutiem oſſa coniuncta tam fæliciter, & exactè mutuò agglutinata ſunt, vt in præſentia ita ambuler, ac ſi nil prorſus paſſus eſſet. Quod ſi ego antequam vulnus longiſſimum conſuerem, digito fracturam non exploraſſem, puer procul dubio non fuiſſet curatus. Igitur in fractura cum vulnere primum extenſio facienda eſt, inde fracturæ coaptatio; quia facta iam vulneris ſeſe offerunt intentiones explendæ, videlicet ad ducendi labia ad mutuum contactum, & adducta conſeruandi; qui duo ſcopi per futuras, ac fibulas explentur. dum verò aut futura, aut fibulæ imponuntur, etiã tertiæ vlneris intentioni ſatisfacimus, dum ſcilicet præcauemus, ne quid labris vulneris intercidat. Quin quartã quoque vulneris indicationem abſoluimus, quæ eſt partis vulneratæ ſubſtantiam ſalubrem cõſeruare, quod facimus glutinante aliquo medicamento, nimirum aſtringente ſupra futuras impoſito, vt eſt diapalma, hyeme, aut ex Hippocrate ceratũ picatum æſtate, 3. de fract. tex. 8. Vbi verò omnibus vulneris intentionibus iugiter ſatisfactum eſt, ad tertium fracturarum ſcopum rurſus conuertimur, quem per deligaturam abſoluimus, duplicem faſciam, inde pla gulas, vltimò tertiam faſciam circumducentes. Denique membrum collocamus in poſitione molli, æquali, & ſurſum verſa. Atque ſic congrua fracturæ cum vulnere curatio expletur. In qua tamen reticendæ non ſunt nonnullæ animaduerſiones; queque modo a fracturis ſine vulnere variantes, quarum bona pars ab Hipp. recenſetur 3. de fracturis.

Indicationes fracturarum.
Indicationis vulneris.
Quid in hac cura præcedat.
Hiſtoria.
Vulneris indicationes quarationes explendæ.
Deligatio.
Poſitio.
Animaduerſiones in Chirurgia hac obſeruandæ.

PRIMO, extenſio hic aliquanto debilior efficienda, quàm ſi fractura ſine vulnere eſſet, ne fortè cutis, & vulnerati muſculi vehementius tracti diſrumpantur. Quæ extenſio primis duobus diebus efficienda eſt ex Hippocrate, nimirum antequam humor ad partem tractam influat. Vulnus verò altis futuris conſuendum eſt, vt vulneratæ partes, quæ vt plurimum laceræ ſunt, & attritæ, mutuò adducantur, & adductæ conſeruentur. Quia verò in hac fractura magnum habent monumentum deligatura, & faſciæ, propterea Hippocrat. multa obſeruatu neceſſaria de his ponit. Primoq; vult lintea, & faſcias in hac fractura cum vulnere latiora futura eſſe, quam ſi vulnus non eſſet, vt ſcilicet vtrinque linteum labia vulneris ſuperexcedat: Nam hoc modo benè labia comprehendit, neque ea comprimit. Secundò monet, paulò minus eſſe faſcias comprimendas; quam ſi vulnus non eſſet, ne dolor labijs vulneris accedat. Tertiò lintea vult eſſe molliora, quàm ſi vulnus non adeſſet, propter eandem rationem, ne labia comprimantur, & irritentur. Quarto loco monet Hippocrat. lintea non quidem pauciora hoc loco, quam in fractura ſine vulnere, ſed potius plura circumduci debere, vt ſcilicet faſciæ magis affultæ ſint, quam compreſſæ; ſatius eſt enim, dicebat Celſus, ſæpius circuire, quàm aſtringi. Quinto monet Hippocrates, tertia die partem affectam ſoluendam eſſe, & rurſus deligandam, ita vt deligatio minus aliquanto comprimat. Subiungitque, quod ſi quis hac curãdi ratione vtatur, probè omnia ſuccedente, & neq; vulnus inflãmatione tẽtabitur, neq. tumore, ſed ſemper gracilius reddetur, & purius. Sexto monet Hip. in fractura cum vulnere vel ferulas non eſſe apponendas, vel tardius; & propterea non eſſe

Forma.
Animaduerſiones circa deligaturam.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
Sexta.

apponendas ſupra vulnus, ne illud conprimant: propterea laudat potius multiplicationem faſciarum, quam ferulas, vt ſcilicet pars magis fulciatur, quam ſtringatur, & comprimatur, Quæ omnia facit propter vulnus, ne ſcilicet comprimatur, ni phlegmone tentetur. Et hæc de fractura cum vulnere ex Hipp. dicta ſint. Curanda modò ea fracturæ ſpecies, in qua os, ſeu oſſis fruſtulum abſceſſurum expectamus. Abſcedere autem os, ſiue recedere, intelligimus, quando os, vel oſſis fragmentum à reliquo oſſe ſeparatur, & foras à natura truditur. Poſſunt autem oſſa, vel oſſis fruſtula recedere a reliquo oſſe ex Hipp. 3. de fract tex. 45. duobus modis: Vno, cum ex veteri vulnere oſſa emarcuerunt, aut arefacta ſunt, & marcida effecta. tunc enim a natura, & expultrice oſſis facultate ſeparatur os marcidum ab integro, & hæc ſeparatio deſquammatio, ſiue oſſa deſquammari dicitur ab Hipp. quod facit natura generando carnem in medio loco, nimirum inter os integrum, & vitiatum, vbi poroſum os eſt, quia crudum arefacit, & attollit, ac quaſi ſubſultat, ſeparat os ab oſſe, & ita ſquamma recedit. Qui modus poteſt contingere etiam ſine præcedente oſſis fractura, vt in fiſtulis, & vlceribus diuturnis, propter oſſis ſaniem diutius in oſſe immorantem, & os corrumpentem: vnde Hippocrates in Apphor. Vlcera quæcumque annua, aut etiam diuturniora fiunt, neceſſe eſt os emitti, & cicatrices cauas fieri. Contingit quoque alio modo oſſa recedere in fractura oſſis, quando ſcilicet oſſis fragmentum vel ex toto à reliquo oſſa ſeparatum eſt, vel ita concuſſum, vt vacillet. Ideoque cauſæ, cur in fracturis oſſa abſcedant, prima, ac communis eſt, quia detineri à natura non poſſunt, ac regi. Non reguntur autem, vel quia ſint ex tota à reliquo oſſe ſeparata, & in alienum locum truſa: vel quia eorum ſubſtantia a ſanie corrodente corrumpitur; vel tertiò, nudata, & ab aere externo contacta, eorum temperamentum alteratur, & vitiatur, & ita totum, quod eſt labefactatum a natura, ſeparatur, & expellitur à reliquo oſſe. Nam ſciatis, quod oſſa nudata, ſi notabili ſpatio aeri exponãtur, corrumpi plus minus ſolent: quia aer externus longè frigidior eſt temperamento oſſis, Nam ſi, vt dicebat Galenus, cerebrum ab aere offenditur, quod eſt calidius quocumque aere æſtiuo, multo magis oſſa offendentur, cum ſint omnium partium frigidiſſima.

Curatio alterius ſpeciei fractu re.

Duobus modis os abſcedit.

Alter modus.

Cauſa ſeparationis oſſis.

Oſſa nudata ab aere corrumpuntur.

COGNOSCETIS autem oſſis fragmenta receſſura eſſe, primò, ex Hipp. & Celſo, ſi ſanies multa, & tenuis ex vulnere emittatur, quæ vulneris materiei non reſpondeat. Secundò, cum vulnus glifcere videtur, ait Hipp. hoc eſt, ad excretionem feſtinare, atque incitari; quod accidit, cum labia vulneris diſſita diutius permanent, neque in congruo tempore coeunt, ſed potius inuertuntur, & æger latentem, & quietam quamdam motionem in vulnere, & fractura perſentit, ait Galenus. Tertiò ex Hipp. 3. de fract. tex. 44. oſſa receſſura expectamus, cum coaptatione fruſtrata ſunt. Quartò, receſſurum os cognoſcimus, cum nudatum eſt: & hoc propter duas cauſas. Nam quando os nudatum eſt à ſuo perioſtio, vel non nutritur propter venas ablatas, vel ab aere tangitur, vtrumque os abſcedere facit. Vltimum ſignum oſſis receſſuri à Paul. traditum lib. 6. c. 107. quia caro in vlcere vacua, inaniſque facta, & laxa, hebeſque attollitur, quomodo vtplurimum oſſa deſquamantur, propter carnem genitam ſanum os, & vitiatum, quæ ſuccreſcit, & ſubſultat, & os abſcedere facit, vti ſupra dictum. In hac curanda fractura ante omnia perpendenda eſt varietas, ſeu ſtratus receſſuri oſſis. Nam vel os receſſurum perſentitur ex toto ſeparatum à reliquo oſſe, ſed tamen intra vulnus incidit, & pungit, tumque ex Celſo lib. 8. cap. 5. volſella eſt apprehendendum, & extrahendum. Vel ſecundò oſſis fruſtulum receſſurum, eſt quidem à reliquo oſſe prima facie diuiſum, reſolutumque, ſed tamen adhuc cum ipſo oſſe in ſuo loco continetur. In quo caſu ſciendum eſt, tale os nullo modo cum reliquo oſſe glutinari poſſe, quòd vndique ſit reſolutum; & propterea monet Hipp. 3. de fract. tex. 46. tentandum eſſe os volſella apprehendere, & extrahere. Quod ſi id fieri ſine violentia non poſſit, monet Auicenna, naturæ eſſe negotium relinquendum. Nam ſi vi extraheretur, periculum imminet de fiſtuloſo vlcere, & ne ex dolore febris, conuulſio, & delirium, & id genus ſuperueniat. Quod ſi tertiò oſſis fruſtulum receſſurum a nobis non percipiatur aliquo modo ſeparatum, ſeu tamen ex ſuis ſignis receſſurum indicetur, tunc multò magis negotium naturæ relinquẽdum eſt, ipſa tamẽ medicamentis iuuãda eſt. His igitur hoc modo exploratis, in oſſib. quæ receſſura ſunt, & extrahi volſella nõ poſſunt, monet Hip. 3. de frac. tex. 20. & 21. ãte oĩa perpẽdẽdũ, nũ os receſſurũ paruũ, an magnũ ſit. etenim diuerſimodè curatur. & dignoſcemus ex ſignis ſẽſorib. re-

Os receſſurũ quomodo cognoſcatur.

Primum ſignum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Quid in hac Chirurgia maximè obſeruãdum.

Si os nõ percipiatur, quid agendum.

miſſio-

missionibusque: etenim quia diuersimodè curatur, & cum communis in his casibus indicatio sit, vt quàm citissimè os recedat, quo fractura citius curetur, ne propter nimiam moram fortè incurabilis euadat, propterea Hipp. 3. de fracturis, tex. 20. breui oratione præmittit curam primò ossis parui recessuri, hoc modo: Quæcumque tenuium admodum ossium recessiones sunt, nulla magna mutatione opus habent, nisi vt laxius deligentur, ne pus intercludatur, sed effluere facilè queat; frequentiusque religandum quo ad os recesserit: ferulæque non apponendæ. Hęc est Hippocr. cura in osse paruo recessuro. In qua curatione duo sunt scopi, vnus ne pus intercludatur: quod Hipp. absoluit, si laxius deligetur membrum fractum, si frequentius religetur, & ferulæ non apponantur. Alter scopus est, vt squamma quàm citissimè decidat; quod fit vel ab ipsa sola natura, vel adiuta à medicamentis mox dicendis. Quod si os recessurum magnum sit, in eo casu solet interdum esse totus ossis circulus, interdum non totus: ideoque variat tempus recessuri ossis, non solum ratione maioris, & minoris ossis frustuli, sed etiam ratione laxioris & solidioris ossis: Nam laxiora citius, solidiora tardius recedunt. Variant rursus, quia in puero, & anni tempore verno citius recedunt. Attamen Hipp. 3. de fract. tex. 45. dicit, totum circulum ipsius ossis aliquando quadraginta, aliquando sexaginta diebus recedere, cetera in minore temporis spatio.

Curatio Hipp. cor. in osse paruo recessuro.

Varietas ossis recessuri.

A D remissi ossis frustulum recessurum magnum sit, intentiones ex Hipp. duæ sunt: Prima, vt fractura stabiliatur, quia infirmum remanet os, & membrum, quando magnum est, quod recessit, vt audiuerim à fide digno viro, quod cum aliquando in tibia bona pars ossis esset abscissa, tametsi fuerint reliqua agglutinata, & callo obducta, tamen infirma adeò remansit, vt deambulatione rursus fuerit rupta: secus tamen mihi in puero contingit, in quo genitus fuit callus vndique, quasi totus circulus loco ossis fracti, & in terram delati: sed hic erat puer, ille adultus. Duæ igitur sunt indicationes in proposito casu; vna, vt firmetur, stabiliaturque fractura, alioqui in becillima sub osse magno recessuro. Alia, vt quam citissimè recedat. Pro primo absoluendo scopo Hipp. plagulis, vino madefactis, & expressis vtitur, quas vult esse longiores, quam vt semel circuire membrũ possint, breuiores verò quàm vt bis, videlicet, & vna, & dimidia circumuolutione membrum complectantur; latitudinę verò nõ minores dimidio palmo, tanta scilicet vt comprehendant labia, fracturam, & vulnus. Quæ ita circumuoluuntur, vt à duobus initijs incipientes à vulnere, in opposita parte se mutuo asciatim decussentur. Intentio Hipp. est, vt dixi, stabilire fracturam, & ideo primò sumit plagulas, quæ hic sunt lintea duplicata, vt firmius teneant, quam si simplices fasciæ, & lintea essent. Quas vino nigro austero madefactas exprimit, quod duplici nomine roborat, vt sua facultate astringente, & quia dum exiccantur plagulæ, firmius adhærent, & tenent. Vnde Galenus plagulas etiam oblinit cerato, quod vicem præbet glutinantis. Has Hipp. voluit esse ex duplici initio circumuoluendas, quia arctius tenent: item vult esse longiores, quam vt semel, breuiores, quàm vt vt bis circumeant; quoniam Hipp. intentio est firmare fracturam, non autem astringere propter os recessurum, ne recedere impediatur: ideo si bis essent circumuolutæ, firmasient quidem, sed cum hoc etiam strinxissent: Quod si semel tantum circumirent, tunc neque astringerent, neque continerent. Sumit autem plures plagulas, non autem affert numerum, sed dicit tot multitudine futuras esse, quot conducit. Verum ex Galeno in Comm. possumus numerum plagularum nosse, qui dicit, plagulas continenter, ac proximè tot esse inter se conijciendas, vt nullus in medio vacuus relinquatur locus. Notare oportet, nos in praxi solere eiusmodi plagularum decussationem moliri in superiori membri parte, ita enim membrum quotidie resoluimus ad saniem detergendam, absque eo, quod tam frequenter plagulas renouemus, & fractum membrum dimouemus; & sub his plagulis corium supponere possumus, per quod sanies excurrat, vt monet Hipp. & Gal. 3. de fract. Hoc sanè modo Hipp. stabilit fracturam in magno osse recessuro, & primo scopo satisfacit. Vt autem quam citissimè recedat os, & secundus scopus expleatur, Hipp. id exequitur medicamentis, quæ tum valenter siccantia futura sunt, tum etiam concoquentia. Vnde Hipp. vtitur cerato picato, quod pus mouet: est etiam vtilis cinis lumbricorum terræ melli admistus: item ammoniacum, & bdellium dissolutum cum oleo liliaceo. Aliud prædictis longè

Chirurgia ossis magni recessuri.

Duo scopi in osse magno recessuro.

Primũ quo modo absoluat Hippocrates.

Qua fit Hippocratis intentio in quauis harum operationę.

De plagularũ numero.

Secundus scopus qua ratione absoluatur ab Hippocrate.

ad extrahendas ſquammas efficacius eſt, oleum vetus, & cera citrina, & ſordities vaſorum apum igne liquata, deinde huic admiſta parte vna euphorbij, & duas tithymali, & tres ariſtolochiæ. Et hæc eſt curatio fracturæ, in qua os vel paruum, vel magnum receſſurum expectamus.

Chirurgia fracturæ cũ oſſe denudato extra no eminente.

MODO curanda vltima ſpecies fracturę cum vulnere, in qua os nudatum in ſuo perioſtio eſt. Quod dupliciter contingit ex Hippocrate 3. de fracturis: Vno modo cum os, quod nudatum eſt, extra vulnus eminet; alio modo, cum os nudatum extra non eminet.

Medicamẽta non ſunt aptum operimentum vulneris.

CVREMVS primo fracturam cum oſſe nudato, quod extra non eminet. In hac fractura facta decenti extenſione, inde directione, & oſſis coaptatione, ita vt eminentiæ in ſuas cauitates recondantur, quæ communia ſunt; quod priuatim requiritur cum hac fractura, illud eſt; quod cum os nudatum dum ab externo aere tangitur, ſtatim alteratur, & priſtinum temperamentum, & conſtitutio immutatur, labefactaturque, vt abſcedere, & deſquammari neceſſe ſit; ideo indicatio ſtatim exoritur prohibendi, ne os ab externo aere tangatur: non tangetur autem ſi aliquod operimentum illi comparetur. Medicamentis autem operiri poſſe os nudatum, ne ab aere tangatur, & corrumpatur, poſſet quiſpiam iure opinari: Verumtamen

Nec linteo.

id fieri tuto non poſſe teſtis eſt Galenus 3. de fract. Comm. 43. vbi ait, medicamenta vel morſum vlceri inferre, ſi abſtergentia ſint; vel vlcus ſordidum reddere, ſi oleoſa, & mitigantia: ideoque pro nudato oſſe operiendo medicamenta opportuna non ſunt. Sed neque

Sed cutis.

etiam lintea congrua ſunt, cum ex Galeno congruentius operimentum, videlicet cognatum habeamus: & ideo cum ſciamus naturale integumentum non ſolum oſſibus, ſed etiam muſculis, & internis omnibus corporibus eſſe cutem, ideo omni induſtria cute eſt os ſubiectum nudatum operiendum: propterea Galenus 3. de fracturis, Comm. 43. dicebat, omnia, quæ ſub cute ſunt, cute admodum tamquam cognato operculo gaudere: id, quod probat multis exemplis, & nos quoque quotidie in hædis conſpicimus, qui ſua cute, & pelle tecti diutius durant, excoriati verò facilè corrumpuntur. Vnde operæ pretium eſt, vt cognata cute oſſa nudata contegantur, id quod fit, ſi labia cutis diſſita ad mutuum contactum, vel ſutura, vel fibulis, vel deligatura adducantur: idque à principio faciendum eſt, poſtea glutinatorijs medicamentis procedendum.

Cura oſſis fracti extra prominẽtis.

QVOD ſi os fractum, nudatumque extra vulnus eminens ſit, perpendendum primò eſt, num illud os, quod extra eminet, poſſit non difficulter in ſuum locum naturalem reſtitui, an non poſſit: præterea an carnes pungat, & grauem ſenſum doloris afferat, an non. Si poteſt ſine difficultate, & noxa redire in ſuam ſedem, tunc facta extenſione decenti coaptanda ſunt; tunc reliqua ſunt facienda, quæ paulo ante de oſſe nudato dicta ſunt. Quod ſi in ſuam ſedem extantia oſſa redire non poſſint, vel aliquot eminentiæ, veluti aculei pungentes, ſenſum doloris inferant, tunc aliud requiritur, vt reponantur, & in ſuum naturalem ſitum coaptantur. Hoc autem eſt, vt eminentiæ oſſis aut lima abradantur, aut forcipe præcidantur, & ita retundantur: ſic enim tum coaptabuntur; tum extantiæ non amplius dolorem inferent. Et quamuis ſpatium intercedat neceſſe eſt, qua os retuſum eſt, quod impleti ſanie poteſt, tamen quia maius periculum impendet ex eminentijs extra poſitis: & veluti aculeis pungentibus infeſtantibus, propterea id, quod modicè vrget, paruipendimus, & valido vrgenti reſiſtimus: vt interim omittamus quod perquam exigua ſpatia ſint; & deligatura exprimere fluentes humores poſſumus, & ita partis fractæ ſubſtantiam ſalubrem

Ferramẽta in oſſe fracto prominẽtis idonea.

conſeruare. In quo caſu Hippocrates vtitur nonnullis ferramentis, quæ figura vectes imitantur, & vulgò ſcalpelli dicuntur, quibus lapicidæ vti ſolent, vtputa parte altera latiora, altera anguſtiora, quæ eſſe debent tria, vel etiam plura, vt maximè congruentibus vti quiſpiã poſſit. Deinde opus eſt, vt inter extendendum vnum ex his injiciamus, ita vt inferiore ſui parte depreſſiori oſſis parti ſubiectum, ſuperiore eminentiori innixum molat: atque, vt ſemel dicam, nõ ſecus ac ſi quis vel lapidem, vel lignum validè poliret. Sint autem hæc ferramenta valida quam maximè poſſunt, ne inflectantur: quod magnum præſidium eſſe, ſi & ferramenta idonea ſint, & molitio, vt debet, efficiatur, Hippocrates prodidit 3. de fract. tex. 39.

De

De fractura ossis male conformata.

SI fractura ossis curetur cum ijs animaduersionibus & cautionib. quæ supra propositæ sunt, sperare oportet, rectam & exactam secuturam curationem. Veruntamen interdum euenit, vt non prosperè succedat curatio, & ita fractura malè coaptata sequatur: quæ interdum vel Medici incuria fit, vel etiã fracturæ culpa. Ideo de omni fractura malè coaptata nunc dicendũ est.

FRACTVRAM malè conformari seu coaptari tribus modis, ex praxi deprehendo. Primus modus est, in quo os non in directum cum alio osse agglutinatum est, sed vltro citroq; quod euenit, quia distortum agglutinatum os est, & musculus integer ex vna parte seruatus non fuit. Secundus modus est, in quo congrua extensio facta non est, propter quam cauſam agglutinatum est os cum altero osse non in fractura, sed in alieno loco, videlicet ad latus, vel paulò superius. Fieri etiam potest, vt vtrumq; vitium adsit, & fiat tertia quædam species, ex vtraque potiùs composita quam diuersa. Vel tertiò fractura malè coaptata manſit, quia ossis frustulum a reliquo osse relolutum & separatum in fractione fuit, quod vel extra fracturam detrusum ad latus ossis exterius consistit: vel in ipsa fractura continetur, idque duobus in locis: vel enim impulsum est violenter in locum medullæ, scilicet in mediam cauitatem: vel inter ambo ossa fracta consistit, & contractum vtriusque ossis fracti prohibet; & ita ossa fracta à se inuicem seiuncta persistunt. In prima fractura membrum distorquetur. In secunda breuius redditur. In tertia vel non glutinata fractura remanet, ita vt vacillet & libretur membrum, vel perpetuo dolore afficitur. Ego omnes vidi, sed duas priores etiam curaui: tertiam semel tantum vidi.

Nata conformatio triplex.
Prima.
Secunda.
Tertia.

SI igitur fractura malè coaptata sit, quia os ossi in directum non sit agglutinatum, vt aliquoties fieri, maximè in tibia, vidi, in qua si tibia extrorsum sit callo agglutinata, & non in directum superiori tibiæ parti, tunc pes extrorsum spectat, & valgi incedunt: Quod si cõtrà tibiæ inferior pars introrsum sit agglutinata, vari resultant, & pedibus introrsum introrsis incedunt. Quod si in directum positum sit os, sed propter diminutam & imperfectam extensionem factam non fuerit in loco fracturæ agglutinatum, sed superius alteri ossi ad eius latus, in eo casu, vt dixi, breuius factum est membrum, & quadamtenus distortum. Vterque casus communem habet intentionem, vt scilicet rursus membrum rumpatur; quo facto fiat extensio parcior, & minor quidem in primo, maior in secundo. Deinde in primo casu in directum os conformetur, in secundo in loco fracto coaptetur. Rursus rumpitur os, si malleo supra os, cui pannus multiplex, aut lana, aut spongia superponatur, percutiatur: quæ ratio mihi non satisfacit, propterea quod os sub ictu malici frequenter rumpitur in alio loco, atque ita fit noua fractura.

Effectus primi modi.
Secundi.
Curatio primi & secundi modi.

RVMPI etiam potest, si ligno transuersè posito prematur hinc inde pars rumpenda, donec rursus rumpatur: quod tamen dubium adhuc est, vt in loco fracturæ rumpatur præterquam quod si hoc modo rumpatur, ex nimia compressione ruptum seu os comprimere & atterere musculos potest. Propterea ego rupi os tibiæ per validam eiusdem extensionem, sensim tamen factam cum machina & instrumento validè extendente, vti est scamnum Hippocratis, & rursus bene coaptaui, & prospere successit curatio. Nam quando membrum extenditur, non potest alibi rumpi nisi in fractura agglutinata. Sed quia hunc curandi modum, qui fit cum renouata seu iterata ossis fractura, pauci admittunt, & non nisi in fractura recenter agglutinata tentari debet, in antiqua minime; tum verò & in homine valido, & iuuene, & tempore veris, aliter non est tentanda: Ego volo vobis communicare quid egerim in adolescentulo, cui tibia extrorsum fuerat male coaptata, & valgus incedebat; de quo parens petijt consilium hic Patauij ab Excellentissimis Domino Bellacatto, & Capuaccio, cui ego quoque interfui. Et cum à nobis concluderetur, non posse aliter curari puerum, nisi rursus rumpatur os, & renouetur fractura, intelligeremusque hanc

Quomodo Author os male coaptatum rumpat.
Historia.

opera-

operationem non esse omnis prorsus periculi expertem, parens pueri id non permisit, quod vnicus erat non solum patris, sed totius familiæ hæres, dicens, se malle puerum habere viuum & valgum, quam nullo modo habere: Ego, vti dicebam, cæpi quibusdam instrumentis, & laminis ferreis sensim ac sensim tibiæ partem distortam intrò impellere ac trudere, donec non amplius valgè deambularet; & ita postea vidi adultum, & tam bene incedêtem, vt vix aliqua læsio appareret. Quod in puero quidem contingere potuit, in adulto & præduro corpore nequaquam potuisset. Atque hæc est fracturæ malè conformatæ curatio, in qua distortum membrum rectum est, & agglutinatum.

Curatio secundi modi difficilis.

QVOD si in membro fracto non proba sit facta extensio, sed debilis, ita vt partes fracti ossis non sint mutuò coaptatæ, in quo casu breuius redditum sit membrum, & ita sit glutinatum, eadem curatio adhibetur, scilicet per extensionem validam cum machinamentis factam rursus rumpitur fractura, & coaptatur. Sed sciendum, hanc curam cum difficultate prosperè succedere, propterea quod ad fracturam ossa iam occalluere, neque amplius glutinari possunt labia ita callo obducta. Nam si in ore labium labio glutinari non potest, nisi prius scarificetur, & vulnus cruentum reddatur, quantumcumque labia mollia corpora sint, quanto minus id ossibus cueniet, quæ durissima sunt cicatrice obducta, nec vlla ratione scarificari possunt?

Tertius modus fere incurabilis.

QVOD si de tertia fractura malè coaptata loquamur, quæ ossis frustulum separatum habet, quod vel hæret extra ad latus ossis fracti, vel intus; & hoc vel inter ossa continetur, vel ad medullæ cauitatem intrusum est, incurabilis ferè proponitur casus. Neque in primo alia curatio conuenit, quam ossis extractio per sectionem vsque ad os factam. In secundo verò vidi ego non glutinatum remansisse os, & membrum proprio fulcimento destitutum, & librans factum. In tertio verò vos ipsi consideretis, quid portio ossis possit intra medullam mali facere.

De

DE LVXATIS.

DE dislocatis (vt vulgari vtar dictione) id tantum dixerim, quòd fusè in Pentateucho de ipsis agatur: & adijci possit, quod si eò humoribus confluxis, & impactis, in proprium locum luxata induci & condi nequeant, eò ferramenta candentia adigantur, sic vt cutis mediocriter pluribus in locis aduratur, diuque per pus mouentia vlcera aperta teneantur. Et prospere succedente curatione, renouanda iterum vlcera sunt, vel eodem loco, vel vicino.

DE GVMMATIBVS.

VLTIMO Chirurgiæ proponendæ sunt, quæ ad gummata, & ossis cariem pertinent, initio sumpto à gummatibus, tamquam quæ vtplurimum in cariem migrent.

GVMMATA ossium fiunt à materia lenta & crassissima, cuiusmodi pituitosa est, & melancholica, vt plurimùm autem pituitosa, quæ sæpe tabe Gallica est infecta. Hæc interdum solent esse dolorosa, vt puta à praua materia & acri in periostijs consistente: interdum ferè indolentia. Rursus alia sunt exigua, alia maiora; item alia recentiora, alia vetustiora. Præterea alia sunt cum subiecto osse corrupto, alia minimè. De omnibus agendum.

Gummatũ causa.

Differentia.

SI gumma offeratur exiguum, recens, indolens, neque os subiectum cariosum habens, id curatur non difficulter medicamentis mollientibus & digerentibus. Vnde vsus sum feliciter emplastro ex oxelæo, tum citrino meo; quæ tametsi à proprietate humorem pituitosum ad se trahant, valentiùs, & citiùs curant. Vnde diachylon simplex cum puluere iridis aliquando sanauit. Item emplastrum ex radice cucumeris asinini, & bryoniæ, & altheæ cum oleo liliorum, & oxymelite, similiter profecit. Sed si gumma his non cedat, quod sit maius & vetustius, luta thermarum opportuna sunt, & cœlypus, tum verò etiam lotura lanarum per duos aut tres dies per spongiam appositæ: deinde spongia ex aqua calcis viuæ expressa, & desuper alligata, & per vnum atque alterum diem vsurpata, profuit. Quod si gummata Gallica sint, non est absre omnia medicamenta effici cum ligno, salsa, & cortice, & horum omnium sapere naturam, siue decoquantur in aqua, siue per pulueres vsurpentur. Imò vniuersale præceptum quoque erit, decoctum alexiphamacum per os exhibere. Sed si gummata his adhuc non cedant, suffumigium ex lapide pyrite aut molari extinctis in decocto radicis altheæ, cucumeris asinini, bryoniæ, salsæ parillæ, & corticis ligni cum sexta parte aceti profuit. Quod si non cedant, quod subiectum os corruptum carioſumque habeant, quod dignoscemus, quia sub alijs medicamentis non dissipatur gumma, præterea dolet perpetuò, & potissimum mollities ipsius cutis adest supra gumma; in eo casu aperiendum gumma est scalpello, & os carioſum primò auferendum, & ita curandum. Vnde hoc loco alia operatio Chirurgica insurgit, quæ os carioſum curat, & non solum in gummatibus Gallicis vsu venit, sed etiam si ex alijs causis ossa pertodantur & carioſa fiant. Nam ego aliquando vidi puerum, cui ex subiectis partibus, vt puta ex dura cerebri membrana, humor quidam acris & prauus per os exibat, & ipsum perforabat multis hinc inde foraminibus, tum maioribus, tum minoribus, subiecta tamen membrana illæsa permansit, qui sane humor omnino erat aduersatius naturæ ossis capitis, nequaquam ipsius membranæ subiectæ. Sed nos dicamus, quæ Chirurgia ossis cariei conueniat, siue ex se, siue à gummate sit caries oborta.

Curatio gũmatis exigui.

Veteris.

Gallici. Quod os corruptum habet.

Alia operatio Chirurgica.

DE

DE OSSIS CARIE.

Chirurgia ossis carios.

OSSIS caries, vbi in propatulo est, omnino Chirurgia curatur, quæ fit auferendo cariem vsque dum consistit: hoc fit primum scalpris, si locus seu spatium adest, deradendo os vsque quo ad sanum ventum sit, hoc est, ad album & solidum, propterea quod albo finiri ex nigritie vitium, soliditate verò quadam ex carie, manifestum est, dicebat Cellus. Quod si tertium adhuc appareat signum, scilicet sanguinis eruptio, erit certè & hoc signum liquido commonstrans ad os integrum cum scalpro ventum esse. Propterea plurimi præparati sint scalpri, quibus passim vtamur.

Signa sufficientis deraſionis.

Curationis per scalprũ & malleũ incõmoda.

SED interdum scalpri operatio nimis tarda est, propterea quod quando os est carioſum factum, valde exiccatum est, & durum redditum, vnde scalpri minus idonei sunt. In quo casu auctores vtuntur scalpro & malleo: quæ tamen difficultate non vacant, quæ prouenit ex ictu: & potissima accidit in capite, in quo propter ictum muti interdum facti sunt patientes, propterea quod ictum persentiunt omnes internæ partes ad cerebrum attinentes. Nam qua ratione baculi parte percussa totus baculus tremit, & ictum susciput, eadem quoque tremere contingit & cerebrum ipsum, & partes ad cerebrum attinentes & coniunctas. Vnde propter eiusmodi tremorem interdum nerui molliſſimi rupti sunt, interdum exigua vasa, vel cum periculo mortis ægrotantis, vel cum mutilatione sensus & motus alicuius partis Propterea alij Chirurgi excogitarunt malleum plumbeum: sed ego fui imaginatus quædam remedia ictum resoluentia potiora; etenim inuestitui caput seu verticem scalprorum panno, & malleum similiter obuolui panno, ita enim ictus non offendit. Sed siue scalpris, siue scalpris & malleo res agatur, omnino ita deradendum os est, vt caries tota auferatur: signa iam proposita sunt, albedo, soliditas, & sanguis.

Quomodo Author his medeatur.

Alia cura per olea.

SVNT aliqui, qui vtuntur ad cariem auferendam oleo de sulphure, aut de vitriolo, præsertim cum ductus & via, qua ad os itur, anguſtiſſima sit & profunda, instillant enim per fistulam olea. Quæ ratio tuta non est, primò, quia olea non sufficiunt ad cariem omnem tollendam: deinde quia sparguntur, & comburunt partes circumiacentes sanas, cum dolore & inflammatione; & ideo olea hæc caustica vitanda, præcipuè cum habeamus scalpros ad omnem ossis cariem profundiſſimam & anguſtiſſimam opportunos. Sunt etiam opportuna ferramenta candentia ad ossis cariem absumendam, tum nuda, tum per cannulam immissa: quæ præcipuè vsurpamus cum in osse putrilago, apparet ad ipsam absumendam; sed scalpri cæteris meliores sunt, propterea plures omnium generum sunt excogitati.

Per ferramenta candentia.

Cura in carie profunda.

CVM OS vitiatum in propatulo est, scalpri sufficiunt, & probe opus absoluunt: sed interdum ossis caries profundior est, & anguſta via ad ipsam itur, neque scalpri communes ac propoſiti sufficientes sunt os carioſum abradere; idcirco vtimur alijs scalpris, qui deraſorij sunt & anguſti.

DE HYDROCEPHALO

Hæc operatio inferenda est, pag. 16. ante Chirurgias palpebrarum.

Hydrocephali cau, ſa.

HYDROCEPHALVS est proprius capitis tumor, potiſſimum ex aqua, seu seroſa humiditate proueniens, vt nomen indicat. Hunc tumorem puerorum esse affectum, etiam quam primum in lucem editi sunt, testatur Paulus libro 6. capite tertio. Quem ego aliquando vidi infante tam magnum, vt in eo non solum tota capitis cutis quodammodo esset à toto pericranio separata, sed etiam in insignem excederet tumorem, in quo humor quasi in vtre inundabat. Hydrops capitis aptiſſimè poterat appellari, & verus hydrocephalus. Seroſa autem humiditas cõtenta dignoscitur ex

Seroſa hu-

indo.

indolentia, mollitie, quæ ad tactum facile cedit, sed potissimum ex inundatione ipsius aquæ de vno in alium locum ob compressionem, quæ veluti in vtre semipleno apparet. *miditas vnde dignoscatur.*

INTERDVM etiam fiunt minores, atque etiam minimi in capite istiusmodi tumores, ita vt à maximo ad minimum maxima intercedat latitudo: Sed minimi tumores aquosi sub papularum genere potiùs continentur, vt prodit Galenus; maiores autem tumores aquosi potiùs dicendi, solus autem maximus & totius capitis tumor rectè Hydrocephalus appellandus est, nisi fortè vnum (vt cum vulgo loquar) particularem aquosum tumorem, alium vero totius capitis vniuersalem tumorem appellemus, tametsi etiam hydrocephali inter se distinguantur per magis & minus, vti mox patebit. Morbus est peculiaris capitis puerorum & infantum, in quibus oritur ob nimiam capitis humiditatem, qua naturaliter scatent; propter quam causam adulti rarò hoc tumore detinentur, licet & adultos quoque hoc eodem morbo affici testentur Galenus, Aetius, & Paulus, qui tamen aliquanto a proprio situ euariat, vt patet ex Galeni definitione. *Hydrocephali differentiæ.*

DEFINITVR a Galeno in libro definition. Medic. quod fit collectio humoris aquosi, aut fæculenti sanguinis in parte corporum aliqua eorum, quæ caput concinnant. Duo dicit Galenus, quæ dubia sunt: Alterum, quod collectio est non solum humoris aquosi, sed sanguinis etiam fæculenti: puto, quod cum caput & cranium contusionem aut collisionem exterius accipit, & venæ ex collisione sanguinem spargunt inter cutem & pericranium, ille sanguis putrescens facit tumorem mollissimum & inundantem, ac si serosa aquositas esset collecta; id quod experientia in capitis contusionibus facilè comprobat: & etiam Paulus asserit lib. 6. cap. 3. qui ex vasis vnius pluriumve ruptura effectus prouenire fertur, sanguine videlicet, qui emanat, in ociosam, inutilemque mutato substantiam. Similiter Aetius lib. 6. cap. 1. voluit hydrocephalum fieri ex fæculenta materia, vel sanguinea, quæ in tenuem substantiam mutetur. *Hydrocephali definitio. Dubium de materia hydrocephali.*

ALTERVM quod dicit Galenus, est, quod hydrocephalus est collectio aquosi humoris in parte corporũ aliqua eorum, quæ caput concinnant. Ex quo videtur Galen. innuere, hydrocephalum esse morbum cuiusdam partis capitis, non hydropem vniuersi capitis. Responsio elicitur ex Galeno, in lib. qui Introductio, seu Medicus inscribitur, capit. 18. & confirmatur ex Aetio, & Paulo, qui tradens hydrocephali species, inquit, quod hydrocephalus quattuor habet species. Vnam, cum inter cerebrum & inuolucrum eius humor subsidet. Alteram, cum inter membranas & ossa. Tertiam, cum inter os & pericranium. Quartam, vbi inter os & cutem interiacet: quæ omnes species vniuersalem capitis hydropem assignant & testantur, quantumuis etiam particulares loci ipsius capitis afficiantur. Easdem hydrocephali species recenset quoque Aetius, qui tamen vnam addit, videlicet, cum humor in musculis temporum colligitur. Idem recenset quoque Paulus lib. 6. cap. 3. qui etiam signa cuiusque proponit, dicens, quod cum cuti & membranæ caluariam integenti humor interiacet, tumor sequitur tactu mollis, concolor, indolens, turgidus, puluino sublimi & particulis subiectus, digitis prementibus facilè cedit, & rursus assurgit. Addatis vos, quod compressus motum inundationis habet, vt in vtre. Quæ signa apparent, vbi sponte a principio euenerit hydrocephalos, vt ait Aetius: at si à percussione, contusioneve fuerit, initio quidem rubens, dolensque tumor continget, inquit Aetius, sed postea desidente humore in tenuem substantiam mutato, tum demum concolor, & sine dolore euadet. Quibus vero inter pericranium & os intercedit humor, reliqua sane respondent, sed tumor durior multo est, & lente cedit, vtque etiam pluribus corporibus subsit, dolorque magis vrget, propter pericranij distentionem. Si inter cerebri membranam & os humor se recepit, tumor quidem erit, sed qui prementi non cedat, neque tactu sit mollis, tamen vlolenter pressus cedat, siquidem os infantium recens adhuc compactum facile cedit, præsertim cum suturis rarefactis humori transitus foras pateat. Cognoscitur etiam facile inde, quod humor, cum illum constringere volumus, ex aduerso repressus in altum effugiat; dolor hic acrior obsidet, caput totum in diuersa agitur, frons ipsis foras producta est, oculis cernunt inconniuentibus, & cre- *Aliud dubium. Hydrocephali species. Signa.*

brius illachrymantur, soporeque afficiuntur patientes, sensusque hebetes habent, propterea quod futuræ ex humoris multitudine distrahantur; initio autem vbi adhuc humor modicus est, caput grauatur, obtenebrationes assiduæ sunt, ac sensus immutantur, visus inquam, auditus, & reliqui. Quod si lethargo, aut apoplexia corripiantur, matura mors sequitur.

Causa hydrocephali

CAVSAE hydrocephali aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Inter externas vna recensetur a Paulo in pueris nuper natis, quibus ab obstetricibus parum dextre caput pressum est. Altera est contusio, seu collisio, seu ruptura vnius aut plurium vasorum, quæ similiter a Paulo affertur. Tertia est ambiens aer frigidus, cui pueri caput diu fuerit expositum. Quarta est nimius aquæ potus, aut etiam vini, fœtantis dum vtero gerebat, aut etiam nutricis, dum lac exniget. Item raritas meatuum, seu vasorum, seu vasis localibus (vt dicit Actius loco citato) rarefactis, ex quibus materia resudat, & colligitur. Insuper lactis nutricis nimia frigiditas, aut serositas. Quæ sanè causæ potuerunt colligere in capite multam aquolam humiditatem concurrente interna causa, refrigerato humectatoque cerebro, aut in toto primum collecto aquoso humore, mox ad cerebrum delato. In vniuersum omnis hydrocephalus tardi motus est, vt prodit Actius lib. 6. cap. 1. & omnis tandem cerebrum refrigeratum habet a principio quidem, quod intra cranium est, & a causa interna, verum etiam exterior, & a causa externa, propter rationem, moram, & contactum.

Species hydrocephali quæ.

ET vt summatim omnes species hydrocephali colligamus, & ad methodum redigamus, scire licet, hydrocephali duas esse species; Vnam, in qua humor tantum aquosus continetur, & serosa humiditas, & fit a causa interna, hoc est ex abundantia seri in corpore collecti. Alia species non continet tantum serum, sed sanguinem quoque sanguis admiscetur, qui exit ex vena rupta ex contusione, & a causa fit externa. Rursus hydrocephalos, qui fit a serosa tantum humiditate, adhuc distinguitur penes magnitudinem, & triplex est: alius exiguus & pusillus, & pustula appellatur: alius maior, & aquosus tumor potest appellari: alius maximus, & hic hydrocephalus verus dicitur. Ecce quinque species recensentur a Galeno, & Paulo, & Actio, vbi supra audiuistis. Vna, cum aquosa humiditas colligitur inter cutem & pericranium. Secunda, cum inter pericranium & cranium. Tertia, cum inter cranium & duram matrem. Quarta, cum inter duram & piam, siue cerebrum: quarum specierum signa quoque a Paulo aduntur.

Prognostica.

QVOD ad præsagium spectat, si inter cerebrum & eius membranas humor collectus sit, omnes volunt, videlicet Paulus, Actius, & Galenus locis citatis, letalem eius affectum; puto ego, quia cerebrum ex humoris potentia remollitum laxatumque ex toto quodammodo liquatum sit. Alias vero hydrocephali species omnes curant propter contrarias causas, quarum tamen quædam periculo non vacant, cuiusmodi sunt omnes magni hydrocephali, etenim, vt dicebat Celsus & Galenus, morbus periculum facit quicumque magnus est.

Cura hydrocephali primæ speciei.

Euacuatio humoris a quo si quomodo tentanda.

PRIMO igitur hydrocephalos curetur, qui inter cutem & pericranium consistit, cui quoque respondet alter ex Actio, qui inter pericranium & cranium continetur, quamuis certe difficilior est secundi quam primi curatio. Omnis igitur hydrocephalos curatur per aquæ euacuationem, quæ duplex est, vniuersalis in toto corpore, & particularis in capite. Habenda prius ratio est redundantiæ aquosi humoris ex vniuerso corpore, quæ tollitur euacuatione facta vel per aluum cum pilulis cochijs, in puero natu maiore; vel elaterio, vt puta duobus granis elaterij cum scrupulo pilularum alephanginarum: vel per vrinam, exhibendo decoctum betonicæ, tanaceti, anisorum, alparagorum. Cæterum latius erit, si his conferuis magis quam decoctis. Item euacuatur serosa humiditas sudore, propterea probatur decoctum ligni, salsæ, & salsaparillæ, si ætas tulerit; & impendus est sudor tum totius corporis, tum capitis: & si per vires licebat, vtatur patiens sudatorio, vel instrumento sudatorio appellato, quo vtendum est etiam, si nullum assumeret decoctum. Ité parcissimè patiens bibet. Quod si infans sit, & per ætatem non licet hæc exhibere, neque laconico vti, id totum exequatur nutrix, imò iurandum est lac nutricis, si frigidum & serosum sit, in contrarium,

Quomodo infantibus.

nihi-

inhibendusque nutrici potus est, quantum fieri potest, & omnes causæ procathartice tollendæ, quæ enumeratæ sunt. Insuper cerebrum refrigeratum & humectatum calefacere & exsiccare oportet, sed quæ id faciunt, conferunt etiam ad partis affectæ curationem, quæ sanatur per aquæ euacuationem, quæ sensibiliter, & insensibiliter euacuari potest. Et Paulus, & Aetius vtrumque hydrocephalum curant sensibiliter, videlicet sectione, modò simplici, modò duplici, tripliciq. Tamen mea sententia, prius insensibilis euacuatio tentanda est, tum quia semper Galenus hanc eligit, tum quia sensibilis non ita tuta est, quia sub ea interdum pueri commoriuntur, veluti in hydrope abdominis sectio accidit. Puto ego id prouenire, quod dum aqua exit, aer frigidus ingreditur qui cerebri calorem iam refrigeratum facile extinguit. Digerentibus igitur prius vtendum. *Euacuatio insensibilis tutior.*

CAETERVM ad aquæ collectionem & retentionem concurrit quoque densitas cuti, & ideo rarefacienda & emollienda prius cutis est. Proinde prius fouemus locum spongia expressa in aqua, cui malua, melilotum, anethum sint incocta, aut etiam lixiuio quàm dulcissimo, cum radicibus altheæ, & cucumeris asinini incoctis; aut vino albo dulci cum maluæ foliis, & parietariæ pariter incoctis. Postea in moderato hydrocephalo, & in valde puero existente, laudo vt spongia noua applicetur, & arctè quoque superligetur, quæ expressa sit ex aqua thermali Aponitana, cuius si copia non sit, arte paranda est, aqua, in qua decocta fuerint, sal, sulphur, & alumen: quo casu sal etiam ammoniacus si eliquetur, adhuc valentiùs reddetur medicamentum. Præterea laudatur quoque spongia ex lixiuio expressa. Item ceratum sacrum in nuper nato. Quod si hydrocephalus sit maximus, & puer infantiam excesserit, laudo vt valentius vsurpetur, & spongia exprimatur in aqua calcis, & arcte fascia constringatur, quæ totum caput circumaget, vt dictum est: Sumitur enim calx viua, illa, inquam, quæ paratur ex decoctis lapidibus illis, qui in fluuiorum alueis colliguntur (vulgo cuogoli) & illa extinguitur in aqua aut communi, aut thermali, & cum primum aqua fuerit calce infecta & colpurcata, aqua illa calce tincta ponenda est in peluim, abiecta tamen calcis portione, quæ in fundo subsederit; atque in hac exprimenda spongia est. Quod sanè remedium est efficacissimum, & ego hoc tantum huiusmodi malum, dico hydrocephalum, curare sum solitus. Etiam aqua vitæ primæ destillationis cum tantundem aquæ scabiosæ, similiter spongia expressa opportunissimum est medicamentum. Assumo enim perpetuò spongiam, & arctè fasciam superligo, quia spongia & ipsa combibit humiditates, & extrahit, quæ ne refrigeretur, subinde ipsam linteo superposito calefacere moderate oportet. *Quomodo cutis rarefacienda.* *In maximo hydrocephalo.*

QVOD si his non dissoluatur aqueus humor in eo casu recurrendum est ad sectionem. Paulus vult, quod si humor aquosus inter cutem & pericranium contineatur, & tumor non admodum magnus sit, caput vna linea transuersim per medium incidatur. Quod si humor inter pericranium & cranium intercedat, & tumor maior sit, duabus vtemur lineis per medium se mutuò secantibus: Si magis adhuc sit turgidum caput, etiam tribus ad similitudinem H. litteræ; & humore ita euacuato, inseruntur linamenta, & caput commodè deligatur, & vsque ad tertium diem ænelæo perfunditur pars; inde solutam medicamento in linteolum illito persanabimus. Quod si longiore spatio os carnem non recipiat, leniter ipsum redemus. Hoc modo Paulus curam hydrocephali sectione persequitur. At Aetius libro 6. capite 1. vult, tumore non admodum magno existente, apicem ipsius vnica incisione secandum esse; sed si maior fuerit, duas, aut tres, aut etiam plures, pro magnitudinis ratione, adhibendas, in his potissimum partibus, vnde commodissimè defluxus fieri possit. Quibus factis sectionibus, solis linamentis vtendum est, vt labia incisa coalescant. Quod si infans sit fascia obuolutus, ita vt ligatas manus habeat, recusat Aetius capitis deligaturam ob grauitatem, sed vult lanam tantùm ouo madefactam apponendam esse, & pileolo caput operiendum. At in puero natu maiore aut validiore, vult, linamentum deligatum esse custodiendum; præcipitq; post tertiam diem esse iuuandam glutinationem aliquo glutinante medicamento, cuiusmodi est v. g. ceratum barbarum. *Sectio quomodo facienda secundùm Paulum.* *Secundum Aetium.*

QVOD si collectio facta sit sub musculo temporali, ne musculus incidatur, expectare oportet redundantiam, postea oblique musculum incidere, inquit Actius. Ego autem ita velle dicere Actium autumo, obliquè ad musculum cutem incidere. Quod si humor profundè sub musculo latuerit, sectio vtrinque facienda est in obliquis musculi lateribus, deinde cutis ex his partibus capitulo scalpri sensim detrahenda, ac post totius humoris excretionem curanda, vti proximè dictum est. Vbi vero sub cranio humor consederit, ibi quoque tamdiu expectandum donec redundet, futuræque distrahantur, ac tumor appareat, tuncque eminentiorem locum secare oportet. Hoc modo Paulus & Actius potissimùm omnes hydrocephali species curant.

Euacuatio humoris sub musculo temporale.

EGO autem, qui sectionem in capite, & totius aquæ sensibilem euacuationē valde pertimesco, propter causam antedictam, & infelicem euentum, qui euenit, vti dixi, quod dum aqua exit, aer frigidus ingreditur, qui exiguum cerebri calorem extinguit; ne igitur id eueniat, dupliciter deuito; primùm vacuando aquam tum sensibiliter, tum insensibiliter vno tempore, & ita mistam intentionem habendo, tum aquam euacuando sensibiliter, sed sensim, & exiguam portionem quotidie. Quod vt fiat, oportet habere paratam cannulam, & cultrum, seu scalpellum, quæ sibi inuicem respondeant. Propterea laudo, vt cùm digerentibus non potest humor exsiccari, euaporare, & euacuari, & incisione opus est, vt incisio fiat primùm exigua, & demum tanta, vt respondeat exactè cannulæ argenteæ prius paratæ, ita vt facta sectione, & cannula immissa, non exeat humor, nisi per cannulam: id quod difficulter non fit, si modo antea cultrum, seu scalpellum, & similiter cannulum sibi inuicem magnitudine respondentia paraueris; cannulam autem oportet esse aliquantulum inflexam, vt debitam habeat longitudinem. Facta igitur sectione, & cannula immissa, permittendum est prima vice parum humoris exire, inde cannulam tereti & exigua stupa obuoluto ligno obstruere, atque desuper medicamentum imponere, quod vim digerendi habeat, cuiusmodi est spongia expressa in aqua thermali, aut aluminosa, aut salsa, aut sulphurata, & per insequentes dies itidem facere, ita vt humor, partim sensibiliter, partim insensibiliter hoc eodem tempore paulatim euacuetur, ita enim solet curatio feliciter succedere. Etenim ego, vti dixi, solam sensibilem aquosi humoris euacuationem suspectam semper habui propter frigidum aerem ingredientem, & modicum cerebri calorem extinguentem, qui scopulus cuitatur ex medicamento calido & digerente, quod gemina ope iuuat, tum calefaciendo, tum digerendo.

Quomodo Author humorē aquosū euacuet.

VNVM autem est admodum in hac cura animaduertendum, quod vbi indicia adsunt valde humectati & refrigerati cerebri, siue hydrocephalus sit internus, siue externus (quāuis in interno magis soleat cerebrum hac intemperie affici) in eligendo digerens medicamentum oportet valentius eligere, ita vt spongia etiam apponatur expressa aut ex aqua vitæ, & scabiosæ, aut etiam ex aqua calcis, qua in re Medicus prudens esse debet, præsertim in calefaciendo, non ita in exsiccando, etenim in exsiccatione cerebri error committi non potest, in calefaciendo verò potest. Quod si abscessus ex vasorum collisione & ruptura factus sit, in quo non solum aquosa humiditas, sed etiam fæculentus, sanguis continetur, intentio est, fæculentum sanguinem primò incidere & attenuare, inde discutere & euacuare: Quod fit cum stupa, aut spongia madefacta ex posca, si æstas sit; si hiems, ex vino, cui acetum sit admixtum. Oxymel quoq. farinæ hordeaceæ admistum prodest. Quod si aquosi tumores exigui sint, vt pustulæ, ijs abruptis, & humore euacuato, amplastro triapharmaco, aut diapalma consolidantur.

Obseruatio in cerebro refrigerato.

Cura hidrocephali ex vasorum ruptura.

DE ERVTO ET AMISSO OCVLO.

Locus huius Chirurgiæ, vti etiam trium immediatè subsequentium est pag. 29. ante oris Chirurgias.

DE eruto & amisso oculo illud dicam, non posse eum nisi æquiuocè corrigi, nimirũ cum oculo vitreo, vel lapideo, vel argenteo, seu alterius materiæ qui sano coloribus, figura, magnitudine, & positione sit quam simillimus. Quod si oculus totus erutus est, rotundus imponendus: si verò portio remansit, cortex vitreus concauus aptandus.

DE POLYPO EXTRAENDO.

POLYPVS ex Paulus lib. 6. cap. 25. est tumor præter naturam in naribus internis obortus ex marini polypodis similitudine nomen sortitus, tum quod illius carnem repræsentet; tum quod suo complexu, qui ipsum capiunt, vlciscatur, ita vitium hoc nares comprehendens ipsas obstruit, id efficiens vt & difficulter respirent, & sermonem agre exprimant; interdum ex toto respiratio per nares impeditur, & coguntur patientes per os diu, noctuque perpetuò respirare, cum ingenti molestia, & vitæ incommodo. Addit Celsus; quod quando polypus ita producitur, vt ad fauces perueniat, etiam ægri suffocantur. Albucasis lib. 2. cap. 24. dixit, has carnes assimilari scorpionibus multorum pedum. Est huiusmodi tumor quasi caro alba, mollis, replens nares, non quidem vniformis, sed multæ apparent veluti caruncula simul iunctæ, aut altera ab altera pendens, appensæ quidem modò quidem ad cartilagines, modò ossibus aut nasi, aut superne spongiosis. Albucasis lib. 2. Vnde prouenit a materia potissimùm pituitosa, & habet nonnullas venas, à quibus nutritur; vnde verisimile est fieri a sanguine admodum pituitoso, qui in cerebro redundat, & ad nares confluit.

Polypus quid.

Polypi incommoda.

Polypus qualis.

Eius causa.

HVIVS plures sunt differentiæ, vt Paulus ait, & Albucasis. Nam interdum polypus est durus, adhærens, liuidus, dolens, & vt vno verbo eam, cancerosus, quem nullis instrumẽtis esse curandum, quia Chirurgica operatione irritatur, sed blandientibus tantum lactandum: aut si curare precibus ægrotantis cogimur, monet Paulus, ipsum esse adurendum candentibus ferramentis, quæ per cannulam sunt immittenda, obuoluta cannula linteo in vino frigido madefacto, vt tantum affecta pars inuratur, non alia, cannula enim ingresso in ipsam ferramento, valde incalescit, cum dolore, & læsione narium, & partium circumstantium.

Differentiæ polypi.

ALIVS mollior, laxus, albus, indolens, supra appensus tantum nasi cartilaginibus, aut ossibus, aut spongiosis suis radicibus, infra verò pendulus: pendet autem vt interdum extra nares exeat, interdum retrahatur sursum: rursus interdum per narium foramina ad fauces declinet, & in faucibus appareat. Videantur polypi differentiæ ab Hippocrate descriptæ libro 2. de morbis, cap. de polypo, & modi curandi Hunc igitur Chirurgia curamus.

Alia differentia.

IN quo curando monet Celsus lib. 7. cap. 10. oportere rursum per nares immittere ferramentum acutum, in modum spathæ factum, & ipsum polypum ab osse reuoluere, adhibita diligentia, ne subiecta cartilago lædatur, quia difficilis succedit curatio. Vbi polypus abscissus est, vnco ferramento extrahendus est. Tum implicitum linamentum ad sanguinem supprimiendum imponendum, tum purgandum, & denique pinna impolita medicamento cicatricem inducente obducta sanandum. Hoc modo Celsus docet curationem polypi per Chirurgiam.

Curatio polypi ex Celso.

PAVLVS loco citato præcipit, vt ægro figurato in sedili aduersus solis radios, Chirurgus sinistra manu narẽ aperiat, & dilatet, dextera verò spathula ad id facta in myrtacei folij

Chirurgia polypi ex Paulo.

modum acuta, orbiculatim polypum præcidere, illic acie ferramenti impoſita, vbi naribus coaluit: poſtea inſtrumento in oppoſitum conuerſo, manubriolo ipſius carunculam ſucciſam foras eximemus; idque toties efficiemus ſecando, & eximendo, quouſque totus polypus fuerit exemptus. Vt videtis, non variat Paulus à Celſo, niſi quia Celſus vnco vtitur ad polypum extrahendum, Paulus ſpathæ manubriolo, quod credendum eſt, obtuſum eſſe vncum. Rurſus Celſus ad cicatricem obducendam vtitur pinna, Paulus verò plumbeis canaliculis. Tertiò Celſus abſtinet à ferramentis adurentibus, Paulus autem vtitur illis, ſed in naribus polypi.

Differentia inter curã Celſi & Pauli.

INDICABIT totum polypum eſſe exemptum, ſi reſpiratio per nares libera, & ſine obſtaculo reuertatur, ſi vox, ſeu loquela concinna ſequatur; addit aliud ſignum Paulus, & Albucaſis, ſi humor per palatum in fauces prodeat, ſignum enim eſt, viam illam liberam, & expeditam factam eſſe. Quod ſi huiuſmodi ſigna diminuta appareant, ſignum eſt, reliquias polypi remanſiſſe, & eſſe neceſſarium aliquid moliri ad ipſas exterendas ſiue polypus verus ſit, ſiue canceroſus ſub aduſtione remanſerit. Quod ſi modus prædictus extrahendi non amplius ſit poſſibilis, in eo caſu præcipit Paulus, & Albucaſis, eſſe ſumendum linum medio criter craſſum, funiculi inſtar, & nodis hinc inde pluribus, & frequentibus conſtrictum, ita vt inter nodum & nodum ſit quantitas digiti tranſuerſi, aut etiam minus, vt monet Albucaſis: & huiuſmodi funiculum immittendum à naribus ad palatum, & foras per os extrahendum cum ſpecillo perforato, aut plumbeo, aut argenteo ad cuſpidem alteram, tum verò dextera, ſiniſtraque manu duo fili capita, tum quod a naribus, tum quod ab ore pendet, viciſſim trahenda, ac retrahenda, donec reliquiæ polypi abſumantur. Hæc eſt curatio polypi ex Celſo, & Paulo.

Signa extracti polypi.

Reliquiæ quomodo exterendæ.

ALBVCASIS variat aliquo modo hanc curationem, dum lib. 2. cap. 14. dicit, polypum, id eſt, carnes illas, prius vnco ferramento in nares immiſſo, foras extra nares trahendum, tum verò præcidendum quantum eius foras extractum eſt; & id toties faciendum, donec totus polypus ſit exemptus. Quod ſi reliquiæ remanſerint, quas non ſit amplius poſſibile foras trahere, tunc vult Albucaſis, ſicuti Celſus, & Paulus, vt immiſſo incidente inſtrumento ad modum ſpathæ præcidantur reliquiæ, & vnco ferramento extrahantur. Quæ Albucaſis operatio optima eſt, cum polypus vaſtus eſt, & foras extra nares trahi poteſt.

Chirurgia polypi ex Albucaſis.

EGO autem non recuſabo, quæ habeo in polypo curando vobis communicare. Ratio ab auctoribus propoſita bona eſt, neque ipſam damno; ſed ſolet ſub ipſa duplex periculum imminere, & contingere: vnum eſt, ſanguinis profuſio magna, quæ impedit operationem; aliud eſt inciſio cartilaginis narium. Quod fanè duplex periculum animaduerterunt omnes, & Celſus, & Paulus, & Albucaſis, & cæteri alij, & proponunt etiam remedia; & Celſus priuatim præcipit, ne infrà cartilago lædatur, quia in ea difficilis curatio eſt; quaſi innuat, fieri vlcus intus quaſi incurabile. Et ideo ego habeo inſtrumentum tutiſſimum, quo ſæpiſſimè, ac feliciſſimè ſum vſus, quod ſimul præcidit, apprehendit, & foras trahit, quæ ſunt tres potiſſimæ intentiones, ſeu operationes, quæ in hoc caſu requiruntur. Sed quod maius eſt, præcidit tantum polypum, & illæſas ſeruat omnes alias partes. Præterea apprehendit, & foras trahit, neque ſanguinis effuſionem effatu dignã mouet, quia non præcidit alias venas, quam per carunculas polypi diſperſas: aut ſi propoſitum inſtrumentum euellit, & radicitus à cartilaginibus exſtirpat polypum, non propter hoc ſequitur tanta profuſio, quanta ſequeretur, ſi venæ, quæ ſunt propriæ cartilaginis, præciderentur; quoniam venæ polypi non ſunt ita magnæ, neque naturaliter addærent, vt cartilaginum venæ. Et ideo memoria teneatis formam prædicti inſtrumenti, quo perpetuò omnem polypum perfectè curaui, ita vt omnes patientes ad me firma accurrant ſpe ſalutis.

Duplex periculũ Chirurgiæ propoſitæ.

Inſtrumentũ Auctoris valde accõmodum.

EXEMPTO polypo, facilè adhuc aliquæ reliquiæ remanent, quæ tamen ita exiguæ ſũt, vt vel ex ſe ipſis exſiccentur, & conſumantur, vel medicamento aliquo impoſito. Celſus primùm imponit implicitum linamentum, vel ex penicillo aliquod medicamentum reſpergit, quo ſanguis ſupprimatur, poſtea purgat vulnus, & pinna impoſita medicamento cicatricem obducente obducta ſanat. Paulus funiculari linamento paſtillo obducto, ad reli-

Reliquiæ polypi qua ratione ſollat. Celſus.

quias

quias conſumendas vtitur: Albucaſis vnguento Aegyptiaco. Ambo poſtea præcipiunt canaliculos plumbeos in nares immittendos; Celſus verò pinnam cum cicatricem obducentibus. Ego & prædictis vtor, & per cannulam aut pulueres inſufflo, aut impello intus in cānulam, ſtylo circulum ex altero extremo habente intra eam impoſito, & impulſo. Poſſumus quoque efficere inſtrumentum Albucaſis, quod habeat cannulam, quæ in nares immittatur, deinde exterius habeat veluti conchulam adiunctam, aut adapertam, aut clauſam, & in conchula pulueres ponere, qui ſurſum poſtea à patiente per inſpirationem attrahuntur, & ad ſummitatem narium perueniunt: neque verendum eſt ipſos poſſe ſurſum ad cerebrum peruenire, propter obſtructionem factam a reliquijs polypi, dummodo dexterè, & moderatè trahantur. Quo ſanè inſtrumento vtebatur quoque Albucaſis in caput purgijs liquidis attrahendis.

Albucaſis.

Author.

Inſtrumentum Albucaſis.

De inſtrumento Authoris pro Polypo extrahendo.

Inſtrumenti Authoris commoditas.

DVO ſunt hoc loco manifeſtanda, alterum, hoc vnum meum ferramētum ea omnia præſtare, quæ quatuor antiquorum moliuntur inſtrumenta, nimirum ſpatha, vncus, pinna, ſeu cannula plumbea, & funiculus nodoſus. Secundo loco manifeſtabitur, hoc meum ferramentum cito, tutò, ſine dolore, & ſine vllo periculo feliciter operari, antiquorum verò quatuor propoſita tardè, cum moleſtia, & cum periculo, & omnino infeliciſſimè opus ſuum peragere; ideoque Chirurgiam ſub his infeliciter ſuccedere, neque bonam eſſe Chirurgiam. Ex his tertio loco eliciendum erit, omnino in hac polypi Chirurgia reijcienda eſſe tum inſtrumenta omnia, tum modum adminiſtrandi Chirurgiam antiquorum. Sitis vos iudices.

Quatuor intentiones in Chirurgia polypi.

Inſtrumenta pro prima intentione.

PROBO primùm hoc vnum inſtrumentum omnia præſtare, quæ quatuor antiquorum. Quatuor ſunt intentiones in polypi Chirurgia, polypum primò incidere, deinde ipſum apprehendere, & extrahere: tertiò reliquias, quæ remanſere ſimiliter ſeparare, & auferre; quartò cicatricem in loco polypi exulcerato inducere. Ad incidendum polypum ſpatha antiqui vtebantur: Nos verò idem exequimur hoc inſtrumento, quod habet aciem, & ideo incidit, immo facilius, & promptius incidit, quàm ſpatha, quòd hæc vna acie incidit, hoc ferramētum autem duplici: ſpathæ acies ad mutuum occurſum non venit, ſed incidit quemadmodum omnia, quæ longiore ſunt acie, at ferramentum ad mutuum occurſum accedens, incidit, vt forceps, & omnia alia inſtrumenta, quæ ad robuſtè incidendum apta ſunt. Ad ſecundam intentionem explendam, videlicet, ad apprehendendum, & extrahendum ſucciſum polypum, antiqui vtebantur vncō: At noſtrū ferramentum & ipſum vt vncus apprehendit & foras trahit: apprehendit enim cum à partibus contrarijs ad mutuum occurſum, vt forceps, venit: foras trahit polypum à Chirurgi manu adiutum: quin imo ferramentum eodem ferè tempore & incidit, & apprehendit, quod antiquorum inſtrumenta non faciunt, quæ diuiſa, & diuerſa ſunt. Adderurſus, quod ferramentum ad Chirurgi libitum & apprehendit, ſi mitiùs, & incidit, ſi valentiùs comprimatur, quorum nullum cætera exequuntur. Ad tertiam intentionem, quæ eſt reliquias polypi auferre, antiqui vtuntur nodoſo filo, at ferramentum ſuo extremo abradit ab oſſe omnes reliquias; id quod ego tactus, & auditus ſenſu comprobaui, perſentiens ipſius polypi fruſtula à ferramento ab oſſibus ſpongioſis abradi, & ſeparari. Ad quartam intentionem, hoc eſt, ad cicatricem inducendam in loco ablati polypi, antiqui penna & canaliculo plumbeo vtebantur. At nos inſufflare intus ſurſum medicamenta poſſumus.

Pro ſecūda.

Pro tertia. Pro quarta.

MODO ſecundum manifeſtandum eſt, videlicet antiquorum propoſita inſtrumenta infeliciter omnia peragere, ferramentum verò noſtrum feliciſſimè operari. Quis non videt ſpatham intra nares immiſſam, in locum, ſcilicet anguſtiſſimum, & obſcuriſſimum, impoſſibile eſſe ſolum polypum incidere, cū non videamus vllo modo quid ſecandum, aut ſeruandū ſit. Dicat Celſus, quidquid vult, vt adhibeatur diligentia, ne cartilago lædatur, quoniā

Incommoda ſpathæ antiquorū.

lædi

lædi ipſam neceſſe eſt ſub ſpatha. Dicat Paulus quantum libeat, figurandum eſſe hominem aduerſus ſolis radios, & narium foramen ſiniſtra manu eſſe explicandum, & dilatandum, quoniam numquam polypus, qui ſit in narium ſummitate vbi perpetuò degit appenſus, videbitur: Itaque cum ſpatha neſcimus quid facimus. Quod ſi aut cartilaginem, aut internã narium partem incautè incidamus, primùm dolor intollerabilis, inde ſanguinis profuſio, tertio loco inflammatio excitabitur: poſt quæ omnia grangræna etiam ſuperuenire poteſt cum periculo mortis.

Commoda ferramenti Authoris.

QVORVM nullum ſub noſtro ferramento euenire poteſt: ferramenti enim acies introrſum recuruata eſt, & non poteſt aliud incidere, quèm polypum. Amplius non poteſt incidere ferramentum, niſi prius rem incidendam apprehendat, in apprehendendo autem pertẽtamus num polypus ſine ſenſu, aut pars narium ſenſu exquiſito prædita comprehenſa ſit. Amplius ſpatha poteſt latiùs, dum incidit, temerè excurrere, ferramentum verò noſtrum ad mutuum occurſum veniens, non poteſt.

Incommoda vnci.

SECVNDVM antiquorum inſtrumentum erat vncus, qui infeliciter & tardè operatur, propterea quòd neque apprehendere, neque extrahere prorsùs poteſt, quod a Chirurgo non videtur; præterquam quòd dum deorſum trahitur vncus, ſuo mucrone offendere narium latera poteſt: At noſtrum ferramentum tum cito, tum tutò, tam ſine noxa apprehendit, & foras trahere totum polypum poteſt, ita vt vnica vice aliquando totum extraxerim polypum Venetijs.

Incommoda funiculi nodoſi.

TERTIVM antiquorum inſtrumentum erat funiculus nodoſus, à naribus in fauces, & per os exiẽs, qui tractus & retractus, modò vna, modò altera manu polypi reliquias aufert. Qui modus imperfectiſſimus eſt, difficilis, & incommodis conuinctus: Nã primò immittere acum plumbeum à naribus ad fauces, & a faucibus per os trahere, neque facilè eſt, neque ſolatium patienti. Nam ſi digitis linguam tantùm deprimamus, facilè interdum ventriculus ſubuertitur, & ad vomitum incitatur, quid igitur accideret ſi acus & funiculus in fauces peruenirat? Præterea trahere & retrahere nodos nonne eſt dolorem ingentem inferre? præſertim cum partes ſentientes aſpero nodorum contactu attricantur. Præterquàm quòd ego certè, qui plurimos polypos Chirurgia curaui teſtari poſſum, nunquam me vidiſſe polypi reliquias remanſiſſe in ea via, quæ a naribus ad palatum peruenit, ſed omnes ad os ſpongioſum eſſe appenſas, quòd a memorata via longo diſtat interuallo. Itaque nodos per hanc regionem mouere nil aliud eſt, quàm corpora ſenticntia irritare, interea verò omnes polypi reliquias relinquere ſuperius appenſas. At noſtrum inſtrumentum ſuo extremo late recuruato, & incidente, facilè à ſupernis oſſibus omnes abradit polypi reliquias, absque vlla narium moleſtia. Ad explorandum autem ductum, qui a naribus ad palatum ducit, ſi fortè opus ſit, recuruatum ferramentum ad id paratum eſt.

Reliquiæ polypi vbi remaneant.

Authoris inſtrumentum reliquias polypi attenuat.

QVARTO loco antiqui vtebantur pinna, & canaliculo plumbeo cum medicamentis ad cicatricem inducendam: a nobis autem neutrum horum vſurpatum eſt, quia ſoli vini nigri ablutio, interdum ſimplicis, interdum aluminoſi profecit. Neque vnquam vidi in polypo extracto reliquias remanſiſſe, quæ rurſus expullularint, ac renouatæ ſint: puto ego id prouenire ex præcedente ferramenti opera, quod attenit polypi reliquias omnes, & quæ attritæ ex ſeipſis poſtea exſiccantur, & conſumuntur. Ex his modò facilè vos ipſi eliciatis, neque inſtrumenta, neq; Chirurgiam antiquorum in polypi curatione admittendam eſſe, quamimma reijciendam. Vide Hippocr. de morbis, cap. de polypo.

De Ozæna, narium vlcere.

NARES intus exulcerari compertum est, at ὀξαινεν non quodcunque narium vlcus appellari, testis est Celsus lib. 6. capit. 8. qui ozænam vlcera intra nares, plures crustas, & odorem fœdum habentia, esse dixit; & Paulus quoque libro 3. c. 24. ozænam vlcus esse tradidit putridum, ex humorum acrium illuuie creatum. Quibus vlceribus Celsus etiam dixit vix posse succurri, puto ego propter eorum malignam naturam quę tum ex fluxione acri, & praua ab hepate, & capite transmissam a virulẽtia Gallica proueniat, cuæ ozænæ vlceri sæpe coniungi solet: tum verò etiam à partis affectæ intemperie, quæ humorem etiam bonum, si influeret, corrumperet. In quo curando præter ea, quæ medicamentorum ope fiunt, quævè tum iecur, tum caput respiciunt, & fluxionem, intemperiemve arcent, & corrigunt, & decocto ligni Indici, si opus est, purgant, & præter localia etiam medicamenta appositа, vbi non sanatur ozæna, tunc ad eam sanandam manus admouenda est. Celsus dicit, quòd si ozæna medicamentis non cedat, quemadmodum manu curanda sit, apud magnos Chirurgos se non reperisse. Et subdit: Credo, quia rarò ad sanitatem satis prohcit, cum aliquod in ipsa curatione tormentum habeat. Et vera dicit Celsus, quod tormenta in curatione non arrident, & ægrè sustinentur, maximè autem cum in parte valdè sensitiua, cuiusmodi internæ nares sunt, tormentum afferat aut per incisionem, aut per adustionem. Attamen proponit Celsus ad ozænam duplicem Chirurgiam, potius ex aliorum sententia, hoc modo: Apud quosdam tamen positum est, vel fictilem fistulam, (notetis triplicem vocem; vel sutilem fistulam, vel subtilem, vel fictilem: ego potius fictilem recipio.) Igitur aliqui sunt, qui volunt vel fictilem fistulam, vel enodem scriptorium calamum in narem esse conijciendum, donec sursum ad os perueniat, id est, ad nasi ossa, tum per id tenue ferramentum candens dandum esse ad ipsum os: deinde adustum locum purgandum esse ærugine & melle; vbi purum vlcus est, licio ad sanitatem perducendum.

Ozæna quid.

Ozænæcau-sa.

Difficilis ozæna cura.

Chirurgia prima ozæna ex Celso.

PROPONIT postea Celsus alteram Chirurgiam, quam nemo, vt puto, admittet. Inquit, vel narem incidendam esse ab ima parte ad os, vt & conspici locus possit & facilius candens ferramentum admoueri. Tum sui narem debere, & adustum quidem vlcus eadem ratione curari: Suturam verò illini vel spuma argenti, vel alio glutinante. Hæc Celsus. Certè secare narem vsque ad ossa nasi, & postea adustis exulceratis partibus vulnus consuere, nullus (vti opinor) perferret; neque etiam si quis perferret, à prudenti Chirurgo admitti, & administrari deberet sectio: Primò, quia inciditur tota pinnarum narium cartilago, non autem simplex cutis: secundò, quia vsque ad ossa nasi ozæna potest & conspici dilatatis naribus, & comburi etiam, & medicamentis tandem impositis non incommode curari; frustra igitur inciditur.

Alia Chirurgia ex Celso.

Eius incommoda.

PROPTEREA ego similem quidem Chirurgiam, at longè mitiorem vobis ad ozenam propono. Immittenda cannula ferrea sursum per nares tam longa, vt vlceris longitudinem sequatur, & æquet, nariumque cauitatem æmuletur, & per ipsam ferramentum candens indendum, quod tamen non nisi cannulam attingat: sic fiet, vt ferrum candens calefaciat cannulam, & hæc nares, & ozænam; nolo autem nares ex hoc calore dolere, sed tantum citra dolorem calefieri partem exulceratam, ad bonam laborantis tolerantiam, qua perspecta, tunc cannula à naribus è vestigio eximenda, rursumque immittenda, totiesque ferramentum candens, quod tantum calefaciat, repetendum, quousque exsiccata sufficienter pars extiterit: ex pluribus enim iteratis vicibus fit, vt sine dolore iterata calefactio suppleat vicem adustionis, partem scilicet exsiccando, & corroborando, & humores digerendo, atque ita vlcus sanando; etenim si ferrum ignitum adurendo exsiccat, digerit, & corroborat, prætera verò substantiam partis absumi, vno excepto, quod est partis substantiam

Authoris Chirurgia in ozæna.

Iterata calefactio supplet adustionem.

ſtantiam conſumere, idem ferè præſtabit, non tamen ita validè, ac velociter calefactum: quod tamen per plures vices iteratum tandem opus abſoluere neceſſe eſt, atque idem ferè præſtare, quod candens ferrum ſemel admotum; eſtque modus à propoſito primo per magis & minus euarians, qui ferrum candens per fictilem fiſtulam, aut calamum ſcriptorium indit. Quamuis ignorem, quomodo ferramentum candens per calamum ſcriptorium dari poſſit, abſq; eo quod ſcriptorius calamus comburatur, niſi fortè comburi vlcus per combuſtum calamum velimus. Sed Celſum declaremus; Calamus ſcriptorius antiquitus non erat prima ex ala anſerina, vt nunc, ſed erat fiſtula ex arundine conflata, qua tunc antiqui ſcribebant, & nunc quoque Græci ſcribunt. Quod verum eſſe ex eodem Celſo patet, qui pinnam paſſim non pro calamo ſcriptorio, ſed pro pinna ſimpliciter accipit, vt patet cap. 8. & cap. 10 ſeptimi libri. Et quia inter hos quidam ſunt nodoſi, quidam enodes, eligit meritò enodem calamum Celſus. Qui ferro adurendi modus omnibus partibus exquiſito ſenſu præditis, & aduſtione opus habentibus competit, vt analogon aductionis habeatur, & dolore vacans præſidium. Et memoriæ mandetis hoc præſidium, quo ego plurima iſtiuſmodi vlcera iuui, & curaui. Ab ipſa autem calefactione medicamenta ſuperdanda, quæ refrigerent, & liccent, vt eſt linimentum ſimplex, vnguentum de ceruſſu, & id genus.

Celſus explicatur.

Chirurgia propoſita electio.

De ſuffummigo Anglico ex Tabaco, & Chirurgia naſi, oriſque communi.

SOLENT quoque paſſim in Anglia ſuffumigium parare ex Tabaco, ſeu herba regina exſiccata, quam ignitam, & fumũ exhalantem, & alteri extremo admotam herbam per fiſtulam fictilem ore fumum illum trahunt, eoq; ore repleto, vt buccas inflet, exeatque per nares. Ferunt huiuſmodi fumum ita aſſumptum, & ad cerebrum, pulmoneſque attractum, contactu ſuo valere admodum ad catarrhum ad pectus deſtilantem, & ſuffocantem. De quo tamen medicamento nonnulli conqueruntur, quod caput repleat, & dolorem capitis moueat: nonulli ſe id non pati atteſtantur; attamen in Anglia, vt dixi, eſt cum faliciſſimo ſucceſſu in frequentiſſimo vſu.

Suffumigij ex Tabaco vtilitas.

Chirurgia dentium conſtrictorum.

Hac Chirurgia iungenda eſt pag. 33. poſt lin. 4.

IN ea Chirurgia, quæ pertinet ad cõſtrictos dentes, quàm ego excogitaui ex tempore, duplex difficultas exurgebat: altera, vt in cannula immittenda moleſtia concurreret ex inſolito extranei corporis contactu; altera ex periculo ſuffocationis. Primum incommodum iam ablatum, & remotum eſt, quia domum reuerſus, fui expertus immittere ſyringam ad mulieres faciam in nares, vſq; ad fauces, & ad fauces perueniens, nihil omnino perſenſi, quod moleſtum eſſet: ideoque tota difficultas ex eo pendet, vt liquor cadens in fauces, non cadat in larygem, & periculum ſuffocationis inducat: cui propterea occurrendum puto, duobus modis, vel vt ipſa cãnula vltra laryngem, vel citra, materiam eructet; ſi vltra, certum eſſe ipſam in gulam deſcẽſuram, neque vllum ſubeſſe periculum, vt in laryngem labatur. Quod ſi citra, in eo caſu epiglottis recuruabitur, & laryngis foramen occludetur, vt ſolet etiam naturaliter in cibi deſcenſu euenire. Quod ſi quis vtrumque fieri neget, ſed in laryngem deſcenſurum cibum velit, iam habeo præſidium præparatum, vt cannula fit ita recuruata, vt ſuo extremo cibum porrigat in oris amplitudinem anterius; ita vt prætereat collumellã palatum

Duplex difficultas in hac Chirurgia.

Periculo ſuffocationis duobus modis ſuccurritur.

Authoris cannula.

palatum versus absque vlla difficultate. Atque ad hoc persuadendum, & probandum, oportet per caput mortuum periculum facere, & syphonem cum infundibulo parare, quod ex altero extremo longius sit, & magis recuruatum, vt materiam eructet anterius in oris amplitudinem, ante vuam palatum versus.

EXPERIRI quoque & alterum oportet, vt materiam eructet post vuam retrò versus fauces supra epiglottida. Forteque tertium experiri commodum erit, quod cannula in altero extremo tam modicè sit recuruata, vt materia destillet in gulam retrò post laryngem: quo in mortuo corpore triplici facto periculo, poterimus similiter & in viuo facere. Sit autem alimentalis materia, quæ per syphonem porrigitur omnino fluida, tum propter angustiam, & longitudinem meatus, tum propter dictum Hippocratis, quòd facilius est refici potu quàm cibo; vt est pulli contusum liquidum, aut iusculum consummatum dictum, aut aqua carnis, aut vinum, si licet. *Aliud experimentum. Tertium experimentũ. Cibus inijciẽdus qualis.*

HAEC dum ita considero, vt probabilem nouam viam ægros cibandi efficiam, quidam meus Auditor amantissimus, & mihi familiarissimus, aliam detexit viam longè faciliorem, quæ est per foramen post extremos dentes naturaliter insculptum, & ponè oris amplitudinem pertusum, in quod cum digitus ingrediatur, longè facilius ingredi cibus poterit per fistulam recuruatam immissus. Qui tamen modus difficultate non vacat, quia vbi constricti ita dentes sunt, omnino & conuulsi sunt musculi maxillæ, cum quibus & buccarum quoque musculi, & fortè etiam ipsa lingua conuulsa est. In quo casu etiamsi cibus in oris amplitudinem perueniat, tamen non potest vltra ad deuorandum propelli. Ideoque tunc prior Chirurgia iam proposita per nares ex vsu est, quæ cibum ad intimiores fauces porrigit. Quod si buccarum musculi conuulsi non sint, nec maxillæ oppressæ, vt non difficulter fistula ingrediatur, vsurpari & hic modus poterit. *Alius modus cibãdi. Difficultas huius vltimi modi.*

DE GIBBOSITATE.

Hæc Chirurgia omissa fuit, pag. 48. ante Chirurgias thoracis.

GIBBOSITAS prouenit à spinæ contorsione, vel à suò rectitudinis recessu, qui vel interius fit, vel exterius, vel oblique ad alterutrum latus; sed interius rarissimè, & fere nunquam, exterius frequentissimè, ad latus autem frequenter obliquatur. Ratio est, quia anterius inter vertebram, & vertebram cartilago multa, & crassa interponitur, quæ prohibet spinam antrorsum prorumpere, in cæteris autem positionibus nullum adest impedimentum. In quemcunque autem locum prosiliat, illud sit vel ab externa, vel ab interna causa: si ab externa, statim prospiciendum est; si ab interna, vel ab interna, dissipanda, euacuandaque vtputa dura emollienda, crassa attenuanda, viscida ac lenta detergenda: quod similiter efficiendum est, vbi externa causa malum fecit, sed recens non est. *Gibbositatis differentia. Eius causa.*

MATERIA autem præsidiorum sunt ceratum citrinum, emplastrum ex radicibus altheæ; item fomenta, & alia eiusmodi, quæ pluries antea relata sunt. Quo facto Chirurgia exposcitur, quæ ferreis instrumentis, & laminis maximè perficitur: hæc autem sunt, quæ hic passim à me parari ab artificibus præcipiuntur. Sunt autem instrumenta hæc talia, quæ impellant spinam ad contrariam partem, ad quam promota est, non quidem violenter, sed blandè, sensimque id præstent. Submittitur autem ferrum oblongum, ac teres spirarum in modum per totam longitudinem excauatum, quod in similem cauitatem insinuetur, ac ingrediatur, & lamina ferrea costas, ac spinam in contrariam partem, ad quam promota est, impingere valeat. *Materia præsidiorũ. Chirurgia.*

FINIS.

DE CIRCVLATORIA.

Hac Circumforaneus pagina, arte Chymica caret.

CIRCVLATORIA nominata, quia contentione, vel à suo redigendis [illegible] vel obliquo ad alterum la[illegible] Circulatorium [illegible] frequentissime ad [illegible] Circulatorium [illegible] vbi [illegible] [illegible] [illegible]

INDEX
OPERATIONVM
CHIRVRGICARVM.

Quæ in hoc Opere continentur.

PRÆFATIO, in qua Chirurgiarum ſingularum partium corporis habetur catalogus. 1.
De fonticulo in ſutura coronali. 5.
De operationibus Chirurgicis in capitis vulneribus per vectes, terebras, forcipes, ſerrulas, &c. 7.
De capitis Chirurgij, quæ fiunt in ſincipite, occipite, poſt aures, in fronte, & temporibus. 11.
De Chirurgijs capitis hodie obſoletis. 14.
De Setaceo parando. ibid.
De Exuſtione occipitij in puerulis. 16.
De Hydrocephalo. 176.
De vitio Palpebrarum oculos irritantium. 16.
De Ancyloblepharo. 16.
De Verrucis palpebrarum. 18.
De veſicis pinguibus, grauibuſque in ſuperiore palpebra obortis. ibid.
De Hordeolo. ibid.
De Chalazio. 19.
De Palpebrarum pilis oculos irritantibus. ibid.
De palpebris laxatis, ita vt cutis corrugetur, complicetur que ſupra oculum, & ipſum operiat. 20.
De Lagophthalmo. ibid.
De Ectropio. 21.
De Suffuſione oculorum, cataracta dicta: vbi docetur modus nouus medicamenta oculis applicandi. 21.
De Staphylomate. 25.
De Vngue, ſeu pterygio oculorum. 26.
De Encanthide. 27.
De Hypopyis, ſeu purulentis oculis. ibid.
De Aegilope, vulgo fiſtula lacrimali dicta. 28.
De Eruto, & amiſſo oculo. 181.
De Polypo extrahendo. ibid.
De Inſtrumento Auctoris pro polypo extrahendo. 183.
De Ozæna, narium vlcere. 185.
De ſuffumigio Anglico ex Tabaco, Chirurgia naſi oriſque communi. 186.
De Oris chirurgijs, & primò quomodo labiorum fiſſuræ curentur. 29.
Quomodo curta labia reſarciantur, inciſa glutinentur, eorumque carcinoma tollatur. 30.
De Gingiuarum chirurgijs: vbi de Epulide & Parulide agitur. 31.
De Chirurgia, qua gingiuæ eroſæ nutriuntur. ibid.
De Dentium chirurgijs, & primò de dentibus ex quacunque cauſa conſtrictis. 32. & 186.
de reliquis dentium chirurgijs. 33.
De Inſtrumentis idoneis pro dentibus extrahendis. ibid.
Palati Chirurgiæ. 34.
De quatuor Linguæ chirurgijs. ibid.
De Vuæ Chirurgia. 36.
De Tonſillis. ibid.
Quomodo ſpina, aut officulum, aut quidtiis aliud in faucibus firmatum eximatur. 37.
De Menti chirurgia. 39.
De Aurium chirurgijs quatuor. ibid.

De Colli chirurgijs, & primò de Bronchocele, & tuberoſo tumore, Gotſo vulgo dicto. 42.
De Struma; vbi etiam docetur cura colli ex catarrho diſtorti. 43.
De perforatione aſperæ Arteriæ in angina. 44.
De Gibboſitate, 187.
De Thoracis chirurgijs. 48.
De ſectione thoracis in Empyemate. ibid.
De thoracis fiſtulis. 55.
De Papilla mammę exterius non apparente, ſed intus occultata, & de lacte concreto, 57.
De Mamilla mulieris cancro affecta. 58.
De virorum mammis, mulebrium in morem prominentibus, 59.
Chirurgiæ Abdominis, 60.
De vſtionibus Iecoris, Lienis, & Vętriculi. ibid.
De Vmbilici prominentia. 62.
De rupto Peritonæo, tum in viris, tum in fęminis, 64.
De perforatione abdominis in Hydrope; ſeu quomodo aqua hydropicis emittatur. 65.
De modo luendi vulnera abdominis. 72.
De Ventris varicibus. 74.
De imi ventris abſceſſibus, & fiſtulis, ibid.
De Veſicæ vitijs Chirurgia indigentibus; & primò de vrinæ ſuppreſſione. 75.
De Calculo extrahendo è veſica. 77.
De chirurgijs Penis, 80.
Ad tegendam colis glandem detectam, ibid.
Ad aperiendam glandem tectam. 81.
Ratio infibulandi adoleſcentes. 82.
De circumciſione. ibid.
Modus eximendi lapidē è meatu vrinario. ibid.
De modo leniendi Vrinæ ardorem in Gonorrhœa, 83.
De auferenda caruncula è meatu vrinario. ibid.
De coalitu glandis cum præputio, 84.
De Glande non perforata. ibid.
De excreſcentijs carnis in glande, & præputio, quæ vulgo Porrifichi dicuntur, 85.
De chirurgia Teſticulorum; & primò de Herniis, ibid.
De Bubonocele, 86.
De Hernia inteſtinali, 88.
De Hernia Epiplocele. 90.
De Hernia aquoſa. ibid.
De Hernia carnoſa, Græcis Sarcocęle dicta. ib.
De Hernia carnoſa, & aquoſa ſimul, 91.
De Ramice. ibid.
Chirurgiæ circa naturalia fęminarum, ibid.
De Hermaphroditis. 92.
De vitijs, quorum cauſa fęminæ concubitum non admittunt, & conceptio impeditur. 93.
De Hymene imperforato. 94.
De glutinatis Vuluæ labris. 95.
De carne, aut tuberculo, aut abſceſſu, in ſinu vuluæ adnatis. 96.
De Vteri procidentia. 97.
Qua ratione fœtus mortuus ex vtero extrahatur, ibid.
De Secundis relictis extrahendis, 100.
De Ani chirurgijs. ibid.
De Ano non perforato, ibid.
De Ani procidentia. 101.
De Condylomate. ibid.
De carne adnata, ſeu Mariſcis, vulgo Creſte, 102.
De Ani vlcere. ibid.
De Ani fiſtulis. ibid.
De Hæmorrhoidibus. 105.
De Artuum chirurgijs, 119.
De Fonticulis. ibid.
De Gangrænæ, & Sphaceli Chirurgia, 123.
De Chirurgijs Digitorum; & primo cohærentium. 124.
De curuo digito ex vlcere vel cicatrice relicto 125.
De rigidis Articulis relictis. 125.
De Varis. 126.
De Valgis, ibid.
De Vnguium Chirurgia, videlicet de tondendis, & aſperis lęuigandis. 127.
De Pterygio ſeu panaritio vnguium. 128.
De vnguis pollicis pedis interius ītruſione. 129
De varicum Chirurgia. 130.
De Articulorum vſtione, 132.
De carnis chirurgia, quæ ad Tumores pertinet, & Inciſio dicitur. 135.
De Chirurgia, quæ in carne fit, Vulnerum curandorum gratia. 143.
De Telis, ſagittis, & globulis plumbeis è corpore extrahendis. 150.
De carnis chirurgia, quæ ad Vlcera pertinet, 152.
De chirurgijs, quæ ad Oſſa ſpectant. 155.
De oſſiū Fracturis, earūq; varijs differentijs. ib.
De Fractura oſſis malè conformata, 173.
De Luxatis. 175.
De Gummatibus. ibid.
De Oſſis carie, 176.

FINIS. INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM IN OPERATIONIBVS CHIRVRGICIS.

A

ABDOMEN triplici modo è Galeno ſuitur. 73.
Abdominis ſuturas cur Galenus proponat. 145.
In abdominis ſutura cautio. 74.
Sutura triplex. ibid.
In Abdominis perforatione ab auctore adminiſtrata duo mortui. 72.
In Abdominis perforatione locus inquirendus: Celſus explicatur. 68.
In Abdominis perforatione quæ partes lædi poſſunt. 68.
Abdominis ſectio ex Celſo & Auicenna. 69.
Abſceſſus folliculo contentus quomodo curandus. 142.
In Abdominis ſectione inſtrumentum. 69.
Quid agendum viribus deiectis. 71.
Quæ doloris cauſæ. ibid.
Abſceſſus tribus modis à diuerſis aperitur. 136. & 137.
Galeni modus recipitur. 137.
Abſceſſus cur alij folliculum habent, alij non. 142.
Abſceſſus cum folliculo chirurgia. ibid.
Abſceſſus quomodo ab Auctore curari ſint ſoliti. 136.
In abſceſſu locus ſectionis faciendæ. 142.
Abſceſſus inciſioni quæ figura conueniat. 134.
Abſceſſus male ſecti incommoda. 138.
In abſceſſus inciſione decor obſeruandus. ibid.
Acia quid ſit. 25.
Eius vſus ibid.
Acus pro ſetaceo parando qualis eſſe debeat. 15.
Acus qualis requiratur in ſutura vulnerum. 144.
Adoleſcentes quomodo infibulentur. 82.
Aduſtiones iecoris, lienis, & ventriculi duo præſtare deberent, quorum neutrum præſtant. 60.
Aduſtio ventriculi ſecundum Albucaſim. ibid.
Aeger quomodo in ſectione abdominis collocandus. 69.
Aegri qui caput attollere nequeunt, quomodo ſint cibandi. 38.
Aegilopis initium, & progreſſus. 28.
Aegilops quomodo in principio, & quomodo in progreſſu curetur. ibid.
In Aegilope auctoris Chirurgia. ibid.
Aegyptij cur nympham excidant virginibus. 93. 93.
Aetius contradicit Hippocratide vena hæmorrhoidali aperta ſeruanda. 117.
In Amputatione partis quomodo autor ſymptomata deuitet. 124.
Anchiliops quid ſit Paulo. 28.
Ancyloblepharon oculorum vitium. 16.
Vnde veniat. ibid.
In Angina aſperæ arteriæ perforatio. 44.
In Anginæ cura cautio. 46.
Angylotomon quid ſit. 37.
Anus imperforatus quando ſic relinquendus. 101.
Anus non perforatus quomodo ab Auctore curetur. 100.
Pauli chirurgia hic improbatur ibid.
Ani procidentia quomodo curanda. 101.
Ani vlcus quomodo curandum. 102.
Ani partes à cava vena nutritæ. 108.
In ano vlceris quantitas quomodo conijciatur,

tur. ibid.
Ani fistula quomodo incidenda. 103.
In ani fistula lini vsus. ibid.
Apertio spontanea in quibus abscessibus non sit expectanda. 137.
Apostema in angina quomodo rumpendum. 45.
Aqua abdominis an potiùs per scrotum, an per abdomen extrahenda. 71.
Aqua ex abdomine in scrotum descẽdens quomodo eliciatur. 90.
Aretæus perforationem asperæ arteriæ improbat, sed refutatur. 46.
Aristoteles explicatus. 96.
Arma an veneno infici queant. 151.
Arteriæ sectio ex Paulo. 19.
De asperæ arteriæ perforatione Autoris opinio. 46.
Auctores, qui perforationem asperæ arteriæ approbarunt. 45.
Auctores, qui perforationem asperæ arteriæ improbarunt. 44.
De Arteriæ asperæ perforatione autoris opinio 46.
Instrumenta. 47.
Arteriæ asperæ vulneratæ vnio. 48.
Arteriæ asperæ sectio veterum damnatur. ibid.
Arteria aspera quando tuto secatur. 45.
Arteriæ asperæ quæ profunditas sectionis exigatur. 47.
Arteriæ asperæ sectio cur non statim sub laryngе fiat. ibid.
Arteriæ asperæ incidendæ locus atramento signandus. ibid.
Arteria aspera quando secanda, quando non 44.
Arteriæ asperæ sectæ foramini cannula indenda. 47.
In perforatione arteriæ asperæ difficultates duę. 44.
Arteriarum, & venarum affectiones. 135.
Articulum humor pituitosus duobus modis offendit. 132.
Articulus duobus modis excidit. ibid.
Articulus immobilis quomodo vstione curetur. 134.
Articuli in duplici casu vruntur. 132.
cur. 133.
Quo loco ex Hipp. & Paulo, & quibus ferramentis. 134.
Articuli omnes frigidi. 132.
Articuli quando vrendi. ibid.
Ante articulorum vstionem quid agat Hippocrates. 134.
Articulorum dolor quomodo augeatur. 133.
Articuli dolor à pituita. 132.
Articuli relaxati historia. 133.
Pro articulis rigidis Auctoris instrumentum. 126.
Articuli rigidi casus. 125.
Articulorum rigiditas ex mora curabilis. ibid.
Remedia. ibid.
Auctoris scopus in hoc opere. 1.
Auctor Celso addictus. 65.
Auctor cur quasdam chirurgias reprobet. 127.
Auctor quomodo aquam abdominis exsiccet. 71.
Auctor quomodo incidat abscessus. 141.
Auctor quomodo nouo modo lagophthalmon curet. 20.
Auditorius meatus. 39.
Eius obstructio à natiuitate ex duplici membrana. ibid.
Auicenna quomodo intelligat sectionem ad myrtei folij similitudinem. 140.
Angulare corpus quomodo ex aure eximatur. 40.
Quomodo rotundum. ibid.
Corporis ex aure extractio in casu difficili secundum Paulum. 41.
Experientia Auctoris in extrahendis corpusculis ex auribus. ibid.
Auctoris fidelitas in communicandis secretis. 85.
Historia ab Auerrhoe allata absurda. 93.

B

Batrachium quid sit. 35.
Bracherium vulgo dictum pro hernia intestinali. 88.
Eius vtilitas. 89.
Bronchocele quid. 42.
Bronchocele quomodo à struma differat. ibid.
Bronchocele vnde dicta. ibid.
In curatione bronchoceles Auctor potius glutino, quam sutura vtitur, & cur. 12.

Bron-

Bronchocelē duobus modis curat Celſus. 42.
Bronchoceles, & ſtrumæ ſitus, & conſtitutio. 43.
Bubones cautè incidendi. 87.
Bubonocele quid ſit. 86.
Bubonocele vnde fiat. 87.
Bubonocele à Paulo per inciſionem, & per vſtionem curatur. ibid.
Bubonocele an ſit dicenda hernia. ibid.
In bubonocele auctoris pila. 88.
Butyrum quando non conueniat ſonticulis. 121.

C

CAgnoli inſtrumenta ad dentes eximendos. 34.
Calculus duplex. 77.
Calculus quibus, & quando extrahendus. ibid.
In calculi extractione fraus quorundam. 78.
Veterum lunata inciſio damnatur. 79.
Modus antiquorum reijcitur. ibid.
Modus recentiorum. ibid.
Situs ægri. 78.
In calculi extractione vulneris curatio. 80.
Conatus naturæ in calculo expellendo. 77.
Calefactio iterata ſupplet adustionem. 185.
De Cancri ſanatione Celſi opinio. 58.
Cancer labiorum quomodo curandus. 30.
Quomodo ab auctore excidatur. 31.
Cancer ſola chirurgia curandus. 58.
Ad cancrum auctoris medicamentum. ibid.
In cancri curatione ſanguinis ſuppreſſio. ibid.
Cannula Auctoris pro cibandis ęgris in conſtrictione dentium. 186.
Cannula feneſtrata in ſutura vulnerum quem vſum præbeat. 144.
Cantharidum effectus. 154.
Succedaneum apud Auctorem. 155.
Capſulæ cur in fracturis adhibeantur. 167.
Caries oſſis profunda quomodo curanda. 176.
Caries oſſis quomodo per olea, & per ferramenta candentia curetur. ibid.
Carnoſitas in meatu vrinario quomodo ab Auctore auferatur. 83.
Caro adnata in ſinu muliebri quomodo curetur. 96.
Caro craſſa, & putrida circa molares quomodo auferenda. 31.
Cataracta quomodo fiat. 21.
Cataracta vnde dicta. ibid.
Eius locus ex mente Celſi. ibid.
Catheteris appellationes, & materiæ variæ. 76.
In Cathetere inuentum recentiorum. ibid.
Cauſa eadem quomodo producat effectus contrarios. 112.
Cauſticorum medicamentorum qualitas. 154.
Cauſtica medicamenta non temere adhibenda. ibid.
Cauterium actuale quid; eiuſq; materia. 133.
Cauterium potentiale quid. ibid.
Celſi locus. 17.
Celſus de fiſtulæ inciſione explicatus. 104.
Ceruix quomodo deliganda, vt venæ pro inciſione appareant. 12.
Chalazion quid ſit. ibid.
Chalazij cura. 19.
Chirurgiæ vtilitas. 5.
Chirurgiæ operationis finis. 1.
Chirurgiæ propriæ aliquando fiunt communes. 135.
In Cicatrice equis inducenda mos Scytharum 13.
Cingulum Auctoris in bubonocele. 87.
Cingulum in Vmbilici prominentia. 64.
Circumciſio quomodo adminiſtretur. 82.
Coaptatio facta vnde cognoſcatur. 161.
Collum ex catarrho diſtortum quomodo curandum. 43.
Condyloma quid; 101.
Condyloma quomodo excidatur. ibid.
Conformatio in fracturis duobus expletur. 156.
Conformatio mala oſſis fracti triplex. 173.
Conformatio proba quomodo fiat. 169.
Conſilium Comiti cuidam ab Auctore datum. 81.
Corpus exiguum, & rotundum ſi in aurem inciderit, quid agendum. 40.
Coxendicis articulus quomodo aduratur. 134.
In cranij perforatione inſtrumenta. 8.
In cranij perforatione, ratione inſtrumenti, & loci duplex periculum. ibid.
Cutis eſt aptum operimentum vulneris. 122.
In incidenda cute mos Turcarum. 13.

D

DArtos prima teſtium tunica. 86.
Decor ſanitatem quoque reſpicit. 127.
Deligatio alter ſcopus in fracturis. 156.

Deli-

Deligationis intentiones duæ. 161.
Deligatio Celsi quomodo differat ab Hippocratis deligatione. 165.
Modus deligationis Celsi. 164.
Deligatio cur tertia die soluenda. ibid.
Deligatio proba quæ. 163.
Deligatio quousque continuanda. 164.
Deligatura qua ratione fiat. 143.
Deligaturæ species tres. ibid.
Dentis calpia cui vsui inseruiant. 34.
Dentes alieno loco nati quomodo eximantur. 33.
Dentes carioſi quomodo curentur. 32.
Dentes coactè clausi quomodo reserandi. ibid.
In cõstrictione dentium cibandi modus. ibid.
Dentium extractio cur molienda. 33.
Dentes extrahendi quomodo præparentur. ibid.
Dentes non temerè extrahendi. ibid.
Nomina varia instrumentorum ad eximendos dentes idoneorum. 33. 34.
Ad dentes extrahendos Pellicani duo. 33.
Dentium erutorum restitutio. 34.
Periculum suffocationis in dentibus constrictis duobus modis tollitur. 186.
Derasionis sufficientis signa in osse carioso. 176.
Difficultas duplex in chirurgia dentium constrictorum. ibid.
Digiti cohærentes quomodo ab Auctore separentur. 124.
Digitorum cohæsio vnde fiat. ibid.
Digitorum curuitas ex vlcere relicta quomodo chirurgia curetur. 125.

E

Ectropij curatio. 21.
Empyema quid sit, & vnde ortum ducat. 48.
Encanthis quid sit, eiusque causæ. 27.
Encanthidis curandi modus. ibid.
Epididymis tertia testium tunica. 86.
Epiplocele non est curanda sicut hernia intestinalis. 90.
Epiplomphalos quomodo curetur. 63.
Epulidis, & Parulidis chirurgia. 31.
Excidere quid sit Celso. 140.
Extensio iusta qualis sit. 159.
Extensio in fracturis vndiq; necessaria. 156.
Extensio in humeri fractura qualis esse debeat. 158. 159.
Extensio qualis conueniat ossibus magnis. 160.
Extensio qualis conueniat recenti fracturæ. ibid.
Extensio vt iusta fiat, quid attendendum. 159.
Directio membri in extensione attendenda. 160.

F

Facies pulchra quæ dicatur. 127.
Falzettæ duorum sunt generum. 104.
Fasciarum vsus. 163. 164.
Fascia pro hernia intestinali. 88.
Fasciæ Hippocratis quales. 161.
Fasciæ Hippocratis quomodo inflammationem arceant. ibid.
Fasciæ neotericorum in fracturis. 165.
Fasciæ in fracturis quales adhibendæ. 166.
Faucibus inhærentia corpora non conspicua qui Autor eximat. 38.
Febricitantes, quibus oris partes exsiccatæ, qua ratione sint cibandi. ibid.
Ferramentum candens in adustione articulorum præstantius, quàm causticum medicamentum. 138.
Ferramenta candentia causticis tutiora. 113.
Ferramenta pro fonticulis inurendis. 122.
Ferrum candens vulcerum chirurgia. 153.
Ferulæ quales eligendæ in fracturis. 162.
Ferularum loco quid vsurpent recentiores. 163.
Fibrarum tectitudo. 137.
Fibula Auctoris adhuc iunioris alia quàm Fallopij. 146.
Fibulæ materia & figura ignota. 145.
Vsus est stringere. ibid.
Fibula quo loco adolescentibus inycienda. 82.
Fibulæ Fallopij quæ sint. 145.
Figura, longitudo, & amplitudo cannulæ post sectam asperam arteriam foramini indenda. 47.
Figura media quæ. 157. 158. 159.
Figura media articulorum seruanda in fracto humero. 158.
Figura media, & alia quomodo differant, & con-

conueniant. ibid.
Figura media quomodo deprehendatur. 157. 158.
Figuræ incisionis abscessus quæ veteribus potiores iudicatæ. 139.
Figuræ variæ ex lineis resultantes. ibid.
Figuratio congrua membri duplex. 157.
Figuratio congrua membri in fracturis molienda. ibid.
Figuratio proba vndiq; obseruanda. 162.
Filum, linum, & acia quomodo differant. 25.
Filum in sutura intestini quale eligendum. 72.
Filum quale conueniat in sutura vulnerũ. 144.
Filum sericum magis idoneum lino in curatione fistularum. 103.
Fissure labiorum quomodo curentur. 29.
Fistula à tuberculo exterius orta qua ratione curetur. 105.
Fistula an in foramine relinquenda post primam aquæ euacuationem. 71.
Fistula cancrosa non attingenda. 29.
Fistulæ penetrantis incisio, ibid.
Signa, 105.
In fistulæ curatione quomodo filum adstringat autor. 104.
Fistula lacrimalis quomodo curetur, quando ad os pertingit. 28.
Fistulæ lacrimalis curatio autoris noua. 29.
Fistulæ thoracis cur incurabiles putentur. 55.
In fistula thoracis quomodo succurrendum causis, quæ videntur eas reddere incurabiles. 56.
Fistula thoracis desperata quomodo ab Auctore tractetur. 57.
Fistula thoracis in corpore cacochymo quomodo curanda. ibid.
Fistulæ ani duorum sunt generum. 102.
Fistulæ imi ventris causa. 74.
Difficilis curationis sunt, & quare. ibid.
Curatio autoris. 75.
Fistulæ quomodo curentur per incisionem. 104.
Fœmina an possit sine coitu concipere. 93.
Fœtus in vtero situs. 197.
Fœtus cur in caput exeat. 98.
Fœtus cur in dextrum latus conuoluatur. ibid.
Fœtus in vtero retenti causæ. 99.
Fœtus emortuus difficulter extrahitur. 97.
Ob viarum angustiam retentus quomodo extrahatur. 99.
Fœtus maturus quomodo exeat. 98.
Folliculus euacuatus in abscessu quomodo fuerit ab Auctore extractus. 142.
Folliculus in abscessu integer est extrahendus, ibid.
Folliculus in abscessu quomodo integer extrahatur. 143.
Fonticuli vsus. 115.
Fonticulus qua ratione causticio parandus. 121.
Fonticuli boni conditiones. 120. 121.
Fonticuli cur non vbiq; fiant, sed tantum in peculiaribus partibus. 129.
Fonticuli in locis commodis parandi. 120.
Fonticuli locus quomodo inuestigandus. ibid.
Fonticuli per incisionem quomodo fiant. 121.
Fonticuli inustio. 122.
Fonticuli instrumentum ignem abscondens. ibid.
Fonticuli gestatio apud Siculos. 119.
Fonticuli qua ratione iuuent. 120.
Fonticuli quibus modis conueniant. 119.
Fonticuli quo instrumento fiant. 121.
Fõticuli in sutura cornali locus. 5. 6. vsus. 7. 51.
Instrumentum. 7.
Fonticuli in brachio locus. 121.
Fonticuli in cruribus. ibid.
Fonticulo iam facto quæ cura conueniat. 122.
Fonticuli quomodo in curatione hydropis parandi. 6.
Foramen penis strictum quomodo amplietur. 84.
In fonticulo parando laminæ substernendæ vsus. 122.
Fonticulus in occipitio damnatur. 15.
Forceps cui rei inseruiat. 11.
Forcipes pro setaceo parando quales. 14.
Forcipium varietas. 11.
Forcipis, forficis, & volsellæ differentia. 37.
Fractura quid sit. 155.
Fractura cum dolore quomodo curanda. 166.
Fractura cum osse denudato extra non eminente quomodo curanda. 172.
Fracturæ cum vulnere curatæ historia. 169.
Species. 167.
Fracturæ cum vulnere quomodo curandæ. ibid.
In fracturis quomodo eminentiæ intrudendæ.

dæ. 161.
Fractura lata ossis in capite non adeo depressi quomodo attollatur. 7.
Fractura maior quomodo deligetur. 166.
Fractura ossis extra prominentis quomodo curetur. 172.
In fracturis cum vulnere animaduersiones circa deligaturam. ibid.
Fracturarum Indicationes. 169.
Incommoda non seruatæ figuræ debitæ in fracturis. 159.
Fractura ossis magni quomodo curetur. 166.
Fractura ossis per longitudinem quomodo curanda. 167.
Fractura parua quomodo curetur. 166.
Fractura quibus medicamentis stabiliatur. ibid.
In fracturis plagularum numerus. 171.
Membri collocatio. 167.
Fractura vniuersi cranij absque ossis depressione quomodo curanda. 8.
Circa deligaturam in fracturis cum vulnere animaduersiones. 169.
In Chirurgia fracturæ cum vulnere animaduersiones. ibid.
In curatione fracturæ quædam recentiorum inuenta. 165.
Fractum membrum quomodo immotum seruandum. 167.
Quatuor in fracturis operationes requisitæ. 155.
In fracturis scopi duo absoluendi. 156.

G

GAlenus de euacuatione per hæmorrhoidas explicatus. 112.
Galeni locus in curatione tum vulneris, tum fracturæ. 168.
Galenus, & Celsus reconciliati. 123.
Galenus, & Celsus suppurationem, & incisionem tumoris vitant. 136.
Genu immobile curatum. 134.
Gibbositas vnde ortum ducat. ibid.
Gibbositatis differentiæ. 187.
Gibbositas quomodo chirurgia iuuetur. ibid.
In Gibbositate præsidiorum materia. 187.
Gingiuæ erosæ quomodo nutriendæ, 31.
Gingiuæ, quæ chirurgiam desiderent. ibid.
In cura gingiuarum scalpris motum sanguinis profluvium quomodo sistendum. 31.
Glans detecta quomodo à Celsotegatur. 80. 81.
Glans quomodo ab Albucasi perforetur. 84.
Glans tecta qualia afferat incommoda. 81.
Glandem à præputio quomodæ Auctor separet. 84.
Glandem tectam quomodo separet Auctor. 81.
Glandem tectam quomodo detegant Celsus, & Paulus. 81.
Quomodo curetur coalitus glandis cum præputio. 84.
Excrescentiæ carnis in glande, & præputio, vulgo porrifighi, curantur quatuor modis. 85.
In separatione glandis à præputio cautio. 84.
In globi extractione scopi tres. 152.
Globulus quando non potest pertentari, quid agendum. ibid.
Glutinum deligatura vtilius, & quare. 149.
Glutinum quomodo præparetur. 147.
Glutinum quomodo vulneribus applicetur. ibid.
Glutinis materia quæ 148.
Situs linteorum in glutino applicandi. ibid.
De glutini vsu obiectiones duæ soluuntur. 149.
Gumma exiguum quomodo curetur. 175.
Gumma Gallicum, & quod os corruptum habet, quomodo curetur. ibid.
Gumma vetus quomodo curandum. ibid.
Gumminata vnde oriantur. ibid.
Eorum differentiæ. ibid.

H

HÆmorrhoidum etymon. 105.
Vtilitas. 109.
Commodorum ex hæmorrhoidibus causæ. 110.
Hæmorrhoides exulceratæ quomodo curentur. 115.
Hæmorrhoides gangræna affectæ quomodo curandæ. 116.
Hæmorrhoides immoderatæ qua ratione supprimendæ. ibid.
Hæmorrhoides inflammatæ qua ratione curentur. ibid.
Hæmorrhoides menses prouocant. 113.

Hæmorrhoides ſuppreſſæ quomodo curentur. 118.
Hæmorrhoides quomodo vrendæ. 114.
Hæmorrhoides tumidæ quomodo curandæ. ibid.
Hæmorrhoides venæ cauæ in viris veteri hęmorrhoidibus comparantur. 112.
Hæmorrhoides venæ portæ,& venæ cauæ quomodo differant. 118.
Hæmorrhoides vrendæ quomodo cognoſcantur. 114.
Hæmorrhoides vtrum aperiendæ non aſſuefacto. 111.
Hæmorrhoidum apertioni quomodo aſſuefaciendum. 113.
Hiſtoria de muliere, quam hæmorrhoides iuuerunt. 113.
Hiſtoria de quodam Abbate per euacuationem ex hæmorrhoidibus à multis incommodis liberato. 113.
Euacuationi per hæmorrhoidas non eſt aſſuefaciendum. 110.
Hęmorrhoidas tumentes quomodo auctor curet. 115.
Hæmorrhoidas quomodo Auctor inurat. ibid.
Cauſa hæmorrhoidum in ſede. 106.
Priſci hæmorrhoides à vena caua ignorarunt. 109.
Hæmorrhoidibus quando conueniat chirurgia. 114.
De hæmorrhoidibus corollaria quædam. 108.
Cura Hippocratis poſt vſtionem hæmorrhoidum. 114. 115.
Hæmorrhoidum differentia ab origine, & propagine venarum ſumpta. 106.
Euacuatio per hæmorrhoidas cur magis conferat ad febres malignas, quàm venæ ſectio. 111.
Hæmorrhoidas quomodo curent Galenus, & Paulus. 117.
Incommoda fluxus hæmorrhoidum immoderati. 116.
Incommoda ſuppreſſionis hæmorrhoidum. ibid.
Ad hæmorrhoidas tumidas medicamenta. 115.
Hæmorrhoidibus natura abutitur. 109.
Venarum hæmorrhoidalium propago. 107.
In hæmorrhoidibus quæ maximè formidanda. 116.
Hami Guidonis. 130.
Fibulæ. 145.
Hermaphroditus vnde dictus. 92.
Hermaphroditi vnde naſcantur. ibid.
Eorum differentiæ. ibid.
Hermaphroditorum chirurgia. ibid.
Herniarum cauſæ. 86.
Hernia inteſtinalis duplex. 88.
Hernia inteſtinalis quomodo curetur. ibid.
Eius chirurgia duplex. 89.
Curatio cum extractione teſticuli. ibid.
Hernia mulierum quæ. 64.
Hernię aquoſæ cauſa, ſigna, & curatio. 70.
In Hernia aquoſa vbi colligatur aqua. ibid.
Hippocratis aphoriſmus explicatur. 117. 132.
Hippocratis interpres correctus. 115.
Hippocrates quę vltra duas faſcias in delegatione adhibeat. 162.
Hirudines vbi affigendę inquacunq; affectione. 114.
Hiſtoria de Virgine imperforata. 94.
Horatius de Norſia laudatus. 78.
Hordeoli cura. 18.
Humiditas ſeroſa in hydrocephalo vnde cognoſcatur. 177.
Hydrocele qua ratione curetur. 90.
Hydrocephalus vnde oriatur. 176.
Hydrocephali cauſę. 178.
Materia. 177.
Eius Definitio, ac differentię. 177. 178.
Signa. 177.
Prognoſtica. 178.
Sectio. 179.
Hydrocephalus à vaſorum ruptura quomodo curandus. 180.
Hydrocephalus primę ſpeciei quomodo curetur. 178.
In Hydrocephalo quomodo tentanda humoris aquoſi euacuatio. ibid. 180.
Euacuatio inſenſibilis hic tutior. 179.
Hydrocephalus quomodo poſt ſectionem curetur. 180.
Quomodo cutis rarefacienda. ibid.
In hydrocephalo cerebrum refrigeratum. 180.
Hydromphalos quomodo curandus. 63.
In Hydropicis duplex aquę euacuatio. 65.
Hydropicos quomodo Archigenes curet. 66.
Hydropici qui euacuatione aquę curari non

possint. ibid.
Hydropicorum cura Hippocratica. ibid.
Effusio sanguinis hydropicis noxia. 68.
Erasistratus non probat euacuationem aquæ in hydrope. 65.
Euacuatio aquæ cui hydropi conueniat. 65.
Galenus reddit causas, cur aqua hydropicorum non vnica vice euacuanda. 70.
Hydropicos quomodo Leonides curet. 66.
Locus perforationis abdominis in hydrope. 67.
Quantitas aquæ hydropicorum extrahendæ qualis esse debeat, variæ sententiæ. 70.
Hydropicorum cura. 67.
Hydropicorum aqua in unica vel pluribus vicibus vacuanda. 70.
Abdomen quomodo autor secet. 69.
Hypopium quomodo curandum. 27.
Hypospadæon Paulo quid sit. 84.

I

IDea in particularibus non reperitur. 127.
Iecoris intemperies frigida vt corrigatur ab Autore. 61.
Iecoris in abscessu apud veteres adustio. 61.
Modus Albucasis adurendi iecur. ibid.
Ignari Anatomes cur etiam tuto incidant. 142.
Ignis duplex actualis, & potentialis. 154.
Impedimenta, quæ vsti onem vlceris prohibent. 153.
Incisio tumoris quomodo facienda in singulis membris. 137. 138.
Incisiones cutis capitis & temporum ex Celsi relatione obsoletæ. 14.
Incisiones frontis ex Paulo obsoletæ. ibid.
Incisiones frontis quibus affectibus prosit. 11.
Incisiones venarum post aures quomodo iuuent. ibid.
Incommoda vngiuum nimis longorum, aut nimis breuium. 128.
Industria Autoris in iuuandis ægris. 65.
Industria Autoris in vlceribus curandis. 153.
Inflammatio cur fracturis superueniant. 157.
Inflammatio in fracturis præcauenda. ibid.
Inflammatio qualia habeat accidentia. 168.
Inflammationis cura impedientia vel remorantia Accidentia. 24.
Inguinis dilatatio quomodo ab autore astringatur. 88.
Instrumentum Auctoris pro distorsione colli. 44.
Instrumentum Auctoris pro polypo extrahendo. 182. 183.
Instrumentum Auctoris pro sectione abdominis. 69.
Instrumentum Auctoris reliquias polypi atterit. 184.
Instrumentum decussoriũ cui rei inseruiat. 11.
Instrumentum duplex pro incisione fistularum externarum. 75.
Instrumentum incisioni abscessus aptum. 140.
Instrumenta veterum pro polypo extrahendo. 183.
Intestinum dilatatum quomodo dignoscatur à bubone. 87.
Intestinum prolapsum qua ratione reponendum. 72.
Historia de sacerdote sibi intestinum rectum perforante. 105.
Intestino vulnerato quæ conueniat sutura. 72. 73.
Intestinorum vulnera quæ lethalia, & quæ non. 72.

L

LAbiorum chirurgiæ. 29.
Labiũ incisum quomodo glutinetur. 30.
Labia curta quomodo resarciantur. ibid.
Labia in abscessu secto quomodo vniãtur. 143.
Lac quomodo à mammis euocetur. 57.
Lac si concretũ computruit, quid agendũ. ibid.
Lagophthalmos quid sit. 20.
quomodo curetur à Celso. ibid.
Lagophthalmi causæ quæ. ibid.
Lapis quomodo ex meatu vrinario eximatur. 82.
Lenticulare instrumentum cui rei inseruiat. 10.
Lien quomodo veteribus, Marcello, & Albucasi aduratur. 61.
In lienis affectione absurda cuiusdam Chirurgia. ibid.
In lienis scirrho autoris experimentum. 62.
Ligaturæ solutio. 163.
Lingua quomodo à crasso excremento detergeatur. 34.
Linguæ depressio quomodo fiat. ibid.
Incisio vinculi linguæ subiecti. 34. 35.
Linteа triangula quando facienda in glutino. 148.
Linum quid sit. 25.

Eius vſus. ibid.
Linum crudum quid ſit auctoribus. 103. 104.
Locutionis inſtrumenta homini à natura conceſſa. 35.
Linguæ depreſſio quomodo fiat. 34.
Effectus inciſionis vinculi linguæ ſubiecti. 35.
Inciſio vinculi linguæ ſubiectæ. 34. 35.

M

Mala à Medicis inſpicienda. 116.
Mamillæ putredo quomodo emendetur. 39.
Mammæ tumidæ in viris quem vſum habeant. 59.
Mammæ virorum tumidæ veſtibus corrigi poſſunt. ibid.
In curandis ijs Pauli ſæuitia. ibid.
Mammarum affectus duplex. 57.
Mariſcæ vulgo creſte, varijs modis tolluntur. 102.
Materia faſciarum qualis requiratur. 143.
Medicamentum Auctoris pro auctis virorum mamillis. 59.
Medicamenta tutiſſima conueniunt in periculis. 151.
Membrana exterius aurem obſtruens qua ratione curanda. 40.
Membrana interior meatus auditorij quomodo curetur ſecundum Paulum, Celſum, & Auctorem. 395.
Meningophylax Celſi. 10.
Modiolorum variæ formæ pro cranio perforando. 9.
Modus Auctoris, quo venarum ora aperit. 118.
Modus nouus retinendi medicamenta in meatu vrinario. 83.
Motus mammillæ furſum eſt validiſſimus. 32.
Mulieres cur potius quàm viri cancro vexentur. 58.
Vitia mulierum, quæ coitum reddunt difficilem. 94.
Muſculi qui valentiores. 160.
Euacuatio humoris ſub muſculo temporali. 180.
Myocephalon quid ſit. 25.
Myocephali curatio. ibid.

N

Operationes chirurgicæ variæ in naturalibus feminarum fieri ſolitæ. 91.
Nympha quomodo à Paulo exſcindatur. 93.

O

Obſeruatio in chirurgijs locorum anguſtorum. 26.
Obſtetricum temeritas in linguæ muſculo incidendo. 35.
Occipitium adultis in quibus caſibus aduratur. 16.
Occipitij exuſtio in infantibus. ibid.
Oculorum vnguis. 26.
Poſt eius exciſionem medicamenta. 27.
Cautio. ibid.
Oculus amiſſus quomodo reparandus fictitio. 181.
Ocularium autoris inſtrumentum. 47.
Ex oculis vnde pus euacuetur. 28.
Omentum prolapſum quomodo tractandum. 72.
Operatio chirurgica vnde dicta. 1.
Operationes chirurgicæ difficiles quæ. 11.
Operationes chirurgicas difficiles quomodo aliqui adminiſtrarunt. 12.
Operationes chirurgicæ in offibus quæ fiant. 155.
Operationes chirurgicæ quæ ab Auctore reijciuntur. 2.
Operationes chirurgicæ omnes totius corporis, & ſingularum partium enumerantur. 2. 3. 4.
Oræ in fiſtulis exciſis non ſtatim glutinandæ, & quare. 104.
Os carioſum quomodo curetur. 176.
Oſſis fracti primæ, & ſecundæ ſpeciei malè conformati curatio. 173.
Os fractum eminens quomodo curetur ab Auctore. 165.
Os fractum prominens lima abradendum, aut forcipe præcidendum. 172.
Os in fracturis duobus modis abſcedit. 170.
Os malè conformatum quomodo ab Auctore rumpatur. 173.
Os maxillæ pronum ad putredinem. 39.
Os ſi in fractura non percipiatur, quid agen-

dum. 170.
Ossa nudata ab aere corrumpuntur. ibid.
Ossa quomodo vniantur. 156.
Ossium affectiones. 155.
Ossium affectiones quæ Chirurgia juvantur. 135.
Causæ separationis ossis in fracturis. 170.
Ossis magni recessuri chirurgia. 171.
Conditiones probæ collocationis ossis fracti, earumque ratio. 166.
Curatio Hippocratis in osse paruo recessuro. 171.
Effectus primæ, & secundæ speciei ossis fracti malè conformati. 173.
Historia de osse male conformato emendato. ibid.
Ossis carioſi per scalprum & malleum curationis incommoda. 176.
Ossis capitis depressioni maiori quale instrumentum conueniat. 8.
Scopi duo in curatione ossis magni recessuri. 171.
Signa ex quibus os recessurum cognoscitur. 170.

P

PAlatieroſi correctio. 34.
Ossis in palato detecti vstio. ibid.
Palpebrarum verrucæ qui curentur. 18.
Vesicæ pariter. ibid.
Palpebræ laxatæ quomodo curentur. 20.
Palpebrarum coalitus à Celso bifariam curatur. 17.
In Palpebris deducendis de instrumentis veterum Autoris opinio. ibid.
Palpebrarum pili quando irritant oculos, curatio triplex Celsi & Pauli. 19.
Papilla intus occultata quomodo extrahatur ab Amato Lusitano. 57.
Partes ani duæ tantum. 107.
Partes oris ob humiditatem multis malis sunt obnoxiæ. 29.
Partes similares quæ sint. 135.
Paulus in curatione staphylomatis vtitur seta equina. 26.
Paulus quomodo excidat pterygion. ibid.
Penis vterum non intrudit. 97.
In pene operationes necessariæ. 80.
Superfluæ. ibid.
In penem cauta fistulæ intrusio. 76.
Penis foramen vitiosum quomodo emendetur. 84.
Perforatio asperæ arteriæ quando inutilis. 44.
Peritonæum non concludit omnia in abdomine membra. 108.
Peritonæi ruptura vetus non coit, nisi renouetur. 64.
Peritonæum ruptum quomodo curetur. ibid.
Peritonæi rupti causæ tum in viris, tum in feminis. ibid.
Chirurgia Celsi triplex. 61.
Pilus asperior palpebras potissimum offendit. 20.
Pili palpebrarum quibus de causis oculos irritent. 19.
Pituita qua ratione dolorem inferat. 132.
Plagulæ cur ab Hippocrate cerato oblinantur. 162.
Plagæ cur, & quomodo, ab Hippocrate adhibeantur. ibid.
Plagulæ quamdiu vsurpandæ. ibid.
Plagulæ quibus rebus imbuantur. ibid.
Podicis structura. 107.
Polypus quid. 181.
Polypus qualis tumor. ibid.
Polypus vnde ortum ducat. ibid.
Polypi differentiæ, & incommoda. ibid.
Polypus quomodo a Paulo, & Celso curetur. ibid.
quo discrimine. 182.
In chirurgia polypi intentiones quatuor. 183.
Signa extracti polypi. 182.
Polypi reliquiæ quomodo à Celso, Albucasi, & autore tollantur. 182. 183.
Polypo extrahendo ferramentū autoris. 184.
In Polypi cura incommoda veterum spatha. 183.
In Polypi curatione funiculus nodosus incommodus. 184.
In Præcisione membri quomodo vitanda symptomata. 123. 124.
Pterygij nomenclatura. 128.
Pterygion incipiens quomodo curandum. ibid.
Pterygion quæ incommoda afferat. 127.
Pterygion quomodo à quibusdam curetur. 136.
Pterygion quomodo excidatur. 26.
Pterygion vnde fiat. 128.

In

In pudendo muliebri cui vſui inſeruiant alæ. 95.
In pudendo muliebri quomodo curetur excreſcentia carnis. 93.
Pyulcus cur non attrahat pus. 55.

R

RAmex quid. 91.
Ranula linguæ quomodo incidatur à Celſo, & quomodo ab Auctore. 35.
Medicamenta adhibenda poſt ſectionem ranulæ. 35.
Rectitudo partis ſeruanda in parando fonticulo. 120.
Reliquiæ Polypi vbi remanent. 180.
Roſtrum corunum ad dentes eximendos. 34.

S

SArcocele, & hydrocele miſtę quomodo Auctori curentur. 91.
Sarcocele quomodo curanda. 90.
In Sarcocele autoris experimentum. ibid.
Scalpellus quid ſignificet. 140
Scalpellus ſalzetta dictus. 141.
Scalpellus Gammaut dictus. ibid.
Scalpellus in annulo. ibid.
Scalpellus ſcodeghino dictus. ibid.
Scalpellus ſcolopomachærion. ibid.
Scalpellorum vſus. ibid.
Scalpro quando vtendum ſit in fractura cranij. 10.
Scalprorum differentiæ. ibid.
Scalpri vſus in fractura cranei. ibid.
Sclopetorum ignis vulneri non officit. 150.
Scolopomachærij etymon. 53.
Scroti ramex. 91.
Sectio quæ antiquis vſitatiſſima. 139.
Sectio myrtei folij ſimilitudine. 139.
Secundæ quid. 100.
Secundę relictę quomodo extrahendæ. ibid.
Sententia Pauli de ſectione ad myrtei folij ſimilitudinem correcta. 140.
Serrulæ cui vſui inſeruiant. 11.
Setacei locus in occipitio. 15.
Setaceum ipſe Auctor bis geſtauit. 14.
Setaceum ſcroto quando injiciendum. 67.
Setaceum tria inſtrumenta requirit. 14.
Setacei inurendi modus. 15.
De Setaceo quorundam opinio. ibid.
Seto quomodo imponendus. ibid.
Seto vnde appelletur. ibid.
Signa bonæ deligationis vnde petantur. 163.
Sincipitis ſectio quibus in caſibus tentanda. 48.
Spatha in curatione polypi quæ habeat incommoda. 183.
Sphacelus varias habet cauſas. 123.
Sphaceli qualitas. ibid.
Inciſio in ſphacelo vbi facienda. ibid.
Staphyloma quid ſit. 25.
Staphylomatis curatio Autori vſitata. ibid.
Paulus, & Celſus quomodo ſtaphylomata curent. 26.
Struma quid. 43.
Strumæ non facile ſecandæ, niſi cum omnino computruerint. ibid.
Strumæ ſectio periculoſa. ibid.
Suffumigium Anglicum ex tabaco. 186.
Suffuſio quomodo curatur. 23.
Suffuſionis cauſæ quæ. 21.
De ſuffuſionis loco Galeni Pauli, & Autoris ſententia. 22.
In ſuffuſionis curatione partes oculi omnes cur patiantur. 24.
Cautio. ibid.
Auſus auctoris in curatione ſuffuſionis. 23.
Chirurgia in ſuffuſione oculorum. ibid.
Chirurgia ſuffuſionis difficilis. ibid.
In ſuffuſione oculorum autoris medicamentum. ibid.
Operatio tuta in ſuffuſionis curatione. 24.
Sutura in vulneribus quomodo fiat. 144.
Suturæ neotericorum ſpecies. ibid.
Sutura quibus inſtrumentis abſoluatur. ibid.
Suturarum in vulneribus electio. ibid.
Suturæ, & fibulæ alienę in vulneribus. 149.
Incommoda ſuturæ, & fibularum. 146.
Syrinx quomodo immittatur in penem. 76.

T

TEla ex vulneribus neceſſario extrahuntur. 150.
Quibus inſtrumentis. ibid.
Temporum venę quomodo vrantur. 13.
Celſus venas temporum non modò ſecat, ſed etiam vrit. ibid.

Temporum ſectio ex Paulo obſoleta 14.
Temporum aduſtiones & inciſiones quibus affectibus conferant. 11.
Terebra pro dentibus eximendis. 34.
Teſtis vnus maior altero. 90.
Teſtium ſecundæ tunicæ nomina. 86.
In teſticulis tumorum ſpecies. 85.
Tibia incurvata quomodo ab Auctore fuerit emendata 126.
Theriaca in vulneribus venenatis quomodo vtatur Auctor. 151.
In ſectio thorace qualis conueniat cannula. 55.
Cutis cur primò incidenda in ſectione thoracis, & cur obliquè incidenda. 54.
In ſectione thoracis quomodo dilatandum foramen anguſtius. ibid.
Hippocrates cur in hydrope thoracis coſtam perforet, non autem ſpatium inter coſtale vt in altera ſectione. 50.
Inſtrumentum Hippocratis, & Pauli ad ſectionem thoracis 53.
Læſio partium externarum in ſectione thoracis quomodo curetur. 52.
Locus in vſtione thoracis perforandus. ibid.
Materia in thorace collecta per quas vias euacuetur. 49.
Methodus Hippocratis ſecandi thoracem. 49. an per vſtionem. 50.
Modus incidendi thoracem. 54.
Pus in thorace collectum quomodo euacuandum. 55.
Si thorace perforato non exeat, quid agendum. ibid.
Quæſtiones tres circa ſectionem thoracis ab Hippocrate adminiſtrari ſolitam. 50.
Quid agendum in ſectione thoracis emiſſo pure. 49.
Situs patientis in ſectione thoracis qualis eſſe debeat. 52.
Vſtio Thoracis duplex à Paulo tradita. 51.
Vſus duplex inſtrumentorum in ſectione thoracis. 54.
Fiſtularum in thorace differentia. 56.
Tonſillarum chirurgia ob varias cauſas difficilis. 36.
Tumorum cauſæ tres. 85.

V

Valgi quid ſint. 126.
Valgi quomodo ab Auctore reſtituantur. ibid.
Vari quid ſint. ibid.
Vari abexterna cauſa quomodo curentur. 126.
Varietas rimæ oſſis in capite depreſſi. 7.
Varietas vulneris variat inſtrumenta. 148.
Varix quid ſit. 130.
Varicum locus. ibid.
Varices vnde oriantur. ibid.
Varices in ventre rariſſimæ inueniuntur. 74.
Varices qua ratione furorem ſanent. 110.
Varices quomodo curentur per excisionē. 130
In Varicum exciſione ſcopitres. 131.
Varicum chirurgia apud Antiquos aſpera. ibid.
Autoris mitior. ibid.
In varicum aduſtione dubia duo. 130.
Vectis trifidus inſtrumentum ad dentes eximendos. 34.
Vectis tres ſpecies. 7.
Venarum & arteriarum affectiones. 135.
Vena folliculo abſceſſus nutrimentum præbens abſcindenda. 143.
Venæ hemorrhoidales duæ. 107.
Venæ hemorrhoidales quomodo fluidæ reddendæ. 118.
Venæ quomodo tranſuersè ſecentur. 12.
Ventriculi frigidam intemperiem quomodo recentiores corrigant. 61.
Verrucis tollendis medicamentum autoris. 18.
Vertibula trypanorum diuerſa. 9.
Vertibula trypanorum quæ reijcienda, quæ eligenda. ibid.
Veſicæ palpebrarum ſunt ex genere abſceſſuum qui tunica includuntur. 18.
In Veſicæ calculo in veſtigando autoris induſtria. 78.
Signa. ibid.
Veteres morborum per hæmorrhoides ſanari ſolitorum paſſim mentionem faciunt ignorata cauſa. 109.
Virgo imperforata quomodo ab Auctore fuerit curata. 95.
Vitia cutis quæ ſint. 135.
Vitia mulierum quæ conceptionem prohibent. 94.
Vitia mulierum quæ concubitum prohibent. ibid.
Vitia naturalium muliebrium. ibid.
Vlcus ani vnde ortum ducat. 102.
Vlcus cauernoſum quomodo curandum. 153.
Vlcus exquiſito ſenſu præditum quomodo curetur

retur. ib.d.
Vlcus fiſtulorum quomodo aduratur. 154.
Vlcera quæ dicantur maligna. 152.
Vlcerum cauſæ vt amouendæ. 123.
Vmbilicus quando poſſit perforari. 68.
Num carnoſa pars, an neruoſa ſecanda. ibid.
Vmbilici perforatio non conuenit in exiguo hydrope. 66.
Vmbilici prominentis cauſæ. 63.
Differentiæ. 62. curatio. 63. 64.
Vncus Celſi quid. 79.
Vncus veterum in cura polypi quæ habeat incommoda. 184.
Vnguinum chirurgia decoris cauſa. 127.
Vnguium aſperitas quomodo emendetur. 128.
Vnguis pollicis pedis interius intruſu qua ratione Auctori curetur. 129.
Vnguis recens oculorum medicamentis poteſt curari. 26.
Vnio quomodo fiat. 155.
Volſella quid. 37.
Voſella vnde dicta. ibid.
Vrinæ multis de cauſis ſupprimuntur, earumque curandi modi. 75.
Vrinæ ardor in gonorrhœa quomodo leniendus. 83.
Vrinæ ſuppreſſæ caſus. 16.
In vrinæ ſuppreſſione notabilis obſeruatio. 77.
Secretum cuiuſdam Venetijs in ſuppreſſione vrinæ. 76.
Vſtiones iecoris, lienis, & ventriculi hodie obſoletæ, & quare. 60.
Vteri prolapſus ex quibus cauſis. 97.
Quomodo curetur. ibid.
Vteri orificium agglutinatum incurabile. 96.
Vua male affecta quando chirurgiam deſiderat. 36.
Vua quomodo ab Auctore excidatur. ibid.
Quando medicamentis curatur. ibid.
Vulnus quid ſit. 143.
Vulnus quotuplex. ibid.
Dolor à vulnere duplex. 148.
Vulneris incommoda. ibid.
Vulnerum incommoda à cicatrice. 149.
Vlneris Indicationes. 169.
Ad vulneris vnionem inſtrumenta quatuor deſiderantur. 143.
Vulnus ſi ſit profundum quid agendum. 151.
Vulnerum vnioni inventa quatuor inſtrumenta. 148.
In vulneribus, vbi veneni ſuſpicio. 151.
In vulneribus venenatis Chirurgia. ibid.
In vulneribus ſclopetorum vnde læſio. 150.
Vuluæ abſceſſus quomodo curetur. 96.
Vuluæ labra glutinata vt ſeparentur. 95

2158-1946/51